


John Carter Brown.
Harold Brown.

Hen: C. Murphy
Brooklyn


De Laet's


Novus Orbis

1633

Joannis de Laet
AMERICAE
UTRIUSQUE
DESCRIPTIO.

JCB


NOVVS ORBIS
ſeu
DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS
Libri XVIII.
Authore
IOANNE DE LAET ANTVERP.
Novis Tabulis Geographicis et variis
Animantium, Plantarum Fructuumque
Iconibus illuſtrati.
CVM PRIVILEGIO.
DE GENERAEL PIETER PHEYN.
DE GENERAEL HENDRICK C. LONCK.
MATANÇA.
Veniſti tandem.
Fœd Belg.
OLINDA.
LVGD. BATAV. apud ELZEVIRIOS. A°. 1633.


In dictis Veritas
Constantia in Factis

CAROLO I.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, atque HIBERNIÆ

REGI,

FIDEI DEFENSORI, &c.

QVarta hujus univerſi pars, quam vulgo Americam vocamus, SERENISS. DOMINE, uti primum proavorum noſtrorum ætate ab Europæis adiri cæpit, ita hactenus minima ſui parte, ſi Mediterranea ſpectes, fuit perluſtrata; ea autem, quæ jam ab iiſdem habitantur aut crebro adeuntur, ita perfunctorie & per partes, quædam etiam ſatis negligenter fuerunt deſcripta; ut crediderim me aliquid operæpretii, in hac parte univerſim & accuratius deſcribenda, poſſe præſtare; &, ſi non plenam, ſaltem pleniorem, quam hactenus viſa fuerit, univerſæ Americæ geographicam deſcriptio-

 nem

nem exhibere. Hic labor noſter non poterat ſine piaculo alium Patronum ſibi aſciſcere, quam T. M^tem, tum quia ſubditi Tui jam aliquot hujus partes coloniis deductis occuparunt, quarum indigenę coram univerſo Orbe grati agnoſcunt, ſe & ad urbaniorem cultum, & ad Chriſtianam Religionem, quod longe maximum beneficium eſt, jam traductos eſſe, & quotidie traduci; tum quia hoc opus tantam lucem à ſubditorũ T. M. accuratiſsimis obſervationibus accepit, & tam multa fortia ipſorum facta in eo commemorantur. Patere ergo, SERENISS. DOMINE, novum hoc, & uti ſperamus Chriſtiano orbi non inutile opus, ſub Illuſtriſs. Majeſtatis Tuæ Patrocinio lucem aſpicere; quod ſi impetravero, ſatis magnum me laborum præmium opinabor conſequutum, & alacrior ſum futurus, quandiu vita ſuppetet, ad Hanc atq; alias Orbis partes magis magiſque illuſtrandas. Quod ſupereſt, Deum optimum maximum ſupplex veneror, ut T. M^ti plures & bene fortunatos Vitæ & Regni annos largiatur, ad Nominis ſui gloriam & veræ Fidei defenſionem, atque adeo utriuſque; per Barbarorum Provincias propagationem.

Tuæ Maj^tis

Lugduni Batavorum. Nonis Martij
Anno cIↄ Iↄ c xxxiii.

Humillimus cliens

JOANNES de LAET, Antwerp.

In Descriptionem Indiæ Occidentalis Clarissimi viri Johannis de Laet, rebus ejusdem Indiæ Præfecti.

EXtremum primumque diem, qua ſurgit ab vndis
Quaque fatigatis in mare fertur equis,
Emenſo Batavi poſt tergum liquimus orbe,
Et quas Sol metas, navita noſter habet.
Subſequitur, quacunque viam fecêre carinæ,
Et quantum nautæ, mens ſibi ſumit iter.
Latius extremi poſitum ſibi vindicat Indi,
Et curam terræ deficientis agit.
Par patriæ cuivis, par libertatis amore,
Hic quoque, quo patriam demereatur, habet.
Nec tantum diſtincta locis miracula reddit,
Quæcunque in Batavos panda carina tulit:
Cedentis revocat finemque intercipit orbis,
Vlteriusque ipſo nobile ſurgit opus.
Interior tanto jam ſtat Natura labore,
Et famæ acceſſu continuatur humus:
Excipit exhauſtum par mundo gloria mundum,
Quantus in immenſa poſteritate patet.
Qui varios terrarum habitus, tractusque, ſitusque,
Et deſcripta ſuo nomine regna legis,
Cum frutices, herbasque novas, ignotaque nobis
Nec quondam terris cognita monſtra, legis;
Plus monſtris quæcunque legis, mirare docentem,
Per quem, ut nata domi, tam peregrina legis.

DANIEL HEINSIVS.

SERIES

TABVLARVM

Geographicarum.

I. AMericæ ſive Indiæ Occidentalis Tabula Generalis, huic paginæ ſubjungenda, ante Præfat.

II. Majores minoreſque Inſulæ, Hiſpaniola, Cuba, Lucaiæ & Caribes, ante paginam 1. ſive lib. I.

III. Nova Francia & Regiones adjacentes, ante pag. 31. ſeu lib. II.

IV. Nova Anglia, Novum Belgium & Virginia, ante pag. 63. ſeu lib. III.

V. Florida & Regiones vicinæ, ante pag. 95. ſeu lib. IV.

VI. Nova Hiſpania, Nova Galicia, Guatimala, ante pag. 221. ſeu lib. V.

VII. Terra Firma, item Nuevo Reyno de Granada atque Popayan, ante pag. 347. ſive lib. VIII.

VIII. Peru, ante pag. 397. ſive lib. X.

IX. Chili, ante pag. 481. ſive lib. XII.

X. Provinciæ ſitæ ad Fretum Magallanicum, itemque Fretum Le Maire, ante pag. 501. ſeu lib. XIII.

XI. Paraguay ô Provinc. de Rio de la Plata cum adjacentibus Provinciis quas vocant Tucuman & S. Cruz de la Sierra, ante pag. 521. ſive lib. XIV.

XII. Provincia de Braſil cum adjacentibus Provinciis. ante pag. 541. lib. XV.

XIII. Gujana ſive Provinciæ intra Rio de las Amazonas atq; Rio de Yviapari ſeu Orenoq;, ante p. 625. l. XVII.

XIV. Venezuela atque Occidentalis pars Novæ Andaluziæ, ante pag. 667. lib. XVIII.

RPJCB


AMERICÆ
ſive
INDIÆ OCCIDENTALIS
Tabula Generalis.
Septentrional
MARE AVSTRALE
OCCIDENS
Tropicus Cancri
Linea Aequinoctialis
Tropicus Capricorni
C. Mendocino
C. de Fortunas
C. de Pinos
Nova Albion
Seyo
Califor-
nia
Novo M
C. de Galera
Pueblo de las Canoas
I. St. Auguſtin
C. del Engaño
I. de Cedros
Pº de la Madalena
Pº de la Trinidad
C. de S. Lucar
Verradere eyland
Goe hoop
Vliegen eyland
Honden eyland
Water eyland
Eyland ſonder grond
210
220
230
240
250
260
270
280
60
50
40
30
20
10


NTRIO
Americæ pars.
Nova Francia
Terra Nova
Nova Scotia
Nova Anglia
C. Briton
Novum Belgium
C. Cod
Virginia
Florida
La Barmuda
Asores
Hispania
Canariæ
Lucaios Inſulæ
C.S.Anton
Cuba
Iucatan
Hiſpaniola
Porto Rico
Canibales Inſulæ
Iamaica
Honduras
S. Martha
Veragua
Cartagena
Nuevo Reyno
Venezuela
Trinidad
Orinoque
Guiana
Popaian
I. Capitis Viridis
Africa.
ORIGENS
300
310
320
330
350
360
10
Rio das Amazonas
Marannon
Noronha
Puna
Meridionalis Americæ pars.
Peruvia
Pernambuc
C. S. Auguſtin
Bahia
Braſilia
Lima
Charcas
Arica
C. Frio
Tucuman
La Plata
Copeapo
Coquimbo
Chile
I. Iuan Fernando
R. de la Plata
Concepcion
I.S. Maria
Baldivia
Magallanica
Caſtro
Fretum Magallanicum
Fretum le Maire
IDIES
60
50
40
30
20
10
10
20
30
40
50
60

GENERALIS
INTRODUCTIO
AD
Libros ſequentes.

PROPOSITUM nobis hîc deſcribere univerſam Indiam Occidentalem, quæ vulgo *America* dicitur, ſeu Quartam & longe maximam habitati orbis partem, à *Chriſtophoro Columbo* Genevenſi, auſpiciis Catholicorum Regum *Ferdinandi* & *Iſabellæ* primùm inventam & aditam anno clↄ cccc xcii. licet ab *Americo Veſpucio* nomen meruerit, qui aliquot annis tardius Continentem adnavigavit. Nihil dicemus hic de cauſis quæ Columbum moverunt ut hanc expeditionem ſuſciperet, neque quomodo barbari incolæ, & unde, primùm in has regiones commigrarint, ſicuti nec alia quæ huc ſpectant, quæ ab aliis & præſertim à *Joſepho de Acoſta*, diligenter fuerunt pertractata: ſed tantum pauca præfabimur de univerſæ hujus partis limitibus, & cohærentia particularium provinciarum, & methodo, quam in illas deſcribendo, ſequuti ſumus.

America itaque pene in latitudinem pertinet ab vno polo ad alterum; objectamq; habet ad Orientem quidem Europam atq; Africam; à quibus dividitur patentiſſimo oceano Germanico atq; Atlantico; nunc plurium, nunc pauciorum leucarum intervallo; Africæ tamen propior, quam Europæ; (ab Heſperidibus enim ſeu inſulis de *Cabo Verde*, ut vocant, breviſſimus ad Continentem illius creditur eſſe trajectus;) ad Occidentem autem Aſiam & Terram Auſtralem adhuc maxima ſui parte incognitam; quanto freto ab Aſia diviſa ſit, nondum ſatis eſt exploratum, quanquam communis opinio eſt, non niſi anguſto, quod vulgo vocant *Anian*; verum non obſervavi hactenus quemquam applicuiſſe ad hanc Continentem ultra promontorium Californiæ *Mendocinum*, quod adhuc longe à Continente Aſiæ oportet abeſſe, ſi itinerum rationes bene ſubductæ fuerint.

Forma illius valde anomala eſt; nam primum ad Arctum latiſſimè ſe deducit; potiſſimum inter Inſulam *Terram novam*, (quâ multum prominet verſus Europam) & extremos *Californiæ* fines, (quibus ad Aſiam accedit:) ab his veluti cornubus, ſenſim utrimque ſubducunt ſe illius oræ,

** donec

donec tandem juxta *Novæ Hiſpaniæ* portum quem vocant *S. Ioannem de Ulluа* veluti in obtuſum conum rurſus pene coeant, (neque enim terra hic admodum lata eſt, ſi cætera ſpectes;) quumque hactenus ab Arcto deſcenderit verſus Æquatorem; hinc jam recta pene tendit verſus ortum & properat tanquam vinculo quodam ſe connectere cum altera Americæ parte; id modo latius, modo anguſtius, in ipſo nexu haud ſupra octo in latitudinem patet leucas, ita ut altera illa pars pene Inſula videri poſſit.

Partem hanc alteram vocamus Meridionalem, quia longe maxima ſui parte ab Æquatore divergit verſus Auſtrum, ſicuti prior illa tota pertendit ad Arctum, & propterea recte Septentrionalis dicitur.

Porrò Meridionalis hæc pars, pene triangularis eſt formæ, baſi quidem latiſſimâ qua Arcto obvertitur, ſed ſubductis utrimque lateribus, ad Fretum Magallanicum in obtuſum conum deſinens, ubi vix octuaginta aut nonaginta leucas lata eſt; nam quæ ultra hoc jacent terræ, tantum inſulas eſſe, jam ſatis conſtat, licet majores noſtri aliter crediderint.

Sicuti autem Septentrionalis illa pars verſus Europam prominet Inſulâ illâ quam diximus *Terra Nova*, ita Meridionalis hæc promontorio Braſiliæ celeberrimo, quod vocant *S. Auguſtini*, verſus Africam. Vtraque autem pars ab hiſce extremitatibus ſuas itidem reducit oras, Septentrionalis quidem verſus Africum, Meridionalis autem verſus corum, donec ad Novam Hiſpaniam demum coeant ; & recipiunt intermedio ſpacio longe plurimas inſulas, quæ arcuato ductu, ab una parte pertendunt ad alteram, & ab Oceano Septentrionali dividunt veluti Mediterraneum quoddam fretum, quod in intimo receſſu vocatur Fretum Novæ Hiſpaniæ vel etiam Mexicanum.

Quum ergo hæ partes ad hunc modum ſe haberent, non fuit nobis anxie de commoda methodo laborandum, qua in illis deſcribendis uteremur. Conſultiſſimum enim nobis viſum Inſulas illas, quas diximus, primum abſolvere, quæ & primum inventę fuerunt & veluti oſtium aperiunt ad præcipuas Americæ utriuſque partes: Deinde utriuſque partis provincias perſequi ordine quo jacent. Itaque Inſularum illarum deſcriptione primo libro abſoluta; Continentem adii Americæ Septentrionalis, & partibus illis quę ad polum Arcticum vergunt, (utpote nondum ſatis cognitis, & nihil memorabile ſortitis, præter glaciem & pene perennes nives,) prætermiſſis, deſcriptionem orſus ſum ab Inſula *Terra Nova*, & *Nova* ut vocant *Francia*, cui illa objacet; eæ ſecundi noſtri libri argumentum fuerunt: atq; ita ſecundum oram inceſſi, & Libro Tertio aſſignavi *Novam Angliam, Novum Belgium, & Virginiam*: Quarto libro proſecutus ſum *Floridam*: Quæ nos deduxit ad *Novam Hiſpaniam* nobiliſſimam utique Americæ hujus Septentrionalis partem, quam (cum vicinis aliquot provinciis quæ ab Hiſpanis ipſi annectuntur, verſus occaſum quidem *Mechuacana*, verſus Arctum *Panuco*; verſus ortum *Tabaſco* & *Yucatana* verſus Auſtrum *Guaxaca* & aliis,) libro quinto diligentiſſime & copioſe illuſtrare ſum conatus: Atque hic nobis ab oceano noſtro paulum diſcedendum fuit, ad provincias illas, quæ à tergo *Novæ Hiſpaniæ* & procul intra Continentem jacent,

nimirum

nimirum *Novam Galæciam; Novam Cantabriam; Californiam, Novam Albion,* & *Novam Mexicanam;* quas omnes libro ſexto abſolvimus. His abſolutis reverſus ſum ad extremos Novæ Hiſpaniæ limites, jam ante deſcriptos; & ſeptimo libro ſuſcepi deſcribendas provincias illas omnes quæ anguſtum illum terrarum tractum occupant, qui utramque Americæ partem connectit, quem quidem à nobiliſſima parte & conventus juridici ſede *Guatemalam* denominavi; in eo tamen ordine ſuo deſcribuntur provinciæ, *Chiapa* Mediterranea, *Soconuſco* & *Suchitepec* ad mare Auſtrale; *Verapaz* Mediterranea; *Guatemala* proprie dicta, *Yzalcos, San Salvador, San Miguel, Chuluteca* ad mare rurſus Auſtrale; *Hondura* ad mare Septentrionale, *Nicaragua*; *Coſta Rica*, & *Veragua* ad utrumque. Atque ita pervenimus ad Iſthmum; & libro octavo primum deſcripſimus *Panamenſem* provinciam, quæ tum illum, tum aliquam partem utriuſque Continentis occupat: huic adjunximus *Cartagenam* celeberrimum Hiſpanorum emporium & famoſam Americæ Meridionalis ad mare Septentrionale provinciam; atque ita porro præfecturas alias duas *S. Martham* & *Rio de la Hacha* ad idem mare ſitas.

Atque hic nonnihil hæſitavi, dubius an oras hujus partis porro proſequerer verſus orientem, & per *Fretum Magallanicum* me referrem ad eundem Iſthmum quem jam abſolveram; verum tandem conſultius viſum ad mare Auſtrale accedere & progredi verſus Auſtrum, atque ita per *Fretum Magallanicum* vaſtiſſimo ambitu regredi ad *Rio de la Hacha.*

Nono itaque libro penetravi intra Continentem & perluſtrato *Novo Regno Granatenſi*, quod utrumque mare nuſquam attingit, per *Popajanam* reverſus ſum ad *Mare Pacificum*, à quo poſt Panamenſem provinciam explicatam receſſeram. Hinc porro deſcripſi *Peruviam* univerſam, quæ longiſſimo terrarum ſpacio illi mari adjacet, libris duobus decimo & undecimo. Atque ita deinceps *Chilen* libro duodecimo : *Magallanicam* decimo tertio; cujus nobiliſſimum Fretum me reduxit in Oceanum Atlanticum, & oræ quæ ortum aſpiciunt, deduxerunt ad vaſtum æſtuarium Magni Fluminis *de la Plata.* Decimo quarto ſubiens memorabile illud flumen, Provinciam omnem, quæ ab illo nomen meruit, perluſtravi, & illi ad occaſum vicinam *Tucumanam*, uſque ad extremos Peruviæ atque Chiles fines; neque enim alio loco Continens Americæ Meridionalis ab uno mari ad alterum hactenus penetratur. Orâque hujus Provinciæ ſecundum mare Atlanticum lectâ, promovi ad *Braſiliam*, quam Portugalli incolunt; (cætera enim ſibi vindicant Caſtellani:) Hanc duobus quoque libris decimo quinto & ſexto obivimus, & deſcriptionem noſtram produximus ad famoſiſſimum *Amazonum* flumen; quod decimo ſeptimo libro illuſtravimus, & poſt illud cætera flumina, & oram fere, (nam interiora maximam partem incognita ſunt) atque inter ea maxime nobile flumen *Orenoquen.* Decimo octavo denique & ultimo *Cumanam* quidem radentes, *Venezuelam* autem ingredientes, ambitum noſtrum abſolvimus. Atq; hæc quidem de Methodo noſtra in univerſum; quid autem in ſingulis libris explicuerimus, ex Indice quem ſtatim ſubjiciam melius elucеſcet.

Quantum autem præ aliis, qui hanc operam ante nos ſuſceperunt præſtiterimus, aliorum judicium erit, qui facile animadvertent quantum laboris à nobis hic fuerit exhauſtum, & quantopere nobis annitendum fuerit, ut in tanta ſcriptorum varietate atque adeo diverſitate, veritatem eliceremus: Quam tamen non auſim promittere me in ſingulis adhuc plene aſſequutum; quomodo enim poſſem; quum plurimæ hujus Continentis partes, tantum ab uno aliquo, neque ſatis diligenter, invenerim deſcriptas; in iis autem, quæ jam ab aliquot annis à variis nationibus, præſertim Gallis, Anglis & noſtris fuerunt accuratius luſtratæ atque deſcriptæ, proclivius fuit veritatem eruere: quorum ſane obſervationes diligenter contuli cum iis quæ ſuperiori ſeculo ab Hiſpanis fuerant tradita, & judicio uſus, quæ vera, aut ſaltem vero quam ſimillima videbantur, Lectores minime celavi, ita tamen ut ne aliorum quidem judicia prætermitterem, & ſuumu nicuique judicium relinquerem.

Licet autem jam à multis annis ingens controverſia fuerit inter Hiſpanum, & alios Europæ noſtræ Principes, de dominio & proprietate harum Terrarum; Hiſpano ex donatione Pontificis Romani univerſam hanc Americam ſibi vindicante, aliis contra obnitentibus & hanc vel illam partem ſibi adſcribentibus atque occupantibus: non putavi tamen aut inſtituti mei aut officii eſſe, ullum arbitiium mihi inter partes aſſumere, ſed ſimpliciter & bona fide commemorare, quid à ſingulis nationibus, in ſingulis partibus geſtum fuerit; de jure diſceptabunt ipſæ: Quanquam fatear mihi maxime ſemper probatam fuiſſe Sereniſſimæ *Elizabethæ* Anglorum Reginæ ſententiam; quæ, quum Hiſpaniarum Rex *Philippus* Secundus per Legatum ſuum *Bernardinum Mendozam*, apud ipſam magna contentione urgeret, univerſam Americam quaqua patet ſuum peculium eſſe, & inique feciſſe Anglos quod nonnullas Americæ partes adnavigaſſent ipſo invito; reſpondit (uti apud *Camdenum* in Reginæ hujus vita legimus ad annum cIↃ IↃ LXXXI) non intelligere ſe, cur ſui aut aliorum Principum ſubditi ab Indiis prohiberentur, quas Hiſpanici juris eſſe ſibi perſuadere non poſſet, ex Romani Pontificis donatione, in quo prærogativam in ejuſmodi cauſis agnoſcat nullam, nedum authoritatem ut Principes obligaret, qui nullam ei obedientiam debent, aut Hiſpanum novo illo orbe veluti infeudaret & poſſeſſione inveſtiret. Nec alio quopiam jure, quam quod Hiſpani hic illic appulerint, caſulas poſuerint, flumen aut promontorium denominaverint, quæ proprietatem acquirere non poſſunt. Vt hæc rei alienæ donatio quæ ex jure nihili eſt & imaginaria proprietas obſtare non debeat, quo minus cæteri Principes commercia in illis regionibus exerceant, & colonias ubi Hiſpani non incolunt, jure gentium nequaquam violato deducant, quum præſcriptio ſine poſſeſſione non valeat; necnon Oceanum illum vaſtum navigent, quum maris & aëris uſus omnibus ſit communis. Nec jus in Oceanum populo aut privato cuipiam poſſit competere, quum nec natura nec uſus publici ratio, occupationem permittat.

Operæ pretium vero fuerit, hic obiter attexere, quo jure Hiſpaniarum

Rex,

Rex univerſas has terras ſibi ſoli niſus fuerit vindicare, in quem finem hic producā ex ejuſdem Regis Hiſtoriographo Antonio de Herrera, quo pacto Hiſpani veros terrarum illarum dominos fuerint allocuti, & occaſionem ceperint eos evertendi, & tot myriadas miſerorum barbarorū exſcindendi.

Ego N. N. miniſter ſummorum & potentiſſimorum Regum Caſtellæ & Legionis, barbararum gentium domitorum, eorundem Legatus & Capitaneus, notum vobis facio, quibus poſſum modis, unum & æternum Deum, Dominum noſtrum creaviſſe Cœlum & Terram, item marem & fœminam, è quibus nos juxta atque vos, atq; adeo omnes homines nati ſunt, & porro naſcentur; præ multitudine autem hominum qui jam quinque millibus & aliquanto pluribus annis, propagati fuerunt, neceſſarium fuit, ut alii hic, alii alibi ſedes ſortirentur, & in varias provincias & regna dividerentur, quia impoſſibile erat una regione omnes contineri. Harum omnium nationum & populorum Deus curam & ſollicitudinem habere voluit unum virum, qui dicitur Petrus, ita ut dominus & ſupremus arbiter eſſet omnium & ſingulorum hominum hujus Univerſi, ut ipſis imperaret, & veluti caput eſſet univerſi generis humani, ubicunq; tandem degerent, & quamcunque legem, fidem aut ſectam ſequerentur: mancipavitque illi univerſum orbem; & licet ipſi mandaret thronum ſuum figere Romæ, loco oportuniſſimo ad orbem gubernandum, tamen liberum ipſi reliquit in alia quavis orbis parte illum ſtabilire, ad judicandum & regendum populos, Chriſtianos, Mahumetanos, Judæos, Gentiles, & cujuſcunque tandem fidei aut ſuperſtitionis. Hic dicebatur Papa, id eſt, admirabilis Primas, Pater & defenſor, quia Pater eſt & Paſtor omnium hominum. Huic Sancto Patri obediverunt, & ultro ſubjecerunt ſe uti ſupremo Domino, Reges & Principes omnes univerſi Orbis qui illius ætate vivebant; & poſt illum, omnibus qui provecti fuerunt ad Papalem dignitatem, ſinguli ſuis ætatibus, uſque ad hodiernum diem, & porro ſunt facturi uſque ad finem. Unus horum ſupremorum Sacerdotum, ut Dominus orbis, donavit has inſulas & continentem in & ad Oceanum ſitas, Catholicis Regibus Caſtellæ & Legionis, qui tum erant Ferdinandus & Iſabella laudatiſſimæ memoriæ, & ipſorum hæredibus Dominis noſtris, cum omnibus quæ continent; quemadmodum plenius continetur in diplomate deſcripto, quod vobis licet inſpicere, ſi libet: ita ut S. M^tas^ Rex ſit & Dominus harum Inſularum & Continentis ex virtute hujus donationis: & aliquot Inſulæ, & fere omnes, ad quas hujus donationis fama pervenit, M^tem^ S. jam pro Rege & Domino agnoverunt, paruerunt & ſerviverunt illi; hodieque obediunt & ſerviunt, ut ſubditos decet, ſpontaneâ obedientiâ & ſine conſtrictione aut repugnantia: quin etiam poſt illa ſine mora, præcedentia edocti, aurem præbuerunt, & paruerunt Religioſis, quos ad illos miſerat, ut ab ipſis fidem noſtram edocerentur, & quicunque libera voluntate, incoacti, ſine muneribus, aut aliis conditionibus Chriſtianam fidem amplexi ſunt & ſervant, eos M. S. clementer & gratanter ſuſcepit, & voluit, ut haud ſecus quam alii ipſius ſubditi haberentur & tractarentur: tenemini ergo & vos eodem modo facere. Obſecro itaque,

 &

& quibus poſſum modis contendo, ut animum advertatis ad ea quæ dixi, utque melius percipiatis, idoneam vobis temporis moram, uti par eſt, ſumatis ad conſultandum, & ut Sanctam Eccleſiam agnoſcatis Heram & Dominam univerſi orbis, & ſummum Sacerdotem, qui dicitur Papa, ipſius nomine, atque M. S. illius loco in ſupremum Dominum & Regem Inſularum & Continentis, ex virtute dictæ donationis; & permittatis Religioſos hoſce patres prædicta plenius vobis explicare. Si ita feceritis, bene utique vobis conſuletis, & præſtabitis M. S. quod ipſi debetis obſequium: Ego autem ipſius nomine, omni benevolentia vos complectar, & relinquam vobis uxores & liberos, neque ulli ſervituti vos mancipabo, ita ut vobis integrum ſit ſtatuere de illis pro libitu, quemadmodum & plerique inſulares fecerunt: Majeſt. Sua præterea vobis liberaliter impartietur plurimas immunitates, & mercedes. Sin vero contra feceritis, aut mala fide moras nectatis, denuntio vobis, me, Deo auxiliante, cum copiis terras veſtras ingreſſurum, & bello vos undiquaque & omnibus modis infeſtaturum, & ſub jugum & obſequium Eccleſiæ & M. S. coacturum, uxores veſtras & liberos abducturum & mancipaturum, vendituruṃ, & porro ita cum illis acturum uti M. S. imperabit: Eripiam vobis bona veſtra, & multabo quantiſcunque potero calamitatibus, uti vaſallos, qui detrectant Dominum ſuum agnoſcere, eique parere, verum ipſi obloquuntur atque reſiſtunt. Et proteſtor, homicidia & damna quæ ſequutura ſunt, veſtræ culpæ imputatum iri, & nequaquam M. S. aut hiſce fortibus viris qui me ſequuti ſunt. Et requiro, ut præſens Notarius ſigillatas literas mihi tradat, ad fidem faciendam, me hæc omnia vobis ſignificaſſe & rogaſſe. Hactenus ex Herrera.

Porro ut ad inſtitutum meum revertar, præter accuratam geographicam & hydrographicam harum regionum deſcriptionem, quam potiſſimum mihi propoſueram; publicæ utilitatis intereſſe exiſtimavi, etiam alia quædam adjungere; qualia ſunt indigenarum mores & inſtituta; Regnorum quorundam origines, & Principum Series; maxime autem Animalium, Arborum, Herbarum, Frugum & Fructuum icones & deſcriptiones. Icones quidem, partim ab aliis, & potiſſimum à Clar. V. Carolo Cluſio, accepimus; partim (& quidem non paucas) ipſi ad vivum depingi, & ab accuratiſſimo artifice tabellis exprimi fecimus, ut non dubitemus ſingularem voluptatem & utilitatem Lectoribus allaturas. Deſcriptiones autem ex probatiſſimis quibuſque authoribus ſumpſimus, in quibus multa deprehendet Lector, Latinis auribus hactenus inaudita.

Quod ſupereſt, obteſtor omnes, ne, (quæ noſtri ævi labes eſt & prava conſuetudo) ſi uſquam aberravero, uti humanum eſt errare, odioſe errata traducant aut vellicent, ſed humaniter admoneant, & doceant meliora; paratus enim ſum futurus recte monentes ſequi, & quæ aut perperam exciderunt, aut in quibus ab aliis falſus ſum, corrigere.

Ut autem fidem meam liberem, & gratum me præſtem iis, à quibus ea, quæ ſparſim in hiſce libris continentur, accepi; Authorum nomina, quorum laboribus adjutum me fuiſſe lubens agnoſco, hic ſubjicio.

Primera

Primera Parte de la Chronica del Peru; Hecha por Piedro de Cieca de Leon.
Deſcripcion de las Indias occidentales por Antonio de Herrera.
Hiſtoria general de los Hechos de los Caſtellanos en las Iſlas y Terra Firme del mar Oceano, eſcrita por Antonio de Herrera.
Hiſtoria del deſcubriemento y conquiſta de la provincia de Peru, &c. Auguſtin de Zarate.
Diego Fernandez Hiſtoria del Peru.
Hiſtoria natural y moral de las Indias por el Padre Ioſeph de Acoſta.
Relacam Annal das couſas que fezeram os Padres da Companhia de Jeſus nas partes da India oriental & no Braſil, &c.
Conqueſta de las Moluccas por Leonardo de Argenſola.
Argentina por Martin del Barco.
Araucana de Don Alonzo de Ercilla y Cuniga.
Primera Parte de los Commentarios Reales que tratan del origen de los Yncas, Reyes que fueron del Peru, &c. Eſcritos por el Ynca Garcilaſſo de la Vega, natural del Cuzco y Capitan de ſu Mageſtad.
Viage del mundo Hecho y compueſto por el Licenciado Petro ordonnez de ceuallos, natural de la inſigne cuidad de Iaen.
Delle Navigationi & Viaggi racolte da M. Gio Battiſta Ramuſio volume terzo, nel quale ſi contiene le Navigationi al Mundo Nuovo.
Iarrici Theſaurus rerum Indicarum.
Decades Oceanicæ Petri Martyris.
Deſcriptionis Ptolemaicæ augmentum Cornelii VVytfliet.
La Hiſtoria de las Indias por Franciſco Lopez de Gomara Clerigo.
Popilliniere dès trois Mondes.
Theuet France Antartique.
Hiſtoire de Braſil par Iean Lery.
Les voyages du Sieur Champlain.
Hiſtoire de la Nouvelle France par Marc Leſcarbot.
Hiſtoire de la miſſion des Peres Capuchins en l'Iſle de Maragnan & terres circonvoiſines, par le R. P. Claude d'Abbeville.
Traicté de la Navigation & des voyages de decouverte & conqueſte modernes, & principalement des Francois. par Bergeron.
Tertium volumen itinerum & navigationum Anglicæ nationis per M. Richardum Hackluytium. Anglicè.
Samuelis Purchaſii laborioſum opus, continens plurima itineraria Anglorum & aliarum nationum. Anglicè.
Virginiæ deſcriptio per Joannem Smithum. Anglicè.
Novæ Angliæ deſcriptio per eundem Smithum. Anglicè.
Relatio eorum quæ ab Anglis geſta ſunt in Nova Anglia. Anglicè.
Richardi VVhitbournii Angli commentarius de Terra Nova. Anglicè.
Guianæ deſcriptio per Robertum Harcourtium. Anglicè.
Relationes Anglorum de Bermudis inſulis. Anglicè.
Hugonis Linſchotani brevis deſcriptio Americæ.
Laurentii Bickeri navigatio ad flumen de la Plata. Belgicè.

Itinerarium Admiralii Mahu per fretum Magallanicum, per Bernardum Ianſonium Chirurgum. Belgicè.

Itinerarium Oliverii de Noord. Belgicè.

Itinerarium Spilbergii per fretum Magallanicum. Belgicè.

Itinerarium Lemairii & VVilhelmi Schouteni per novum fretum Lemarium. Belgicè.

Itinerarium Claſſis Naſſavicæ Duce L'Hermita. Belgicè.

Roteiros de Portugal pera o Braſil, Rio de la Plata, Indias de Portugal & Caſtella, Compoſtos por Manoel de Figueredo.

Theodori Reuteri Belgæ, Fax navigationum. Belgicè.

Caroli Cluſii Atrebatis Exoticorum libri decem: cum Garzia ab Horto & Chriſtophoro à Coſta.

Quatro libros de la Naturaleza y Virtudes de las plantas y animales que eſtan recevidos en el uſo de Medicina en la Neuva Eſpanna, por Fr. Franciſco Ximenez: En Mexico.

Atque hi fere ſunt libri omnes impreſſi, quos conſuluimus; uſi ſumus præterea plurimis itinerariis, & relationibus manuſcriptis diverſarum nationum, præcipue autem Belgarum noſtrorum, qui poſterioribus hiſce annis, varias partes utriuſque Americæ adierunt, auſpiciis potiſſimum Societatis Indicæ Occidentalis; quorum accuratas obſervationes inter ſe contuli, & ea quæ magno conſenſu produnt, ſequens, multa utiliter correxi, in quibus ab Hiſpanis & aliis fuerat aberratum.

Obſervavi quoque Authores qui ante me ſcripſerunt, atque inter eos Antonium de Herrera, diligentiſſimum alioquin ſcriptorem, interdum aliter atque aliter, & nonnunquam diverſa de una atque eadem provincia aut re ſcripſiſſe; quod difficulter in magnis operibus & tanta Scriptorum copia vitari poteſt: licet autem ſtudioſe caverim, ne in eundem lapidem impingerem, tamen vereor, ne alicubi haud ſatis attento, & gravibus negotiis nonnunquam impedito, ſimile quid acciderit; quare eandem veniam, quam aliis dedi, viciſſim ab æquis Lectoribus flagito.

Denique dum libri hi imprimerentur, aut jam bonam partem abſoluti eſſent, pauca inveni à noſtris atque aliis naucleris obſervata, in quibus à me fuit erratum; quæ corrigenda erunt: pauca itidem omiſſa, quæ addenda: ut autem utrumque compendioſius & utilius à Lectore fieret; corrigenda aut addenda in ſequentem Indicem capitum quæ ſingulis libris continentur, conjeci, ut ſtatim in oculos poſſent incurrere, & ſingula facilius ad ſua loca referri.

INDEX

INDEX CAPITVM

Quæ ſingulis Libris continentur.

Liber Primus, De Inſulis Oceanicis.

Cap. I. *Inſulæ S. Ioannis ſitus, magnitudo, cœli ſolique qualitates.*
II. *Vrbes Hiſpanorum in hac Inſula, quarum Metropolis* PortoRico.
III. *Portus & ora maritima Inſulæ* S. Joannis: *&* de Mona.
IV. *Inſulæ* Hispaniolæ *ſitus, magnitudo, animalia, fructus, &c.*
V. *Provinciæ & flumina hujus Inſulæ præcipua.*
IV. *Oppida olim Hiſpanis habitata; metropolis* S.Domingo.
VII. *Reliqua hujus Inſulæ oppida hodieque Hiſpanis habitata.*
VIII. *Deſcriptio oræ maritimæ, ſinuum, promontoriorum, portuum Inſulæ Hiſpaniolæ.*
IX. Cubæ *Inſulæ ſitus, cœli ſolique qualitates, arbores, animalia.*
X. *Provinciæ hujus Inſulæ atque præcipui amnes.*
XI. *Oppida quæ hodie ab Hiſpanis in hac inſula habitantur.*
XII. Habana *principale hujus Inſulæ oppidum & portus.*
XIII. *Portus & ora maritima Inſulæ Cubæ, quà Auſtrum adſpicit.*
XIV. *Ora maritima & portus Inſulæ Cubæ, quà ſeptentriones reſpicit.*
XV. Jamaicæ *Inſulæ ſitus, urbes, littora, portus, alia.*
XVI. Lvcaiarvm *Inſularum ſitus & qualitates.*

Amana vel *Amaguana*: manifeſtus error eſt, quem ſerius è noſtrorum obſervationibus animadvertimus, ſunt enim duæ inſulæ diverſæ, itaque corrige.

Amana eſt inſula omnium Lucayarum maxime aquilonaris, adhærens vadis inſularum *Caycos* verſus ortum, viginti & duobus gradibus & aliquot ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, undique ſcopulis ſepta, ita ut vix ſcaphæ ad illam pateat aditus; modice edita verſus ortum, & in varias partes ſecta verſus occidentem ubi ingenti vado tegitur: ad ortum altiſſimo oceano pulſatur: vix quicquam viride ſortita, ſed tota aſpera, & inamæna, infæcundaque.

Amaguana diſtat à *Caycos* verſus Corum undecim aut duodecim milliaribus (forte eadem cum *Manegua*, nam hanc in Tabulis non invenio, & illa fere *Maiaguana* hodie appellatur à pleriſque) ab Æquatore duobus & viginti gradibus & alibi viginti alibi quadraginta ſcrupulis: patet in longitudinem inter ortum & occaſum ſeptem aut octo milliaria, vix uſquam in latitudinem plus quam tria: multis cautibus obſita & difficilis aditu; ſolum quod Arctum aſpicit depreſſum & virenti fruticeto obſitum, quod ſuavem odorem de ſe fundit, ceterum ſaxoſum & impatiens culturæ: nullæ potabiles limphæ à noſtris in illa inventæ, ſed ſtagna quædam ſubamara; plurimos tamen alit cuniculos, quales paſſim reperiuntur in Americæ meridionalis continenti.

Curateo diſtat ab Æquatore (ut noſtri nuper obſervarunt) ſex & viginti grad. & ſex ſcrupulis. Capit in ambitu circiter undecim aut duodecim milliaria: ſtationem habet non incommodam haud longe ab angulo illius qui Eurum adſpicit: licet inſula ſit ſaxoſo ſolo, tamen alit proceriſſimas pinus, & alias arbores; etiam Ebeni ſpurium genus. abundat volucribus, & limphis potari idoneis: mareque ambiens valde eſt piſcoſum.

Mimbres inſulam (vel ſcopulum) inveni à noſtris Belgis obſervatam ad altitudinem ſex & viginti graduum & triginta ſcrupulorum verſus Arctum.

XVII. Canibalvm *Inſularum ſitus & qualitates.*
XVIII. *Reliquæ Canibales Inſulæ, earum ſitus & qualitates.*
XIX. Bermvdez *inſularum ſitus, cœli ſolique qualitates.*
XX. *Coloniæ Anglorum in Inſulis Bermudez.*

INDEX

Liber Secundus, NOVA FRANCIA.

CAP. I. TERRÆ NOVÆ *Inſulæ ſitus, cœli ſolique qualitates, animantes.*
II. *Incolæ* Terræ Novæ, *eorum habitus & mores.*
III. *Portus & ſtationes hujus Inſulæ; oraque omnis maritima.*
IV. *Magni Banci, ut vulgo vocatur, qui* Terræ Novæ *prætenditur, & Inſulæ* de Sable *deſcriptio.*
V. *Inſulæ* BRITONUM *ſitus, cœli ſolique qualitates, Indigenæ.*
VI. *Minores aliquot inſulæ per fretum S. Laurentii ſparſæ.*
VII. *Inſula* Natiſcotec,*hodie Aſſumcion vel Aſcenſion,& fluvius Cheſedec,aliiq; amnes.*
VIII. *Portus* Tadouſac *& flumen* Saguenay.
IX. *Magnum flumen Canadenſe; regionum itidem adjacentium deſignatio uſque ad Quebecq.*
X. *Interiora fluminis Canadenſis, & de urbe Hochelaga à Iacobo Quarterio quondam viſa & deſcripta.*
XI. *Deſcriptio magni Fluminis Canadenſis circa Quebecq & ſupra, ſecundum obſervationes recentiorum.*
XII. *Barbarorum qui has Novæ Franciæ regiones incolunt, habitus, mores, religio, idioma.*
XIII. *De Attigovautanorum moribus & inſtitutis è Champlany commentario.*
XIV. *Novæ Franciæ partes quæ Auſtrum reſpiciunt, quas Galli* CADIE *ſive* ACADIE *vocant.*
XV. *Deſcriptio oræ Accadiæ quæ ad Aquilonem deflectit & de* Portu Regali.
XVI. Sorriquoſiorum, *qui hic incolunt, mores, inſtituta, idioma.*
XVII. *Continens Novæ Franciæ uſque ad Flumen* Pemtegoüet.
XVIII. *De Flumine Pemtegoüet, quod multi Norumbeguam opinantur; veterum errores notati.*
XIX. *Flumen Chovacöet, habitus & mores* Almouchiquoſiorum.
XX. *Coloniæ Gallorum ad magnum Flumen Canadenſe.*
XXI. *Coloniæ Gallorum in Auſtralem Novæ Franciæ partem deductæ.*
XXII. *Narratio eorum quæ à Gallis in ſeptentrionalibus Novæ Franciæ regionibus geſta ſunt.*
XXIII. *De* NOVA SCOTIA *è Diplomate Regis Magnæ Britanniæ, Wilhelmo Alexandro Equiti indulto.*

Liber Tertius, VIRGINIA.

CAP. I. N*Avigatio* Joannis Verazzani *ad Continentem Americæ Septentrionalis.*
II. *Deſcriptio Continentis Americæ Septentrionalis quæ hodie* NOVA ANGLIA *dicitur, è commentario* Joannis Smithi.
III. *Particularior ejuſdem Continentis deſcriptio ex eodem.*
IV. *Res ab Anglis in hiſce partibus geſtæ ab anno* CIↃ IↃC VI.
V. *Novæ Angliæ cœli ſolique qualitates; ex commentariis anno* CIↃ IↃC XXII *ab ipſa Societate editis.*
VI. *Nova Pleymotha, Colonia ab Anglis huc deducta.*
VII. NOVUM BELGIUM; *deſcriptio Continentis Americæ Septentrionalis à Belgis noſtris primum penitius luſtratæ & habitatæ.*
VIII. *Particularis Novi Belgii deſcriptio ſecundum oræ illius ductum.*
IX. *De Magno ſeu Septentrionali Novi Belgii flumine & variis populis qui illud accolunt.*
X. *Novi Belgii, cœli ſolique natura, fruges, plantæ, alia.*
XI. *Indigenarum Novi Belgii mores & inſtituta, & Sankikanorum lingua.*
XII. *Oræ maritimæ deſcriptio ad alterum uſque Flumen & gradum trigeſimum octavum latitudinis Septentrionalis.*
XIII. VIRGINIÆ, *quam Angli hodie incolunt, ſitus, cœli ſolique qualitates.*
XIV. *Flumina Virginiæ, & populi qui ea accolunt, è Commentario Ioannis Smithi.*
XV. *De Terræ fructibus qui ſponte in hac Virginiæ parte particulariter proveniunt.*
XVI. *De ſativis fructibus & modo quo barbari illos colunt atque uſurpant.*

XVII. *De*

XVII. *De variis animantibus Virginiæ, terreſtribus, aëriis & aquatilibus.*
XVIII. *Mores atque ingenium, habitus & inſtituta Indigenarum.*
XIX. *Res ab Anglis in hac Virginiæ parte geſtæ.*
XX. *Sinus* Cheſapeak *à Ioanne Smitho luſtratus.*
XXI. *Quæ porro ab Anglis in hac Virginiæ parte geſta.*
XXII. *Virginia à Walthero Ralegho primum detecta: Terræ fructus & animalia.*
XXIII. *De iis quæ hæc Virginiæ pars fert commerciis apta & de moribus Gentis.*
XXIV. *De primis Anglorum expeditionibus in hanc Continentis partem ad annum uſque* cIↃ IↃ LXXXVI.
XXV. *Reliqua geſtorum ad annum* cIↃ IↃ XC.

Liber Quartus, FLORIDA.

CAP. I. FLORIDÆ *provinciarum prima inventio, ſeu expeditio Ioannis Poncii* Legionenſis.
II. *Navigatio ſecunda Hiſpanorum in Floridam.*
III. *Tertia Hiſpanorum in Floridam expeditio anno* cIↃ IↃ XXVIII *Duce* Pamphilo Narvæſio.
IV. *Quarta & maxime memorabilis Expeditio Hiſpanorum in Floridam, duce* Hernando à Soto, *anno* cIↃ IↃ XXXIX *inchoata.*
V. *Expeditionis* Hernandi à Soto *progreſſus & annus ſecundus.*
VI. Hernandi à Soto *in interiores Floridæ provincias progreſſus.*
VII. *Expeditionis* Hernandi à Soto *progreſſus uſque ad illius obitum.*
VIII. *Expeditionis quartæ in Floridam reliqua, duce* Ludovico Moſcoſo de Alvarado, *poſt exceſſum* Hernandi à Soto.
IX. *Gallorum prima expeditio in Floridam*, Ioanne Ribaldo *duce.*
X. *Secunda Gallorum expeditio in Floridam duce* Renato Laudonerio.
XI. *Tertia Gallorum expeditio in Floridam duce* Ioanne Ribaldo.
XII. *Quarta expeditio Gallorum in Floridam duce* Dominico Gurgio.
XIII. *Floridæ ſitus atque limites ſecundum Hiſpanos.*
XIV. *Cœli ſolique natura & mores Indigenarum in illa Floridæ parte quam Galli luſtrarunt, è Commentariis* Laudonerii.
XV. *De Arboribus quibuſdam & Herbis Floridæ familiaribus, aliiſque.*

AD deſcriptionem *Saſſafras*, adjunge: accepimus à quodam noſtrorum ex Novo Belgio redeunte, fructus arboris hujus, uti ferebat, qui forma non multum differunt à baccis Lauri, ſed longe ſunt minores, cortice tenero & pene nigro & exterius rugato, qui continet intus nucem albam, ſapore ſubamaro in duas partes diviſam.

XVI. *Regimen politicum Floridanorum ex eodem* Laudonerio.
XVII. *Deſcriptio oppidorum & arcium quæ hodie ab Hiſpanis in Florida poſſidentur.*
XVIII. *Deſcriptio oræ maritimæ provinciæ Floridæ, tam qua magno Oceano pulſatur, quam qua ſinum Mexicanum admittit.*

Liber Quintus, NOVA HISPANIA.

CAP. I. NOVÆ HISPANIÆ *limites, cœli ſolique qualitates & deſcriptio generalis.*
II. *Reſinarum & liquorum aromaticorum deſcriptio, quorum magna copia in* Nova Hiſpania *invenitur.*
III *De fructiferis aliquot arboribus, plantiſque* Novæ Hiſpaniæ *peculiaribus.*
IV. *De floribus quibuſdam & herbis, animalibus & gemmis* Novæ Hiſpaniæ.
V. *Provinciæ* Mexicanæ *ſive Archiepiſcopatus limites & partes ſive provinciæ minores.*
VI. *Lacus Mexicani & Metropoleos deſcriptio.*
VII. *Loca maxime illuſtria circa Lacum & urbem Mexicanam,* Chulula, Tezcuco, Quitlavaca, Yztacpalapa, *aliaque.*
VIII. Acapulco *oppidum & portus ad mare Auſtrale.*
IX. *Digreſſio de antiquis* Mexicanorum *inſtitutis.*

x. Mexi-

x. Mexicanorum *idioma, numerandi & ſcribendi ratio, menſes, anni, ſeculum & modus rerum geſtarum memoriam conſervandi.*
xi. *Origines* Mexicanorum, *eorumque Principes ſecundum* Gomaram.
xii. *Duces & Reges* Mexicanorum *ſecundum* Acoſtam.
xiii. *Regum* Mexicanorum *ſeries ſecundum Annales ipſorum pictos.*
xiv. Panucenſis *provinciæ & oppidorum quæ ab Hiſpanis hodie in illa incoluntur deſcriptio.*
xv. TLASCALA. *Generalis provinciæ* Tlaſcalenſis *deſcriptio.*
xvi. *Epiſcopatus Tlaſcalenſis limites, Metropolis* Puebla de los Angeles; *vetus Indigenarum Civitas* Tlaſcala, *locaque vicina.*
xvii. Tepeaca *provincia, & oppidum Hiſpanorum* Segura.
xviii. *Oppidum* Veræ Crucis *& præcipuus Novæ Hiſpaniæ portus* S. Ioan de Ullua.
xix. *Reliqua ora maritima Epiſcopatus Tlaſcalenſis.*
xx. GUAXACA. *Epiſcopatus Guaxacenſis limites, vallis* Guaxaca *deſcripta.*
xxi. Miſteca *provincia*, Tutepeque, Zapoteca, Guazacoalco.
xxii. *Civitates Hiſpanorum in Diœceſi Guaxacenſi*, Antequera, *aliæ; ora item maritima.*
xxiii. MECHOACANA. *Provinciæ limites, cœli ſolique qualitates, arbores variæ atque plantæ.*
xxiv. *De animantibus hujus provinciæ & moribus Indigenarum.*
xxv. *Particulares provinciæ quæ ſub hac Diœceſi comprehenduntur & oppida quæ in ſingulis, ab Hiſpanis habitantur.*
xxvi. YUCATANA. *provinciæ limites, cœli ſolique qualitates.*
xxvii. *Particulares aliquot hujus Peninſulæ provinciæ, & quomodo primum fuerit inventa.*
xxviii. *Oppida Hiſpanorum in* Yucatana, Merida, Vallodolid, Campeche.
xxix. *Ora maritima* Yucatanæ, *portus, inſulæ adjacentes.*
xxx. TABASCO; *provinciæ limites, cœli ſolique qualitates, Indigenæ, oppidum, aliaque.*

Liber Sextus, NOVA GALÆCIA.

Cap. I. NOVÆ GALÆCIÆ *limites, provinciæ, cœli ſolique qualitates, fructus.*
ii. *Indigenarum ingenia, mores, inſtituta; Hiſpani incolæ.*
iii. GUADALAIARA *provincia, & oppida quæ Hiſpani in illa colunt.*
iv. XALISCO *&* CHIAMETLA *provinciæ, oppidaque in eisdem ab Hiſpanis habitata.*
v. *Provinciæ* CULUACAN *deſcriptio, & quomodo primum à Nonnio Guzmano fuerit luſtrata.*
vi. *Nonnii Guzmani expeditio in* CINALOAM, *ejuſque provinciæ deſcriptio.*
vii. *Provinciæ quam* UXITIPAM *vocant deſcriptio.*
viii. *Provincia* DE LOS ZACATECAS, *illius metalla, oppidaque.*
ix. *Provinciæ quæ hodie* NOVA VIZCAYA *dicitur, & metallorum quæ in illa reperiuntur deſcriptio.*
x. *Ora maritima Novæ Galæciæ, promontoria, ſinus, flumina atque portus.*
xi. CALIFORNIÆ *limites, Corteſiique navales expeditiones in mari Auſtrali.*
xii. Franciſci de Ulloa *Navigatio in Freto Californiano.*
xiii. *Navigatio ejuſdem* Franciſci de Ulloa *ſecundum Californiæ littus, quod ab Auſtrali Oceano pulſatur.*
xiv. *Fratris* Marci de Niza *iter ad Cibolam provinciam.*
xv. *Franciſci Vaſquii de Cornado expeditio in Cibolam & vicinas provincias.*
xvi. Cibolæ *provinciæ ſitus, cœli ſolique qualitates à* Franciſco Vaſquio de Cornado *obſervatæ.*
xvii. Quiviræ *provinciæ ſitus, indigenæ, animalia, aliaque è* Gomara.
xviii. Hernandi de Alarcon *navigatio in Freto Californiano.*
xix. *Expeditio navalis* Joannis Roderici Cabrilli *ſecus littus auſtrale Californiæ in mari Pacifico.*
xx. NOVA ALBION *ex commentariis* Franciſci Draci *deſcripta & Californiæ reliqua.*

xxi. *Pro-*

XXI. *Provinciarum quas hodie* NOVO MEXICO *vocant prima inventio.*

XXII. *Expeditionis* Antonii de Eſpeio *in Novam Mexicanam progreſſus.*

XXIII. *Provinciæ* de los Tiguas, de los Quires, Cumanes, Ameyes, Acoma, Zunii, *quorum provincia ab Hiſpanis* Cibola *dicitur, luſtratæ.*

XXIV. Antonii de Eſpeio *itineris reliqua*; Zaguato *municipium*, Hubatum *provincia, atque* Tamorum.

XXV. *Expeditio* D. Joannis de Onnate; Acoma *capta & diruta, oppidum S. Ioannis conditum, Lacus* Conibas *obiter luſtratus.*

XXVI. *Recentiſſima* Novæ Mexicanæ *deſcriptio, è commentariis* Alfonſi de Benavides *Franciſcani.*

Liber Septimus, GUATIMALA.

CAP. I. *Deſcriptio hujus provinciæ ſive Conventus Iuridici in communi, & quando & à quibus ſingulæ provinciæ primum fuerint inventæ.*

II. *De* Cacao *fructu hiſce provinciis pene peculiari, & de* Chocolate.

III. *Digreſſio de Mayzio & illius facultatibus & multiplici uſu.*

IV. *Deſcriptio provinciæ* CHIAPÆ *in communi.*

V. *Particularis provinciæ* Chiapæ *deſcriptio, urbs* Cuidad Real; *indigenarum ingenia, mores, alia.*

VI. *Provinciarum* SOCONUSCO *&* SUCHITEPEC *deſcriptio, cœli ſolique qualitates, oppidum, reliqua.*

VII. *Provinciæ* VERAPAZ *deſcriptio & locorum quæ hodie ab Hiſpanis in illa habitantur.*

VIII. *Reliqua hujus provinciæ & Freti quod vocant* Golfo Dolce *deſcriptio.*

IX. *Deſcriptio Provinciæ quæ proprie* GUATIMALA *appellatur.*

X. *Provinciæ* Yzalcos, *uti hodie ab Hiſpanis appellatur, particularis deſcriptio.*

XI. *Specialis deſcriptio* S. Salvador, San Miguel *&* Chulutecæ *& eorum quæ habent peculiaria.*

XII. *Oppidum* S. Jacobi de Guatimala *harum provinciarum principale.*

XIII. *Oppidum* San Salvador, *municipiaque* la Trinidad, S. Miguel *&* Xerez de la Frontera.

XIV. *Portus & ſtationes hujus Præfecturæ, totaque ora maritima ad mare Auſtrale.*

XV. *Præfecturæ* Hondurenſis *limites, cœli ſolique qualitates.*

XVI. *Hondurenſis præfecturæ oppida,* Vallodolid, Gratias à Dios, *&* S. Pedro.

XVII. *Reliqua oppida Præfecturæ Hondurenſis,* Portus de Cavallos, Truxillo *&* S. Iorge.

XVIII. *Ora maritima, portus, Inſulæque Præfecturæ* Hondurenſis.

A*D de pag.* 341. *l.* 9. Oræ autem hujus præfecturæ quæ ad Auſtrum reflectit, atque Orientem adſpicit, objacent duæ inſulæ, licet ſatis longo intervallo; *S. Catelina* diſtans ab Æquatore verſus arctum tredecim gradibus & octodecim ſcrupulis; undique pene vadis & ſcopulis incincta; hanc tamen jam Angli ad culturam Tabacci & goſſypii jam ſibi elegerunt. Et *S. Andreas* ſeptem aut octo leucis ab altera verſus Africum; patens in longitudinem circiter tria milliaria; diſtat ab Æquatore duodecim gradibus & triginta octo ſcrupulis, ut à noſtratibus nuperrime fuit obſervatum.

XIX. NICARAGUÆ *provinciæ limites, ſoli cœlique natura, fruges, lacus, alia.*

XX. *Oppida Hiſpanorum in Præfectura* Nicaraguæ.

XXI. *Orarum ductus, ſtationes, portuſque* Nicaraguæ.

XXII. Coſtæ Ricæ *limites, oppida, cætera: itemque* Nicoya *provincia.*

XXIII. VERAGUÆ *Præfecturæ limites, cœli ſolique qualitates, Columbi navigationes ad eandem.*

XXIV. *Oppida & municipia Hiſpanorum in* Veragua, *ora maritima, inſulæ objacentes.*

INDEX

Liber Octavus, TERRA FIRMA.

CAP. I. *Conventus Iuridicus & præfectura* PANAMENSIS: *illius limites, cœli ſolique natura, particulares provinciæ.*
II. *Oppidum* Panama, *illius ſitus & qualitates.*
III. *Exactiſſima urbis* Panamæ *deſcriptio à* Joanne Baptiſta Antonelli *ad Regem Hiſpaniarum miſſa, quemadmodum illam è libris* M. Richardi Hackluyti *hauſimus.*
IV. *Oppidum* Nombre de Dios *& locorum adjacentium ſitus & qualitates.*
V. Portus Beli *deſcriptio ſecundum Ioann. Baptiſtam Antonellum.*
VI. *Oppidum* S.Philippi *ad Portum Belum; atque municipium* Nata.
VII. *Flumina & littora hujus Præfecturæ Panamenſis & præſertim fluvius* Chagre.
VIII. *Flumen* Darien *& provincia ejuſdem nominis.*
IX. *Oppida quæ Hiſpani quondam habuerunt in provincia* Dariena.
X. *Ora maritima, promontoria, ſinus, flumina, portus præfecturæ* Panamenſis.
XI. *Inſulæ aliquot quæ Præfecturæ Panamenſi adjacent & præſertim illæ quæ ab anionibus nomen & famam meruerunt.*
XII. *Expeditio Ioannis Oxenhami Angli in mare Meridionale per provinciam Panamenſem, imprimis memorabilis.*
XIII. *Præfecturæ* Cartaginenſis *limites, cœli ſolique qualitates, variæ provinciæ.*
XIV. *Metropolis hujus præfecturæ* Cartago, *vulgo* Cartagena *Hiſpanis.*
XV. *Plenior Cartaginenſis oppidi, portuſque deſcriptio per Ioan. Baptiſtam Antonellum.*
XVI. *Reliquæ urbes & municipia hujus Præfecturæ.*
XVII. *Flumina, portus, promontoria, omniſque ora Præfecturæ Cartaginenſis.*
XVIII. *Provinciæ* S. Marthæ *limites, cœli ſolique qualitates.*
XIX. *Oppidum principale hujus præfecturæ* S.Martha.
XX *Reliqua oppida Præfecturæ hujus*, Teneriffe, Villa de Palmas, Cuidad de los Reyes, Ocanna *atque* Ramada.
XXI. *Flumina, promontoria, portus & ora hujus Præfecturæ.*
XXII. *Oppidum & præfectura quam Hiſpani vocant* Rio de la Hacha.

Liber Nonus, NOVUM REGNUM GRANATÆ.

CAP. I. NOvi Regni Granatenſis *prima inventio anno* CIƆ IƆ XXXVI *duce* Gonſalvo Ximenez de Queſada Licentiato.
II. Novi Regni Granatenſis *termini, cœli ſolique qualitates, provinciæ variæ, populorum ingenia & mores.*
III. *Metropolis* S.Fe: *municipium* S.Michaëlis *& oppidum* Tocayma.
IV. *Provinciæ Muſorum & Colymarum, cœli ſolique qualitates, populorum ingenia & mores.*
V. *De oppido* la Trinidad *& municipio* la Palma, *ex* Herrera *lib.*IV. *cap.*V. *decadis octavæ.*
VI. *Deſcriptio reliquarum hujus Provinciæ urbium*, Tuniæ, Pamplonæ, S.Chriſtophori, Meridæ, Belez, Marequitæ, *&c.*
VII. *Provinciæ* POPAYANÆ *generalis deſcriptio, uti & particularium Provinciarum, quæ ſub illa continentur.*

P*Etrus Ordonnez de Cevallos.* Præfectura Popajan præter metropolim complectitur, *Paſto, Almaguer, Neyvam, Calocoto, Cali, Bugam, Toro, Cartaginem, Ancermam, Armam, Caramantam, Mocoam:* in omnibus hiſce oppidis plurimum auri colligitur; ſed pauci hic reperiuntur barbari qui operam impendant: ita ut operæpretium foret aliquot millia Nigritarum huc traducere. Epiſcopatui autem Popajan paret altera præfectura *S.Fidei de Antiochia*, quæ fines jungit cum Popajana & cum Marequita & Cartagena. Præter Antiochiam, tenet oppida *Rhodas* & *S.Ioannem.* Regio eſt montenſis; abundans auro, ſed incolarum inops.

VIII. *Vrbis*

VIII. *Vrbis* Popayan *& vicinarum provinciarum deſcriptio.*
IX. *Deſcriptio Fluminis* Magdalenæ, *ejus origo & per varias provincias decurſus.*
X. *Antiochiæ urbis deſcriptio, regionumque adjacentium: iter ab hac urbe ad* Anzermam, Caramantæ *oppidum.*
XI. *Iter quod ab* Antiochia Anzermam *ducit & urbis* S. Annæ de Anzerma *deſcriptio.*
XII. *Iter ab* Antiochia *ad urbem* Armam; *provinciarum quæ interjacent ſitus atque condicio: Vrbis* Armæ *deſcriptio.*
XIII. *De Provincia* Carrapa, Quimbaya *atque urbe Cartagine.*
XIV. *Oppidi* Cali *deſcriptio & vicinarum provinciarum; & de portu ad mare Auſtrale, qui* Bonaventura *dicitur.*
XV. *Iter ab oppido* Cali *ad metropolim* Popayan *& regionum interjacentium qualitates.*
XVI. *Iter quod ab oppido* Popayan *ad oppidum* Paſto *ducit, Provinciarum intermediarum qualitates; populorum mores: oppidum* Paſto.
XVII. *Reliqua oppida & municipia hujus præfecturæ.*
XVIII. *Portus, Stationes, Flumina, Promontoria; omniſque ora hujus Præfecturæ, Inſulæque eidem objectæ.*

Liber Decimus, PERUVIA.

CAP. I. *Generalis Regni* Peruviani *deſcriptio, cœli ſolique qualitates. Indigenarum ingenia & mores.*
II. *Plantæ, fruges, fructuſque* Peruviæ *peculiares, præſertim* Coca.
III. *De Arboribus fructiferis & præſertim* Cachoz *&* Molle.
IV. *Animalia quædam* Peruviæ *peculiaria.*
V. *Alia animalia quæ cum aliis regionibus communia habent, ſerpentes, aves.*
VI. Peruviæ *diviſio in provincias principales:* QUITENSIS *provinciæ limites, cœli ſolique qualitates.*
VII. *Via quæ ab oppido* Paſto *ad civitatem* S. Franciſci *ducit & loca intermedia.*
VIII. *Metropolis Provinciæ* Quitenſis S. Franciſco *ſacra, & regionum adjacentium qualitates.*
IX. *Iter ab urbe* Quitenſi *ad* Rhiobambam, *regionum qualitas & Indigenarum ingenia atque mores.*
X. *De magnifico Palatio* Thomebamba, *deque Provincia & moribus populorum quos vocant* Cannares.
XI. *Iter quod à Provincia* Quitenſi *ducit ad mare Auſtrale & regionum adjacentium qualitates.*
XII. *Deſcriptio oppidi* Puerto Vejo *atque* S. Jacobi de Guayaquil, *nec non oppidi Caſtro in Provincia* Bunigando.
XIII. *Itineris ratio à Palatio* Thomebamba *ad oppidum* Loxam; *ejuſdemque &* Cuencæ *deſcriptio.*
XIV. Zamora *atque* Jaen *oppida &* Chuquimayo *provincia deſcripta.*
XV. *Plana* Peruviæ, *vallis* Tumbez, S. Michaëlis *oppidum & portus* Paîta.

O*Lmos*] Didici nuper admodum à quodam qui ſuperioribus annis iter egerat per Peruviam; ab urbe *Loxa* deſcendentibus verſus plana Peruviæ iter eſſe ad municipium *Frias*, diſtans à Loxa circiter ſexaginta aut ſeptuaginta milliaria, per varios pagos; relicta ad dextram *Piura*, ſive *S.Michaële*, quod oppidum hodie vix nomen ſuum tuetur: *Frias* autem intra Continentem diſtare à *Payta* milliaria viginti quinq;. A *Frias* iter agi ad *Olmos*; idque à mari pacifico diſtare milliaria ſeptem; ita ut metuam, diſtantiam inter Olmos & Paytam tantam eſſe non poſſe, quantam fide cujuſdam Portugalli prodidimus. Ab *Olmos* iter ducitur ad Zanam, diſtantia eſt milliarium undecim aut duodecim. In *Zana* autem habitat *Corregidor* ut vocant, qui vicarium ſuum habet in Olmos.

XVI. *Provincia* de los Quixos, *ejus limites, qualitates, oppida; itemque Provincia quam vocant* Canelam.

Vidi demum poſtquam Liber ille jam eſſet excuſus Commentarium Licenciati *Petri Ordonnez de Cevallos* qui hanc provinciam luſtravit, is de illa ita ſcribit.

Provincia *de los Quixos* montana eſt, & altis nivibus obnoxia, ad hæc inſalubris; carens pane & carne, præterquam ferina; pluit hic fere omnibus anni menſibus: magni permeant amnes & periculoſi: multæ hic ſunt feroces feræ, leones, tigres, urſi, aliæ: angues quoque quibus tintinnabulum eſt in cauda, imprimis venenoſi: Viperæ quoque & ſcorpiones, Niguæ. præterea muſcæ ceruleæ, quæ in ſtramentis, quibus hic indormitur, generant vermes quoſdam, qui cutem hominibus penetrant, & intra carnem excreſcunt in digiti molem, & cum ſumma moleſtia eximuntur: Denique inſectorum infinitus eſt hîc numerus, quorum alia occidunt, alia graviſſimos afferunt dolores: barbari autem ferociſſimi ſunt, præſertim *Aucaes*, qui nullis mediis ad fidem poſſunt traduci, ſed mortaliter oderunt eos qui illos conantur inſtituere. Oppidum illius principale *Baeza* diſtat à *Quito* quidem viginti leucis, difficillimo itinere, propter montes & paludes; medio autem gradu ab Æquatore verſus Auſtrum: habitatur à quinquaginta duobus civibus, quibus barbari ſunt vectigales circiter bis mille octingenti. Secundum oppidum eſt *Avila*; tertium *Archidona* quæ numero civium haud multum differunt à primo. Diſtant à ſe invicem ſedecim leucis veluti in triangulo poſitæ. Quartum appellatur *Sevilla del Oro*, diſtat ab aliis quadraginta leucis difficillimo & fragoſo itinere, ſuperatque cætera amplitudine. Provincia (inquit) *de los Coſanes*, diſtat à valle *Coca*, viginti leucis, quarum duodecim occupant montes, arboribus Canelæ veſtiti; reliquas occupant arbores quæ ferunt fructus quos vocant *Lucumos*, mole capitis humani, optimi ſaporis & nutrimenti. Incolæ ſunt dociles; robuſto corpore; ita ut difficillime ab Hiſpanis potuerint domari. Provincia *de los Tutos* jungit fines cum præcedente: quam verſus mare Septentrionale excipit provincia *de los Pues*, præcedentibus longe major & populoſior, habet oppidum longe ampliſſimum quod à ſexaginta millibus barbarorum habitari ferunt. Provincia *Nuxarum* jacet à provincia *Coſanum* trans maximum fluvium & verſus provinciam *Omaguarum*, hic mons cernitur cujus arenis aurum permixtum eſt. Cum hac jungit fines provincia barbarorum quos vocant *Coronados*, quia tonſi ſunt in modum clericorum, contra conſuetudinem aliorum Americanorum: hi non faciunt ſementem, ſed vivunt raptu & latrociniis. Omnes hæ provinciæ ambiunt provinciam Quixorum.

Narrat porro, barbaros advenarum pertæſos, poſtquam jam viginti annis Hiſpanis paruiſſent, conſpiraſſe inter ſe & in *Avila* quidem mactaſſe XCIII Hiſpanos & in *Archidona* pene totidem: à *Baeza* vero cui Quitenſes ſubſidio venerant cum maximis copiis fuiſſe repulſos, cum maxima clade. Deinde ſe, jam presbyterum factum, miſſum fuiſſe ut eos ad pacem componeret; à *Baeza* autem fuiſſe profectum cum duobus tantum ad vallem *Cocam*, quæ dividitur à Baezæ territorio magno fluvio, qui diſtat à Baeza undecim leucis: & primum certis condicionibus barbaros ad pacem pellexiſſe.

Idem deſcribit municipium *Pimanpiro*, diſtans ab oppido *Quito* viginti leucis, in regione temperata pene ſub ipſo Æquatore, ita ut potiſſimum hic caleat, & omnibus anni menſibus arbores fructus ferant, tam domeſticos quam Hiſpanienſes: *Coca* hic abundantiſſimè naſcitur; plurimæque aliæ herbæ magni in medicina uſus. Præterea arbuſculæ quædam, quarum folia ſunt exigua & blanda, ſapore ſuavi; quarum ſingula purgant una vice. Uti & alteræ, quas vocant de *Moſquera*, quarum radices corticem habent, qui valide purgat: Abundat tritico Europæo, & omni genere commeatus.

XVII. *Provincia populorum quos vocant* Bracomores, *coloniæ Hiſpanorum in eadem, & de auri venis pauca.*

XVIII. *Ora maritima* Quitenſis *Provinciæ, promontoria, ſinus, portus, flumina & inſulæ continenti objectæ, præſertim* Puna.

XIX. *Con-*

XIX. *Conventus Iuridici* LIMANI *limites deſcripti, oppida enumerata, viaque Regia per plana ab oppido S. Michaëlis ad urbem Truxillo.*
XX. *Municipium* Miraflores, *oppidum* Truxillo, Parilla, Arnedo.
XXI. *Via, quæ per plana ab oppido* Truxillo *ad Limam ducit, reliqua.*
XXII. LIMA *ſive Civitas Regum, Peruviæ hodie Metropolis.*
XXIII. *Portus Civitatis Limæ qui dicitur* Callao.
XXIV. *Pachacama vallis, cæteræque uſque ad Guarcenſem, & de municipio* Cannete.
XXV. *Via per plana Peruviæ ſecundum oram maris à* Guarco *ad* Ycam, *municipium* Valuerde *&* Caſtro Virreyna *oppidum.*
XXVI. *Cocolococha ſive Caſtro Virreyna & reliquæ valles ab Yca ad Tarapacam & oppida aut municipia in eiſdem ſita.*

A *Requipa.* Alii affirmant hoc oppidum tantum ſeptem leucis diſtare à mari Auſtrali: & indies opulentius fieri ob inſignes argentifodinas ſuperioribus annis inventas in loco quem vocant *Callioma*, ſub ipſis Andibus ſibi Cordillera ut vocat, ubi jam plurimum valde abſoluti argenti eruitur; diſtant autem fodinæ hæ ab Arequipa quatuordecim milliaribus, ſecus viam quæ ducit ad Metropolim Cuſco; ea enim ab Arequipa ducit primum ad has fodinas, deinde per provincias Aymeraum, Chanchium & Canârum ad Chicuito.

XXVII. *Provinciæ mediterraneæ, via regia per montana Peruviæ à* Guancabamba: *provincia* Chachapoja *&* Moyobamba.
XXVIII. *Via regia per montana à* Caxamalca *ad* Guanucum.
XXIX. *Via regia per montana, & provinciæ à* Guanuco *ad* Guamangam, *itemque à Lima ad* Xauxam.
XXX. *Reliquæ mediterraneæ provinciæ ab oppido Guamanga ad Cuſco: Guancabelicæ fodinæ, &* Chocolococha *ſive Caſtro Virreyna.*
XXXI. *Cuſco Peruviæ quondam metropolis: Regionum adjacentium ſitus & qualitates: oppidum S. Franciſci de la Vittoria & S. Iuan del Oro in Caravaya.*
XXXII. *Itinera trans Andes ad varias provincias quæ nondum ſatis ſunt cognitæ & expeditiones aliquot Hiſpanorum.*
XXXIII. *Promontoria, ſinus, portus, flumina, atque ora omnis maritima Conventus Iuridici Limani.*

Liber Vndecimus, PERUVIA *ſive* CHARCÆ.

CAP. I. *CHarcenſis Conventus Iuridici limites, cœli ſolique qualitates.*
II. *Via Regia ab oppido* Cuſco *ad urbem* de la Paz: *provinciæ quæ adjacent & imprimis* Collao.
III. *Provinciæ* Collao *particularior deſcriptio.*

ITer à Cuſco ad oppidum de la Paz, & porro ad Potoſiam, ita deſcriptum accepi à quodam qui nuper fecerat. A Cuſco ad pagum *S. Sebaſtiani*, circiter tria milliar. per *Anguſturam* ad pagum inſignem, quem vocant *Oropeſam*, quatuor milliaribus à Cuſco. Ad Vrcos perpulchrum Indorum pagum tria milliar. ad *Quiquiſanam* diverſorium decem milliar. à Cuſco. Ad *Tyntam* egregium municipium quod ſuum habet Corregidorem XVIII milliar. à Cuſco. Ad *S. Pablo* egregium pagum haud longe à *Tynta*; ad *Nicaſio Tambo* dimidii diei itinere à S. Pablo; ad *Chuncaram Tambo* unius diei iter: ad *Pucaram* pagum & corregiementum, ut vocant, tantundem: ad *Ayaviren* ingentem pagum, paulo longius iter; ad *Nicaſio* pagum, unius diei iter; ad *Paucarcollan* pagum, tantundem: ad *Punam* exiguum pagum haud longe ab ora lacus Titicacæ. Hinc relicto lacu ad ſiniſtram; ad *Chiquito* modicum tantum hodie oppidum, quanquam ſuperiori ſeculo floruerit; ad *Acoram* grandem pagum haud longe à Lacu; ad *Chilanen* primum pagum provinciæ Aymeraum, iter unius diei. Ad *Xuli* maximum pagum totius Peruviæ, ubi Patres Societatis Jeſu quatuor collegia & ſummas opes poſſident; ad *Pomatam* tria quatuorve milliaria; ad *Copauacanam* inſignem

pagum, haud longe à Lacu, diei iter; ad *Cepitam* grandem pagum ſeptem milliaria, ad Emiſſarium Lacus cujus utraſque ripas pagi duo occupant; ad pagum *Guaki* unius diei iter. *Notandum autem errore quodam hunc pagum in Tabula Peruviæ citra emiſſarium collocatum, cum ultra locandus fuiſſet.* Ad *Tiaguanaco* pulchrum Indorum municipium; diei iter. Ad oppidum *la Paz.* ad *Hayo Hayo* grandem pagum loco frigidiſſimo ſitum bidui iter. ad *Sicaſicam* pagum argenti venis nobilem, ſeptem milliaria: ad *Pandouro* diverſorium, magni diei iter; ad *Oruro* inſigne municipium & argentifodinis nobile; tribus aut quatuor milliaribus, ab illo labitur amniculus, qui in Lacum illabitur. Hinc diei itinere venitur ad diverſorium *Venta di Medio:* & alterius diei ad diverſorium *las Pinnas*; & tertii ad *Punam* tambo: & quarti àd *Totoram* tambo; à quo novem milliaria aut bidui iter reſtat ad Potoſiam.

IV. *Maximi Lacus Titicacæ deſcriptio.*

V. *Reliqua provinciæ Collao ſecundum regiam viam quæ ducit à Cuſco ad oppidum de la Paz: Chiquito provincia; & Nueſtra Sennora de la Paz in Chuquiabo.*

VI. *Via regia Collaſujo progreſſus uſque ad oppidum la Plata.*

VII. *Urbis la Plata ſive Chuquiſacæ deſcriptio; nec non minorum aliquot oppidorum.*

ACcepi & itineris rationes à *la Plata*, ad *Oruro*; quod ita ſe habet. Ad *Piochèdam* Indorum pagum unius diei iter: ad *Cocham* pagum, tantundem: ad *S. Franciſcum* pagum, tantundem: ad *Micouſac* pagum, idem: ad *S. Pedro de Buena Viſta*, pagum, tantundem: (*Moromoro* hinc conſpici poteſt) àd *Colcham* pagum argentifodina nobilem; tantundem: ad *Pariam* pagum, idem: ad *Oruro*, unius item diei iter.

VIII. *Urbs Potoſia & opulentiſſimæ illius Argentifodinæ.*

IX. *Alia obſervatu digna de Argentifodinis Potoſiæ.*

SUb finem. *Petrus Ordonnez de Cevallos.* In provincia Charcarum jacet oppidum *S. Philippi de Auſtria*, cum argentifodinis, inde à temporibus Yncarum notis; è quibus nuper induſtria Emanuelis de Caſtro, multum argenti fuit erutum; verum hydrargyri inopia aliquandiu jam ceſſatum: licet quidam putent de induſtria id factum à regiis præfectis ne Potoſianis officeret.

X. *Provinciæ Charcenſis littus, promontoria, ſinus, portus atque ſtationes.*

XI. SANCTA CRUX *de la Sierra & aliquot aliæ vicinæ provinciæ.*

XII. *Peruvianorum monarcharum origo & ſeries uſque ad decimum Yncam Yupanqui.*

XIII. *Reliqui Peruvianorum monarchæ uſque ad Atahualpam & cæteri deſcendentes ab Yncis.*

XIV. *Peruvianorum Regum ſeries & familiæ ex Ioſepho de Acoſta.*

XV. *De Regimine politico Peruvianorum, ex Commentariis Yncæ.*

XVI. *De Regalibus ædificiis quæ paſſim in Peruvia viſebantur & de Religione Peruvianorum.*

XVII. *De Peruvianorum feſto principali, quod vocant Yntip Raymi.*

XVIII. *De Peruvianorum idiomate atque Poeſi.*

XIX. *Scientiæ quarum Peruvianorum philoſophi gnari fuerunt, & quo pacto rerum geſtarum memoriam conſervaverint & illorum Arithmetica.*

XX. *De moribus & inſtitutis eorum domeſticis pauca.*

Liber Duodecimus, CHILE.

CAP. I. *Chilenſis Præfecturæ limites, cœli ſolique qualitates.*

II. *Animalia, fruges, plantæ hujus præfecturæ, indigenarum mores.*

III. *Atacama deſertum, & itinera è Peruvia ad Chilen, primaque Almagri expeditio in has provincias.*

IV. *Primarum vallium Chilenſis Præfecturæ, Copiapo, Guaſco & Chili deſcriptio.*

V. *La*

v. *La Serena & S.Iago oppida deſcripta.*
vi. *Oppidum Concepcionis & Inſula S.Mariæ deſcripta.*
vii. *Provinciæ Arauco, Tucapel & Puren deſcriptæ, & clades ab Hiſpanis in hac parte Chiles acceptæ.*
viii. *Mocha inſula deſcripta, indigenarum ingenia & mores & variorum ad eam navigationes.*
ix. *Inſularum Ioannis Fernandez deſcriptio.*
x. *Oppidorum de los Confines vel etiam de los Infantes & Imperialis deſcriptio.*
xi. *Vrbes Villa Rica & Valdivia & regiones adjacentes.*
xii. *Oppida Oſorno & Chilue ſive Caſtro, provinciæ vicinæ & præſertim Chucuito.*
xiii. *Oræ omnis maritimæ Chilenſis, portuum, ſtationum, ſinuum & promontoriorum deſcriptio ad trigeſimum tertium gradum Auſtralis latitudinis.*
xiv. *Ora Chilenſis reliqua à Valparayſo ad quadrageſimum ſecundum gradum latitudinis Auſtralis aut paulum ultra.*
xv. *Excidium urbis Valdiviæ & aliorum oppidorum Chilenſis præfecturæ quemadmodum narrantur ab Ynca Garcilaſſo.*

Liber Decimus tertius, MAGALLANICA.

Cap. I. *Magallanicæ provinciæ limites & generalis deſcriptio.*
ii. *Petri Sarmienti navigatio ſecundum oram Magallanicæ ad Mare Auſtrale ſitam, è commentariis Leonardi de Argenſola.*
iii. *Oræ hujus omnis à Chilenſis præfecturæ finibus ad Fretum Magallanicum deſcriptio ex Herrera.*
iv. *Ipſius Freti Magallanici deſcriptio ſecundum Hiſpanos qui primi illud penetrarunt.*
v. *Anglorum navigationes per Fretum Magallanicum & quidem primum Franc. Draci.*
vi. *Thomæ Candiſhii navigatio per Fretum Magallanicum, itemque Richardi Hawkini Equitis.*
vii. *Belgarum navigationes per Fretum Magallanicum & quidem prima Duce Simone de Cordes.*
viii. *Sebaldi de Weert longi in Freto errores, Penguinum deſcriptio.*
ix. *Secunda & tertia Belgarum navigatio per Fretum Magallanicum.*
x. *Expeditio Didaci Flores de Valdes & duæ coloniæ ab Hiſpanis in Freto Magallanico collocatæ.*
xi. NOVI FRETI LEMARII *prima inventio.*
xii. *Hiſpanorum navigatio per Novum hoc Fretum.*
xiii. *Expeditio Claſsis Naſſavicæ per Fretum Lemarium in Oceanum Meridionalem.*
xiv. *Terræ Auſtralis & barbarorum hanc incolentium deſcriptio.*
xv. *Magallanicæ ora quæ ad mare Atlanticum jacet, deſcripta ſecundum Hiſpanos.*
xvi. *Ejuſdem oræ deſcriptio ſecundum Anglos & Belgas.*

Liber Decimus quartus, RIO DE LA PLATA.

Cap. I. *Præfecturæ ſive Provinciæ Rio de la Plata generalis deſcriptio, cœli ſolique qualitates.*
ii. *Fluminis de la Plata prima inventio, & variæ Hiſpanorum intra flumen hoc expeditiones.*
iii *Fluminis de la Plata deſcriptio ſecundum Herreram & Martinum del Barco.*
iv. *Ejuſdem fluminis deſcriptio ſecundum varia Hiſpanorum itineraria nautica & unum Noſtrorum.*
v. *Barbari qui Flumen Argenteum accolunt; eorum ingenia & mores.*
vi. *Deſcriptio oppidi Noſtræ Sennoræ de Buenos Ayres.*
vii. *Metropolis hujus provinciæ, cum agro ipſius deſcripta; itemque alterum oppidum Cuidad Real.*
viii. *Oppida S.Fidei, S.Salvatoris & reliqua hujus Provinciæ.*

IX. Tucumanæ *Provinciæ deſcriptio, ejuſque principalis oppidi S. Iago del Eſtero.*
X. *De oppidis S. Michaëlis, Talavera & Corduba.*
XI. *De aliis aliquot oppidis hujus præfecturæ & provinciarum in quibus jacent qualitatibus.*
XII. *Iter Belgæ cujuſdam à Buenos Ayres ad Argentifodinas Potoſianas per provinciam hanc Tucumanam.*
XIII. *Ratio ejuſdem itineris ſecundum alios.*
XIV. *Ora maritima Præfecturæ Fluminis de la Plata, inde à Promontorio Septentrionali magni illius Aeſtuarii ad Braſiliam uſque.*

Liber Decimusquintus, Brasilia.

Cap. I. Braſiliæ *limites, ejus prima inventio, cœli ſolique qualitates.*
II. *De Religione, ingeniis & moribus Braſilienſium in communi.*
III. *Diverſæ Nationes Braſilienſes & earum ingenia & mores è commentariis nuperi ſcriptoris Portugalli.*
IV. *Variæ Braſilienſium nationes, ſecundum relationes* Antonii Kniveti *Angli, qui dudum in Braſilia oberravit.*
V. *Quadrupedes Braſiliæ, ſecundum authorem Luſitanum, Ioannem Lerium atque Thevetum.*
VI. *Angues ſerpenteſque terreſtres ex iiſdem ſcriptoribus, ut ſupra.*
VII. *Volucres quædam Braſiliæ deſcriptæ ex iiſdem Authoribus.*
VIII. *Arbores fructiferæ Braſiliæ, aliæque è variis Authoribus deſcriptæ.*
IX. *Plures arbores Braſiliæ familiares, è* Lerii *atque* Theveti *commentariis.*
X. *Herbæ, plantæ, radiceſque edules Braſiliæ ex iiſdem Authoribus.*
XI. *Aliæ aliquot Plantæ Braſilienſes è Lerio, Theveto, Cluſioque & Phalangii monſtroſa ſpecies.*
XII. *Piſces marini Braſilienſium ex auctore Luſitano & aliis.*
XIII. *Cruſtacei Teſtaceique piſces, item arbores littorales & marinæ, nec non Aves marinæ.*
XIV. *Piſces aliquot fluviatiles, item angues aliaque animantia quæ in fluminibus degunt ex iiſdem Authoribus.*
XV. *Animalia, arbores herbæque quas Luſitani primum intulerunt, è quibus tamen hodie maximum quæſtum faciunt: itemque diviſio Braſiliæ in ſuas præfecturas.*
XVI. *Primæ Præfecturæ quæ appellatur* S. Vincente *deſcriptio.*
XVII. *Particularior hujus præfecturæ deſcriptio & de oppido* S. Pauli *& inſulis adjacentibus.*
XVIII. *Præfectura Fluminis Ianuarii vulgo* Rio de Ianero.
XIX. *Tertia Braſiliæ Præfectura,* Spiritu Santo, *ut Portugalli vulgo vocant.*
XX. *Quarta Braſiliæ Præfectura quæ à Portugallis appellatur* Porto Seguro.
XXI. *Quinta Braſiliæ Præfectura, quam Portugalli vocant* Ilheos.
XXII. *Sexta Braſiliæ Præfectura ſive ſinus omnium Sanctorum: ipſius ſinus accurata deſcriptio; & memorabile facinus* Petri Heynii *noſtri.*
XXIII. *Vrbis* S. Salvatoris *deſcriptio & locorum adjacentium. Itemque* Seregippe.
XXIV. *Præfectura ſeptima Braſiliæ quæ dicitur* Pernambuco.
XXV. *De urbe* Olinda, *itemque de* Garaſu.
XXVI. *Quo pacto* Olinda *à Belgis fuerit capta; hodieque poſſideatur.*
XXVII. *Præfectura Tamaracenſis & ora maritima Braſiliæ ad hunc locum.*

C A P I T V M.

Liber Decimusſextus, BRASILIA SEPTENTRIONALIS.

CAP. I. D*E Communi Braſilienſium lingua.*
II. *Præfectura Nona Braſiliæ quæ dicitur Paraiba.*

INter portum Francicum & promontorium Blancum, notatur aliud terræ cornu, quod vocant *Punta de Piedra Furada*, pone quod verſus auſtrum, & ſeptem gradibus & XXIV ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum; Amnis exit ſatis latus, ſed oſtio, à vadis quæ ab arctoo cornu deſcendunt, pene obturato, ita ut difficulter aditus navigiis pateat, præterquam minoribus.

Fluvius *Mongiangape*, diſtat ab Æquatore, prout à noſtris video obſervatum, ſex gradibus & triginta ſcrupulis; oſtio quidem anguſto ſed ſatis alto; hic difficulter ſubiri poteſt, niſi quum ventus directe perflat ab Aquilone.

Invenio quoque à noſtratibus accurate obſervatum, oſtium fluminis *Paraibæ* diſtare ab Æquatore verſus Auſtrum ſex gradibus & quinquaginta ſex ſcrupulis.

III. *Inſula Ferdinandi de Norohna vulgo dicta.*
IV. *Ora Continentis Braſiliæ Septentrionalis à flumine Mongiangape ad Rio Grande.*
V. *Decima Braſiliæ præfectura Rio Grande.*
VI. *Ora Braſiliæ Septentrionalis à Rio Grande ad Siaram, ſecundum Figueredum & alios.*
VII. *Præfectura Braſiliæ Septentrionalis quam vocant Siaram & reliqua ora uſque ad* MARANNON.
VIII. *Generalis deſcriptio hujus Provinciæ & quædam neceſſario obſervanda.*
IX. *Deſcriptio Maragnanæ ſecundum Claudium Abbavillanum.*
X. *Inſulæ Maragnanæ cœli ſolique qualitates.*
XI. *Arbores fructiferæ quæ in hac Inſula reperiuntur.*
XII. *Herbæ aliquot atque plantæ hujus Inſulæ Maragnanæ.*
XIII. *Variæ volucres quæ in hac Inſula & vicina Continente reperiuntur.*
XIV. *Piſces marini & fluviatiles qui in hiſce partibus reperiuntur.*
XV. *Quadrupedes hujus Inſulæ & vicinæ Continentis.*
XVI. *Incolarum origines, mores & inſtituta, aliaque quæ huc pertinent.*
XVII. *Provinciarum Tapovytaperes & Commæ ad Continentem ſitarum deſcriptio.*
XVIII. *Geſta Gallorum in Inſula Maragnana & quæ ab ipſis obſervata de monte Ybovapap.*
XIX. *Situs Maranhaon & loca quæ à Portugallis hic tenentur.*
XX. *Reliqua ora continentis à Maranhaon uſque ad Param.*

Liber Decimusſeptimus, GUAIANA.

AD Introductionem. Anxiè quæſivi qui eſſent *Omaguæ* illi populi quos *Herrera* nominat; & inveni jam apud *Petrum Ordonnez de Cevallos:* Provincia (inquit) *Omaguarum* diſtat ab *Avila* & *Archidona* (oppidis in provincia Quixorum) centum & triginta leucis, & ſunt plures populi qui uno & communi nomine appellantur *Omaguæ*, & ſingulæ provinciæ ſua obtinent nomina. incedunt autem nudi, niſi quod in quibuſdam provinciis fœminæ arborum libris pudenda tegant. ambit provincia circiter quingentas leucas. Multi Hiſpani tentarunt illam ingredi, ſed nihil profecerunt.

CAP. I. FLUMEN AMAZONUM *vel* ORELLANÆ. *Expeditio* Franciſci de Orellana *qui hoc flumen putatur primus inveniſſe & luſtraſſe.*
II. *Secunda expeditio* Franciſci Orellanæ *ad magnum hoc flumen.*
III. *Magni fluminis Amazonum deſcriptio ſecundum Anglorum & Belgarum obſervationes.*
IV. *Continentis hujus & Inſularum, cœli ſolique qualitates & fructus atque incolæ.*

V. *Brevis*

v. *Brevis narratio eorum quæ à Belgis in hiſce partibus fuerunt geſta.*
vi. *Ora hujus Continentis & flumina quæ ex illa egrediuntur, à magno flumine* Amazonum *ad flumen* Wiapoco.
vii. *Deſcriptio fluminis* Wiapoco *& aliorum vicinorum, provinciarumque quæ illis adjacent.*
viii. *Plura de hoc flumine à Noſtratibus obſervata & de vicinis aliquot minoribus amnibus, præſertim* Apurwaka.
ix. *Amnium* Cawo *&* Wia *deſcriptio cum adjacentibus provinciis.*
x. *Fluminis* Caianæ *deſcriptio & Continentis illi vicinæ, populorumque mores qui hic habitant.*
xi. *De cœli ſolique qualitatibus in hiſce partibus Continentis & de Incolarum ingeniis, moribus atque inſtitutis.*
xii. *De barbarorum horum Idiomate, præſertim* Yaiorum.
xiii. *De annona barbarorum, animalibus, piſcibus, plantis.*
xiv. *De aliis quibuſdam plantis, reſinis & lignis, quæ commerciis apta ſunt & ſingularem habent uſum in medicina.*
xv. *Aliorum fluviorum qui ex eadem ora in Oceanum exeunt & imprimis* Marwinis *deſcriptio.*
xvi. *Aliorum aliquot fluviorum qui ex Continenti egrediuntur deſcriptio, videlicet* Sarnames, Sorames, Corretines, Berbices, Demararis.
xvii. Essequebes *fluvii & aliquot vicinorum deſcriptio.*
xviii. *Deſcriptio fluminis* Orenoques *in communi ſecundum ea quæ ab Hiſpanis ſunt prodita.*
xix. *Narratio eorum quæ porro ab Hiſpanis in hoc flumine luſtrando fuerunt geſta & imprimis ab Ortalio.*
xx. *Quæ porro ab Hiſpanis hic geſta fuerunt & præſertim à* Gundiſalvo Ximenes de Queſada *&* Antonio de Berreo.
xxi. *Prima expeditio Equitis* Waltheri Raleghi *ad flumen* Orenoquen, *quæ incidit in annum* cIɔ Iɔ xcv.
xxii. *Amnium qui in* Orenoquen *influunt Catalogus, & expeditionis Ralegianæ reliqua.*
xxiii. *Secunda Anglorum expeditio in Guianam duce* Laurentio Keymis *anno* cIɔ Iɔ-xcvi. *& Tertia duce* Thoma Mashamo *eodem anno & ſequenti.*
xxiv. *Poſtrema* Waltheri Raleghi *expeditio in Guianam annis* cIɔ Iɔ cxvi *&* xvii *& illius ſupplicium.*
xxv. *Fluminis* Orenoques *deſcriptio ſecundum Belgarum noſtrorum obſervationes.*
xxvi. *Deſcriptio Inſulæ quam vocant* la Trinidad.
xxvii. *De Inſula* Tabago *vulgo dicta, quam noſtri jam vocant* Novam Walachriam.

Liber Decimus octavus, Nova Andaluzia.

Cap. I. *Deſcriptio nobiliſſimæ Inſulæ* Margaritæ.
ii. *Inſulæ* Cubagua *&* Coche *deſcriptæ.*
iii. *Deſcriptio promontorii quod vocant* Araya *& famoſarum ſalinarum quæ illi adjacent.*
iv. Cumanæ *provinciæ deſcriptio, cœli ſolique qualitates, animalia, Indigenarum denique mores.*
v. *Eorum quæ ſuperiori ſeculo ab Hiſpanis crudeliter in hac Continentis parte geſta fuerunt & municipii* Cumanæ *deſcriptio.*
vi. *Narratio eorum quæ ab Hieronymo de Ortal & Antonio Sedenno in hiſce provinciis fuerunt geſta.*
vii. *Expeditionis* Antonii Sedenni *in hanc partem Continentis reliqua.*
viii. *Deſcriptio generalis provinciæ* Venezuelæ *& partitio in varias partes.*
ix. Venezuelæ *prima luſtratio per Germanos & quæ aliquot annis ab iiſdem ibidem fuerunt geſta.*

x. De

CAPITVM.

X. *De Metropoli hujus Præfecturæ* Coro, *ut vocant.*
XI. *Alia oppida hujus Præfecturæ* Noſtra Sennora de Carvalleda, S. Jago de Leon, Nova Valentia & Xeres.
XII. *Vrbs* Nova Segoviá *& regionum vicinarum ſitus & cœli ſolique qualitates.*
XIII. *Cætera hujus Præfecturæ oppida,* Tucuyo, Truxillo, Laguna *& provinciarum quæ hiſce adjacent qualitates.*
XIV. *Magni Lacus* Maracaybo *deſcriptio, itemque* Maracapanæ *ad extremos hujus Præfecturæ limites verſus ortum.*
XV. *Deſcriptio Inſularum quæ huic præfecturæ objacent, Inſulæ* Blanca, Tortuga, Orchilla, Rocca, Avium.
XVI. *Deſcriptio Inſularum* Bonaire, Caracao *atque* Arubæ:
XVII. *Oræ univerſæ deſcriptio, utriuſque Præfecturæ* Cumanæ *atque* Venezuelæ.

INDI-

INDICVLVS

Animalium, Arborum atque Plantarum quas particulatim deſcripſimus atque Icones adjunximus.

Manati piſcis. Lib.I. Cap.IV.
Iguanæ Lacerti. lib.I. cap. IX.
VValrus belluæ marinæ. lib. II. c. VI.
Aranei marini ſive Siguenoc. lib. II. cap. XIX.
Herbæ ſingularis Novi Belgii. lib. III. cap. X.
Macoquer fructus Virginiæ. lib. III. cap. XXII.
Lobi è VVingandecauv. lib. III. cap. XXII.
Saſſafras arboris. lib. IV. cap. XV.
Fabarum purgatricum verarum. lib. V. cap. III.
Pinnonum de Braſil purgatricum. ibid.
Guajabi ramuli cum fructu, ibid.
Yecotl ſive Palmæ Montenſis fructus. ibid.
Tlilxochitl fructus. ibid. cap. IV.
Mecaxuchitl fructus, ibid.
Piperis longi ſeu Buyobuyo, ibid.
Huitzitzil ſeu Tominei aviculæ. ibid. c. XVII.
Vaccarum gibboſarum Quiviræ. lib. VI. cap. XVII.
Cacao fructus & Ramuli cum fructu, lib. VII. cap. II.
Anil herbæ folii. Ibid. cap. IX.
Amygdalarum Novi Regni, lib. IX. cap. IV.
Molles ramuli cum fructu. lib. X. cap. III.
Penguin avis. lib. XIII. cap. VIII.
Armadillo animalis. lib. XV. cap. V.
Haythi animalis. ibid.
Acayous fructus. ibid. cap. VIII.
Ayri arboris. ibid. cap. IX.
Aouay fructuum, ibidem.
Bachoves fructuum, ibid.
Mamoeræ arboris. ibidem.
Ananas fructus. ibid. cap. X.
Pacobæ fructus. ibid.
Loborum Braſilienſium. ibid.
Manobi Tuberum. ibidem cap. XI.
Fabarum Braſilienſium. ibid.
Phaſeoli Braſilienſis. ibidem.
Phalangii grandis & monſtroſi. ibidem.
Doradæ Piſcis Icon. ibid. cap. XII.
Arawawapebbe piſcis. ibid.
Vbirræ piſcis. ibid.
Awah-kattoe piſcis. ibid.
Pira-vtoevah piſcis. ibid.
Zygænæ ſive libellæ piſcis. ibid. cap. XIII.
Junipap fructus. lib. XVI. cap. XI.
Palmæ cujuſdam fructus. ibid.
Karovatæ noſtris Slijp-tongh fructus. ibidem cap. XII.
Ignavi Animalis. lib. XVI. cap. XV.
Totocque fructus. lib. XVII. cap. IV.
Fructus inſignis anonymi. ibid.
Papay arboris cum fructu. lib. XVII. cap. XXVIII.
Cucurbitiferæ arboris cum foliis & fructu. ibid.
Reſiniferæ arboris in Tabago Inſula. ibid.
Foliorum & fructuum Icon è Tabago. ibid.
Caſſiæ Silveſtris ramuli & fructus. ibid.
Aloes cujuſdam cum caule & fructibus. ibid.

DESCRIPTIO-

RPJCB


Cabo dela Florida
Tortugas
Los Martires
Lucayoneque
Bahama
Cigateo
Mimbres
Bimini
Abacoa
Curateo
El Placel
Roques
Cayo de Sal
Anguilla
C V B A
Havana
Matanças
Organes
Guanaguarico
C. S. Anton
C. de Corrientes
Ysla de Pinos
Las dos hermanas
Golfo de Xagua
S. Spiritus
Bayamo
Mançanilla
Baracoa
Caio de Sal
I. Verde
Mira por voz
Cubana
Cayman grande
Cayman
Cozumel
IAMAYCA
Sevilla
Melilla
Oristan
C. del falcon
Ranas
Falcon
Guanancha
Santanilla
Serranilla
Serrana
Viciosas
Roncador
S. Andreas
Caymito
Navaza
Carthagena
Rio grande
Panama
Darien
Vraba
W E S T


MAIORES MINORES QVE
INSVLÆ.
HISPANIOLA, CVBA
Lucaiæ et Caribes.
TROPICVS CANCRI
Mayaguana
Caycos
Amana
Abreoyo
Samana
C. Frances
C. del Cabron
Golfo de Samana
C. S. Rafael
C. del Engaño
Monte Christo
La Isabella
S. Tiago
El Cotuy
Maguana
S. Domingo
Yçayagua
Higuei
Saona
Beata
Alta Vela
Frayles
Mona
C. Roxo
S. Germain
Porto rico
S. Iuan de Porto rico
Bieque
S. Cruz
Anegado
Sombrera
Anguilla
S. Martin
S. Bartolome
Saba
Barbada
Redonda
Mon serrate
Antigua
Guadalupe
Deſseada
I. de Aves
Santos
Mari galante
Dominica
Matinino
S. Lucia
S. Vincent
Barbudos
Bekia
Granada
Tabago
Pta. de galera
Trinidad
Testigos
Frayles
Margarita
I. Blanca
Orchilla
Tortuga
Roca
I. d'aves
Bonayre
Ouraçao
Oruba
Monjes
C. de Coquibocoa
C. dela Vela
R. dela hacha
Coro
Burburata
Caracas
C. dela Cordillera
Comanagota
Comana
OOSTT
glicæ leucæ 20. in vno gradu
iſpanicæ leucæ 17½ in vno gradu
rmanica milliar. 15. in vno gradu.

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS LIBER PRIMVS.

De Inſulis Oceanicis.

INSULA S. IOANNIS DE PORTU RICO.

Cap. I.

Inſulæ S. Ioannis *ſitus, magnitudo, cœli ſolique natura.*

INSVLAM quam olim incolæ atque accolæ *Boriquen* appellabant, Chriſtophorus Columbus ſecunda ſua navigatione anno cIↄ cccc xciii primum adiit & S. Ioannis Baptiſtæ nomini dedicavit. (Her.d.1. l.7.c.13.) Diſtat ab Inſula Hiſpaniola verſus ortum quindecim aut ſedecim milliaria Hiſpanica (leucas ſive leguas vulgo, quarum ſeptemdecim cum ſemiſſe in gradum computant) (Her.d.1. l.10.c.16.) ab Americæ Auſtralis Continente & Pariæ promontorio verſus Arctum (uti ab aliquibus obſervatum) centum triginta ſex, paulo autem pauciora à *Coquibocoa* altero ejuſdem Continentis angulo. Auſtrale illius latus ultra decimum octavum, Septentrionale paulum intra decimum nonum gradum latitudinis Septentrionalis jacet: Patet triginta (aut ut aliis placet triginta quinque) leucas in longitudine, ortum atque occaſum inter, viginti autem in latitudine; formæ pene quadratæ, altera tamen parte longior. Cœli temperies perjucunda; (præterquam Decembri & Iannuario) neque nimiis æſtibus torretur, nec immodicis imbribus humectatur, niſi forte æſtivis menſibus ab exitu nimirum Maij ad Septembrem; Menſe quoque Auguſto & Septembri gravibus interdum tempeſtatibus & ſubitis procellis vexatur, *(Huracanes* vocant,*)* & ab infeſto Aquilone hîc ſata nonnunquam aduruntur. Solum dives & paſcuis lætum, niſi à Guajabis arboribus plurimum detrimenti acciperet: hæc arbor in aliis quoque inſulis atque Continente frequens, fructus fert inſtar pomorum, cortice ſubfuſco, carne rubente & plurimis granulis referta, quæ delapſa in ſolum, abundantia fimi & glebæ ubertate, ſtatim ſuccreſcunt tantumque ſenſim incrementum capiunt, ut planiciem pene omnem ſylvarum denſitate occupent & graminis incrementum ſua opacitate impediant. Quanquam alias hæc arbor & illius fructus non ſit inutilis, ut alibi dicemus. Huic malo accedit alterum longe gravius, quod armenta cæteraque animalia natura ſua domeſtica, ita efferentur ut domari amplius nequeant. Terra maxima ſui parte modicis collibus intumeſcit, media autem pene regione in altiſſimos montes aſſurgit *(la Sierra del Loquillo* vulgo vocatur Hiſpanis) qui ab orientaliori Inſulæ cornu, decem ſupra primariam urbem leucis verſus Euronotum, incipientes, uno & continuo ductu per ipſum Inſulæ dorſum, ad latus uſque occidentale ſeſe exporrigunt, & haud procul ab urbe S. Germani terminantur.

l.16.c.1. Fluvii hic frequentes, & præcipuus (ut Oviedo placet) *Cairabon* : ei proximus *Bayamon* qui verſus Boream deſcendit, & è regione arcis quæ portui præcipuæ urbis imminet, ſinui maris miſcetur: *Luiſa* deinde atque *Toa* ab uno fonte, qui ad radices *Guayamo* montis ſcaturiens (quindecim aut ſedecim leuc. ab urbe verſus ortum) uno primum alveo verſus Arctum deſcendit, multos utrimque amniculos recipiens, ad *Cavvas* montem uſque; ibidemque ſe dividens, uno alveo Luiſam municipium prælerlabitur; altero verſus Corum ſe flectens, & jam *Toa* (nam ſupra divortium incerti eſt nominis) in portum ejuſdem urbis ſeſe exonerat. Denique *Guiane*, *Arezibo*, *Guabiabo*, aliique; quorum nonnulli haud incommodos portus minoribus majoribuſque navigiis aperiunt: præter innumeros torrentes, quorum quidam etiam ſunt auriferi; omnium autem opulentiſſimi & maxime celebres fuerunt *Manatuabon* & *Cebuco*. Non defuerunt olim ditiſſima argenti aurique metalla, quæ hodie aut ſunt exhauſta aut operarum inopia negliguntur.

Præter arbores quas cum cæteris inſulis communes habet, quædam hic primum obſervatæ, inter quas excellit *Tabernaculo* vel *Taborucu*, candidi cujuſdem bituminis ferax, ad navigia impicanda peridonei, pictoribus utilis, & ad vulnera, artuumque vitia, quæ è frigore nata, ſananda pene ſingularis. Secundas fert *Maga* ligno duriſſimo, & cariei quam minimum obnoxio, quo ad fabrilia opera utuntur: niſi forte utraque hac potior cenſenda eſt arbor, quam Lignum ſanctum vocant, à *Guaiacan* non multum diverſa (eandem quippe negat *Oviedus*) & eiſdem facultatibus pollens adverſus luem veneream, ſi decoctum illius rite ſumatur. Accedunt frutices duo: *Higillo pintado*, cujus foliorum ſuccus vulnera potenter conglutinat: & frutex S. Mariæ, ſuperiori medendi facultate haud quaquam inferior. Inter noxias herbas eminet *Quibei*, foliis aculeatis, flore violarum æmulo, ſed oblongiori, quæ à feris devorata præſentiſſimum adfert exitium. Fruticeta item multa juxta littora naſcuntur, quæ poma quædam ferunt piſcibus exitioſa ſi in aquam decidant; quin & umbra illius fruticis admodum nocet hominibus, ſi ſub illo obdormiverint, *Macanillo* vocant; ſunt autem arbores modicæ, quæ ramos humi ſpargunt, foliis pene pyri noſtratis; ferunt plurimos flores quibus ſuccedunt exigua poma, ſed rotunda & producta atque pauxilla rubedine diſtincta, quæ illa grata aſpectu reddit; adhæc odore tam ſuavi, ut vix ulla res illis comparari poſſit, cæterum pernicioſiſſima & lethalia; ipſaque arboris umbra adeo noxia eſt, ut ſi quis forte ſub illa obdormiſcat, toto corpore infletur horrendum in modum; & ſi forte roris è ramis decidentis gutta cutem tangat, eam inſtar aquæ erodentis excoriat: ex fructu venenum immedicabile conficiunt Barbari.

Reperitur hic & alia arbor, quam Inſulares vocant *Guao*, & Mexicani, quibus & familiaris eſt Tletlatian; fert folia rubra, villoſa & quæ numquam decidunt, craſſaque cum multis venulis ignei coloris: fructus illius viridis, forma & mole ſimilis fructui Arbuti. Succus hujus arboris eſt cauſticus, ideoque omnia animalia quæ ſeſe huic affricant, amittunt pilos; homineſque juxta ac beſtiæ, ſi ſub illa ſomnum capiunt, eandem jacturam patiuntur; & ſi forte ſuccus aliquod membrum contigerit, exulcerat illud, tanta eſt vis peſtiferæ hujus plantæ. Materiem illius inferunt Europæ, ob peregrinum illius colorem, qui virorem calchanti æmulatur, ſolentque lectorum fulcra ex illa facere, quia cimicibus putatur inimica, verum fabrorum manus & ora ita inflantur, dum illam contrectant, ut multis diebus non detumeſcant.

Præcipuæ hujus Inſulæ divitiæ largus cannarum ſacchari, gingiberis, caſſiæ ſolutivæ proventus, & maxima tergorum taurinorum copia: tantum enim incrementum tauri vaccæque fecerunt, ut tergorum ſolummodo cauſa necentur, carnibus ſub dio canibus & volucribus relictis; hæc Hiſpani incolæ mercibus Europeis ditiſſimo commercio mutant; nam de indigenis hujus Inſulæ qui quondam innumeri fuerunt, aut nullos aut perpaucos Hiſpanorum ſævitia fecit reliquos; unde ſupervacaneum foret, de illorum ingeniis, moribus aut religione quicquam nunc dicere.

Cap. II.

Vrbes Hiſpanorum in hac Inſula, quarum Metropolis Porto Rico.

HÆc inſula anno cIↃ IↃ x ab Hiſpanis primum habitari cœpit, ſub præfecto *Ioanne Poncio Legion.* qui ab inſulanis & principali ipſorum Regulo *Agueybana* humaniter acceptus & multis muneribus auctus, locum coloniæ ad plagam ſeptentrionalem cepit, unam à mari & præcipuo portu (quem divitem dicunt) leucam, vocavitque illam *Caparram*: ſed ob incommodiorem ſitum & difficiles aditus, poſt annos decem aut duodecim municipium hoc deſertum fuit, & coloni traducti *Guanicam* haud procul à loco ubi hodie *S. Germani* municipium cernitur: qua rurſus relicta, haud procul *Aguada*, municipium *Sotomajoris* condiderunt, & demum apud *S. Germanum* conquieverunt. Anno autem cIↃ IↃ XIV Regis Hiſpan. mandato exigua inſula, quæ portum præcipuum concludit, jactis in alveum qui interluit molibus, & aggere perducto, cum majori conjuncta, initium dedit primariæ urbi, quam à portu cui adjacet, *Porto rico* hodieque appellant. Sita eſt hæc urbs ad ſeptentrionalem hujus inſulæ plagam, octodecim gradibus & aliquot ſcrupulis ab æquatore verſus Arctum; nullo quidem muro vallove ſepta, cæterum egregie ſtructa, plateis latis, & domiciliis ad Hiſpaniæ normam, raris feneſtris, ſed late patentibus oſtiis, quibus auram admittunt, quę ab octava matutina ad quartam pomeridianam æſtum temperat atque refrigerat, quum ab hora illa quarta ad mediam uſque noctem hic ſupra modum ferueat. Templum habet cathedrale elegantis ſtructuræ, duplici columnarum ordine, ſed minoribus feneſtris, quibus ob vitreorum defectum tenuiſſima tela cannabina obducta eſt: & duas minores capellas (ut vocant;) verſus boream haud procul ab urbe, Dominicanorum cænobium. Portus illius amplus, tutuſque adverſus incerta ventorum, etiam hoſtiles incurſus; anguſtis enim faucibus oceanum admittit, quibus validum caſtellum imminet, novis operibus anno cIↃ IↃ XC mandato Regis Hiſpan. auctum & firmatum, machinis omnique bellico apparatu egregie inſtructum. Eidem, ſed interius, ad eam urbis partem quæ Africum adſpicit, aliud caſtellum adſidet, (*Fortalezam* vulgo vocant:) in quo regii theſauri & apparatus bellici reconduntur: Reliquum hujus minoris inſulæ denſo luco pene invium eſt, præter aream unam, & ſemitas quæ ad aggerem ducunt: huic autem duo minora caſtella adjacent, ad hoſtem ſi ab hac parte verſus urbem iter moliatur, arcendum.

Tentavit hanc urbem fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus* anno cIↃ IↃ XCV ſed fruſtra, nam portum cum pluribus celocibus & ſcaphis ingreſſus, naves quidem hoſtiles in anchoris ſtantes exuſſit, urbem autem capere non potuit, ſed quadraginta aut quinquaginta ſuorum deſideratis, alio diſceſſit. Illuſtris autem Cumbrię Comes anno cIↃ IↃ XCVII militibus ſuis in majoris inſulæ littus expoſitis, difficillimo itinere ad aggerem progreſſus, primo impetu caſtella quæ aditum muniunt expugnavit; deinde urbem pene vacuam levi diſcrimine ingreſſus, arcem quoq; quæ portus faucibus imminet poſt octo dierum obſidionem deditione accepit. Statuerat quidem hic pedem figere & coloniam Anglorum deducere, verum quadringentis militibus brevi tempore variis morbis extinctis, mutato conſilio diſceſſit, urbemque pene integram relinquens, opima ſpolia & machinas bellicas majores ad minimum ſeptuaginta (ut Angli narrant) abduxit.

Anno denique cIↃ IↃ CXXV *Balduinus Henricides* Edamenſis exconſul, & claſſis quam ſocietas Indiæ Occidentalis è Confœderato Belgio ſub finem ſuperioris anni ſuis in Braſilia laborantibus ſubſidio miſerat, Generalis præfectus, cum ſeptem & decem navibus, numero licet militum & claſſiariorum variis morbis & diuturniore atque permoleſta navigatione multum imminuto, auſu plane heroico, inter faucium anguſtias & caſtelli imminentis fulgura, (quod nullus hactenus cum majoribus navigiis tentare auſus fuerat) eluctatus, ſua tantum navi nonnihil conquaſſata, & perexiguo reliquarum damno, in interiori portu anchoras jecit & cum ducentis quinquaginta militibus, & quadringentis navalibus ſociis in terram exſcendens, ſtatim urbe eſt potitus, civibus noctu dilapſis, quorum ii qui arma ferre poterant in arcem, reliqui

in majorem inſulam ſe ſubduxerant: Inde & caſtellis minoribus captis, ne hoſtem à tergo expectare cogeretur, aggerem reſcidit & arcem principalem ducto vallo, & machinis bellicis diſpoſitis oppugnavit. Verum quum præſidiarii fortiter ſe tuerentur, & noſter cum tam parva militum manu (nam unam è præcipuis navibus cum cxxx militibus & multo apparatu bellico deſiderabat) urbi cæteriſque munimentis & tot aditibus cuſtodiendis nequaquam ſufficeret, ſeque arci tam validæ vi expugnandæ, multo minus inopia commeatuum ad deditionem cogendæ imparem videret, (præſertim quum jam ſubvectiones è majori inſula impedire non poſſet;) de receptu licet multum invitus cogitare cæpit, & machinis omnibus, quæ ipſe expoſuerat, quæque in urbe invenerat, in naves impoſitis, ſpoliis lectis & urbe pene deleta, ſeptem item hoſtilibus navibus quas in portu deprehenderat exuſtis, militari ordine ſe recepit & ventum commodum præſtolatus per eaſdem anguſtias, unica tantum navi, quæ vado impingens curſum tenere non potuerat, in ipſis portus faucibus, nautarum potius deſidia, quam hoſtium virtute amiſſa, ovans diſceſſit.

Her.d.4, l.5.c.3. Secundum locum obtinet municipium *S. Germani*, olim *nova Salamanca*, in quod ut jam dixi *Guanicæ* incolæ commigrarunt; diſtat à littore Occidentali leuc. IV, à Metropoli verſus Africum xxx: exiguum oppidum & parum munitum, ideoque aliquoties à Gallis direptum; ad mare ſtationem tantum habet, eamque incommodam & malefidam, ubi *Guaorabo* amnis effluit.

Tertium oppidulum *Arrezibo* dicitur, xxx circiter leuc. à Metropoli ſitum verſus Occidentem.

Sunt prçterea in hac inſula nonnulli pagi & varia prçdia (*Eſtancias* Hiſpani vocant) & incolæ, prout res Americanæ ſe habent, ſatis frequentes, ſiquidem anno cIↄ Iↄ xc referente illius præfecto *Didaco Meneſio de Valdes* in hac inſula mille quingenti cenſebantur, qui arma ferre poterant & inter eos octuaginta equites; præter milites quos Rex ſuis ſtipendiis alebat, pene ducentos. Alij minorem longe numerum produnt & vix mille quingentas animas in tota inſula reperiri autumant.

Cap. III.

Portus & ora maritima Inſulæ S. Ioannis; *& de* Mona.

Pavcos pro ſua magnitudine habet portus, raraſque & infidas ſtationes: quia mare quod ſeptentrionale latus cingit vorticoſum eſt, & tota illa plaga aquilonibus expoſita; ne tamen quicquam temere prætermiſiſſe videar, oram maritimam à Portu Rico legam & portus ſtationeſque proſequar, ordine quo jacent: ad orientem ergo illius primus portus appellatur *Luiſa*, ſive à fluvio qui ibi exit nomen acceperit, ſive ipſi dederit: alter *Canobæ*; tertius *la Cabeca* ad orientalem angulum qui ſeptentriones adſpicit, cui eminentiſſima juga montium *del Loquillo* imminent. Hinc littus verſus auſtrum flectitur, in ora autem hac quæ orientem adſpicit, duo tantum portus occurrunt *S. Iacobi* & *Yabucoa* trium circiter leuc. intervallo diſcreti. Obja- cap.18. cent huic orientali Inſulæ plagæ variæ inſulæ, quas communi nomine *Virgines* appellant, dequibus ſuo loco poſtea dicturus ſum: capiti porro auſtrali hujus lateris inſula exigua *Boyque*. Hinc jam ora verſus occidentem retrocedit, auſtro expoſita; primoque aperit portum *Guayamæ*; ſequuntur deinde fluvii *Neabon* & *Xavia*; & ſex à poſteriore hoc leuc. *Guadianillæ* portus, eique magis verſus Occidentem leuc. amnis quem vulgo *de Moſquites* vocant, & paulo ulterius *Guanica*; & ſex ab hoc leuc. Occidentale inſulæ promontorium *Cabo Roxo*, auſtralem hanc plagam terminans: juxta quod ſalinæ aliquot ab Anglis obſervatæ: huic auſtrali plagæ etiam inſulæ aliquot obverſantur, exiguæ admodum, *Santana*, *Haberianæ* atque *Bomba del infierno*. A promontorio Roxo ora ab auſtro ad arctum revertitur & littoribus paulatim recedentibus, ſinus in modum incurvatur, & primo portum *de Pinos*, deinde *de Mayaguez* & paulo ulterius ſinum *S. Germani* veteris pandit, qui navigantibus peropportunus eſt ob vicinam vallem optimorum Auranciorum, limonum & ſimilium feraciſſimam: ſequitur ad eandem plagam *Guanabo* fluminis oſtium, quod ab aquandi opportunitate *Aguadam* vulgo nominant; dein & *Guahataca* portus haud longe ab altero Occidentali promontorio,

montorio, quod ſeptentriones reſpicit. Occidentali huic inſulæ lateri objacet *Mona* modica inſula ad altitudinem XVIII grad. aut paulo minus, & altera hac minor vulgo *Monico*. *Mona* æquali pene intervallo inter inſulam hanc S. Ioannis & Hiſpaniolam interjacet, illi tamen propior; tres leucas aut paulo plures ambitu ſuo complectitur, plano atque humili ſolo, & (uti à noſtris obſervatum invenio) ſalſo & maxima ſui parte petroſo; verſus Septentriones tamen nonnihil aſſurgit: non habitatur, licet arboribus frugiferis referta ſit & optimos fructus ferat, præſertim aurantia mala mole & bonitate præſtantia. Objacet huic plagę altera inſula vel potius ſcopulus, *Zaccheo*, pene è regione Guahatacæ, volucrum tantum ſtatio. Ab occidentali promontorio quod arctum reſpicit, redit ora verſus ortum, in qua ſunt fluminum aliquot oſtia & nominatim *Camay*, *Cibuco*, *Bayamon* atque *Toa*, quæ duo poſteriora in ſinum atque portum Metropoleos influunt, à qua hanc oræ maritimæ deſcriptionem inchoavi.

Mona.
Zaccheo.

HISPANIOLA.

CAP. IV.


Inſulæ Hiſpaniolæ ſitus, magnitudo, animalia, fructus, &c.

INSULA olim indigenis atque accolis *Ayti* & *Quiſqueia* dicta, quam *Columbus* prima ſua expeditione adivit, jacet intra decimum octavum & vigeſimum gradum altitudinis ſeptentrionalis; forma eſt fere triangulari, orientalis quippe illius pars in obtuſum angulum faſtigiatur, occidentalis autem in duo veluti cornua divaricata ſinum amplum in ſe admittit. XV aut ut alijs placet XVIII leuc. declinat ab inſula S. Ioannis quam modo deſcripſimus verſus Occidentem, qua breviſſimus eſt trajectus. Ampliſſima inſula & quæ ad CCCC leuc. ambitu ſuo complectitur; centum & quinquaginta ut conſtans eſt opinio, longa; ubi anguſtior XXX, ubi latiſſima pene LX leuc. (uti ab Hiſpanis, licet nequaquam veriſimile ſit, proditur) patens. Aëris temperies hic calidior eſt & vehemens æſtus matutinus, qui ſtatim à meridie ab aura maritima (*viraſon* peculiari nomine vocant Hiſpani) ſufflaminatur, à quâ & vapores à ſole ſullevati diſcutiuntur. Solo gaudet admodum fæcundo, lætiſſimiſq; paſcuis, quo fit ut incredibilis hodie hic equorum, taurorum, vaccarumq; porcorum, aliorum animalium ſit copia, quæ paſſim per campeſtrią ſiluaſq; vagantur, incerti dominij; ab iis qui ea venantur & tergorum tantum cauſa ut plurimum necant, occupantur; carnes ſub dio volucribus relinquunt & canibus, qui carnium eſu ita efferantur, ut inſtar luporum jam hominibus terrori eſſe cæperint, & non leve damnū animalibus inferant; præſertim porcis, qui hic optimi habentur, propter fructuum quibus veſcuntur abundantiam & bonitatem. Atque hæc animalia ab Hiſpanis huc traducta, nam olim Inſula paucas tantum quadrupedum ſpecies alebat; *Hutias* nimirum, animalculum noſtris cuniculis non multum diſſimile, ſed paulo minus, & brevioribus auriculis, cauda talpę; Dein *Chemi* eiuſdem pene formæ, ſed paulo majores: & *Mohui* animalculum hutijs paulo minus; & *Cori* cuniculis magnitudine par, ore talpam referens, ſine cauda, cruribus brevibus & valde delicatis, colore interdum albo, aliquādo nigro, ſed quam plurimum ex utroq; mixto; domeſticum animal & valde cicur: habebant præterea canum quandam ſpeciem ſatis elegantem, ſed plane mutam, quibus in venationibus utebantur. pauciſſima horum animalium hodie ſuperſunt, quum aliunde invecta tantum incrementum ceperint. Licet non deſint angues variique ſerpentes in hac inſula, tamen conſtans opinio eſt, nullos aut perpaucos eſſe venenatos aut noxios. Sed vermiculorum quoddam genus tum hic tum alibi quoque reperitur, hominibus valde infeſtum, (*Niguas* vocant) quod in pulvere degens & pulicum inſtar ſaliens, ijs qui nudis pedibus incedunt, maxime eſt moleſtum, quippe digitis pedum ſeſe inſinuans, inter cutem & carnem ſemina ſua jacit, tanta fæcunditate, ut ubi ſemel ſe intruſerit vix evelli poſſit & ſæpe non niſi cauteriis aut artuum detruncatione ſuperetur. Fidem prope ſuperant quæ ab Oviedo atq; alijs narrantur *de Cucuyo* è Scarabeorum genere, cujus ocelli atque latera, ubi alas ſuas deducit, tantum lumen emittunt ut noctis tenebras haud ſecus quam candelæ illuſtrent & hominibus legendi ſcribendique copiam

Her. d. 1. l. 3. c. 3.
Acoſt. l. 4. c. 13.
Her. d. 1. l. 5. c. 11.

piam faciant; Indigenæ olim hoc animalculo non modo ad tenebras illuminandas ſed & ad *Niguas* fugandas utebantur.

Inter piſces edules excellunt *Manati*, qui non tantum in mari ſed & in amnibus atque paludibus reperiuntur; piſcis eſt utri ſimilis, duobus duntaxat pedibus ad humeros præditus, rotundis inſtar elephantinorum, quibus non tantum natat ſed & in terra



repit; unguibus quatuor; capite taurino aut vitulino (unde noſtrates vaccam marinam vocant) parvis oculis, quos claudit atque diducit, cute ſpiſſiore & quibuſdam pilis fuſcis aut ſubcinereis interſtinctâ; ab umbelico ad caudam gracileſcit, varia mole corporis pro ætate, nam interdum viginti & plures pedes longi reperiuntur: fæmellæ vaccarum more pariunt, binaque habent ubera quibus fætus ſuos lactant: caro illius magis terreſtris animantis quam aquatilis eſſe videtur, & recens non male refert vitulinam; ſale autem condita Thynnorum, niſi quod gratioris ſit ſaporis & diutius ſervetur; etiam fumo eam indurant aut ad ſolem exſiccant: pinguedo illius optima eſt neque rancedini obnoxia, atque ad varios uſus etiam mechanicos adhibetur: in capite illius lapilli reperiuntur, qui adverſus calculum renum ſummopere commendantur. Iconem illius è Cluſij Exoticis exhibemus.

Oviedus occaſione hujus *Manati* & alterum piſcem deſcribit oræ hujus inſulæ perfamiliarem; palmum longum, aſpectu fædum; ſquamas quippe habet graduum inſtar diſpoſitas, tenuiſſimis quidem ſed validis & acutis ſpinis præditas, quæ per totum ſuperius corpus ſparguntur, præſertim à capite per dorſum ad mediam corporis partem, ventre glabro: & quia dorſo ſe aliis piſcibus affigit dum illos venatur, *Reverſum* ſive *Inverſum* vocant: boni eſt ſaporis, & inter optimos qui in hoc mari capiuntur, ſicca & firma carne præditus, minimeque viſcosâ. Scribit porro Inſulanos ſolitos fuiſſe hujus generis piſces ſeponere atque nutrire, eiſque ad alios piſces capiendos uti in hunc modum: Inverſum tenui ſed valido funiculo alligatum è cymba in manatos aut alios piſces opportune emittunt, ille ſumma celeritate in piſces, quantumvis ſe longe majores, facit impetum, eorumque ventri aut lateri ita ſeſe affigit, ut una cum ipſo ſenſim in ſiccum attrahantur. *Vlyſſes Aldrovandus* lib. III de piſcibus, iconem hujus piſcis exhibet, ſed quæ cum Oviedi deſcriptione parum conveniat. Meminit & *Rondeletius* lib. XV. cap. XVIII & Cluſius in Exoticis.

Arborum varias ſpecies producit hæc Inſula, quarum quaſdam commemorabo.

Ovied. l.8.c.12. *Anzuba*, vaſta pulchraque arbor, materie firma atque utili; fructum fert ſuaviſſimum, pyris apianis ſive muſcatellinis parem, verum ſucco lacteo atque viſcido inſtar ficus immaturæ, itaque fructus veſcentibus ingratior, niſi prius aqua maceratus, ſuccum hunc exſudarit. Naſcuntur item hic uti & in variis Americæ inſulis & provinciis

Idem lib. 8.c.18. fructus, quos à quadam pineæ nucis ſimilitudine vulgo *Pinnas* vocant; nam licet ſquamas non habeant, aut corticem ligneum, tamen exterius cortex earum in eundem modum videtur diſtinctus: uti autem ſucci bonitate & ſuavitate reliquos fructus antecellunt, ita & color illis pulcherrimus eſt è luteo vireſcens, viriditate paulatim per maturitatem evaneſcente: odor quoque jucundiſſimus, qualis fere in eo malorum Perſicorum genere, quod Itali & Hiſpani Melocotone appellant; magnitudo illi vulgaris melonis. Naſcuntur hi fructus ſinguli ex cardui genere aſpero & ſpinoſo,

ſpinoſo, oblongis foliis, è quorum medio proſilit caulis rotundus unicum ferens fructum, qui poſt decimum aut duodecimum menſem demum matureſcit: eo ſublato nullum præterea fert fructum,plantaque tanquam inutilis abjicitur. In extremo fructu interdum & extremo caule ſub fructu, enaſcuntur germina quædam quæ fructui decorem addunt, & ſunt veluti ſemen illius, panguntur enim tres ſubter terram digitos ita ut media pars extet, atque ita & radices agunt & fructus ferunt ſuo tempore. Tres hujus plantæ ſpecies numerant: quarum prior ab incolis *Iaiama*; altera *Boniama*: tertia *Iaiaqua* vocatur. Poſterior carne eſt candida, ſapore vinoſo verum acidiore: *Boniama* dulci & quodammodo fatuo: *Iaiama* reliquis oblongior carne fulva, ſapore ſuavi & cæteris longe præſtans. Per omnium carnes ſparſæ ſunt quædam fibræ tenuiſſimæ, quæ licet inter edendum palatum non offendant, gingivas tamen lædunt ſi quis crebrius illis veſcatur. Maturus fructus tantum quindecim aut ad ſummum viginti dies durat. Deſcriptio hujus plantæ quadrat ad amuſſim cum deſcriptione Ananas: ſed quem in Peruvia pinnam vocant, longe alius eſt fructus, ut ſuo loco dicetur. Sunt & aliæ quamplurimæ hic arbores, ſed cum cæteris & continenti pene communes, niſi quod quædam hic delicatiores quam alibi fructus ferant, uti *Plantani*, quos propterea *Dominicos* vocant. Reperitur & hic *Quauhconex* arbor mediocris, craſſo trunco, materie ſolida ac dura, odorata, quæque diu incorrupta manet; foliis mali granatenſis; flore minuto albo; fructu ſimili pene baccæ lauri. Corticem hujus arboris minutim concidunt, & quatriduo macerant in aqua, dein exemtum ſoli exponunt, & ubi incaluerit prælo exprimunt liquorem Balſamo admodum ſimilem & ad varia utilem. Porro Piperis Americani vel Siliquaſtri quod hic & alibi Axi vocant & in Nova Hiſpania Chilli, plures ſpecies hic inveniuntur; quarum una dicitur *Carive* ſive Axi-montenſe, cujus ſiliqua omnium quidem minima eſt,ſed ſemen calidiſſimum & pene cauſticum: altera *Huarahuac* cujus ſiliqua viridior eſt; tertia *Axi blanco*: quarta *Açafran axi*, quia croceum colorem addit condimentis, ſiliquâ oblongâ: quinta *Axi coral*, ob coloris elegantiam, oblonga itidem ſiliqua; & ſimiles ſpecies; quarum icones videre eſt apud Cl. V. Carolum Cluſium in curis poſterioribus. *Yuca* autem (cujus radicibus pro farre utuntur Americani) hic omnium lætiſſime naſcitur; nam Maizium non minus quam triticum raris etiamnum hujus inſulæ locis colitur, & maxime frigidioribus. Paſcua hic quoque à Guaiabis arboribus corrumpuntur. Duæ vero plantæ exoticæ maximum hodie incolis emolumentum adferunt; Sacchari Cannæ & Gingiberis radices: niſi quod hæ præ nimia copia pene viluerint; nam anno cIↃ IↃ LXXXVII ſupra viginti duo millia quintalium (ponderis genus eſt apud Hiſpanos CXXV aut plures noſtrates libras æquans) Hiſpalim advecta teſtatur *Acoſta*: l.4.c.32. eodemque anno ad nongentas Sacchari ciſtas traductas, ut hujus quoque proventus inde æſtimari poſſit.

Fodinæ plurimæ in hac Inſula, auri quidem celeberrimæ in provincia *Cibao*, his proximæ S. Chriſtophori nomine notæ, aliæ; argenti quoque, æris, ferri; verum foſſorum inopia omnes jam dudum neglectæ ita ut æneis nummis incolæ jam utantur.

Multa millia Indigenarum alebat Inſula, quum primum Hiſpani hic adpellerent, ſtatura corporis breviori, colore fuſco, comâ capitis nigrâ, reliquo corpore depili; viri pariter atque fœminæ nudi incedebant aut pudenda leviter velati: ſed omnes jam à multis annis, Hiſpanorum ſævitia, inedia variiſque morbis penitus conſumti ſunt. Hiſpanicæ quoque originis incolæ, pro magnitudine Inſulæ pauci; pars magna in Continentem aut alias Inſulas majoris lucri ſpe commigravit; licet hæc aëris ſalubritate, ſoli fœcunditate, omnium fructuum abundantia & præſtantia, cæteris & maximæ parti Continentis longe præcellat.

CAP. V.

Provinciæ & flumina hujus Inſulæ præcipua.

HISPANIOLA ſuperioribus ſeculis in plurimas provincias diviſa erat, quæ peculiaribus regulis parebant; quarundam nomina jam obſoleta, quædam etiamnum perennant. Ad orientalem angulum, qui S. Ioannis inſulam adſpicit, *Hyguey* provincia ſita eſt, fere tota montenſis, planis in edito jugis, aſcenſu

Her.d.1. l.6.c.8. perdifficilis & aſpera ob creberrimas rupes quæ planiciem illam occupant,inter quas tamen gleba quædam rubra per intervalla ſe oſtentat, Yucæ aliarumque frugum, & præſertim melonum feraciſſima. *Iacuaguia* huic contermina erat & magis verſus boream *Samana* ſinum ejuſdem nominis admittens; & ad eandem plagam *Ciguay*. Secundum auſtrale inſulæ latus, latè patet *Yaquimo* octuaginta pene milliaria ab oppido S. Dominici, ligni Braſilii ferax, unde nomen ipſi quondam à Columbo inditum Her.d.5. l.2.c.6. *Puerto de Braſil.* Hanc ſequitur *Baoruco* aſperrima provincia, & acceſſu perdifficilis præſertim jumentis, ob altiſſimos & præruptos montes, pabulique inopiam: Indigenarum,qui Inſulano quodam duce(Henricum nominaverant Hiſpani)jugum Hiſpanorum excuſſerant, quondam tutiſſimus receptus, ita ut non niſi æquiſſimis condicionibus inde deduci & ad quietem componi potuerint. Ad extremum pene angulum occidentalem *Haniguagya* jacet, plana & amœna provincia,præſertim qua Mare attingit. Sinui autem interiori,quem ad hanc plagam inſula recipit, inter duo notiſſi- lib.5.c.5. ma promontoria Tuberonis & S. Nicolai, *Xaragua* prætenditur, goſſypii feraciſſima, cui Columbi temporibus Bohecius imperabat. In hac provincia, Lacus ab Oviedo celebratur, duas leucas à mari remotus, haud longe ab oppido Iaguana; XVIII leuc. Orientem verſus in longitudinem excurrens, tres primum, mox duas leucas latus, & ſenſim ſe anguſtans; ſalſus inſtar maris,à quo per occultos terræ meatus oriri creditur, & eoſdem cum mari piſces nutriens: haud procul ab illius ripa mons Salis ſe erigit,optimi atque pellucidi inſtar cryſtalli, quare ab Oviedo ſummopere commendatur, & catalaunico comparatur. Huic provinciæ ad aquilonem contigua eſt *Guahaba*, ad Occidentem *Cahaya*, cujus indigenas inter omnes inſulanos forma atque induſtria excelluiſſe ferunt. Hiſce proxima erat ad Septentrionale Inſulæ latus provincia *Marien,* in quam Columbus primum deſcendit, & Navidad oppidum condidit, brevis Her.d.1. l.2.c.10. ævi. Mediterranearum provinciarum potiſſima erat *Cibao*, aurifodinis dives,rupibus & montibus aſpera, multiſque arboribus, præſertim excelſis pinis obſita, multis torrentibus & rivulis rigua,aëre denique ſupra modum ſalubri. Huic proxima eſt campeſtris illa, paſcuiſque lætiſſima provincia quæ ipſis *la Vega Real* dicitur, cui Columbi tempore, Guarinoex imperabat, leucas ut plerique tradunt LXX longa, XX & amplius lata, montibus undiquaque clauſa, è quibus limpidiſſimi torrentes ſeſe in campos effundunt. Hanc ad occidentem attingit *Maguana*, pene in meditullio Inſulæ ſita, inter duo maxima flumina Neybam atque Yaquen: huic præerat Caonabo omnium Inſulanorum potentiſſimus. Inter flumina principem locum ſibi vindicat Ovied. l.6.c.7. *Ozama*, urbem S. Dominici præterfluens, maximarum navium patiens, quæ oſtium illius ſubeuntes ad ipſam urbem appellunt & ibidem onera ſua exponunt: aquæ tamen illius non niſi ſupra urbem dulces & potui aptæ, & optimorum piſcium fæcundæ ſunt. Huic proximus loco & dignitate *Neyba*, qui ad auſtralem inſulæ plagam in mare ſeſe exonerat, alveo ſub exitum ſatis profundo, ſed ubi paulum aſcenderis vadoſo. Succedit *Nizao* alveo nec admodum lato nec profundo, verum amœnitate ſoli, quod interluit, & paſcuorum, quæ rigat, abundantia nobilis, cannarum denique ſacchari altura dives. Neque prætereundus eſt *Nigua* exiguus quidem amnis, ſed terrarum ubertate & villarum adjacentium frequentia nulli ſecundus. Atque horum quidem amnium *Nigua* quatuor, *Nizao* novem aut decem, *Neyba* pene triginta leuc. ab urbe S. Dominici verſus occaſum Oceano ſe miſcent. Verſus eandem cœli plagam in eodem Inſulæ latere *Yaquimo* fluvius in mare evolvitur è *Boaruco* provincia deſcen- Ovied. l.3.c.10. dens. Ad orientem vero ab eadem urbe, in hoc latere *Hayna* effluit, lento quidem decurſu, ſed aquarum ſalubritate & prædiorum frequentia cæteris præſtans; eique vicinus *Yuna* è Bonao territorio proluens. Ad Occidentale Inſulæ latus *Hatibonico* celebratur, optimos piſces nutriens,paſcua atque arva fœcundiſſima rigans, pluresq; minores amnes admittens. In Septentrionali latere ſeſe exonerat *Yaqui* ſive *Iache* haud procul à Monte Chriſti, inſignis fluvius, qui magnum terrarum ſpacium perrmenſus, multos rivos atque torrentes devehit in Oceanum. Atque hi quidem præcipui hujus Inſulæ fluvii, nam omnes commemorare longum eſſet: auriferos tantum addo, inter quos primus eſt *Nicayagua* qui Cibao provinciam interſecat,alios tres minores *Buenicum*, *Coatenucum*,& *Cibum* admittens: Secundus *Xaniq*, ejuſdem provinciæ, cui olim arx S. Thomæ erat impoſita,dum auri copia ſuppetebat, culta, nunc penitus deſerta.

Cap. VI.

Oppida olim Hiſpanis habitata; Metropolis S. Domingo.

CHriſtophorvs Colvmbvs prima ſua expeditione ad hanc Inſulam delatus in provincia *Marien*, cui tum Guacanagary regulus præerat, è navis ſuæ, in ipſo portu nautarum incuriâ fractæ, tabulis exiguum munimentum ſtruxerat, *Navidad* nomine; & triginta novem ſuorum ſub præfecto Didaco de Arana ibidem relictis in Hiſpaniam redierat: verum ſecundâ ad eundem portum reverſus, quum ſuos mortuos, & caſtellum ab Inſulanis exuſtum reperiſſet, alibi ſedem figere conſtituit, & orientem verſus navigans, aliquot leuc. ſupra Montem Chriſti, urbem *Iſabellam* condidit, ad ripam fluminis & non incommodum portum, licet adverſus Cori violentiam haud ſatis tutum, in fertili ſolo & cœlo valde ſalubri, xx circiter leuc. ab aurifera illa provincia Cibao, nec procul à campeſtri illa regione quam ſupra la Vega Real appellari monuimus. Sed neq; hæc urbs diu duravit incolis illius ad urbem S. Dominici paulo poſt traductis, ſicuti nec complures aliæ urbes, primis illis temporibus tum ab ipſo Columbo, tum ab aliis præfectis conditæ. Nicolaus enim de Obando in Xaragua provincia urbem condidit *Verapaz*, poſtquam Regulum illius provinciæ & Anacoanam illius Germanam, præcipuamque nobilitatem, exquiſitis ſuppliciis, inaudita crudelitate è medio ſuſtuliſſet; quod facinus, licet Iſabella Hiſpan. Regina ægerrime ferret, Obandus tamen impune tulit. Idem & aliam urbem in Haniaguiaga condidit, *Salvæ terræ de la Zabana* nomine, xii circiter leuc. à promontorio Tuberonis. Item tertiam in Maguana, inter duos amnes Neybam & Yaquin, *S. Ioannis de la Maguana* titulo: Quartam porro in Yaquini provincia prope portum de Braſil, quam *Villam novam de Yaquimo* appellavit, & caſtello munivit: Quintam deniq; *Bonao* haud procul ab eo loco ubi nunc Cotuy jacet. Quæ omnes intra paucos annos defecerunt, niſi quod templum S. Ioannis de la Maguana adhuc ſuperſit, & ruinæ caſtelli villæ Novæ de Yaquimo hodieque viſantur. Sed de his brevis ævi oppidis plus ſatis.

Her.d.1. l.1.c.18. — Her.d.1. l.2.c.10. — Her.d.1. l.6.c.4.

Metropolis hujus Inſulæ *San Domingo*, quum anno cIↄccccxciv à Bartholomæo Columbo primum conderetur, novæ Iſabellæ nomen tulit, Iſabellæ veteris civibus, uti diximus, eo traductis: ædificata autem erat ad Orientalem Ozamæ ripam, qui inſignem illi portum largitur; Verum quum anno cIↄ Iↄ ii pleraque hujus urbis ædificia horrenda tempeſtas & terræmotus ſubvertiſſent, Nicolaus de Obando qui tum Inſulæ præerat, illam ad oppoſitam ripam tranſtulit, conſilio, ut quibuſdam viſum, haud ſatis provido, nam quum Sol exoriens, vapores noctu è flumine elatos, in oppidum impellat, inſalubrior effecta eſt; & quum fontibus deſtituatur, aquam potabilem trans flumen petere coguntur oppidani, magno ſæpe diſcrimine, quum flumen vi ventorum aut refluo æſtu intumeſcit. Urbs alioquin plano loco ſita, elegantiſſimis ædificiis quæ fere è lapidibus ſunt ſtructa, ornata, muroque cincta eſt: nec non latis campis & lætis paſcuis circumdata, una è melioribus civitatibus totius Novi orbis judicatur. In ea præter Gubernatorem totius Inſulæ, Cancellariæ regiæ Auditores, ærarii Præfectus, aliique regii miniſtri commorantur. Cathedrale habet Templum (cui præſidet Archiepiſcopus, Suffraganeos habens Epiſcopum Conceptionis de la Vega in hac Inſula; Epiſcopum S. Ioannis de Portu Rico: Epiſcopum Cubæ inſulæ; Epiſcopum Venezuelæ è regione in continente ſitæ; atque Abbatem Iamaicæ:) monaſteria aliquot Dominicanorum, Franciſcanorum, & de la Mercede; & duo Nonnarum clauſtra: Scholam quoque in qua Grammatica docetur, quatuor millium, & Xenodochium viginti millium ducatorum, reditu annuo dotatum: Monetam regiam: Caſtellum denique ad occidentalem portus angulum pro conditione illarum regionum ſatis munitum. Superiori ſeculo valde floruit, commerciorum opportunitate & navium appellentium frequentia, ſed poſtquam Nova Hiſpania & haud multo poſt Peruvia Hiſpanis innotuerunt, ſenſim ſplendorem ſuum amiſit, numero civium & commerciis multum imminutis, ita ut fatentibus Hiſpanis haud ſupra ſexcentas familias Hiſpanienſium complectatur; longe autem plures Nigritæ tam in ipſa urbe quam ſuburbiis habitant, & mulati (ut vocant) non pauci, denique è Canariis inſulis advenæ,

Her.d.1. l.3.c.5. — d.1.l.5.c.4

Hiſpanis

Hiſpanis numero pene pares; nec tamen omnium civium numerus duo millia capitum multum ſuperare creditur.

Anno Domini cIↄ Iↄ LXXXVI hæc civitas à fortiſſimo Equite Anglo Franciſco Draco vi capta, & bona illius pars ſolo æquata fuit in hunc modum: Novem aut decem milliaria Anglica ab urbe verſus Occidentem, milites circiter mille ducentos expoſuerat Dracus, qui uno agmine ab hora octava matutina ad primam poſt meridiem, in conſpectum uſque oppidi progreſſi, equitatum Hiſpanum hic obvium facile fuderunt; hinc diviſo agmine duas urbis portas petierunt, eaſque, majorum tormentorum quidem diſploſione impetiti, ſed levi damno accepto, tanta feſtinatione irruperunt, ut Hiſpani ſe recipere, & ex adverſa porta ſe ejicere cogerentur: Spolia pro fama atque opulentia civitatis minus opima fuerunt, ſuppellex tantum ſplendida & vaſa aliquot argentea à militibus direpta, parum auri aut argenti cuſi repertum, æneorum nummorum abunde. Angli ſtatim in majori urbis area ſe communiverunt, cæteris magnæ urbis ſpaciis cuſtodiendis haud quaquam pares: intercepto mox Caſtello, Hiſpanis ad primum impetum dilapſis, totius urbis compotes, menſem integrum illam tenuerunt, & poſtquam magnam illius partem proſtraviſſent, redemtione pro reliquis domibus accepta, diſceſſerunt. Inter ea quæ ab Anglis hic notata, obſervatu dignum eſt Emblema in pariete aulæ Gubernatoris depictum, nobiliſſimum ambitionis & arrogantiæ Hiſpanicæ monumentum. Globus quippe Terræ hic depictus erat, è cujus diametro equus ſubſiliebat, bona parte corporis extra peripheriam projecta, addita hac ſententia, *Non ſufficit Orbis.*

Cap. VII.

Reliqua hujus Inſulæ oppida hodieque Hiſpanis habitata.

RELIQVA hujus Inſulæ oppida haud ita magni ſunt momenti, quæ hic ordine commemorabimus. Primo *Salualeon* oppidulum in provincia *Hyguey* XXVIII circiter leucis ab urbe S. Dominici verſus ortum, aliquot machinis ad ſaccharum molendum in ambitu inſtructum, & lætis paſcuis gaudens, quæ magnam taurorum vaccarumque copiam alunt.

Deinde *Zeybo* oppidulum in auſtrali Inſulæ plaga XX circiter leucis ab urbe S. Dominici, ortum atque inſulam Saonam verſus.

lib. 6.c.8. Tertio *Cotuy* LX pene leuc. (teſte Oviedo) à Metropoli verſus Aquilonem ad ripam amniculi ejuſdem nominis, olim aurifodinis celebre oppidulum & foſſorum fere domicilium, qui magnam auri vim hic quondam eruerunt, nunc auri venis & operis deficientibus obſcuræ tantum famæ.

Quarto *AZua* ad eandem plagam XXIV mill. à Metropoli verſus occidentem, Sacchari proventu dives oppidum, quod nunc vulgo *Compoſtella* dicitur, & Indorum Nigritarumque pagus illi ſubjacens *AZua*.

Quinto *Iaguana*, alio quoque nomine *Santa Maria del porto*, oppidum ad occidentalem plagam L aut LX leucis à Metropoli, una tantum à littore maris, ubi portum ſatis commodum obtinet ad ſinum illum de quo ſupra diximus; ſuperioribus annis Galli, Belgæque hic mercaturæ gratia appellere ſolebant, & caſſiam ſolutivam (quæ Her. d. 2. l. 5. c. 3. hic abunde naſcitur) tergora, aliaque Europæis mercibus commutare, ſed poſtea edicto regio peregrinis omnibus commercio interdictum fuit. Oppidum haud magnum eſt, tribus plateis & centum quinquaginta ad ſummum ædibus conſtans. Ab Anglis duce Chriſtopho Neoportio anno cIↄ Iↄ XCI interceptum & penitus vaſtatum atque incendio deformatum, an poſtea reædificatum fuerit, mihi non conſtat.

l.3.c.10. Sexto *Concepcion de la Vega* ab ipſo Chriſtophoro Columbo condita urbs XX (aut XXX ſecundum Oviedum) à Metropoli leucis verſus boream; Cathedrale habet Templum cum ſuo Epiſcopo, itemque monaſterium fratrum minorum.

Her.d.1. l.7.c.10. Septimo oppidum *Sant Iago de los Cavalleros* X leuc. à præcedenti oppido recte verſus Boream, læto admodum cœlo atque ſolo, adeo ut inter amœniſſima totius Inſulæ oppida numeretur.

l.4.c.8. Octavo *Puerto de la Plata* ad ſeptentrionalem inſulæ plagam poſitum oppidum; XL leuc. (aut ut Oviedo placet XLV) à Metropoli diſſitum, XX grad. aut paulo amplius ab

ab Æquatore; anno cIↄ Iↄ II auſpiciis Nicolai Obandii præfecti conditum. Commodiſſimum habet portum & caſtello prope littus munitum; ipſum oppidum lateri altiſſimi montis adhærens, commerciorum frequentia & ſitus opportunitate facile ſecundum locum inter oppida inſulæ poſtulat; quippe à campeſtri illa regione leuc. Her.d.1.
circiter x ab oppido Conception xvi à Cibao provincia xii, à Sancto Iacobo xx abeſſe l.5.c.4.
traditur.

Poſtremo oppidulum quod vocant *Monte Chriſto*, ad eandem plagam, xiv leuc. à præcedenti oppido verſus occidentem, cum portu ſatis commodo & Salinis: haud longe ab illo fluvius *Yaqui* deſcendit in Mare; hic quoque noſtrates, antequam edicto Ovied.
regio vetarentur, cum minoribus navigiis ſolebant appellere & taurina tergora aliaſ- l.6.c.6.
que merces commutare. Atque hæc quidem Inſulæ hujus oppida omnino decem, pauca certe pro tanta amplitudine Inſulæ, quæ olim ita floruit (inquit *Herrera*) ut incolarum Hiſpanorum numeraret ſupra xiv millia, magnam partem nobilium; verum Continentis ditioribus provinciis inventis, magna commigratio facta eſt & non modo hujus, ſed & Cubæ, aliarumque inſularum incolæ ad ſummam ſunt redacti paucitatem.

Cap. VIII.

Deſcriptio oræ maritimæ, ſinuum, promontoriorum, portuum Inſulæ Hiſpaniolæ.

Delineationem oræ maritimæ à Metropoleos portu ordiemur: Decem ergo leucarum intervallo verſus occidentem *Nizao* promontorium eminet, à quo ora hactenus humilis & fere plana, attolli & in colles atque altiores montes incipit aſſurgere: pone promontorium ſinus ſe aperit, tribus portubus inſignis; *Portu Formoſo* (ut Hiſpani vocant) xvi à Metropoli leucis, juxta quem jacent ſalinæ copia & bonitate ſalis præſtantes: *Zezepin: Ocoa* denique xviii à Metropoli leucis. In hiſce portubus, præſertim Ocoæ, claſſis Hiſpanorum Novam Hiſpaniam petens anchoras haud raro jacere ſolet, aquandi & annonam comparandi gratia; nam vix milliare unum à littore municipium ſitum eſt, quadraginta aut quinquaginta ædium, omni commeatus genere abundans, & juxta ſe machinam ſacchari habens; quod Angli anno cIↄ Iↄ xci duce Chriſtophoro Neoportio diripuerunt, magna vi ſacchari inde abducta. Sequitur ad eandem plagam *Azuæ* portus xxv leuc. à Metropoli verſus occidentem. Hinc terræ quidam angulus prominet *la Calongia* vulgo dictus, è regione Inſularum *Beata* & *Altovelo*, atque ora ſeſe ſubducens verſus Corum, ampliſſimum admittit ſinum ita ut angulum iſtum prætervecti nullas terras ante ſe conſpiciant.

Triginta quatuor hinc leucis verſus occaſum (aut ut alibi Herrera teſtatur lxxx d.1.l.5.
à Metropoli, licet ratio haud ſatis conſtet) *Yaquimo* portus occurrit, ubi quondam c.5.
oppidum fuit, & Caſtelli rudera adhuc viſuntur; xl porro leuc. magis ad occidentem provectos *Zabanæ* portus excipit, & promontorium *Bacoa* vaſto octo pene leucarum collo in altum ſe projiciens, cui inſula Abaque objacet, de qua mox dicam. Sunt & alii quidam ſinus & portus, ſtationeſque ab Hiſpanis notatæ, atque à noſtratibus obſervatæ, quas conſulto omitto. Auſtrale hoc inſulæ latus claudit celebre promontorium Tuburonis, ſub quo ſtatio navibus ſatis commoda, *Aligato* Hiſpanis dicta, Anglis & noſtratibus nota, quum Hiſpanicis navibus inſidiari volunt. Hactenus ora ad occidentem pertinet; xii autem à promontorio Tuburonis ut Hiſpanis, vel potius viii ut noſtris placet, verſus arctum aliud promontorium occurrit vulgo *de Donna Maria*, à quo littus in orientem retroflectitur *Xaraguam* uſque, indeque rurſus verſus Corum magno ambitu excurrit ad promontorium *S. Nicolai* magnum illum ſinum admittens, in quo minores aliquot inſulæ ſparguntur, & quidem haud procul à littore quod ingredientibus dextrum eſt, *Caymito* (nam minutiores prætereo) diſtans à promontorio Mariæ xii aut xiii leuc. à quo ad occidentalem angulum *Guanabo* inſulæ oblongioris & partim editæ, quæ in interiorem ſinum procurrit, viii aut ix ſunt leucæ; & ab hoc angulo pene totidem ad promontorium S. Nicolai: id

id alterum hujus Inſulæ promontorium verſus occidentem, diſtans ab æquatore grad. XIX & ſcrupul. XL aut L. declive eſt verſus mare, & ſinum intra ſe concludit, qui tutiſſimam & commodiſſimam ſtationem navibus præbet, & inſignem aquandi opportunitatem. Haud longius XII leuc. intervallo ab orientali Cubæ promontorio abeſſe conſtanter affirmant noſtri, licet Hiſpani octodecim prodant. Ab hoc porro littus quod ſeptentriones adſpicit verſus ortum legentibus, portus *Valparayſo* occurrit, inſulæ *Tortugæ* occidentali cornui oppoſitus; hîc fluvius exit aquationi valde idoneus. XXIII dein milliaria ad orientem profectis (ut à noſtris obſervatum) obvia fit *Manzanilla*, ampliſſimus ſinus & longo latoque ambitu intra terras ſe recipiens, & ob aliquot amnium exitum aquationi peropportunus; Columbus ex dignitate loci *Portum Regalem* appellaverat, quod nomen adhuc circa ſinus initium obtinet: angulum illius ſiniſtrum *Mons Chriſti* claudit, humili littore veluti aggere Continenti connexus, ita ut è longinquo intuentibus inſula videatur. XII ab hoc verſus ortum leuc. olim urbs *Iſabella* ſtetit, nunc ſuo nomine modicum portum ſignans; & totidem vel quod magis veriſimile IX ab hoc, *Porto de Plata*. Hactenus littus recta orientem petit, hinc jam verſus Eurum ſenſim ſe incurvat, & inter duo promontoria *el Frances* & *del Cabron* ſinum admittit, qui initio ſui latior, mox anguſtior in acutum angulum deſinit, ſeptentrionibus è directo expoſitus, ideoque intutior; niſi quod ad orientalem plagam minorem ſinum pandat (Scotorum vulgo) ab aquilonibus ſatis defenſum. Supra promontorium *del Cabron* longe amplior ſinus patet, ſed minus profundus, à provincia quam alluit *Golfo de Samana* nunc, Columbo olim *de las Flechas* vocatus, quia Hiſpani hic primum hoſtilia ab Indigenis paſſi, ſi non ipſi fecerunt. Sequitur eodem tractu promontorium *del Enganno* orientale hujus Inſulæ caput, à quo ora leniter verſus Africum recedit ad angulum provinciæ Higuey, & deinceps recto ductu ad occidentem tendens, aliquot modicis promontoriis & ſinubus interſecta ad portum S. Dominici revertitur.

Saona.
Hiſpaniola præterea aliquot minoribus inſulis cincta eſt, quarum orientalior *Saona* diſtans ab æquatore XVII grad. & XL ſcrupul. freto haud ſupra duas leucas lato & paulo plures longo à majori inſula dirimitur; urbis S. Dominici olim quaſi horreum ob abundantiam Cazabi, quo farris loco utuntur inſulares: verum indigenis omnibus
Her.d.1. l.6.c.9.
deletis anno CIↃ IↃ II ab Hiſpanis, poſtilla penitus deſerta jacuit: cæterum ſolo eſt humili & denſis ſylvis obſito, ita ut è mari proſpicientibus arbores prius quam terra conſpiciantur: mare tamen ſatis altum nulliſque brevibus aut rupibus contaminatum, ſtationem ſatis tutam, & ipſa inſula ob pabuli copiam & fructuum bonitatem
S. Catalina.
multorum animalium altrix, navigantibus large commeatum ſubminiſtrat. Huic haud longo intervallo proxima eſt Inſula *S. Catalinæ*, arboribus nuda, parva atque humilis, multiſque cautibus aſpera, tamque anguſto freto à majori inſula diviſa, ut non niſi à prope accedentibus percipiatur. Atque hæ quidem ad orientem à portu
Beata.
S. Dominici: ad occidentem primo obvia eſt *Beata* XXXV leuc. à dicto portu, duas à majori inſula ſeparata, ad altitudinem graduum XVII & paulo amplius, humili ſolo & denſo luco opaca, quem optimum lignum Guajacan gignere teſtatur Oviedus.
Altovelo.
Huic ad auſtrum alia minor obtenditur, *Alto Velo* vulgo, orbicularis fere & parte ſua orientali paulum aſſurgens, cætera depreſſior, nigro ſolo. Nec procul inde tres non tam inſulæ quam ſcopuli *los Frailes* vulgo, navigantibus cavendi. Ad eandem inſulæ
Abaque.
plagam *Abaque* aut *Baque* jacet (noſtri vulgo inſulam vaccarum vocant) XLIII leuc. à Beata, parva, humiliſque, ſed arboribus plena, nec animalium inops, ideoque navigantibus gratior. Sita eſt ad altitudinem octodecim graduum & quadraginta quinque ſcrupulorum, uti à noſtris accurate fuit obſervatum; unum milliare longa inter
Navaza.
ortum & occaſum, & tertiam partem milliar. lata. *Navaza* denique perparva inſula & rupibus aſpera, humili tantum fruticeto vireſcens; X pene leuc. ultra extremum hujus inſulæ cornu vergit in occidentem, XVIII grad. ab æquatore verſus arctum: Inter novi orbis mirabilia recenſetur fons, qui media ab hac leuca in ipſo pelago XVI ad minimum pedes alto, tam valide ſcaturit, ut latices illius dulces è mediis fluctibus
Tortuga.
hauriantur. Septentrionali plagæ prætenditur *Tortuga*, modico freto à majori inſula diremta, oblonga ſitu & media ſui parte gibboſa: plurimi in hac inſula porci reperiuntur, unde & apud noſtros nomen invenit, qui vulgo Inſulam porcorum vocant.

CVBA.

CUBA.

CAP. XI.

Cubæ Inſulæ ſitus, cœli ſolique qualitates, Arbores, Animalia.

CVBA Hiſpaniolæ ad occidentem proxima, ab Hiſpanis quidem primum Iuana in Reginæ gratiam, dein & Fernandina fuit dicta, hodie tantum Cuba audit, cæteris nominibus obliteratis. Ad ſeptentriones primum aliquot inſulas objectas habet, & intutum vadis atque brevibus mare, deinde Floridæ continentem, ad occaſum ſatis lato freto à Nova Hiſpania dividitur: ad auſtrum L circiter leuc. intervallo ab Americæ continente, qua Yucatana peninſula procurrit, alibi autem plurium: ab Inſula Iamaica haud pluribus quam viginti leucis diſtat: ab Hiſpaniola, ut ſupra diximus, multo paucioribus. Patet in longitudinem à promontorio *Mayzi* quod illius extimum ad ortum, ad *S. Antonii* extremum ad occaſum, leucas, ut volunt, ducentas & triginta; in latitudinem autem vix quadraginta ubi latiſſima eſt, ubi anguſtior, tantum quindecim: nam ab orientali illius angulo ſecundum latus quidem auſtrale ad promontorium *Santæ Crucis*, ſecundum ſeptentrionale vero ad Cubanam ſenſim ſeſe dilatat, dein ſinu admiſſo rurſus coarctatur & deinceps æquali pene latitudine ad extremum angulum procurrit. Soli ubertate cum Hiſpaniola contendit, cœli temperie longe ſuperat. Terra magnam partem in vaſtos montes attollitur præſertim in parte orientali; in occidentali continuis jugis velut in duas partes ſecatur, à quibus utrimque multi torrentes, variique amnes defluunt, & in utrumque mare deſcendunt, optimis piſcibus fœti, inter quos capitones (Hiſpan. *Lizas*) & aloſæ (Hiſp. *Sabalos*) nominatim ab authoribus celebrantur. Denſæ ubique ſylvæ variarum arborum, quæ iter agentes à ſolis radiis egregiè defendunt, inter quas cedri proceritate & craſſitie eminent, indigenis olim maximo uſui ad Canoas (lintres uniligneos ita vocant Americani) fabricandas; quippe ingentes truncos, ardentibus prunis primum inuſtos, lapidum aut teſtarum attritu excavabant, atque ita deducebant ut quinquaginta & plures homines caperent; quales non paucas ab Hiſpanis hic repertas memorant. Deinde arbores quæ reſinam quandam odoriferam & Styracis æmulam fundunt. *Xaguæ* deniq; quæ (ut Herr. ſcribit) fructus ferunt renis vitulini forma atque mole, qui licet immaturi ab arboribus avellantur, tamen in aqua tribus quatuorve diebus macerati, præ abundantia ſucci ſponte dehiſcunt, grati & melliti ſaporis, neque inſalubres. Verum hic obſervandum, *Xaguam* arborem & illius fructum longe aliter deſcribi ab Oviedo; *Xaguæ* quippe tribuit materiem duram & proceritatem fraxini, fructum autem ſimilem capitello papaveris, niſi quod non ſit coronatus; cujus ſuccus recenter expreſſus candidus & gratiſſimi ſaporis, verum cuti illitus ſenſim nigreſcit, adeo ut notæ vix poſt vigeſimum diem evaneſcant, nam nullo modo ablui poſſunt. Deſcriptio hæc plane convenit cum Xahuali deſcriptione, de qua arbore alibi dicetur. Vitium ſylveſtrium ingens hic copia, quæ acidas uvas ferunt utpote incultæ.


(dec. 1. l. 9. c. 4.) (lib. VIII. c. V.)

Reperitur & in montanis hujus Inſulæ *Caninga*, grandis arbor & vaſto trunco, cujus folia ſunt ſimilia foliis arboris Canellæ, ſed majora & craſſiora; truncus juxta radicem nigricat: detrahitur cortex inſtar Canellæ, ſed craſſior illa, licet ad eadem valens; quippe calidus eſt & ſiccus pene in quarto gradu, ſapore acri & caryophyllis non abſimili, verum qui cito evaneſcat; dat cibis optimum guſtum, & mundat ſanguinem haud ſecus quam caſſia ſolutiva, eſtque præclarum alexipharmacum. Cortex illius ſiccior eſt etiam trunco adhærens, non autem glutinoſus uti Canellæ.

Avium infinita pene multitudo, pſittacorum, palumbium, turturum & perdicum (licet minorum quam ſunt Hiſpaniæ) quæ in aliis Americæ inſulis haud facile inveniuntur. Peculiaris huic inſulæ avis eſt, quam Hiſpani *Flamenco* vocant, grui forma non abſimilis, junioribus plumæ candidæ, ubi adoleverint, elegantiſſimorum colorum mira varietate diſtinctæ, haud alte ſubvolant, gregatim degunt & juxta littora, atque in ipſis marinis fluctibus victum quærunt, ſalſis undis ita aſſuetæ, ut quum ab Indis domi aluntur (nam & cicurantur) ſal potui ipſarum neceſſario admiſceatur. Eſt & aliud genus avium hic valde frequens, *Bambiayas* vocant, quæ paulum

ſupra ſolum feruntur magis quam volant, ita ut incolæ inſtar ferarum illas venentur; carnes illarum coctæ jus croceo colore inficiunt, ſaporis alioquin pergrati & phaſianarum avium æmuli. Quadrupedum, puta taurorum, vaccarum, porcorumque non minor hic quam in Hiſpaniola copia, propter pabuli copiam & inſignem ſuavitatem; idemque omnino uſus: nam tauros atque vaccas tergorum cauſa necant, ex quibus ingens incolis quæſtus: nec minor è ſagina porcorum, quorum carnes in oblongas lacinias diſſectas, ad ſolem indurant atque exſiccant, quibus naves Hiſpanicæ è continente Americæ redeuntes in Hiſpaniam pro cõmeatu potiſſimum utuntur.

Mare quod hanc inſulam ambit, valde piſcoſum, nam præter *Aguias*, *Maxauras* (Hiſpanica ſunt nomina) alioſque quamplures, Europæis littoribus notos, plurimi ibidem capiuntur, noſtro mari penitus ignoti. Ad auſtrale autem inſulæ latus, ubi exiguæ inſulæ magno numero objacent (*Iardin de la Reyna* vocant Hiſpani) ingens numerus marinarum teſtudinum reperitur; quæ non raro in tantam molem excreſcunt, ut quinque viros teſta ſua ſuſtineant, & cum eiſdem prorepant.



Nec minor *Iguanarum* in inſula copia eſt, de quibus nihil neceſſe eſſet hic potiſſimum dicere, quia in pleriſque partibus Americæ reperiuntur, niſi ſemel de ipſis dicendum foret; iconem itaque hic exprimendam curavimus. Amphibium eſt animal, lacerti forma, cute partim cinerei, partim fuſci coloris, quæ ſquamulis quibuſdam tecta eſt, circa caput quidem majoribus, in tergo autem & ſub ventre minoribus: cauda oblonga, quam ſimiles ſquamulæ, quibuſdam ordinibus, ab initio ad finem ambiunt, ita ut quartus quiſque ordo è majoribus conſtet, eleganti varietate: à cervice ad extremam pene caudam per dorſi medium, ſpinæ quædam mucronatæ, inſtar ſerræ, deſcendunt: rictus ſatis amplus, in utraque mandibula plures dentes, breves & peracuti, oculi grandes & depreſſiores; binas habet nares in extrema pene ſuperioris roſtri parte; pone caput foramina duo, piſcium branchias referentia; ſub cervice ingluviem ad pectus uſque pendulam; crura quatuor, quorum duo anteriora minus craſſa, brevioraque quam poſteriora, ſingula autem quinque digitis diſtincta, quorum quidam binis, alii ternis, alii quinis articulationibus conſtant, omnes nigricantibus & acutiſſimis unguibus armati: taciturnum eſt animal & inediæ patientiſſimum; ova parit quadraginta aut quinquaginta rotunda, teſta admodum tenui & fragili, nucum magnitudine, albumen & vitellum continentia; non minus grati ſaporis, quam caro animalis; utriſque enim tam barbari quam Hiſpani veſcuntur & inprimis laudant: in terra juxta flumina & lacus ova ſua excludunt. Hujus animalis omnes rerum Americanarum ſcriptores meminerunt; Oviedus autem obſervat, carnes hujus animalis noxias eſſe illis, qui aliquando lue venerea laborarunt, recrudeſcere enim malum, licet dudum ſanati fuerint. Franciſcus Ximenes ſcribit, in capite hujus animantis interdum reperiri lapillos, qui præſentiſſimo remedio lapides renum comminuunt & dejiciunt, drachmæ pondere è liquore idoneo hauſti, aut etiam corpori alligati.

Her. d. 1. l. 10. c. 18. Dives cenſetur hæc inſula metallis, plures enim amnes auriferi ſunt, quorum ii qui Xaguæ portum influunt, auri perfectiſſimi granula ſubminiſtrant. Æris autem fodinæ percelebres haud longe ab oppido S. Jacobi, hodieque operas fatigant. Feliciſſima denique inſula, niſi rarioribus incolis habitaretur; indigenas enim omnes jam dudum Hiſpanorum crudelitas delevit; Hiſpanos autem complures auri argentique ſitis aliò traduxit.

Cap. X.

Provinciæ hujus Inſulæ atque præcipui amnes.

IN varias provincias hæc Inſula olim diviſa erat, quæ ſuis quæque Regulis quum primum Hiſpani hic appellerent, parebant: Hiſpaniolæ proxima & ad orientalius hujus cornu pertingens *Mayzi* dicebatur, à qua promontorio nomen hæſit, montana regio & denſis ſylvis, luciſque obſita: Huic *Didaci Velaſquii* temporibus, qui primus Hiſpanorum hanc inſulam ſubjugare aggreſſus eſt, *Hatuey* regulus præerat ex Hiſpaniola profugus, ideoque ſævitiæ Hiſpanicæ gnarus, quam tamen effugere non potuit, à Velaſquio vivus concrematus: memorabile eſt quod de ipſo tradit Herrera: Hiſpanorum adventum propediem metuens, ſuos ad concionem vocatos monuit, Hiſpanorum Deum eſſe aurum atque argentum, itaque quantocius illa ab ſe abjicerent atque ſubmergerent, nam ſi ſe aliter celaturos exiſtiment fruſtra futuros, Hiſpanos enim vel è viſceribus ipſorum hunc ſuum Deum extracturos. *Mayzi* ad occidentem contermina erat *Bayamo* (urbs adhuc hodie nomen provinciæ ſervat) planior regio & peramœna, uberrimo ſolo & cœlo perquam ſalubri. Ad auſtralem dein Inſulæ plagam *Cueyba* provincia ſita erat xxx circiter leuc. à Bayamo. Huic vicina xx, nec amplius, leuc. intervallo *Camagueya*, ampliſſima regio & indigenarum multitudine ante Hiſpanorum adventum celebris: molarium lapidum copiam hic reperiri tradunt. *Macacam* è regione Iamaicæ collocant. Quam ad eandem plagam ſequitur *Xagua*, à qua ſinui & celeberrimo portui nomen. Denique ad occidentale cornu, quod indigenæ Haniguanica appellabant, *Vhima* vaſtis montibus aſpera.

dec. 1. l. 9. c. 3.

Her. d. 1. l. 9. c. 15.

Inter flumina hujus Inſulæ primum locum meretur *Caute*, qui è montibus, quos hanc dividere diximus, effluens, & per planiciem, amœniſſimaſque utrimque ripas & uberrimum ſolum progrediens, ad auſtrale Inſulæ latus, per latum ſinum in oceanum properat: tanta crocodilorum copia in hoc naſcitur (animal aliis fere inſulis ignotum & cæteris quoque hujus Inſulæ amnibus) ut periculoſum ſit juxta ripas illius ſub dio ſomnum capere; non raro enim incautos opprimunt, & è terra abreptos & in undis ſuffocatos devorant. Huic proximus ad eandem plagam *Tanne*, olim minoribus navigiis à noſtris commerciorum cauſa adiri ſuetus. Inde & plures alii minores. Juſtæ autem magnitudinis amnis & egregie piſcoſus Camaguey provinciam ſecat, cujus nomen non proditur. *Arimao* denique haud longe à portu Xagua in mare exit, alveo quidem ſatis lato, ſed minus alto. Atque hi quidem præcipui amnes ad auſtralem partem. Ad ſeptentrionalem autem, atque adeo in ipſo littoris ab occidentali promontorio ad aquilonem flexu, amniculus egreditur Hiſpanis *Rio de Porcos*, ob brevia atque objectas rupes aditu difficilior: ſequitur dein ad eandem plagam *Marien* amnis, à quo & portui nomen: interque Habanam & portum de Matanzas *Rio eſcondido*: In ipſum portum de Matancas aliquot amnes deſcendunt, quorum nomina non produntur, pluresque in oceanum ſeptentrionalem exitum inveniunt, verum propter importuoſum hoc tractu littus penitus ignoti, præter pauciſſimos, inter quos præcipuus *Mares*, qui haud longe à Baracoæ portu ſe evolvit. Si qui præter hos in hac inſula amnes, ii à nobis vel cum urbibus quas lambunt, vel cum finibus in quos labuntur, deſcribentur.

Indigenæ hujus Inſulæ, habitu corporis, moribus atque inſtitutis, à cæteris Inſularibus nihil differebant, & è Floridæ continenti huc commigraſſe creduntur: nulla ipſis erant templa, nulla ſacrificia, nulla denique religio; levis tantum (ut Hiſpani produnt) creationis mundi atque diluvii apud ipſos recordatio manſerat: Arioli ipſis erant ſacerdotum loco (*Behiques* vocabant) medicæ pariter atque magicæ artis gnari; qui miſeras haſce gentes infatuabant, & cum dæmonibus familiariter, ut credi volebant, loquuti, de variis rebus dabant reſponſa: ſed plura non addam, quum omnes hi populi jam dudum ſævitia Hiſpanorum defecerint.

Cap. XI.

Oppida quæ hodie ab Hiſpanis in hac Inſula habitantur.

OPPIDA pro magnitudine Inſulæ rara: Primum locum antiquitatis & dignitatis nomine ſibi vendicat urbs *S. Iacobi*, à Didaco Velaſquio anno cIↃ IↃ XIV condita ad auſtralem Inſulæ plagam, viginti circiter gradibus ab æquatore verſus arctum, è regione Hiſpaniolæ, duabus pene leucis à Mari ad intimum gremium portus, inter maximos & tutiſſimos Novi Orbis facile primi, anguſto quippe ore admiſſum mare patentiſſimo ſinu excipit, inſtar freti, & inter minores aliquot inſulas diſpargit, ſtationem navibus præbens adeo ſecuram, ut anchoras figere nihil ſit neceſſe; Floruit quondam urbs magno incolarum numero, qui jam ad ſummam paucitatem redactus dicitur: Templum habet Cathedrale, & Epiſcopum, Sancti Dominici Archiepiſcopo ſuffraganeum; monaſteriumque fratrum minorum: regitur à Vicario Gubernatoris Inſulæ. Merces quæ hinc peti ſolent, ſunt bubula tergora atque [Oviedo. l.17.c.4.] Saccharum. Tribus autem ab urbe leuc. ditiſſima æris metalla è præaltis montibus hodieque eruuntur, quos Hiſpani ob hanc cauſam *Sierras de Cobre* appellant.

Huic ad orientem proximum eſt, XXX circiter leuc. intervallo, oppidum *Baracoa* ab eodem Velaſquio extructum, ad ſeptentrionale Inſulæ latus, X aut ad ſummum XII leuc. ab orientaliore Inſulæ angulo verſus occidentem: haud procul ab oppido flu- [Her. d.1. l.1.c.14.] men *Mares* decurrit, in ipſo oſtio VI aut VIII orgyas altum, interius V. ripæ illius orientali duo montes imminent, occidentalē claudit promontorium quoddam plano vertice, quod brevi ſpacio in altum projectum, ſinum facit, is oppidi hujus eſt portus, ſed non niſi minorum navium capax, & Traſciæ Coroque expoſitus, ideoque incommodus: Sylvæ huic oppido vicinæ laudatiſſimum Ebenum ferunt, & ut noſtri produnt [d.1.l.9. c.4.] etiam Braſilium lignum.

Tertia urbs *San Salvador*, aut à provinciæ nomine *Bajamo*, ab eodem Velaſquio ſtru- [l.17.c.2.] cta, XXX leuc. (ut Oviedus teſtatur) ab urbe S. Iacobi verſus Corum; ſalubritate aëris, ſoli ubertate, & planicie agri peramœna, cæteris hujus Inſulæ urbibus longe anteſtans: mediterranea quidem eſt, ſed merces ipſi à mari adverſo fluvio *Caute* ſubvehuntur. Inter mirabilia Inſulæ celebrantur ſilices, variæ quidem molis, ſed omnes egregiæ ro- [Her. d.4. l.5.c.4.] tunditatis, ita ut globorum uſum ſupplere poſſint; hos juxta fluvium huic oppido cognominem tanta multitudine reperiri tradunt, ut ibi lapides pluiſſe haud immerito videri poſſit: Oviedus in irrigua valle reperiri ſcribit, medio fere itinere inter hanc urbem, & S. Iacobum.

Quartum locum ſibi vendicat *Porto del Principe*, oppidum cum ſuo portu, (qui à navigantibus laudatur,) ad ſeptentrionale Inſulæ latus, XL leuc. à S. Jacobo verſus Traſciam. Haud procul hinc fontes illi bituminis viſuntur, de quibus *Monardes* cap. V. In Cuba (inquit) inveniuntur fontes juxta littus maris, bitumen nigrum picis inſtar emittentes, gravis odoris, quo Indi in morbis frigidis utuntur; Hiſpanis ſervit picandis navibus, (quia pici navali ſimilis eſt,) ſed ſebo admiſto, ut melius induci poſſit. Veterum Naphtam eſſe puto, cujus duos fontes Babylone reperiri Poſidonius refert, albæ & nigræ. Nos hoc bitumine utimur in uteri morbis, quod eum ſuffocatione liberet, naribus admotum aut vulvæ inditum. Calidum eſt in ſecundo gradu, & humidum in primo. *Oviedus* item illius meminit lib. XVII cap. VIII. & licet non neget interdum fluere, tamen ut plurimum per fruſta effodi tradit.

In auſtrali porro Inſulæ latere, *Sancti Spiritus* XL aut L domorum vicus verius quam oppidum, L & amplius leucis ab urbe S. Jacobi verſus occidentem, aliquot leuc. à littore, in agro fæcundiſſimo & amœno, ad ripam amnis haud admodum lati, quem *Saas* aut *Saſſe* ab incolis vocari audio, non niſi minoribus navigiis navigabilem: qui à S. Jacobo, Bayamo & portu Principis, Habanam petunt, hic tranſire conſueverunt.

[Her. d.1. l.10. c.8.] Ad eandem plagam, olim *Trinitatis* oppidum floruit, ab eodem Velaſquio conditum, IX aut X leuc. à portu *Xagua* verſus ortum, Indorum pagis tum toto illo tractu frequentiſſimis; ſed propter portus incommoda & crebra naufragia, locus pene deſertus eſt, & hodie ſolo portus nomine notus.

Cap. XII.

Habana *principale hujus Inſulæ oppidum & Portus.*

SVpereſt ut de *Habana* dicamus,quod oppidum ſitum eſt ad ſeptentrionalem Inſulæ plagam ex adverſo Floridæ,xxiii (ut peritiſſimi naucleri tradunt) aut circiter gradibus ab Æquatore verſus ſeptemtriones. Portus maxime memorabilis,natura pariter atque induſtria ita factus atq; munitus,ut inſuperabilis à multis judicetur. Quippe anguſtiſſimis faucibus,ſed ſatis alto alveo,nec ita brevi, oceanum admittens; intus ſe in ampliſſimum ſinum diducit, lateribus utrimque ſenſim recedentibus & cubito rurſus coëuntibus, mille & plurium navium capax, & adverſus incerta ventorum ſubitaſque procellas, à montibus qui ambiunt ita defenſus, ut ſine funium aut anchorarum ſubſidio, tanquam in gremio tutiſſime conquieſcant. Faucibus autem bina promontoria utrimq; incumbunt,totidem validiſſimis caſtellis ita munita,ut quantævis grandi claſſi facile aditum impediant. magna in iis ænearum machinarum bellicarum vis, & præſidium militare ſatis validum; in Orientali autem latere infra caſtellum turris eminet, in qua perpetuo excubitores agunt, qui naves ex alto advenientes facile dignoſcunt, & notis indiciis, numerum illarum præſidiariis atque oppidanis veluti è ſpecula annunciant. Ipſum quoque oppidum firmiſſimo caſtello defenditur, nullis præterea mœnibus cinctum. Tertium autem hoc caſtellum longe maximum eſt, & navibus ingredientibus per anguſtas fauces è directo ita oppoſitum, uti proram (quemadmodum bina illa ipſarum latera) valide concutere poſſit. Omnes Hiſpanorum claſſes,quæ è continenti Americæ auſtralis,Nova Hiſpaniâ,atque inſulis, variis mercibus & opulenta auri argentique gaza onuſtæ revertuntur, huc ſe ſolent recipere, & aquandi, commeatuſque neceſſarios comparandi gratia tantiſper hic ſubſiſtere, donec omnes aut ſaltem pleræque convenerint; dein menſe Septembri (neque facile tardius) aut conjunctæ aut in duas claſſes diviſæ, per *Bahamæ* fretum in oceanum ſeptentrionalem penetrant & Hiſpaniam petunt. Vrbem præter præſidiarios (quorum numerus incertus eſt, licet Rex mille militibus ut plurimum ſtipendia ſubmittat) circiter trecentæ familiæ Hiſpanorum incolunt, multique Luſitani, & ingens ſervitiorum numerus. Gubernator totius Inſulæ,cæteriq; regii miniſtri hic perpetuo fere agunt. Quid multa? non modo cæteris hujus inſulæ, ſed & omnibus pene Americæ oppidis,tum portus amplitudine & ſecuritate,tum divitiis & commerciorum frequentia facile antecellit. Vicinæ ſilvæ magnam optimorum lignorum copiam ſubminiſtrant, quibus ad naves fabricandas utuntur,utili compendio, niſi cætera quæ ad naves armandas requiruntur, fere omnia aliunde petenda eſſent, atque adeo ex ipſa Europa. Metalla denique æris haud procul ab hoc oppido tentata,ſed fruſtra; aut fallente vena, aut operarum inſcitia, aut denique impenſa fructum longe excedente.

Cap. XIII.

Portus & ora maritima Inſulæ Cubæ qua Auſtrum adſpicit.

ORAM maris ab auſtrali latere & portu S. Iacobi ordiemur, & quidem qua vergit in occidentem recto ductu ad promontorium S. Crucis. Ad hanc plagam aliquot ſtationes ſunt,& portus minime prætereundi,quorum primus *Guama Sevilla* nautis appellatur, ad radices montium quos ſupra *Sierras de Cobre* appellari diximus;huc olim noſtrates ſe recipere ſolebant,antequam Hiſpani ſevero admodum edicto cum noſtris aut aliis peregrinis negotiari vetarentur; hic piſcatores S. Iacobi teſtudines captas ſubducere,exenterare,& ad ſolem ſiccare conſueverunt;denique aptiſſimus eſt locus piraticæ ſtationi. Sequitur ad eandē plagam *porto Portillo* ſinus haud magnus,inque ipſis faucibus atque gremio tres ad minimum orgyas altus: & haud longè ab hoc mons præalto vertice conſpiciendus,vulgo *el gran Tarquino*,à quo ad promont. S. Crucis xxx,& alter mons paulo ſubmiſſior,præ cęteris tamen à lōginquo conſpicuus (minor *Tarquino*) à quo ad idem promont. xii leuc. numerantur: utrumq; montem interjacet portus *S. Spiritus* xx leuc. à portu S. Iacobi verſus Favonium,ut Herr. numerat.

Ipſum promont. æquali & gracili collo productum in altum,humilique luco virens facillime dignoſcitur; ab illo brevia quædam deſcendunt in mare, navigantibus caute vitanda: quem grad. latitudinis attingat, inter authores controvertitur, alii ad gr. xix.

& triginta aut ad ſummum XL ſcrupul. alii ad vigeſimum gradum referunt, inter quos eſt Herrera & nautica aliquot itineraria, quod in tabula noſtra ſecuti ſumus. Superato hoc promontorio, ora ſe verſus boream ſubducens ingentem facit ſinum, variis quidem portubus & ſtationibus opportunum navigantibus; & frequentibus commerciis olim à noſtratibus uſitatum, ſed ob crebra vadorum brevia, & innumerabiles pene ſcopulos & non paucas inſulas, infidum: Inſulas has vocant *Caios* cum ſingulis agnominibus, quæ hic enumerare longum foret. Porro hic littorum verſus boream flexus, præter ignobiles aliquot portus, ſtationes, receſſus & minora promontoria; ad ipſum oræ ſeſe rurſus verſus occaſum ſinuantis cubitum, ſtationem habet celebrem, quam *Mançanillam* vocant, ubi naves objectu minoris inſulæ ab auſtro tutæ in anchoris conſiſtunt.

Ad annum CIↃ IↃ CVI commercia ſatis tuto à noſtris hic exercita fuerant, tum tandem armata manu & non levi damno inde pulſi ſunt, egregio tamen prius virtutis Belgicæ ſpecimine edito; nec Hiſpanis incruenta victoria fuit, quippe noſtratium prætoriæ, quam *Abrahamus de Verne* ducebat, cum Hiſpanorum ſubprætoria tam acre & pertinax certamen fuit, donec ambæ pulveris tormentarii vi rumperentur atque dehiſcerent. Plures in eodem ſinus Baiamenſis gremio ſtationes ſunt, & inter alias *Iqueteo*, tenuis amnis & minorum tantum navigiorum capax, bubulorum tergorum commercio dives: & *Boye* in exiguo maris receſſu; non procul inde Cauto fluvius exit, aliique minores amnes.

Hinc jam ora rectâ in occidentem tendit, cui ingens inſularum numerus prætenditur, & mare ipſum eſt vadoſum, multis canalibus & alveis veluti fibris interciſum, *Iardin de la Reyna* vocant Hiſpani, ad altitudinem graduum unius & viginti: Ad portum Trinitatis hæ inſulæ & ſcopuli pertingunt. Decem aut paulo plures leucas verſus occidentem profectis *Xagua* occurrit, mirabilis, ut ajunt, portus, anguſtis etenim faucibus, ampliſſimus intro ſinus, mare admittit, ad decem fere leucas in longitudinem patens, latitudo minor eſt, altis montium jugis undiquaque vallatus, ideoque adverſus incerta ventorum egregie à natura munitus, tutiſſimam navibus ſtationem præbet, neque anchoras figere neceſſe eſt, funibus alligantur. Eſſet plane ſingularis hic portus, niſi magno periculo adiretur. Hunc portum prætervectis duæ inſulæ parvæ obviæ fiunt, quas duas *Germanas* vocant, ad caput inſidi, ob vadorum, inſularum, cautiumque multitudinem freti, quod *Camarco* vulgo dicitur, & ab Inſula *de Pinos* concluditur ad auſtrum: promontorium autem occidentale ejuſdem Inſulæ alium ſinum aperit, ora ſe leviter inflectente, & juxta promontorium *de Corrientes* rurſus emergente: promontorium porro hoc *de Corrientes* modice elevatur, albis arenis & viridi luco conſpicuum, ad altitudinem unius & viginti graduum & XL ſcrupul. Hinc ad celeberrimum S. Antonii promontorium XII leuc. iter eſt, littore verſus Corum inclinante.

Her. d. 1. l. 9. c. 4.

Cap. XIV.

Ora maritima & Portus Inſulæ Cubæ, qua Septentriones reſpicit.

PROMONTORIUM *S. Antonii* hujus Inſulæ extimum verſus occaſum ab omnibus qui hoc mare navigant, quam maxime obſervatur. Nam & ii qui Novam Hiſpaniam petunt, quique ab ea revertuntur, illud adire & ſecundum illud rationem curſuum ſuorum inſtituere conſueverunt; Idem è continenti Auſtralis Americæ redeuntes requirunt; denique omnes qui *Habanæ* portum petunt, illud è propinquo ſalutant. Eſt autem humile cornu & mari pene æquale, nec niſi denſa arbuſtorum ſylvula conſpicuum; pone illud ſtatio ſatis commoda, ſupra aquæ potabilis ſtagnum jacet, aquationi, ubi neceſſitas urget, peridoneum. Ab hoc promontorio littus ſe primo leniter verſus Boream ſubducit, importuoſum & propter objecta vada & rupes, quas à ſimilitudine *los Organos* nautæ vocant, navigantibus caute vitandum, velificatione paulo magis verſus Corum inſtituta. Poſt illa littus verſus orientem longo ductu porrigitur, multis promontoriis & ſinubus inciſum, quorum aliquot tutos portus aut ſtationes ſubminiſtrant; inter quos alicujus nominis, quem vocant *de Cabannas*, novem milliar. ab Habana verſus occidentem, tres ad minimum in receſſu orgyas

orgyas altus; & *de Mariem* ſex milliar. ab Habana verſus occident. cujus index mons ſupra verticem æqualis & menſæ in modum ſtratus, unde & illi nomen: aliique ad occaſum Habanæ portus, de quo ſupra diximus.

Triginta autem vel ut rectius à noſtratibus obſervatum, ſedecim aut ad ſummum viginti ab Habana leuc. verſus ortum, alius ſpatioſus portus occurrit, quem *de Matanzas*, id eſt, cædibus vulgo agnominant, ob cauſam quæ me adhuc latet, cum Habanæ portu neutiquam comparandus, ſed tamen cæteris melioribus hujus Inſulæ portubus non inferior, ſinu ſatis profundo, & qui mare patulo ore admittit, amnem unum atque alterum in ſe recipiens; ideoque ob aquationis opportunitatem & commeatuum abundantiam crebro aditur. Mons præaltus & panis in modum faſtigiatus, in plano alioquin ſolo, (unde *El pan de Matanzas* à naucleris appellatur) haud longe ab hoc portu ad occidentem juxta littus eminens, navigantibus viam ad ipſum demonſtrat. Hactenus ſatis tuta omnia, ſed ultra verſus orientem tendentibus, mare vadoſum & fervens, ora importuoſa, & infinitis pene inſulis, rupibus, arenarum pulvillis obſitum (*Iardin del Rey* Hiſpanis) quorum agmen claudit Inſula *Obahava*. In alto brevia & dorſa pelagi objacent: inter utraque canalis modicæ altitudinis permeat, non niſi interdiu & magna cum cautela etiam à gnaris enavigandus.

Quinquaginta circiter leuc. à Matanza verſus ortum, portum de *Iucanaca* conſtituit *Herrera*, juxta ejuſdem nominis cornu; duobus & viginti gradibus & triginta d.1.l.9.
ſcrupul. ab æquatore verſus arctum, ut obſervat *Oviedus*. c.4.

Octo ab hoc leuc. verſus eandem plagam diſtat (*Herrera* authore) *portus Principis*, à quo littus ſe leviter inflectit verſus Eurum, & mare nunc in ſinus admittens, rurſuſque promontoriis leniter in altum projectis excludens, porrigitur ad portum *Baracoæ*. Multæ inſulæ toto hoc tractu jacent, quas conſulto prætereo, quia earum nomina, ſitus, intervalla, haud ſatis accurate à ſcriptoribus produntur, neque ſatis bene convenit inter illos, qui curſuum rationes & itinerum ductus expoſuerunt.

A portu *Baracoæ* ad promontorium *Mayzi*, ultimum huius Inſulæ verſus ortum x aut xii leuc. numerantur. Hoc ſuperato littus ad occidentem convertitur, & aliquot promontoriis & ſinubus effectis, ad portum *S. Iacobi*, unde initio digreſſi ſumus, nos reducit. Atque hactenus de portubus atque ora maritima diximus, nunc & minores quædam Inſulæ quæ *Cubæ* objacent aut adjacent, explicandæ.

A promontorio *S. Crucis* verſus Zephyronotum navigantibus, Inſulæ *Caymanes* (ita Caymanes Inſulæ.
crocodylos vocant barbari) obviæ fiunt; tres numero. Harum prior & minima diſtat à dicto promontorio circiter viginti ſeptem leuc. ab æquatore, uti à noſtratibus notatur gradus novendecim & quadraginta quinque ſcrupul. ab hac ad mediam ſunt ſex leucæ, ea etiam proprio nomine Braccas appellatur, humilis & ponto pene æqualis, quinque milliaria ambiens; plurimæ teſtudines marinæ ſolent ad hanc annatare à Kal. April. ad exitum Septemb. diſtat circiter triginta milliar. à Iamaicæ promontorio quod vocant Negrillo. Ab hac ad maximam (*el Gran Cayman* vulgo) ſunt duodecim leucæ; diſtat illa ab æquatore (uti à noſtris obſervatum) novendecim gradus & triginta quinque ſcrupul. humili ſolo, & ſpinetis aſpero; nulla hic animantia reperiuntur præter yguanas & peregrinum quoddam animalculum vulpeculæ non abſimile, teſtudinum ovis victitans; quæ ad hanc Inſulam immenſo numero ſolent annatare à menſe Maio ad Octobrem, ut fætus ſuos in arido excludant. facilis aditu, mari quod ambit ſatis alto, nec ullis rupibus brevibuſve contaminato; ſub auſtrali latere juxta arenoſum ſinum commodam navibus ſtationem præbet. Porro hæ Inſulæ incultæ penitus atque inhabitatæ ſunt, & fere dulcium aquarum inopes, (niſi quod in majori alicubi reperiri aquam haud impotabilem à nonnullis traditur) paludibus ſalſis & alta uligine maxima ſui parte ſquallent.

Inſula *de Pinos* auſtrali Cubæ lateri objecta, & nonniſi vadoſo freto ab ipſa diviſa, I. de Pinos.
x leuc. in longitudinem, vi aut vii in latitudinem patet; xlviii leuc. à majore Caymane verſus Argeſten: duodecim à promontorio de Corrientes verſus ortum. In medio Inſulę aliquot montes ſeſe efferunt, ceterum plana & nemoroſa & dulcium aquarum compos: inculta quidem & inhabitata, ſed armentorum gregibus ob pabuli ubertatem abundans, quorum cauſa Hiſpani ſtatis temporibus illam ſolent inviſere: diſtat ab æquatore unum & viginti gradus verſus Arctum.

IAMAICA.

Cap. XV.

Iamaicæ Inſulæ ſitus, Vrbes, Littora, Portus, alia.

AB Hiſpaniola ad Occaſum, à Cuba ad Auſtrum jacet, quam Chriſtophorus Columbus olim Sanct Iacobi Inſulam nominaverat, nunc autem *Iamaicæ* nomine notior eſt: Medium illius decimus octavus latitudinis ſeptemtrionalis gradus interſecat, licet *Herrera* & *Oviedus* de latitudine illius aliter ſcribant & inter decimum ſeptimum & octavum gradus includant. Viginti leucarum intervallo à Cuba diſiungitur, totidemque ab *Hiſpaniola*, licet *Herrera* in Hiſtoria ſua viginti quinque leucarum diſtantiam ab Hiſpaniola prodat, quam Hiſpani primis illis temporibus, quum Columbus à continenti Auſtralis Americæ rediens navem ad hanc inſulam fregiſſet, duobus lintribus monoxulis, auſu quidem temerario, ſed felici ſucceſſu ſuperarunt. Centum & quinquaginta leucas ambitu ſuo complecti creditur, quinquaginta leucas inter ortum & occaſum producta, viginti aut paulo plures lata. Inſula hæc præter cæteras cœli ſolique bonitate excellit, maxima ſui parte plana atque campeſtris, quæcunque ad vitam humanam neceſſaria ſunt, læta ubertate profundens: Equorum, taurorum, vaccarumque & porcorum benigna genitrix atque altrix; frumentum quidem nullum aut parce admodum fert, ſed illius loco Yucam, è qua Caſſavi conficitur tanta fæcunditate, ut hæc cæterarum inſularum horreum merito cenſeri poſſit. Goſſypium hic largiſſima copia paſſim creſcit (unde & textura pannorum hic potiſſimum viget) uti & alii fructus, quos aut naturæ conditor ab origine huic benigne admodum tribuit, aut hominum induſtria & diligentia aliunde importavit. Quum primum Hiſpani hic appellerent, à multis barbarorum millibus colebatur, qui jam diu & crudelitate dominorum & ſua ignavia defecerunt.

d.1.l.6. c.3.

Pauca in hac inſula ſunt oppida pro tanta claritate, neque admodum frequentia: Omnino tria hodie numerantur, eorumque præcipuum *Sevilla* ad ſeptentrionalem Inſulæ plagam, ab exordio illius verſus occidentem, haud longe à mari: hic Cathedralis Eccleſia, Abbatiæ titulo inſignis, & vel potiſſimum Abbatis ſui Petri Martyris Anglery, non indiligentis rerum Indicarum ſcriptoris nomine nobilitata. Proximum illi ad orientem nec amplius undecim leucarum itinere à priori diſtans, oppidulum *Melilla*, naufragio Columbi inſigne, quum è *Veragua* infauſta navigatione hic appelleret. Tertium oppidum *Oriſtan* ad auſtralem Inſulæ plagam, haud longe ab occidentali illius capite jacet, quatuordecim ab oppido *Sevilla* leucis. Vrbis autem *de la Vega*, à qua olim Columbi ducum nomen ſortiti, aut aliarum coloniarum, quarum adhuc hodie nomina nonnullæ tabulæ geographicæ ſervant, vix ulla hodie memoria ſuperat.

Angli anno cIↃ IↃ XCVI Antonio Sherleio Equite ductore, principali urbe intercepta maximam Inſulæ partem ſubegerant, ſed haud ita dudum obtinuerunt, ſponte ſua illam deſerentes.

Littus hujus Inſulæ qua maxime in orientem vergit, promontorium in altum producit, *Morantæ* nomine, à quo littus paulatim recedit verſus Libonotum & aliquot ſinubus mare admittit: Deinde directe progreditur in occaſum, ad promontorium uſque *de Falcon*, à quo rurſus ad Corum convertitur, uſque ad promontorium *del Negrillo*, quod extremum jacet ad occidentem: hinc rurſus littus ad Orientem revertitur, atque in hac ſeptentrionali plaga varias habet ſtationes & portus, quorum præcipuus Sevillæ adjacet, proximus autem Melillæ, decem à priori leuc. verſus Ortum: tertius decem item leucarum intervallo *Ianta*, totidemque à promontorio Morantæ verſus occaſum, ut *Herrera* annotavit: *Oviedus* his addit *Anton* & *Quiagata* portus, incertis intervallis.

l.18.c.1.

Porro hæc Inſula quum ſoli ubertate, ſylvarum amœnitate, & omnium rerum copia facile cum cæteris certet, tamen propter portuum paucitatem, ſtationumque incerta difficilis aditu judicatur: quamplurimi enim ſcopuli, & inſulæ propter crebra vadorum brevia naufragiis infames, aut adjacent aut objacent: viciniſſimæ nec ultra quin-

quinque leucas verſus meridiem ab ea disjunctæ *Hormigæ* inſidioſæ cautes: deinde Hormigæ. *Vivoræ*, inſulæ aliquot parvulæ, cæcis rupibus & vadis circumdatæ, ſeptem à Iamaica Vivoræ. leucis verſus auſtrum: Longius diſtat *Serrana* ad altitudinem quindecim graduum, Serrana. tribus quatuorve inſulis conſtans, vadoſo & ſcopuloſo in circuitu mari, nec niſi cum pernicie navigantium adita; dehinc *Serranilla* à Serrana verſus Argeſten, aliquot alveis Serranilla. interſecta, & ab Euro in Corum extenſa ad altitudinem quindecim graduum & triginta ſcrupulorum, non minus quam prior frequentibus vadis & cautibus undique vallata: Longinquiora diſcrimina non commemoro, & Continenti propiora, licet non minus quam jam dicta, hoc mare ſulcantibus metuenda ſint. Ad oram autem borealem, nequa pars periculo vacet, ſcopulus objacet, quem haud vana monentes naucleri *Abre-Oio* appellant. Abre Ojo.

Atque hæc de Iamaica dicta ſunto, qua, niſi tam difficilis aditu judicaretur, quum loco pene medio inter Majores Inſulas & Americæ auſtralis continentem poſita ſit, nulla alia navigantibus opportunior eſſe poſſet.

LVCAYÆ INSVLÆ.

Cap. XVI.

Lucayarum Inſularum ſitus & qualitates.

MINORVM Inſularum ingens, ſed incertus eſt numerus, quarum illæ, quæ Hiſpaniolæ atque Cubæ ad ſeptentriones prætenduntur, uno nomine vulgo *Lucayæ* appellantur, ab illarum maxima atque extrema verſus Arctum: alii eaſdem in tres claſſes diſtinguunt, quarum priori comprehendunt eas, quæ ab Inſula Bahama atque illius celebri freto verſus Orientem exporriguntur; ſecundâ illas, quas vulgo Organa, Martyres & Caios communi vocabulo appellant, quæ quum fere ſcopuli ſint aut arenoſæ inſulæ, pelago ut plurimum æquales, navigantes facile decipiunt, & iiſdem non raro perniciem adferunt: Tertia deniq; Tortugas. Nos de iis ſecundum literarum ordinem dicemus, ſeriem illarum atque connexionem Tabula geographica oſtendit.

Abacoa in medio vadorum atque brevium, quibus ab inſula Bimini nomen inditum, duodecim leuc. longa, dimidio minus lata. Her.d.1. l.9.c.12.

Achecambey præcedenti proxima ad orientem, incertæ magnitudinis, nec Antonio Herreræ non niſi ſemel in hiſtoria commemorata.

Amaguaio à Ianne Poncio de Leon inventa juxta Yagunam. d.1.l.9. c.10.

Amana vel *Amaguana* ab inſulis Caycos pene ad Corum ſita, cujus magnitudo à ſcriptoribus non proditur.

Bahama tredecim leuc. longa & octo lata, ut *Herrera* teſtatur, à qua freto nomen, omnium quæ in novo orbe reperiuntur, rapidiſſimo; quippe fluctus tam pernici curſu inter Floridæ continentem & objecta vada atque inſulas verſus arctum ſeſe evolvit, ut ventos & navigia plenis velis fruſtretur. Viginti octo gradus ab æquatore inſulam diſtare volunt. Fretum autem Bahamenſe patet in latitudinem quidem ſedecim leucas, in longitudinem autem à promontorio Floridæ verſus arctum quinque aut ſex ſupra quadraginta. d.1.l.9. c.11.

Bimini in medio vadorum & brevium, quibus nomen dedit, quinque leucas longa; à Ioanne Poncio olim ſtudioſe quæſita, egregio credulitatis Hiſpanicæ argumento, nam ab Indis ſibi perſuaderi paſſus erat, in ea fontem reperiri, cujus hauſtu ſenes juventam poſtliminio recuperarent: Inſula alioquin, ſi Poncio credimus, & ſylvarum opacitate amœna, & dulcium laticum ſcaturigine irrigua.

Caycos inſularum aliquot veluti orbis, crebris intercurrentibus alveis & vadoſo verſus ortum longe lateque mari: quarum una, quæ reliquas magnitudine ſuperat, per excellentiam *Caicos* appellatur: Belgæ noſtri qui anno cIↃ IↃ CXXIII hic in anchoris conſtiterunt ſub latere quod aquilones ſpectat, ſtationem ſatis laudant: mare haud longe à littore X aut XII orgyas altum, ubi paulum receſſeris ita profundum, ut nullæ anchoræ ſidant. Salis abunde hic reperiri à Luſitanis traditum fuit, id ante paucos annos Anglos & nuper Noſtrates decepit, nam ſtudioſe inveſtigantes, tam in majori quam

quam vicinis aliquot minoribus inſulis, ne micam quidem ſalis invenerunt, licet lacunas quidem & areas ſali coagulando idoneas, quampluṙimas offendiſſent: harum inſularum maxime orientalis diſtat ab æquatore unum & viginti grad. & viginti ſex ſcrupul. occidentalior autem ſcrupul. quinque & quadraginta.

Ciguateo ab Inſula Lucayoneque ad orientem, & altitudinem ſeptem & viginti graduum (ut Herrera tradit) viginti quinque leucas ambitu ſuo complecti dicitur.

Conciva parva inſula, haud longe à Caycis, & haud dubio illarum una, ad ortum ab Amana.

Curateo, haud multo major, auſtrali Ciguateo lateri objecta ad altitudinem ſex & viginti graduum, ut Herrera tradidit: ut noſtri nuper obſervarunt, diſtat à Guanima circiter octo milliaria verſus Corum, ab æquatore ſex & viginti gradus & decem ſcrupul. hic dulces aquæ in ſtagnis reperiuntur.

Her.d.1. l.1. c.12. *Guanahani* omnium inſularum novi orbis primò à Chriſtophoro Columbo inventa, & *S. Salvatoris* nomine ſignata, ad altitudinem viginti quinque graduum & quadraginta ſcrupul. arboribus opaca, nec dulcium ſcaturiginum inops; goſſypii, prout & aliæ multæ, ferax: habet & portum commodum ſub latere ſeptentrionali, qua vergit ad occaſum. Noſtrates qui nuper adierunt, teſtantur, abeſſe à Triangulo verſus Corum milliaria ſedecim, ab æquatore gradus quatuor & vinginti, ſcrupul. quinquaginta, nihilque jam ferre præter Palmitos & fruticeta.

Guanima præcedenti verſus Corum proxima, & non niſi ſeptem leucarum intervallo diſſita, Columbo quum primum illam adiret S. Maria de la Concepcion nominata: abeſt (uti à noſtris obſervatum) ab æquatore quinque & viginti gradus, & quadraginta ſcrupul. patetque in longitudinem inter Eurum & Corum milliaria duodecim, undique rupibus & vadis cincta: ſolo interius fertili & amœno, nec dulcium aquarũ inope.

Guatao diſtat à Curateo decem milliaria verſus Aquilonem, orientalis illius pars abeſt ab æquatore viginti ſex gradus & quadraginta quinque ſcrupul. occidentalis viginti ſeptem grad. & pauca ſcrupul. qua patet in longitudinem inter ortum & occaſum minutis inſulis, rupibus, & vadis incincta.

Lucaioneque ſive *Yucayoneque* (utroque enim nomine notatur) harum inſularum maxima & extrema; inter vigeſimum ſeptimum & octavum latitudinis ſeptentrionalis gradus, in longitudinem producta, nec hactenus niſi ſolo nomine ſatis nota.

Macarey ad altitudinem viginti graduum prodit Herrera (in quo tamen ipſum falli non eſt dubium) vadoſo ambitur mari & frequentibus brevibus infido.

Manegua ad altitudinem viginti quatuor graduum & triginta ſcrup. juxta Amaguayo, uti ab Herrera collocatur. Noſtrates obſervarunt illam à Tortuga, quæ Hiſpaniolæ objacet, verſus arctum diſtare octodecim leuc. editamque eſſe & montoſam.

Her.d.1. l.9. c.10. *S. Martha* ad Floridæ continentem ſita, unam tantum leucam longa, & dulcium aquarum ſcaturigine, ut ferunt, rigua.

Martyres non tam inſulæ quam ſcopuli, auſtrali Floridæ promontorio objecti, ad altitudinem quinque & viginti graduum; occaſum inter atque ortum ſeriatim collocati; nomen ab imagine inditum, quam ex alto proſpicientibus oſtendunt, quaſi homines palis ſuffixos: infauſti nominis omini haud male eventus reſpondit, crebris enim naufragiis & multorum exitiis infames ſunt facti: horum ſcopulorum extimos ad orientem, nautæ *Cabeza de los Martyres*, id eſt Caput Martyrum, vocant, & ex eorum poſitu de progreſſu ſuo judicant; certiſſimum enim indicium eſt, rectum freti Bahamenſis alveum ingreſſos, ubi caput hoc ad levam verſus africum reliquerint: ſunt autem tres tumuli arenæ albicantis, pleni arbuſtis, eorumque medius ceteros duos magnitudine & convexitate præcellit.

Mayagvana diſtat ab æquatore viginti duos gradus & viginti quinque ſcrup. ab occidentali Inſula Caicos verſus Corum duodecim milliaria; inter Corum atque vulturnum projecta, & circiter octo aut novem leucas longa, uti nuper à noſtris obſervatum fuit.

Mimbres exigua inſula (vel potius rupes) ad extremitatem brevium Bimini, nautis qui fretum Bahamenſe tranſeunt, inprimis cavenda.

Miraporvos, id eſt caue tibi, nomine à re ipſa quæſito, tres ſunt inſulæ trianguli in modum, inter vada & rupes diſpoſiti, haud longe à Yumeto.

Polam

Polam inſulam ad Floridæ orientalem oram & altitudinem ſex & viginti graduum & 30. ſcrupul. Poncii navigatio aperuit, cætera ignobilem.

Samana haud longe à Guanahani verſus Eurum, triquetra forma, ad altitudinem viginti quatuor graduum, ut primis illis temporibus obſervatum, uti autem à noſtratibus, diſtat à Mayaguana verſus Corum duodecim milliaria, ab æquatore gradus viginti tres & viginti ſcrupul. patet in longitud. IV in latitud. unum milliar.

Saomoto quarto loco à Columbo inventa & Iſabella dicta, nunc incognita.

Tortugæ inprimis memorabiles nautarum obſervationibus, ſeptem aut octo ſunt parvæ inſulæ ab extimo Floridæ cornu verſus occidentem, veluti in orbem diſpoſitæ, ad altitudinem, quinque & viginti graduum & paulo amplius. Habanæ portui triginta ſex leucarum intervallo è directo oppoſitæ.

Triangulo inſula diſtat à Samana verſus Corum ſeptendecim aut octodecim milliaria, ab æquatore paulum ſupra quatuor & viginti gradus; edito eſt ſolo, ſed ſtationes habet valde intutas, & difficulter admodum poteſt adiri.

Veia minores aliquot inſulæ inter vada & brevia (*los Baixos de Babueca* vocant Hiſpani) conſitæ ad altitudinem octo & viginti graduum verſus arctum, niſi forte hic fallatur Herrera, ut interdum alibi. d. 1. l. 9. c. 11.

Yabaque haud longe à Maguana verſus Corum ad altitudinem viginti duorum graduum & triginta ſcrupulorum, eodem Authore.

Ynagua decem leucas ampla, ad altitudinem unius & viginti graduum & aliquot ſcrupul. (ut à noſtratibus obſervatum) ab inſula Tortuga, quæ ſeptentrionali Hiſpaniolæ lateri adjacet, verſus Corum, nautis obſervanda, qui è portu S. Ioannis de porto Rico, verſus Habanam navigant, ſecus ſeptentrionale Cubæ latus, per veterem, ut vocant, Canalem; qui jam rariſſime navigatur.

Yuma viginti leucas longa, octo lata, ad altitudinem viginti graduum & triginta ſcrup. haud procul à Guanima verſus africum.

Yumeto à præcedenti ad Auſtrum ſub ipſo Cancri Tropico, quindecim, ut Hiſpani produnt, leucas in longitudinem porrecta.

Longe plures hic jacent Inſulæ, ſed tam incerti nominis & varii ſitûs, ut referre pigeat: omnes autem haſce inſulas aut certe pleraſque, incolis refertas fuiſſe, quum primum Hiſpani duce Columbo illas adirent, ſcriptores rerum Indicarum uno conſenſu tradunt, nunc penitus ſunt deſertæ, indigenis omnibus ab Hiſpanis aliò traductis & ibidem laborum intolerantia, inedia & exquiſitis ſuppliciis, extinctis; unde jam raro hæ inſulæ, niſi præter propoſitum, adeuntur.

CANIBALES INSVLÆ.

Cap. XVII.

Canibalum Inſularum ſitus & proprietates.

AB Orientali latere Inſulæ S. Ioannis de porto Rico, ad Americæ auſtralis continentem uſque, quamplurimæ minores inſulæ arcuato ductu interius mare veluti claudunt, quæ ab indigenarum ingeniis Caribes & Canibales, id eſt Anthropophagæ vulgo appellantur; in quibus deſcribendis eodem, quo ſupra compendio & ordine utemur.

Anegada ab Inſula S. Ioannis verſus ortum, à Saba duodecim milliaria verſus Corum ſita, ad altitudinem octodecim graduum, & triginta ſcrupulorum; patet in longitudinem circiter ſeptem leucas; nomen à re inditum, æqualis enim freto eſt & vadoſo undiquaque mari, navigantibus fallax.

Anguilla oblonga inſula, ſed anguſtiſſima, unde & nomen: ſita eſt ad orientem Inſulæ S. Ioannis, decem & octo gradibus & viginti quatuor ſcrupul. ab æquatore verſus arctum: ſterili ſolo & dulcium laticum expers, ſalinas tamen habet ſatis opportunas, ſed modicas.

Antigua quæ & *S. Maria del Antigua* ad altitudinem ſedecim graduum & triginta vel quinquaginta ſcrupul. inter Barbadam atque Deſſeadam medio veluti intervallo; ſex ſeptemve leucas longa & lata: acceſſu difficilis propter incerta vadorum; noſtra-

tes

res qui caſu ad hanc delati, hic anchoras fixerant anno cIↄ Iↄ cxxIII & in terram deſcenderant, nihil ſe hic præter ſiluas & paludes & profundas uligines reperiſſe teſtantur; inculta quippe eſt & dulcium aquarum inops.

Avium inſula, harum omnium pene intima & maxime occidentalis, ſita eſt ad altitudinem quindecim graduum & quadraginta quinque ſcrupul. ponto pene æqualis, ideoque navigantibus infida.

Barbada ad altitudinem ſeptendecim graduum & triginta ſcrup. à Monſerrate verſus aquilonem duodecim aut tredecim mill. ab Antigua verſus arctum; & ipſa humilis, & vadoſo in ambitu mari navigantibus inſidioſa, à noſtris tamen ut ſupra ſine diſcrimine adita, ſinu ſatis commodam ſtationem navibus præbente; ſed nihil ab ipſis inventum, quo operæ pretium foret illam adire, humili enim eſt ſolo atque effæto, circiter quatuor milliar. longa.

Barbados vel *Barbudos* omnium harum inſularum pene extrema verſus orientem, ad altitudinem tredecim graduum & viginti aut paulo plurium ſcrupulorum, inter aquilonem atque africum in longitudinem exporrecta, forma ovali, & uti à noſtratibus nuper obſervatum, circiter ſedecim aut octodecim milliaria ambitu ſuo complexa, longeque major quam hactenus in Tabulis geographicis fuit expreſſa: ſolo admodum alto & Angliæ non abſimili, ſeptentrionali tamen parte altior, arboribus amœne virentibus ubique obſita. Littus orientale crebris receſſibus, & procurrentibus vadorum brevibus interciſum: auſtrale autem latus magnum maris ſinum admittit, ſtationem navibus percommodam præbens, ubi & modicus amnis in mare deſcendit. Solum nihil magni promittit; niſi quod abunde hic creſcit arbor, cujus cortex Gingiber æmulatur, acrimonia inſigni, (noſtrates vocant *Coſte*;) folia illius obſcure virent, anteriori parte rotunda; flores fert minutos & Sambuci inſtar in umbellam collectos, qui foliolis conſtant quinis, exteriori parte purpureis, intus aureis: Cortex lævis, & materies dura, interius ſubnigra, amat ripas & uliginoſa loca. Plurimos porcos alit inſula. Angli ab anno cIↄIↄ cxxvII coloniam ad hanc deduxerunt, & lucos eradicarunt ad Tabacci ſementem faciendam; multas quoque arbores fructiferas, aurantias malos & ſimiles aliunde importarunt.

S. Bartholomæi inſula ſita eſt ad altitudinem pene ſeptendecim graduum: ab Inſula S. Martini verſus Eurum, Barbada verſus occaſum, S. Chriſtophori verſus ortum: ambitu eſt ſatis ſpatioſo & ſolo editiori, ſed acceſſu difficilis, ob vada & brevia quæ ipſam cingunt.

Beke vel *Bekia* cujus Hiſpani in ſuis commentariis non meminerunt, & quam à noſtratibus primum aditam credo, tribus vel ut alii volunt, quinque leucis diſtat ab Inſula S. Vincentii, decem pene milliaria ambiens, ſinum habet unicum, inſigne adverſus incerta ventorum latibulum; ipſa inſula crebris arboribus opaca eſt & fertilibus campis; habitationi hominum non incommoda eſſet, niſi dulcibus aquis deſtitueretur: diſtat ab æquatore duodecim gradus & viginti quatuor ſcrupul. verſus Arctum, ab Inſula S. Vincentii verſus Eurum.

S. Chriſtophori Inſula, inter Nieues & S. Euſtatii inſulas media, ad altitudinem ſeptendecim graduum & viginti aut triginta ſcrupulorum; patet in longitudinem inter Eurum & Corum milliaria circiter ſex: latitudinis inæqualis, nam qua Corum adſpicit, ſupra duo milliaria lata, ubi circiter quatuor mill. deſcendit verſus Eurum magno ſinu mare accipit & deſinit in anguſtias. Solum montibus editum, ſed maxime verſus Corum, verſus Eurum varias ſalinas habet. Superioribus annis Galli juxta atque Angli hic ſedes fixerant, Tobacci colendi gratia (quod hic natum plurimum commendatur) & incolas anthropophagos omnes aut deleverant aut alio compulerant commigrare, inſidiarum in advenas, ut ajunt, manifeſtos: quum à Toletano qui cum maxima Hiſpanorum claſſe hic appulerat, hanc deſerere fuerunt coacti; ſed utroſque ad illam jam poſtliminio rediiſſe teſtantur noſtri, rurſuſque colendis agris & Tobacco ſerendo operam dare.

Deſſeada ad altitudinem ſedecim graduum & decem ſcrupulorum verſus arctum, uti à noſtratibus nuper accurate eſt obſervatum: decem leucis à Guadalupe verſus boream: ſex aut ſeptem à Marigalante: hæc inſula Chriſtophoro Columbo ſecundo ad has partes naviganti primo occurrit: ad hanc Hiſpani inde à Canariis inſulis curſus

ſus ſuos ſolent dirigere: jacet inter Cæciam & zephyronotum, nuda arboribus & primo aſpectu triremi ſimilis, aquilonari ſui parte depreſſior; à ſeptentrionali in conum videtur aſſurgere; ſolumque nigricans, lineamentis quibuſdam albis atque ſubrubentibus interſtinctū apparet; mare ab hac parte vadoſum & crebris rupibus vorticoſum.

Dominica duodecim (ut Hiſpani tradunt) leucas longa, pauciores lata, ad altitudinem quindecim graduum & triginta ſcrupulorum, tribus circiter leucis à Matinino verſus Corum; inter quem atque Eurum jacet: verſus Corum elatior, & eminus conſpicientibus bipartita videtur, propius accedentibus una: ſinus commodas aliquot ſtationes præbent. Hanc inſulam hodieque multi *Caribes* (ut vocant) incolunt; nudi agunt, totum corpus rubrica quadam tincti; humanis carnibus veſcuntur, Hiſpanis maxime infenſi, neque cuiquam ſatis fidi, niſi quum nocere non audent aut non poſſunt: comam tam viri quam fœminæ alunt; Regulum ſuum habent, cui parent, cultu corporis nonnihil à cæteris diſtinctum. Tobacci feraciſſimum eſt ſolum, hanc herbam unice colunt & Europæis pro cultris, ſecuribus, aliiſque ferramentis vendunt. Fontes duo calidi hic celebrantur, quorum alter juxta fauces ampliſſimi ſinus qui Corum ſpectat, haud longe à mari ad ripam amnis erumpit. Occidentale latus portum habet ſatis commodum & aquationi è fluviolo, viginti paſſus lato, qui ibidem exit, peropportunum; *Aguadam* vulgo vocant Hiſpani. Ouied. l. 6. c. 13.

S. Euſthatii inſula exigua eſt (licet Herrera ipſi decem leucarum ambitum falſo tribuat) ab inſula S. Chriſtophori verſus Corum; à Saba verſus Eurum: ad altitudinem ſeptendecim graduum & quadraginta ſcrupulorum, uti à noſtris nuper accurate eſt obſervatum: aſſurgit in conum & è longinquo conſpicientibus Sacchari panis videtur.

Granada continenti Americæ auſtralis proxima, ad altitudinem duodecim graduum & quindecim ſcrupul. octodecim milliar. ab inſula S. Vincentii verſus Africum, quo intervallo minores aliquot inſulæ ſparſæ ſunt, quas vulgo *Begos* vocant. Forma eſt ſemicirculari & ad lunæ renaſcentis modum: patetque in longitudinem inter arctum & auſtrum circiter ſex milliar. ad utrumque cornu vix unum lata: cornu illius quod verſus africum protenditur, ſinum concludit aquandi opportunitate inprimis commendatum: tota inſula denſis lucis obſita eſt; ſolo nihilominus pingui & fœcundo, ſed cancris quibuſdam terreſtribus obnoxio, qui ſata & radices arrodunt: quanquam quidam malum hoc non ultra vicina littori loca ſerpere opinentur: plurimi quoque Armadilli (quod animal alibi deſcribam) hic reperiuntur: à menſe autem Iunio ad Octobrem multæ teſtudines marinæ & non pauci Manati hic capiuntur. Incolunt Caribes, à cæteris inſulanis neque moribus neque feritate diverſi, qui tamen appellentibus quum nocere non poſſunt, varios fructus vendunt, cautius vitandi quum maxime blandiuntur, uti noſtrates jam aliquoties cum ſuorum exitio ſunt experti.

Guadalupe barbaris olim *Carucueira* dicta uti Martyr prodidit, jacet ad altitudinem ſedecim graduum & quindecim ſcrupul. ut noſtri ſatis accurate obſervarunt; à Deſſeada verſus occidentem: octo circiter milliar. inter aquilonem & africum longa. latus quo africum aſpicit, in juga erigitur; quo vero orientem haud minus erectum, in faſtigio planicie quadam ſternitur; ab Auſtro ad ſeptentriones, tenui alveo & non niſi cymbis & monoxylis lintribus pervio, veluti in duas inſulas diſpeſcitur. ad auſtralem plagam alto mari & anchoris figendis peridoneo cingitur: Incolunt Barbari eiſdem quibus cæteri inſulares, Caribes moribus. Hic claſſes ex Hiſpania venientes hodie aquari ſolent atque in diverſa diſcedere.

Cap. XVIII.

Reliquæ Canibales Inſulæ, earum ſitus, & qualitates.

S*Anct. Luciæ* inſula ſita eſt tredecim gradibus & quadraginta ſcrupul. ab æquatore verſus arctum, uti à noſtris accurate obſervatum: ab inſulis Dominica & Matinino verſus auſtrum: valde montoſa eſt: ad latus quo africum aſpicit, bini montes exiguo intervallo à ſe invicem diſcreti, inciſis undiquaque rupibus in ſummam altitudinem ſurgunt, qui ſupra reliquam inſulam è longinquo conſpiciuntur. Incolæ nudi agunt, totumque corpus rubrica illinunt, faciem autem quibuſdam lineamentis

ab auribus ad oculos uſque inducunt, crinibus nigri, moribus ut cæteri immanes. Solum fertile eſſe quidam obſervarunt,ſed alii infœcundum aſſerunt & ideo ab incolis nuper hanc inſulam deſertam.

Marigalante quinque à Deſſeada leucis verſus auſtrum, & totidem pene à Dominica verſus boream; ad altitudinem quindecim graduum & quadraginta ſcrupulorum; plana fere & nemoroſa, ita ut è longinquo intuentibus arbores mari innatare videantur: à barbaris, quales ſunt cæteri inſulares, crebro viſitatur, an etiam habitetur, incertum eſt.

S. Martini inſula ad altitudinem octodecim graduum & quindecim ſcrupulorum, ab inſula S. Ioannis de Portorico ad orientem; octo aut novem milliaria ab inſula S. Chriſtophori verſus Corum,ab Anguilla verſus Eurum; ad arctum multis minoribus inſulis, & ponto pene æqualibus obſita. Patet in longitudinem uti à noſtris eſt obſervatum, quinque aut ſex milliar. in latitudinem quatuor. Dulcium aquarum indiga, à nullis barbaris incolitur. Acceſſu haud ita difficilis,ſtationes habet ad occidentale latus ſatis opportunas, & aliquot ſalinas, præſertim unam grandem quæ duo milliaria ambire dicitur, abſolutiſſimi ſalis feracem.

Matinino ſive *Matilino* (ab indigenis *Madaninam* olim dictam & à ſolis fæminis habitatam Martyr teſtatur) ad altitudinem quatuordecim graduum & triginta ſcrupulorum, tribus circiter milliaribus ab Inſula Dominica verſus vulturnum: tota conſurgit in juga, in medio autem tres colles præ cæteris eminent, quorum altiſſimus rotundiore apice pilei formam repræſentat, & à quacunque parte advenientibus primum conſpicitur. Incolitur ab aſpera atque inhumana gente, & præ cæteris harum inſularum barbaris bellicoſa: ſed quam noſtrates, quum ſuperiori anno hanc luſtrarent, ſibi viſam negant, an alio migraverint incertum.

Montſerrate ſita eſt ad altitudinem graduum pene ſeptemdecim verſus arctum, uti à noſtratibus nuper obſervatum; à Guadalupe verſus zephyrum milliar. undecim; à Rotunda verſus Eurum quinque:forma eſt fere orbiculari,tria milliaria longa & pene totidem lata. duos habet arenoſos ſinus, qui ſtationes ſatis commodas navigantibus præbent; eorum alter etiam aquationem, ob fluviolum qui de montibus in ſinum deſcendit, licet nonnumquam ab æſtu marino oblimetur. Solo eſt elato, pingui & nemoroſo ideoque & culturæ haud inepto.

Nieues quinque leucas ambitu complectitur, ad altitudinem ſeptemdecim graduum & viginti ſcrupulorum verſus Arctum; tribus circiter leucis à Rotunda verſus Corum,ſeptem à Montſerrate; à S. Chriſtophori inſula unam verſus Eurum: duo milliaria longa, media ſui parte edita; denſo arborum luco opaca, & dulcium aquarum torrentibus rigua: Dominicæ incolæ huc venandi cauſa ventitare ſolent. Fontes calidos hic reperiri ab Anglis accepimus, qui coloniam deduxiſſe ad hanc inſulam anno CIↃIↃCXXVIII, dicuntur.

Rotunda vulgo *Redonda* ab inſula Nieves verſus Eurum, à Montſerrate verſus Corum ſita,ad altitudinem ſeptemdecim graduum & decem ſcrupul. & ipſa parva, orbicularis & media ſui parte faſtigiata, pene panis in modum: acceſſu facilis, mari circumquaque alto minimeque inſidioſo.

Saba ab inſula. S. Euſtathii verſus Corum, illaque paulo minor, ſed rotundior, circa medium in conum conſurgens, panis Sacchari æmulum: mari haud ſatis alto cingitur, nec tamen navigantibus metuendo, quum nihil diſcriminis occultet. ſita eſt ad altitudinem ſeptemdecim graduum & triginta quinque ſcrupul.

Sancta Crux, indigenis olim *Ayay*, ad altitudinem ſeptendecim graduum & viginti quinque ſcrupulorum uti à noſtratibus accurate obſervatum, duodecim aut quindecim leucis ab Inſula Joannis de porto rico verſus Eurum. circiter octo milliaria longa; montes habet editos, & eminus videtur diviſa, occidentali ſui parte editiſſima; ſub qua & commodam navibus ſtationem præbet: nemoroſa eſt, ſed dulcium laticum haud ſatis compos: inter arbores fructiferas ſunt quædam, quæ fructum ferunt inſtar pomi viridis, quo manſo, lingua hominibus ita inflatur, ut viginti quatuor horarum ſpacio omnis illius uſus impediatur, nulla in poſterũ noxa, ſponte enim tumor remittit. (*Macanillo* eſſe credo, quem fruticem jam ante deſcripſimus.) aqua paluſtri, quæ hic abundat, non ante Solis exortum faciem lavare, cautio eſt, nam ita intumeſceret ut

viſum

viſum impediret; ſole jam exorto, minus noxie eſt. Hæc Angli, utrumque ſuo damno edocti, nos monuerunt.

Santos tres quatuorve minutiſſimæ inſulæ, exiguo intervallo diſiunctæ; ab Inſula Guadalupe verſus Nothum, & inter hanc & Dominicam mediæ.

Sombrero à pilei figura ſicdicta, parvula inſula, ab Anegada verſus Eurum ad altitunem octodecim graduum & triginta ſcrupulorum in medio vadorum ſita.

S. Vincentii inſula, à S. Lucia verſus auſtrum; à Barbados ſedecim aut paulo plura milliaria verſus Favonium; ad altitudinem tredecim graduum, ut poſtremo accuratè à noſtris obſervatum. Figura eſt pene rotunda & inſulæ Fetro, è Canariis uni, non abſimilis, ſex milliaria longa inter ortum & occaſum. Solum eſt admodum fertile, ita ut etiam cannas Sacchari ſua ſponte producat, multis torrentibus & amniculis riguum. Secundum oram quæ occaſum & africum ſpectat, plures habet ſinus & in iis ſtationes peropportunas; ubi & aquatio facilis & exſcenſus commodus. Incolis idem quod vicinis ingenium, iidem mores; ſtatura ſunt modica, ſocordes & de ſolo victu ſolliciti: & tamen, quod mirum, lintribus ſuis uniligneis ad Continentem, quæ nuſquam minus triginta quinque milliaribus abeſt, trajiciunt & ad inſulam ſuam remeant ſine ulla nauticæ pixidis ope. Ab hac ad Granadam non niſi duodecim aut circiter leucarum iter eſſe, à noſtratibus ſuperioribus annis eſt obſeruatum, aliquot minoribus inſulis interjectis (*Begos* vocant) de quibus nihil neceſſe eſt dicere.

Virgo Gorda ab inſula Saba verſus Corum, alta atque rotunda, in fronte minorum Virginum locata. quæ decem aut duodecim numero, verſus inſulam S. Ioannis de Porto rico atque in occidentem exporriguntur, altæ atque arboribus vacuæ; ad altitudinem octodecim graduum verſus arctum: periculoſæ dudum creditæ propter vada atque brevia, ſed immerito, ut Angli teſtantur, quum alvei ſatis alti intercurrant & vel mille navibus ſtationem præbere valeant: piſcium hic magna copia, neque minor volucrum. Nonnullæ ex his aut ſaltem ſuccedaneis peculiaria nomina à navigantibus meruerunt, de quibus iteneraria nautica ſunt conſulenda. Atq; hæc de Canibalum inſulis dicta ſunto, quarum pleræque deſertæ, paucæ ad hunc diem ab Anthropophagis incoluntur, quædam denique ab Europæis coli cœperunt.

Monendi autem ſunt qui hæc maria navigant, aut circa has inſulas in anchoris hærent, ut ſtudioſe ſibi caveant à piſce quodam hic familiari, ne ſe ipſos in ſummum periculum conjiciant: Piſcis eſt congro forma & mole ſimilis, cute intenſe viridi & elegantiſſime variegata, rictu patenti & dentibus acutiſſimis; caro detracta cute candidiſſima eſt & non ingrati ſaporis, verum qualitatis adeo virulentæ ut in ſummum diſcrimen atque adeo mortem conjiciat eos qui illam guſtaverint; uti non modo Angli ſed & noſtrates ſuo periculo & damno nuper fuerunt experti.

BERMVDEZ INSVLÆ.

CAP. XIX.

Bermudez inſularum ſitus, cœli ſolique qualitates.

Absolvtis majoribus, minoribuſque inſulis, quas hoc libro deſcribere propoſueram, ad continentem Americæ ſeptentrionalis jam tranſeundum erat, niſi *Bermudez* inſula retineret, quæ licet longiſſimo intervallo à præcedentibus diſtet, nec proprie ad hanc claſſem pertineat, tamen vix alibi commodius de illa agi poſſe video. Hæc inſula jam à multis annis *Bermudez* nomine innotuit à primi nimirum inventoris agnomine, & *Garzæ* quoque à navis titulo qua ille vehebatur; quod nomen tamen jam exolevit. Ea ad trigeſimum tertium gradum latitudinis ſeptentrionalis collocatur ab Herrera, ab Anglis autem qui altitudinem illius accuratius obſervarunt, ad trigeſimum ſecundum & triginta ſcrupula. Mille fere leucis ab Hiſpaniæ littore verſus occidentem abeſſe ab Herrera traditur, ab Anglis autem, accurata uti profitentur itinerum ratione inita, à Londino primaria Angliæ civitate tria millia & trecenta milliaria Anglica verſus zephyro-no-

tum, à *Raonoack* denique Virginiæ inſula (de qua ſuo loco agetur) quingenta verſus Eurum. Dudum Hiſpanorum aliorumque periculis & naufragiis infamis, anno quidem cIↄ Iↄ xciii leviter; ſed cIↄ Iↄ cix plenius Anglorum opera Europæis cæpit innoteſcere, ſed caſu, uti mox dicetur.

Hiſpaniarum Rex jam ab anno cIↄ Iↄ xxii conſilium ceperat, coloniam huc deducendi; ſuadebat enim ſitus opportunitas, nam ægrè à claſſibus per fretum Bahamenſe in Hiſpaniam revertentibus, vitari poteſt: ampliſſima in hunc finem privilegia *Ferdinando Camelo* Luſitano eo tempore indulta, ſed res ſucceſſu caruit.

Obſcurior itaque diu poſt hæc inſula manſit, & non niſi tempeſtatibus & naufragiis in annalibus ſignata; donec anno cIↄ Iↄ xciii ſimili infortunio *Barboterius* navarchus Gallus hic navem frangeret, imprudentia naucleri ſui eo deductus: viginti ſex viri ſcaphæ & tabularum aliquot beneficio ſervati, ad inſulæ hujus latus quod Corum ſpectat, evaſerunt & inter illos *Henricus Majus* Anglus, qui hujus naufragii hiſtoriam cum qualicunque inſulæ delineatione in lucem prodidit, poſtquam minori nave ibidem ſtructa, inde cum cæteris evaſiſſet.

Denique quum anno cIↄ Iↄ cix, (navigatione ad continentem Virginiæ tum apud Anglos inprimis fervente) Georgius Sommerius Eques cum navi ſua fluctuum impulſu & ventorum violentia ad hanc delatus, navi ſcopulis illiſa, cum ſuis in terram enataſſet, non modo clarius innoteſcere, ſed & magni fieri ab Anglis cœpit: quamplurimi enim ex hiſce in Angliam reduces, ſingulares hujus inſulæ dotes immodice prædicabant; à quibus hanc deſcriptionem accepimus.

Inſula Bermudez in multas partes dividitur, oceano influente in varios ſinus & pluribus alveis terram diſſecante in multas inſulas, quarum una cæteras magnitudine ſuperat, omnes autem ita in cubitum flectuntur, ut ſemilunam forma referant: portus quidem varii, ſatiſque idonei ab ipſis obſervati; aditus vero tantum unus, neque ille omni diſcrimine vacans, propter anguſtias canalis inter ſcopulos utrimque imminentes eluctantis; mare in ipſis faucibus tres orgyas, ubi ſinum intravit ad octo altum, tutiſſimam ſtationem, & adverſus omnium ventorum injurias munitam præbet, ita ut anchoras figere vix opus ſit, rudentibus ad arbores alligantur. Vorticoſum in ambitu mare, optimorum tamen piſcium fœcundum. Porcorum aliquot greges hic inventi, quos jam olim ab Hiſpanis propagandi gratia fuiſſe relictos, dubium non eſt. Teſtudinum marinarum ingens numerus, inter prima edulia, quæ hæc inſula per ſe hominibus præbet, numerantur: Avium variarum magna copia, præſertim littoralium & aquaticarum; inter eas quæ terram amant, prædicantur ardeæ & infinita minorum avicularum varietas; inter maritimas autem illæ, quæ in ſubterraneis cavernis, cuniculorum inſtar, nidulantur & ova ſua ponunt, magnitudine & colore gallinarum ovis paria; ipſæ carne obæſa gratique nutrimenti. Inter arbores ſilveſtres, ingentes Cedros; inter fructiferas imprimis laudant palmitos, moros & quæ fructum quendam ferunt pyro haud abſimilem eleganti colorum varietate diſtinctum, & veluti maculis ſparſum, à quo ipſi nomen ab Anglis impoſitum: inter divitias, unionum copiam celebrant, quas tamen videre nondum contigit, & ambar griſeum. Cete ingentia à Ianuario menſe ad Majum uſque vicina maria frequentant, quorum captura levi impendio & magno emolumento tentari poſſet. Atque hæc quidem ab iſtis, poſtquam navi è cedrinis tabulis compacta, in patriam rediiſſent, in vulgus diſſeminata; quæ cæteros Anglos facile permoverunt, ut colonias eo deducerent; ſed antequam de illis agam; reliqua inſulæ perſequar.

Hæ inſulæ cautibus & rupibus, partim cæcis, partim æſtu relabente extantibus longe lateque in altum projectis, circumdatæ ſunt, verſus ſingulas pene mundi plagas; neque ſupra duos acceſſus habent, eoſque aditu perdifficiles, præterquam iis quibus penitiſſime noti ſunt, quos Angli jam adverſus hoſtiles incurſus communiverunt; ipſum quoque littus cautibus obſitum, ſolis ardore & ventorum ſufflamine ita induratis, ut undarum illidentium violentiæ minime cedant, aut à fluctibus deterantur.

Solum diverſi eſt coloris, & ſubſtantiæ inter arenam & argillam mediæ; roſcidum deterius, ſubalbicans & nigricans mediocris fœcunditatis; ſubfuſcum maxime fertile judicatur, nam ubi duos aut tres pedes ſuffoderis, albicans & petroſa humus ſubjacet, durior

durior quidem calce, ſed mollior ſaxo, ſpongioſa & multis foraminibus, inſtar pumicum, pervia, aquarumque capax, huic radices arborum innexæ nutrimentum & incrementum debent; roſcido ſolo durior & ſolidior humus ſubjacet, ideoque & infœcundior eſt. Dulces latices ſubminiſtrant putei paſſim effoſi: nam nulli hic fontes, nulli amnes aut torrentes reperiuntur.

Cœlum ut plurimum hic ſerenum; aër temperatus, modice humidus & calidus, adeoque ſalubris: fruges & arbores aliunde huc tranſlatæ facile ſuccreſcunt; licet fructus omnes non æque ſemper matureſcant, propter majoris caloris defectum. Maizium bis quotannis ſeritur, ſemel menſe Martio, quod Iulio colligitur: iterumque Auguſto, quod ſub ingreſſum Decembris. Nives hyeme hic admodum raræ, uti & glacies, nec minus æſtate infrequentes immodici æſtus, altanis ventis aërem refrigerantibus: crebra tantum fulgura atque tonitrua ingruunt, nec tamen hominibus aut animantibus damnoſa. Venenata animantia nulla hic hactenus deprehenſa, ne araneæ quidem noxiæ quas hic admodum pulchras & variis coloribus eleganter diſtinctas reperiri ſcribunt, quæ æſtate ita validas telas nent, ut minores aviculæ illis irretiantur. Culices & muſcæ hic ſatis moleſtæ; nec minus formicæ, etiam fructiferis arboribus. Inter herbas uni tantum, quæ inſtar hederæ arbores complectitur, aliquid venenatæ qualitatis ineſſe, ſed admodum debilis, adhuc compertum. Inter ſaxa & ſcopulos haud longe à mari abunde creſcit planta, quam Nuchtli & Tunam ad continentem novi orbis appellant, de qua precioſa illa Cochinilla in nova Hiſpania & alibi colligitur; hic præter fructus agreſtes nihil fert: ſed de hac planta alibi plura dicentur.

Cap. XX.

Coloniæ Anglorum in Inſulis Bermudez.

ANno demum cIↃIↃcxii, quum certa nobilium & mercatorũ ſocietas ſpeciale privilegium à Iacobo magnæ Britanniæ Rege impetraſſet, coloni in has inſulas deduci cæperunt, numero primum ſexaginta ſub præfecto *Richardo Moro*, & paulo poſt plures. Huic præfecto prima cura fuit, aditus adverſus hoſtiles incurſus munire; octo aut novem munimenta variis locis excitata & majoribus tormentis inſtructa, ubicunq; hoſtium acceſſus ullo modo timeri poterat. Triennium in hiſce operibus inſumtum: ſed toto illo tempore coloni graviſſimum damnũ paſſi ſunt ab immenſa glirium multitudine, quæ è navibus in terram delatæ, tantum ſubito incrementum cæperant, ut ſata omnia vaſtarent; neque ulla hominum induſtria huic malo obviam iri potuit, tandem uti ſuccreverant, ſubito interierunt.

Moro ſucceſſor datus *Daniel Tuckerus*, qui anno cIↃ IↃcxvi ad Inſulam appellens, 1616. ſummam diligentiam nec minorem induſtriam in agris colendis, arboribuſque (quas plures ex novi orbis inſulis advexerat) diſponendis adhibuit. Agri ab ipſo dimenſi & colonis pro familiarum amplitudine diſtributi, ut jam proclive ipſis eſſet & victum ſibi parare & merces cum appellentibus commutare. De Tabacco colendo præcipua cura fuit, cujus herbæ, non dicam uſus, ſed abuſus, non modo in Anglia, ſed & in Belgio noſtro & alibi inſanum in modum jam adolevit.

Tuckero anno cIↃIↃcxix ſucceſſit *Butlerus*, qui ſupra quingentos colonos quatuor navibus traduxit, nec pauciores in Inſula invenit, quibus adhuc plures poſtea acceſ- 1619. ſerunt. Inſulæ in certas tribus & municipia diviſæ, omniaque ad Reipublicæ Anglicanæ formam compoſita, quæ hic minutim referre nimis longum foret.

Butlero diſcedente ex inſulis, jam decem munimenta ſtructa erant & duabus ſupra quinquaginta bellicis machinis inſtructa; coloni numerati mille quingenti. Succeſſit *Iohannes Bernardus* anno cIↃIↃcxxii, qui intra quadraginta dies poſtquam appu- 1622. lerat, vita functus, magnum ſui deſiderium apud colonos reliquit. *Woodhuſius* huic ſubmiſſus, quid rerum geſſerit mihi non conſtat; jam ab anno cIↃIↃcx xiii has inſulas tribus Anglorum millibus habitatas fuiſſe, ab authoribus conſtanter proditur. Quod ſane cuivis qui Angliæ dotes noverit, mirum videri poterit, quum hæ inſulæ nec cæli nec ſoli bonitate cum illa ullo modo ſint comparandæ.

Antequam huic deſcriptioni finem imponam, memorabile aliquot Anglorum facinus hic nequaquam eſt prætereundum: Anno quippe cIↃ IↃ CXVI, quinque Angli, cymba vix trium doliorum (horum enim numero navium magnitudo vulgo æſtimatur) vaſto illi & fluctuoſo oceano, temerario certe auſu, ſeſe committentes, quadraginta duobus diebus, ingens illud mare trajecerunt, & ad Hyberniam incolumes appulerunt: quod licet indubitabili teſtimonio ab Anglis ſcriptoribus confirmetur, ab iis tamen, qui fluctuoſi hujus oceani diſcrimina, & itineris longitudinem ad animum revocabunt, difficulter admodum credetur; nos ea qua accepimus fide, referimus.

Hæ inſulæ denique ob frequentia vadorum brevia, & rupes, ſævaſque tempeſtates quæ plerumque circa eas ſolent ingruere, ſtudioſe non modo ab Hiſpanis, qui per fretum Bahamenſe redeunt, ſed & ab Anglis & à noſtratibus, quum illud mare navigant, vitari ſolent; ideoque naucleri curſus ſuos ſollicite inſtituunt, donec certa computatione deprehenderint, ſe citra vel ultra illas jam provectos eſſe: nam ſi ſecus faxint, aut in calculo ſuo fallantur, vel ingens diſcrimen vel certam perniciem incurrunt.

Atque hæc de inſulis oceanicis dicta ſunto, nam cæteras, quæ breviori trajectu à continente abſunt, una cum provinciis quibus objacent aut adjacent, deſcribam; nunc ad Continentem me accingo.

APJCB



NOVA F
REGIONES
La Grand Riviere de Canada.
Novelle
Biscaye
Monts de Noſtre Dame
Montagnais
Norum bega
Accad
Port Royal
Baye Françoyſe
Yroquoys
C. S. Louis
C. Blanc
B. Blanche
Port aux Iles
Beau port
R. du Gaz
R. Chouacoet
I. de Bacchus
Lac de Champlain
R. S. Croix
Port aux mines
B. S. Marie
Milliaria Germanica.
10
20
30
40
50
60
WEST
53
52
51
50
49
48
47
46
45
44
43
42
41
40
39
38



ANCIA
ACENTES.
Carpunt
Bell'Ile
C. du Grat
Golfe de Chaſteaux
Blanc ſablon
Iles de la Damoiſelle
Port de Quartier
Port S. Nicolas
Chicheſedec
C. Thieunot
Grand Baye
C. Rouge
Baye d'Orge
Baye Blanche
I. das Aves
C. Poin
C. l'Eveſque
C. de Bou: tonieres
Gachepe
I. Percee
Bonaventure
Natiſcotec
GOLFO
DE
S. LAURENS
Baye St. George
TERRA NOVA
C. St. Ian
Ilheos de Fra Louis
C. de Bona Viſta
I. de Bacalaos
Perguiça
Dos Patos
De Graca
Trinite
Bahia de Concepcion
Abra Frade
C. S. Franciſco
Enſeada Grande
R. St. Iean
C. de Eſphera
Ilheos de Eſphera
Abra de Brigas
Punta da Farilham
Agua Fuerte
Rennoſa
C. de Raz
C. de Anguille
C. de Raye
C. d'Eſperance
I. aux Fangeux
I. Rames
Brion
I. S. Paul
Ninganis
Port aux Baſques
I. de St. Pedro
Baye St. Clare
Bay Faune
Abra St. Marie
Abra Treſpaſs
C. Breton
Port aux Anglois
Fleue de Barques
Canſeau
Cibo
Iles Rangees
I. Verte
Baye de toutes Iles
Port S. Claire
Banc Neuf
Banquereaux
Banc au Vert
Les Nuquelets
Le Grand Banc
I. de Sable
OOST
53
52
51
50
49
48
47
46
45
44
43
42
41
40
39
38

DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER SECUNDUS.
NOVA FRANCIA.

INTRODUCTIO.

ABſolutis ſuperiori libro majoribus minoribusque Inſulis, quæ ſinui illi ingenti aut objacent aut injacent, ad Continentem nos convertimus, cuius deſcriptionem à ſeptentrionali illius parte inchoabimus, quæ plurimas regiones, ampliſſimaſque provincias complectitur; paucis exceptis, hactenus fere ignotas, aut leviter & juxta littora tantum cognitas: nam Hiſpaniâ Novâ, & provinciis quæ illam ad ſinum Californiæ uſque contingunt, exceptis, exigua tantum cæterarum quæ mediterraneæ ſunt, notitia ad nos pervenit; ideoque ignotiores leviter attingemus, in notioribus paulo diligentius immorabimur. Neque tamen hujus partis deſcriptionem ab extremis illius finibus, qui arcto ipſi ſubjacent, exordiemur, ſed regionibus illis incultis (quæ glacie atque perennibus nivibus horrent, & non niſi obiter luſtratæ ſunt ab iis, qui per varios receſſus, ſinus atq; freta ad Tartariam & Sinarum regnum, aditum fruſtra hactenus quæſiverunt,) prætermiſſis, ab iis initium capiemus, quæ cultum aliquem humanum jam receperunt, & quinquageſimum quartum aut quintum ſeptentrionalis altitudinis gradum attingunt, & NOVAE FRANCIAE nomine hodie appellantur: Non quod hæ regiones à Francis primum luſtratæ aut inventæ fuerint, nam ante Britannorum & Normannorum è Gallia navigationes ad has terras, magna pars oræ maritimæ à Ioanne & Sebaſtiano Cabotis *Venetis, Henrici* VII *Angl. Regis auſpiciis, non modo luſtrata, ſed & delineata fuit, ut Tabulæ geographicæ ab iiſdem editæ faciunt fidem (quarum non paucæ hodieque in Anglia ſuperant) in quibus hæc leguntur: Anno Domini* CIↃ CCCC XCVII *Ioannes Cabotus Venetus & Sebaſtianus illius filius eam terram fecerunt perviam, quam nullus prius adire auſus fuit, die* XXIV *Iulii circiter horam quintam bene mane. Hanc autem appellavit* Terram primum viſam, *credo quod ex mari in eam partem primum oculos injecerat: nam quæ ex adverſo ſita eſt Inſula, eam appellavit Inſulam* Divi Ioannis, *hac opinor ratione quod inventa fuit eo die, qui ſacer eſt S. Ioanni Baptiſtæ. Hujus incolæ pelles animalium, exuviaſque ferarum pro indumentis habent, eaſque tanti faciunt, quanti nos veſtes precioſiſſimas. Cum bellum gerunt, utuntur arcu, ſagittis, haſtis, ſpiculis, clavis ligneis & fundis. Tellus ſterilis eſt, neque ullos fructus adfert, ex quo fit, ut urſis albo colore, & cervis inuſitatæ apud nos magnitudinis referta ſit: piſcibus abundat, iiſque ſane magnis, quales ſunt lupi marini & quos Salmones vulgus appellat; ſoleæ autem reperiuntur tam longæ, ut ulnæ menſuram excedant. Inprimis autem magna copia eorum piſcium, quos vulgari ſermone vocant* Bacalaos. *Gignuntur in ea Inſula accipitres ita nigri, ut corvorum ſimilitudinem mirum in modum exprimant, perdices autem & aquilæ ſunt nigri coloris. Hæc ibi. Nec multo poſt Cabotos, anno nimirum* CIↃIↃ Gaſpar Corte-

realis *Luſitanus eaſdem terras viſitavit Regis Luſitaniæ juſſu, eaſque ulterius detexit. Verū tamen* Novæ Franciæ *nomen hiſce regionibus impoſitum, quia Franci omnium primi in interiora penetrarunt, & coloniis aliquot auctoritate Regia deductis, occuparunt ut ſuam.* Nova *itaque* Francia, *ut pleriſque Gallicis ſcriptoribus placet, intra quadrageſimum & quinquageſimum quintum ſeptentrionalis altitudinis gradus continetur; alii anguſtioribus limitibus includunt: quidam & ad ſexageſimum gradum extendunt: Longitudo harum regionum verſus occidentem incerta: quouſque autem Franci navigationibus ſuis & itineribus terreſtribus penetrarint, in ſequentibus explicabitur. Deſcriptionem porro hujus continentis, ab Inſula* Terra Nova, *ut jam vulgo appellatur, inchoabimus, quia illi prætenditur, atque aditum ad illam aperit.*

TERRA NOVA.

Cap. I.

Inſulæ ſitus, cœli ſolique qualitates, animantes.

INSVLA *Terra Nova* ad arctum quidem anguſto freto à Continente Septentrionalis Americæ dividitur, ſinui ſive mediterraneo mari, quod vulgo S. Laurentii vocant ad ortum objecta, inter quadrageſimum ſextum & quinquageſimum tertium latitudinis ſeptentrionalis gradus: & ſi Gallicus ſcriptor anonymus apud Ramuſium recte obſervavit, ad quadrageſimum longitudinis occidentalis gradum; (menſura longitudinis ab Inſulis promontorii viridis productâ) ita ut promontorium illius orientalius, *Cap de Raz* vulgo, à Diepa Galliæ urbe maritima ſeptingentis & ſexaginta leucis recta pene linea diſtet. Ad orientem & meridiem à vaſto oceano ſeptentrionali pulſatur.

De Cœli ſolique qualitatibus & condicione varii varia & diverſa tradiderunt. *Stephanus Parmenius* Budæus, cum nobiliſſimo Equite Anglo Humfredo Gilberti ad hanc inſulam profectus, in Epiſtola ſua ad Richardum Hackluytum in hunc modum de illa ſcribit. Terra univerſa montana & ſylveſtris; arbores ut plurimum pinus, eæ partim conſenuere, partim nunc adoleſcunt; magna pars vetuſtate collapſa & aſpectum terræ & iter euntium ita impedit, ut nuſquam progredi liceat: Herbæ omnes proceræ, ſed raro à noſtris diverſæ. Natura videtur velle niti etiam ad generandum frumentum: inveni enim gramina & ſpicas in ſimilitudinem ſecales; & facile cultura & ſatione in uſum humanum aſſuefieri poſſe videntur. Rubi in ſylvis vel potius fraga arboreſcentia magna ſuavitate. Vrſi circa tuguria nonnumquam apparent & conficiuntur; ſed albi ſunt, ut mihi ex pellibus conjicere licuit, & minores quam noſtri. Populus an ullus ſit in hac regione, incertum eſt, nec ullum vidi qui teſtari poſſet. Et quis quæſo poſſet, cum ad longum progredi non liceat? nec minus ignotum eſt, an aliquid metalli ſubſit montibus; cauſa eadem eſt, etſi adſpectus eorum mineras latentes præ ſe ferat. Nos Admiralio authores fuimus ſylvas incendere quo ad inſpiciendam regionem ſpatium pateret: nec diſplicebat illi conſilium, ſi non magnum incommodum allaturum videretur. Confirmatum eſt enim ab idoneis hominibus, cùm caſu quopiam, in alia neſcio qua ſtatione, id accidiſſet, ſeptennium totum piſces non comparuiſſe, exacerbata maris unda, ex terebinthina quæ conflagrantibus arboribus per rivulos diffluebat. Cælum hoc anni tempore (ſcribebat autem menſe Auguſto) ita fervidum eſt, ut niſi piſces, qui areſiunt ad ſolem, aſſiduo invertantur, ab aduſtione defendi non poſſint. Hyeme quam frigidum ſit, magnæ moles

moles glaciei in medio mari nos docuerunt. Relatum eſt à comitibus, menſe Majo ſexdecim totos dies ſe inter tantam glaciem hæſiſſe, ut ſexaginta orgyas altæ eſſent inſulæ; quarum latera ſoli appoſita quum liqueſcerent, libratione quadam totam molem ita inverſam, ut quod ante pronum erat, ſupinum evaderet magno præſentium diſcrimine ut conſentaneum eſt. Aër in terra mediocriter clarus eſt: ad orientem ſupra mare perpetuæ nebulæ; & in ipſo mari circa Bancum (ſic vocant locum ubi quadraginta leucis à terra fundus attingitur & piſces capi incipiunt) nullus ferme dies abſque pluvia. Hæc ille. Verum *Richardus Whitburnus* Anglus, libello de hac inſula edito, teſtatur: Aërem hujus inſulæ ſaluberrimum eſſe, non modo æſtivis menſibus, ſed etiam hybernis: ſolum fertile in imis convallibus & ad montium radices, ita ut æſtate ſponte ſua non modo lætiſſima gramina, ſed & varias fruges progeneret, piſa nimirum viridia & vicias, quæ magnitudine & ſalubritate cum Anglicanis certent: fraga autem rubra atque alba, uvas criſpas & conſimiles frutices maxima copia nutriat; nec fructiferarum arborum inopem eſſe quum pira, ceraſa & avellanæ multis locis reperiantur. Herbarum inſuper ſalubrium perfecundam eſſe, petroſelini, majoris minoriſque acetoſæ & ſimilium olerum. Florum item elegantiſſimorum feracem, roſarum præſertim mira colorum viciſſitudine & ſingulari odorum ſuavitate; denique & medicinales herbas atque radices gignere experientia comprobatum; quæ omnia perfœcundi & feraciſſimi ſoli indicia ſunt. Frumentum ab illis qui hic hybernarunt ſatum, non modo lætiſſime adolevit, ſed & uberes fruges tulit. Inter ſylveſtria animalia, lepores, vulpeculæ, caſtores, urſi, lupi, ſciuri ab ipſo nominantur, & ſimilia ad uſum & emolumentum hominum nata.

Maxima hic omnis generis avium abundantia, tam aquatilium quam ſylvicolarum; Anſeres, anates & penguini Europæis penitus ignoti (de quibus alibi dicemus) columbæ, perdices, luſciniæ, majores minoreſque accipitres, aliaque. Aquarum dulcium ſcaturigines innumeræ: tota denique Inſula multis amnibus, torrentibus, rivulis eſt interſecta, qui optimos piſces nutriunt, inter quos Salmones, anguillæ & imprimis Trutæ excellunt: mare itidem quod circumluit mire piſcoſum: Sinus, portus, ſtationeſque optimos cancros, muſculos & alios cruſtaceos & teſtaceos piſces ſubminiſtrant. Sylveſtrium arborum magna varietas, celſiſſimæ piceæ, pinuſque betulæ, pluresque aliæ per immanes ſaltus & opacos lucos ſparſæ; & ignium pabulo & navibus, ædificiis, cæteriſque humanis uſibus idonea materies.

Hyberna frigora ſupra clymatis modum intenſiora, duabus potiſſimum cauſis à Withburno imputantur, immenſis glaciei molibus quæ ab Arcto in hæc littora hibernis menſibus propelluntur; & ſylvarum denſitati, quæ ſolum non modo ita opacant ut ſolis radii ad illud pertingere & reflecti haud quaquam poſſint, ſed etiam multos vapores & nebulas generant, quibus hæc inſula ſupra modum obnoxia eſt: atque hiſce incommodis quum obviam iri poſſe exiſtimet, ſi ſylvæ cædantur & ſolaribus radiis ad ſolum liber aditus aperiatur, vero conſentanea videtur ſentire. Sed nec frigus omnibus annis æquale, nam qui anno cIɔ Iɔ cxi hic hybernarunt, teſtantur ſe Octobri & Novembri & bona parte Decembris vix ullum frigus ſenſiſſe, reliquis hybernis menſibus uſque ad medium Martii modicum gelu; & ventos ab occidentali plaga crebrius, rarius ab aquilonari ſpirantes obſervaſſe. Hæc Inſula ab Anglis, uti apparet, primum inventa; à Gallis è Britannia & Normannia anno cIɔ Iɔ iv cæpit adiri, primum quidem ea parte, qua Auſtrum ſpectat, inter duo promontoria *de Raz* & *Britonum*: mox etiam qua boream adſpicit ultra promontorium de *Bona viſta* ad fretum uſque quod vulgo *Golfo de Chateaux* appellant: Orientale latus Luſitani primum, mox etiam cæteræ Europæ gentes frequentarunt.

Portus & ſtationes Inſulæ omnibus nationibus æqualiter hactenus patuerunt, quæ ſtatis anni tempeſtatibus huc ſe ſolent recipere ut piſces haud longe à littore captos ad ſolem indurent & exſiccent: certis autem quibuſdam legibus & inſtitutis, quæ & conſenſu ſunt firmata, & ut plurimum, ultro ab omnibus ſervantur, inter ſe congruunt: quorum potiſſimum eſt, ut quem quiſque locum præceperit, illum teneat ibidem inventis tuguriolis aliiſque machinis illo anno utatur ut ſuis: ſunt & alia quæ conſulto prætereo. Tentatum quidem aliquoties ab Anglis hanc Inſulam proprii juris facere, impoſito cæteris gentibus vectigali & latis quibuſdam legibus de Religione,

gione, & obſequio Regibus Angliæ præſtando; præſertim anno cIↄ Iↄ LXXXIII, quo *Humfredus Gilberti* eques, hanc in ſuam & Regum Angliæ poſſeſſionem vindicavit, & colonias eo deducere propoſuit: verum quum ipſe in reditu una cum celoce ſua ab oceano eſſet abſorptus, nihil tum ultra actum & piſcatoribus priſtina libertas manſit. Denuo anno cIↄ Iↄ C VIII Angli, Ioanne Gujo Briſtolienſi ductore, ſtatas ſedes in hac inſula fixerunt, ad ſinum Conceptionis, quæ aliquot annis ibidem perſtiterunt.

Cap. II.

Incolæ Terræ Novæ, eorum habitus & Mores.

QUICUNQUE nuper de hac inſula ſcripſerunt, magno conſenſu teſtantur, orientalem & meridionalem illius plagam nullis hominibus habitari, ſed omnes incolas barbaros ad occidentalem & borealem partes incertis ſedibus vagari. Aſperi atque inculti, nulla penitus religione in Deum, nullo politico regimine inter ſe, ferarum magis, quam hominum more agunt: barbaris qui in continente verſus ſeptentriones degunt, habitu atque victu ita per omnia ſimiles, ut minime dubium ſit, ex illis ortos huc aliquando commigraſſe. Cæterum Galli atque Hiſpani qui quotannis fretum S. Laurentii ingrediuntur balænarum capiendarum gratia & ad oram occidentalem hujus inſulæ ſe applicant, teſtantur hos barbaros ad miniſteria Europæis præſtanda ſatis promtos eſſe; pertenui enim victu & exigua admodum mercede conductos, utriſque in balænis concidendis, eviſcerandis, coquendis indefeſſo labore ſingularem operam præſtare. Statura corporis ſunt mediocri, capillis nigris, lata facie, ſimis naribus, grandibus oculis; mares omnes ſunt imberbes: uterque ſexus non modo cutem ſed & veſtimenta rubrica quadam tingit, quæ ex pellibus marinorum luporum barbara induſtria conſuunt. Mapalia quædam atque humiles caſas incolunt è lignis in orbem diſpoſitis & in faſtigio conjunctis, quæ ferarum tergoribus aut piſcium exuviis circumquaque adverſus aëris injurias & pluvias contegunt: focum in medio tuguriorum ſtruunt, cui noctu atque interdiu, quum lubet, humi poſtrati accubant. Cymbæ ipſis ex corticibus arborum compoſitæ, viginti ut plurimum pedes longæ, quinque aut circiter latæ & ſemilunæ in modum, ad proram atque puppim erectæ atque incurvæ, quinque ad ſummum vectorum capaces; illis utpote leviſſimis undas ſumma velocitate ſecant, eaſdem quum opus fuerit humeris geſtant; nam ne ſtatis quidem ſedibus ſe continent, ſed vagi Nomadum inſtar ſæpius habitationes mutant, prout illos aut neceſſitas cogit, aut commoditas invitat. Arma ipſis ſunt arcus & ſagittæ lapillis quibuſdam præacutis aut oſſiculis aſperatæ. Olim quoque ad auſtralem plagam ubi multo amœnior & opportunior habitatio eſt, haud multum diſſimilis gens ſedes fixerat, verum Europæorum, ut veriſimile eſt, conſuetudinem abhorrens aut pertæſa, ad interiora & ulteriora ſe recepit:
cap.1. Etenim Anonymus Gallicus ſcriptor, cujus ante meminimus, qui ſcripſit anno 1539, teſtatur, oram auſtralem hujus Inſulæ iſto tempore tenuiſſe gentes barbaras omnis cultus atque humanitatis expertes, atque aliorum congreſſum affatuſque penitus aſpernantes, cęterum habitu corporis & amictu ſuperioribus omnino ſimiles, niſi quod faciem notis quibuſdam inurererent & veluti lineis perſignarent. Idem teſtatur, & orientalem plagam tum à paulo cultioribus & humanioribus populis, ſed infrequentioribus fuiſſe habitatam: quæ utraque ora jam penitus deſerta & cultoribus vacua deprehenditur, certiſſimo indicio, gentes haſce Europæorum conſortia fugere quantum poſſunt, & ab iis deprehenſas non niſi ingratiis obſequium præſtare.

Cap. III.

Portus & ſtationes hujus Inſulæ, oraque omnis maritima.

NULLA Inſula in toto terrarum Orbe, quæ quidem pari ſit magnitudine, plures aut opportuniores ſtationes atque portus obtinet: quos ut particulatim recenſeamus, ora univerſa nobis legenda eſt, quam à promontorio *Raze* primo verſus ſeptentriones, deinde & verſus occidentem ſtringemus. Promontorium

rium

rium ipſum quod vulgo *Cabo de Raz* vocant, extremum hujus inſulæ verſus auſtrum, diſtans ab æquatore verſus arctum ſex ſupra quadraginta gradus & viginti quinque aut triginta ſcrupula, humili eſt ſolo, nec multum prominet, ſcopulo autem quod mediam circiter leucam à littore in alto ipſi objacet, dignoſcitur. Sex ab hoc promontorio leuc. verſus Septentriones portus occurrit, *Renouſe* vel *Roigneuſe* vulgo, in cujus receſſu inſula jacet tota petroſa: ad hunc portum ſingulis annis multæ naves appellunt & ibidem piſces in alto captos aut ſale condiunt aut ad ſolem indurant. Huic unius leucæ aut trium milliar. Anglicorum intervallo proximus eſt *Portus Formoſus*, maximarum navium capax & continenti ſupra quatuor milliaria verſus occidentem ſe inſinuans, quadraginta ſex gradibus & quadraginta quinque ſcrupulis ab æquatore. Haud longe ab hoc ad eandem plagam ſequitur *Aquaforte* portus, anguſtiore aditu & præruptis undiquaque ripis. Itinerarium nauticum Luſitanorum, duabus ab hoc leucis, terræ cornu collocat, vulgo *Punta de Farilhan*, quadraginta & ſeptem grad. ab æquatore, & paulo ultra varios terræ receſſus & ſinus quos *Abras* vulgus nautarum vocat. Tres deinde minores inſulæ littori objacent, ſuis nominibus diſtinctæ, quarum prima *Ilheo de Ferro*, proxima *Columbrina*, tertia denique *Ilheo de Galeotas* appellatur, duarum circiter leucarum intervallo à promontorio *de Eſphera* vel ut Galli indigetant *de Sant Freſaye*. Ab hoc promontorio ad celebrem *S. Ioannis* portum, quadraginta ſeptem gradibus & quadraginta ſcrupulis ab æquatore, duæ numerantur leucæ. A quo quinque leucas verſus Arctum provectis promontorium *S. Franciſci* occurrit, ad altitudinem octo & quadraginta graduum, magnum ad auſtrum ſinum aperiens, quem Luſitani *Enſeadam grandem*, Angli *Thornbaye* appellant; in latitudine annotanda nonnihil variant, nos Luſitanos hic ſequimur. Vltra promontorium S. Franciſci ora in eundem modum recedens, ingentem ſinum & varios in illo receſſus facit: Sinum ipſum Luſitani *Bahia de la Concepcion*, Angli *the Baye off Trinite* vocant, ad altitudinem pene novem & quadraginta graduum. Ampliſſimus hic eſt ſinus & ubi anguſtiſſimus ad quinque milliaria patens, qui longe lateque tam verſus Africum, quam occidentem terræ ſe inſinuat, multoſque habet receſſus, peculiaribus nominibus inſignes, quæ hic commemorare longum foret. Tres in hunc ſinum amnes exeunt, multæque in illo inſulæ ſparſæ, fertili admodum ſolo, unde hic portus inter præſtantiſſimos hujus inſulæ merito recenſetur. Duorum autem milliarium à continente majoris inſulæ intervallo, minor inſula objicitur, quam de piſcium qui hic capiuntur nomine *Bacalaos* vocant. Sinum vero prædictum ad ſeptentriones claudit promontorium *de bona viſta* cum portu ejuſdem nominis, ad altitudinem novem & quadraginta graduum & quindecim ſcrupulorum ſecundum Luſitanorum computum. Ab hoc promontorio ad alterum quod vulgo vocant *Punta des Ilheos de Fray Louis* & ad ipſas inſulas *de Fray Louis* decem ſunt leucæ, ad altitudinem novem & quadraginta graduum & ſemiſſis: ab his inſulis ad Inſulam Avium ut Luſitani vocant, ad altitudinem quinquaginta graduum & quindecim ſcrupulorum, itidem ſunt decem leucæ; atque hinc ora maritima ſe reflectit verſus Traſciam, multaque hic vada & brevia, perpetuæ nives & ſummum frigus & piſcium inopia. Juxta Promontorium *de bona viſta* verſus auſtrum ab aliis ponitur ſinus, quem alii *Frelay* alii *Foriland* & *Farillon* appellant. Ab hoc promontorio terra nunc mare admittens, nunc excludens varios ſinus & receſſus variaque promontoria facit, uſque ad promontorium *de Grat* quod hujus inſulæ extremum eſt verſus Septentriones. Angli minoris cujuſdam inſulæ meminerunt ad altitudinem novem & quadraginta graduum & quadraginta ſcrupulorum, quam Penguinorum inſulam dicunt, ab earumdem avium ibidem nidulantium copia, quas barbari *Aporath* nominant, cum penguinis forma optime convenientes, quos alibi deſcribam. Quarterius Gallus, qui hæc maria inter primos luſtravit, hanc inſulam ob eandem cauſam *Iſle des Oiſeaux* appellaverat & Luſitani *Ilha das aves*. Hactenus littora hujus inſulæ ad ſeptentriones pertinent, nunc ad auſtrale latus redibo.

Bacalaos Inſula.

A promontorio *de Raz* ad auſtralem hujus inſulæ plagam, verſus occidentem progrediendo, duarum leucarum iter eſt ad portum *Trepaſſez*, *Abram Trepeſſam* Luſitanis ad altitudinem ſex & quadraginta graduum, ſecundum Anglorum computationem: peropportunus hic eſt portus & mare quod alluit altum, nulliſque vadis

aut

S. Petri Inſulæ.

aut ſcopulis impeditum: ab hoc ad fluvium, *Chinchetam* Portugallis, duæ numerantur leucæ: ab iſto autem ad ſinum *S. Mariæ* ſex: hic ſinus ingenti oſtio & ad quatuor leucas patulo ſe pandens, inſulam gremio ſuo concludit, quam vulgo *Culunetam* appellant. Sequitur ad eandem oræ plagam promontorium *S. Mariæ*, novemdecim leucis à promontorio *Raze* verſus occidentem, ut quidam numerant. Ultra hoc alius ſinus ſe aperit, quem *Placentiam* vel *Præſenciam* vulgo vocant ad altitudinem ſex & quadraginta graduum & quadraginta quinque ſcrupulorum; nec procul hinc parvulæ aliquot inſulæ vel potius ſcopuli oræ maritimæ objacent, quæ vulgo *Martyres* audiunt. Et quinque minores inſulæ *S. Petri* nomine inſignes, quæ & percommodum portum navigantibus præbent, & arborum ſylveſtrium copia cum majori inſula certant: hæ ipſis faucibus freti, quod Terræ Novæ & S. Laurentii vel Britonum inſulas interluit prætenduntur. Ex adverſo auſtralem majoris Inſulæ oram, portum Cantabrorum, vulgo *Port aux Baſques*, commemorat *Champlanius*. Ultimum ad occidentem promontorium vocant *Cap. de Raye*, quod diſtat ab inſulis S. Petri milliaria quadraginta duo uti Angli teſtantur. Ab hoc ora ſe reflectit ad ſeptentriones vel potius Traſciam, duodecim leucarum itinere, uſque ad promontorium *Anguillæ*; à quo ad boream ſe ſubducit leuc. octodecim, ad ſinum *S. Georgii* crebris Cantabrorum navigationibus notiſſimum; patet novem aut decem leucas, accoliturque à barbaris illis quos ſupra deſcripſimus: Quæ ab hoc verſus boream ſuperſunt, haud ſatis cognita ſunt hactenus, rariſſime enim & fere ab invitis adeuntur.

Cap. IV.

Magni Banci, ut vulgo vocatur, qui Terræ Novæ prætenditur; & Inſulæ de Sable, deſcriptio.

INſvlæ Terræ Novæ, quam jam deſcripſimus, ingens maris dorſum prætenditur, quod vulgari nomine *Magnum Bancum* pleræque Europeæ nationes ſolent appellare: inter Oceani mirabilia jure referendum: nam quum ingens Oceanus ſeptentrionalis altiſſimus ſit, ita ut paulo longius à continente fune ducentarum orgyarum fundum attingere neutiquam poſſis, hic ſe veluti in jugum aut dorſum attollit, & modo triginta, mox quadraginta orgyas altum, ad aliquot centena milliaria in longitudinem extenditur, à quadrageſimo & uno nimirum gradu ad quinquageſimum ſecundum verſus arctum. Patet autem in latitudinem ad ſummum viginti quatuor leucas, & ubi paulum anguſtatur, ſedecim atque etiam pauciores: & utrinque deſinit in conum: Quo magis ad ſeptentriones vergit, eo profundius fit mare, contra ad auſtrum, ita ut & cautes quædam hic extare videantur; quas Galli vocant *les Nucquelets*. A Promontorio *Raze*, ad hunc Bancum, viginti quinque leucarum trajectus eſt, altiſſimo inter utrumque mari; aliis locis paulo major aut minor diſtantia eſt ab Inſula *Terra Nova*. Porro incredibilis pene piſcium copia quotannis hic capitur, à Gallis, Hiſpanis, Luſitanis, & aliis nonnumquam nationibus; *Bacalaos* Cantabri, *Molües* aut *Morües* vocant Galli, notiſſimos toti Europæ piſces.

A medio Aprili ad exitum Julii hic piſces capiunt, captos exenterant & condiunt ſale, ita conditi *Morüe verte* Gallis dicuntur. Toto hoc tempore tanta avium multitudo ſupervolat, quæ viſceribus piſcium in mare abjectis veſcuntur, (ut vix alio indicio navigantibus opus ſit:) & hamis haud ſecus capiuntur quam piſces, ſumma cum voluptate: inter illos nominatim celebrant Galli *Fauquets*.

Præter hunc ingentem Bancum, plures alii minores circa Terram Novam obſervati, & præſertim duo, quorum unus auſtrali hujus inſulæ lateri objacet, & ad Inſulas S. Petri uſque producitur, *Banc au Vert* Gallis dictus; alter autem Inſulæ *de Sable* ad Septentriones objectus, verſus Boream deflectit, alios commemorare longum eſſet neque neceſſarium.

Inſula de Sable.

Porro Inſula *de Sable*, (ita ab arenis Galli vocant) ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum ſita eſt, triginra circiter leucis ab Inſula Britonum ſive Sant Laurentii verſus auſtrum, ambit pene quindecim leucas, longior multo quam lata,

vadoſo & importuoſo in circuitu mari & naufragiis quorumdam infami. Jam anno cIↃ IↃ XVIII. Galli opportunitate loci allecti, auſpiciis Baronis *de Lery* coloniam hic collocare in animum induxerant, ſed ſerius hic appellentes, annonæ & imprimis dulcium aquarum inopia, re infecta diſcedere coacti ſunt, & tantum armenta & porcos quos advexerant, hic reliquerunt; quæ animalia pabuli inopia (nam magna parte ſterilis eſt inſula & meræ arenæ) exiguum incrementum ceperunt: Poſt illa & à Luſitanis tentatam invenio, ſed pari eventu. Denique jam diu à Luſitanis cæteriſque nationibus neglectam, Marchio *de la Roche* Gallus rurſus coloniis aliquot occupare eſt agreſſus anno à C. N. cIↃ IↃ XCVIII: Relicti tantum pauci in inſula, qui ægre vitam ibidem tolerarunt, piſcibus & prædictis animalibus ſe ſuſtentantes; & pellibus nigrarum vulpium atque marinorum luporum exuviis ſeſe amicientes: poſt quinquennium demum inde ſunt abducti. Parvum in hac inſula eſt ſtagnum, nullæ ſcaturigines: fruticeta multa, pauciſſimæ arbores, humus fere nuda aut leviter herbida; nec adiri facile propter vadorum brevia poteſt, neque ſane, ut opinor, meretur.

INSVLA S. LAURENTII ſive BRITONUM.

CAP. V.

Inſulæ Britonum ſitus, cæli ſolique qualitates, Indigenæ.

TERRÆ Novæ alia ad occidentem inſula adjacet, inter ipſam & Novæ Franciæ Continentem media; *S. Laurentii* quidem à ſinu quem claudit, Britonum autem, ab orientali ſuo promontorio (quod vulgo *Cap Briton* vocant) nomine ſignata. Auſtrale illius latus patet inter ortum & occaſum viginti quinque leucas, diſtatque ab æquatore qninque & quadraginta gradus & totidem ſcrup. occidentale illius cornu abeſt à *Campſeau* (ad extimum & orientalem N. Franciæ angulum ſito) octo leucas: ab orientali autem illius promontorio (vulgo *Cab Briton*) ad promontorium Raze (Terræ Novæ extimum ad orientem) numerant ſeptem ſupra octuaginta leucas. Dirimitur à Continente N. Franciæ freto novem aut decem leuc. longo; quod licet in mediterraneum S. Laurentii æquor penetret, profundo ſatis alveo, tamen rariſſime navigatur, propter anguſtias canalis & pernicem undarum lapſum, à quo & nomen apud Gallos invenit, vulgo *le Paſſage courant.*

Inſula hæc forma triangulari; ambitu ſuo pene octuaginta leucas complectitur, maxima ſui parte in colles, monteſque aſſurgens, ſupra modum amœna & delectabilis: mare per varios alveos in intima uſque admittit; & ab illis in multas partes veluti minores inſulas dividitur: in medio lacus eſt & parvæ aliquot inſulæ in illo ſparſæ, in quibus magna ferarum copia reperitur; alvei imprimis teſtaciis piſcibus fœti, inter quos oſtrea numerantur, ſed ingrati ſaporis. Ingentes ubique ſaltus, in quibus proceræ quercus, piceæ & ſimiles arbores etiam Europæis familiares viſuntur; multæ adhæc peregrinæ & noſtro orbi ignotæ: ſolum egregia ubertate, fraga optima & ſimiles fructus ſponte profundit; gramina tamen licet procera ob gracilitatem minus laudantur. Sylvæ cervos, nigras vulpes, lutras & ſimiles feras alunt; neque minor hic avium copia, inter quas & Penguini numerantur.

In pleriſque partibus à barbaris incolitur, qui habitu & moribus, cum incolis *Terræ Novæ* optime conveniunt, capillis nigris, quos infra humeros promittunt; ferinis exuviis pudenda tegit vulgus, cætera nudum, proceres etiam palliolo è ferinis pellibus humeros & pectus: canes habent nigros, quos magna cura educant ad venationem. Luſitani huc olim coloniam deduxerant, ſed inclementiam hiberni cœli & frigus, crebrioreſque tempeſtates pertæſi, ſtatim mutarunt.

Portus pro magnitudine inſulæ pauci numerantur: ad auſtralem inſulæ plagam duabus aut tribus leucis à *Cap. Breton*, promontorio illius orientali, portus Anglorum, (Gallis *port aux Anglois)* quod huc crebro ſolent commeare piſcandi gratia: & paulo ultra verſus occidentem, *Nevvport* Anglis, quaſi novum portum dicas, quem parvula inſula majori objecta circumſcribit: octo dein ab hoc leucis alius, quem barbari ſua lingua *Cibo* vocant, ubi tanta Cammarorum & Aſtacorum copia reperitur, ut fere fidem ſuperet: Atque hi portus ad auſtralem plagam: ad latus autem quod aquiloni obvertitur, octodecim aut viginti leucis à promontorio Britonū verſus

corum, portus *Ninganis* à Luſitanis memoratur, ad quem olim ſedes fixerant, quas poſtea deſeruerunt. Septentrionale hujus Inſulæ promontorium vulgo *Cap Sant Laurens* appellatur, huic inſula *S. Pauli* objacet; ab hoc promontorio ad Terram Novã & promontorium *S. Mariæ* octuaginta trium milliariũ iter à Gallis deſignatur. Deniq; ab hoc littus verſus Africum ſe ſubducit & multos ſinus & ſtationes aperit, ignobiles fere & ſolis nominibus notas, hęc hic recenſere ſupervacuũ puto, ne lectori tædium adferant.


Cap. VI.

Minores aliquot inſulæ per Fretum S. Laurentii ſparſæ.

DUÆ inſulæ, de quibus jam diximus, objectu ſuo veluti concludunt mediterraneum æquor ſive ſinum quem *S. Laurentii* nomine celebrant: in quem Oceanus per tres diverſas fauces irrumpit, quarum mediæ ſatis latæ, inter duo promontoria *S. Laurentii* & *de Raye*, extremæ anguſtiores ſunt; quibus dictæ inſulæ utrimque à Continenti ſeparantur. Æquor hoc triquetræ eſt formæ, illiuſque baſis, ut ita dicam, ab uno Novæ Franciæ cornu ad altitudinem ſex & quadraginta graduum, ad alterum cornu vel anguſtiores fauces ad altitudinem quinquaginta duorum graduum, utrique inſulæ prætenditur, hac enim parte longiſſimus eſt ſinus: reliqua duo latera uſque ad magni fluminis Canadenſis oſtia in conum faſtigiantur; dextrum quidem recta pene linea, ſiniſtrum vero ſinuoſo anfractu & cubiti in modum, gremio ſuo aliquot inſulas complectitur. Quarum una ab illis qui fretum hoc primi luſtrarunt *Menego* dicitur, & ob Aſellorum majorum uberem capturam multum celebratur, in recentioribus tamen tabulis geographicis non deſignatur, nomine illo obſoleto. Viginti trium ab hac leucarum intervallo, tres minores inſulæ memorantur, quas ab avium copia nunc *Iſles des Oiſeaux*, nunc *I. des Margaux*, Champlanius autem in tabula ſua *Iſles aux Tangeaux* appellat. Harum duæ rupibus abruptæ & aſcenſu perdifficiles tanta multitudine avium obſidentur ut fidem pene ſuperet: ad altitudinem quadraginta novem graduum & XL ſcrupul. ab Anglis fuerunt obſervatæ: ad tertiam Phocarum quoddam genus, maximo numero adnatare ſolet, ignotum, ut opinor, veteribus animal, quod noſtrates *Walrus*, Angli à Ruſſis mutuato nomine, *Morsh* vulgo nominant: Monſtroſum eſt animal & amphibium; bobus noſtratibus, ubi adolevit, interdum majus, cute cani marino, bucca vaccæ ſimile (unde & vaccæ marinæ nomen apud quoſdam meruit) niſi quod duos dentes, prominentes & ante recurvos habeat, cubiti nonnumquam longitudine, quorum uſus & precium ebori comparatur: fœtum ſupra unum aut alterum vix enititur; robuſtum & ferox imprimis animal, ideoque difficulter capitur & ſæpius in terra, rariſſime in mari. Iconem hic ſubjicimus ad vivum accurate expreſſam.

Menego Inſula.

Avium Inſulæ.



Nam hic ejuſmodi bellua viſa fuit anno CIↃ IↃ CXII, quam Cl. Vir Ælius Everhardus Vorſtius Medic. D. & Profeſſor p. m. ita deſcripſit. Belluam (inquit) hanc marinam vidi, magnitudine vituli, aut canis Britannici majoris, Phocæ non diſſimilem;

lem; capite rotundo, oculis bovillis, naribus depreſſis ac patulis, quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco utrimque foramina; rictu oris rotundo nec ita vaſto, ſuperiori parte aut labro myſtac. geſtabat ſetis cartilagineis, craſſis ac rigidis conſtantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua craſſa breviſque, atque os interius dentibus planis utrimque munitum. pedibus anterioribus poſterioribuſque latis, atque extrema corporis parte Phocam noſtratem plane referebat. Pedes anteriores antrorſum, poſteriores retrorſum ſpectabant cum ingrederetur. Digiti quinque menbrana interſepiente diſtincti, eaque craſſa. poſterioribus digitis ungues impoſiti, non prioribus. caudâ plane carebat. Poſtica parte repebat magis quam incedebat. Cute craſſa, coreacea, piliſq; brevibus ac tenuibus obſita veſtiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri inſtar edebat, ſeu crocitabat voce gravi & valida. Repebat per aream extra aquam, quotidie per ſemihoram aut amplius dolio aqua pleno immittebant, ut ſe ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex nova Zembla, decem hêbdomadarum, dentes ſeu cornua exerta, ut adultiores, nondum habens, tubercula tamen in ſuperiori labro percipiebantur, unde brevi proditura facile apparebat. Ferum & validum animal calebat ad tactum, valideq; per nares ſpirabat. Pulmentarium ex avena miliove comedebat lente & ſuctu magis, quam deglutiendo, herumque geſtantem cibum ac offerentem magno niſu ac grunnitu accedebat, ſequebaturque, nidore ejus allectus. Lardum ejus guſtantibus haud inſuave viſum eſt. Conſpiciebantur ibidem duo majorum capita, dentibus duobus exertis Elephantorum inſtar, longis ac craſſis & albicantibus munita, qui deorſum verſus pectus ſpectabant. Eorum coria cccc aut Iↄ pondo pendiſſe ferebant Angli qui attulerant. Hiſce dentibus rupes aſcendere ſeque ſuſtinere ajebant. & prodeunt in continentem ſeu terram ut ſomnum ibi capiant gregatim. Pabulum ajebant illis eſſe folia oblonga ac magna, herbæ cujuſdam è fundo maris naſcentis. Nec piſcibus vivere aut carnivorum eſſe. Vidi ibidem penem ejuſdem animalis oſſeum, rotundum, cubitum & amplius longum, craſſum, ponderoſum ac ſolidum, in fine prope glandem longe craſſiorem ac rotundiorem. Hujus pulvere ad calculum pellendum Moſcovitæ utuntur.

Ab hiſce inſulis ad inſulam *Brion* v leucæ numerantur; in ſitu autem & magnitudine hujus inſulæ prodenda ab autoribus variatur: *Quarterius* Gallus qui primus has partes luſtravit, atq; huic nomen impoſuit, duas in longitudinem totidemque in latitudinem leucas patere tradit; alii longe minorem ambitum deſignant: piſcoſum eſſe mare quod hanc inſulam circumluit, uno conſenſu tradunt; ſolum etiam ab ubertate pariter laudant, quippe & paſcuis lætum & ſatis opportunum; de arboribus haud itidem convenit; *Quarterius* enim proceras arbores, alii tantum humiles & mera fruticeta ſe hic inveniſſe teſtantur; niſi forte nomina inſularum mutata ſint, atque hinc differentia inter ſcriptores orta. *Quarterius* inter ſoli dotes, fraga, roſas, vineas & plures herbas, etiam piſa optima paſſim in campis ſponte naſcentia, enumerat. Adjacet huic alia minor, quam *Iſle Blanche* appellant, eadem ſoli fœcunditate.

Brion Inſula.

Iſle Blanche.

Imprimis autem hodie celebrantur *Rameæ* inſulæ (*Iſles Ramees* Champlanio) à civibus *S. Malo* anno cIↄ Iↄ xc primum aditæ, Walruſſorum capiendorum gratia, qui maximo numero ad has quotannis fœtificandi cauſa ſolent adnatare: mox etiam ab Anglis. Verum in ſitu harum deſignando, in ambitu definiendo, tantopere itineraria utriuſque gentis inter ſe & cum iis qui harum ante meminerunt, differunt, ut certi aliquid definire perdifficile ſit. Galli ad altitudinem 47 graduum collocant & 20 milliar. ambitum tribuunt, quam barbaris *Menquith* dici produnt. alteram huic proximam, *Hup* appellari, 20 milliaria longam, ſolo arenoſo & neque arbuſtorum neque graminis feraci: *Duoron* quoq; inſulam, trium leucarum intervallo à *Rameis* diviſam, alveo ſeptem octove orgyas alto, intercurrente. Nos inſulas Rameas & Brion prout invenimus in tabulis hydrographicis Gallorum maximè recentibus, ita exprimi in noſtra curavimus, donec diligentia navigantium majorem lucem adferat.

Rameæ.

Mequith.

Hup.

Duoron.

Obſcurum omnino eſt dextrum freti S. Laurentii latus; nam licet à *Quarterio*, qui primus per anguſtas fauces, quæ inter ſeptentrionale *Terræ novæ* cornu & Americæ Septentrionalis continentem in fretum hoc mediterraneum exeunt, navigavit, multæ inſulæ, varii ſinus, ſtationes, portus, amneſq; nominentur, incerta hodie ſunt omnia, & nuda nomina atque indigeſta, magno molimine lectoribus objicere, hoc vero

eſſet ipſorum patientia abuti. Itaq; monuiſſe contentus, fauces has à Gallis *Golfo de Chateaux* dici & aliquot leucarum ſpacio anguſtas, ubi ſe pandere incipiunt, littoribus utrimque recedentibus, magnum primo ſinum, vulgo *Grand Baye*, efficere, deinde ubi ſe latiſſime explicant, *Golfo de S. Laurens* nominari, cætera intacta prætéribo.

Cap. VII.

Inſula Natiſcotec, hodie Aſſumcion vel Aſcenſion; & fluvius Cheſchedec, aliique amnes.

Anteqvam deſcriptionem magni fluminis Canadenſis aggrediar, nequaquam prætereunda eſt Inſula ſatis ampla quæ oſtio illius objacet, illudque in duas veluti fauces dividit. Ea barbarorum lingua *Natiſcotec*, Quarterio qui primus illam detexit *Iſle de l'Aſſumtion*, Ioanni autem Alfonſi *de l'Aſſcencion* appellatur: circiter 35 leucas in longitudinem, ſeptem aut octo in latitudinem patet, & à gradu 48 & ſemiſſe ad gradum uſq; 50, Eurum & Corum inter, porrigitur. A majori hujus Freti aditu circa promontorium *S. Laurentij*, ad orientale hujus inſulæ cornu, 50 leuc. numerantur: à ſinu vero *S. Georgij* ad occidentalem *Terræ novæ* oram ſito, ut ab Anglis obſervatur, leucæ tres & quadraginta.

Peramœna eſt inſula, nullis montibus aſpera, plano & fœcundo ſolo, variis arboribus ad oram uſque littorum veſtita, inter quas piceæ excellunt; ideoq; ferarum in illa ubique magna copia, urſorum, lyncium, herinaceorum & ſimilium: Avium autem infinitus numerus, tam ſilveſtrium, quam littoralium & aquaticarū. Piſcoſum in ambitu mare; etiam cete in freto & juxta occidentale littus Terræ novę ſauciata, hic in littora non raro propelli experientia teſtatur. Stationes habet aliquot ſatis commodas, ſed raros portus; nec ab ullis mortalibus inſulam hanc habitari à quoquam hactenus traditum inveni. E regione occidentalis cornu hujus Inſulæ, ad auſtralē Americæ ſeptentrionalis plagam, flumen exit, à *Iacobo Quarterio* ſecunda expeditione aditum, cui nomen *Cheſchedec* etiamnum manet: invenerat jam ante ſeptem Inſulas, continentemq; cui illæ objacent, humilem, planā & plurimis proceris arboribus veſtitam, ſed crebris vadis & arenoſis pulvillis obſeſſam, quæ ad leucam & ſupra, in altum ſeſe projiciunt & relabente æſtu extant, magnoque diſcrimine à navigantibus adeuntur: hæc vadoſa ora circiter decem leucas occupat & ad orientalem hujus fluvii ripam definit. Flumen ipſum tanta pernicitate erumpit, ut diſcuſſis maris fluctibus, diu qualem emiſit undam agat, ſuumque inter ſalſas undas alveum ſervet, & ultra milliare ab ipſius exitu dulcium aquarum hauſtus ſit: in ipſo oſtio octodecim pedes altum eſt: intus innumeros *Hippopotamos* nutrire affirmatur; amphibium id animal, noctu ſuperatis ripis egreditur in aridum, interdiu altum repetit.

Cheſchedec flu.

S. Margaretæ flu.

A flumine Cheſchedec verſus occidentem ſinus eſt, infida navibus ſtatio propter brevia & ſcopulos: ultra tendentibus flumen occurrit *S. Margaretæ*, in ipſo ore octodecim pedes altum minuente æſtu, ubi fluctus implevit, tres orgyas: ſed objectu vadi navigantibus inſidioſum: oritur longè à mari è mediterraneis verſus ortum, ubi ex altis jugis ſe præcipitat; hinc potiſſimū augeſcit. Haud procul ab oſtio promontorium modice eminet; ad dexteram adjacet exigua inſula. Omnis hæc ora diſtat ab æquatore gradus 55; multis arboribus & præſertim piceis veſtita, & in modica juga ſe attollens.

Tribus à flumine S. Margaretæ leucis, alius amnis effluit, cujus magnitudo & altitudo ignota eſt, quia oſtium illius crebris vadis & rupibus veluti obturatur, ab hoc ora in varia promontoria & ſinus lancinatur, ipſa maximam partem humilis & arenoſa. Sedecim porro leuc. magis ad occidentem ſinus ſe pandit, in quem fluvius deſcendit, multarum navium capax, qui optimus eſt hujus oræ portus, niſi quod ora ob vadorum brevia, ad unam atque alteram leucam in altum egredientia non ſine magno diſcrimine propius aditur. Atque porro ora nunc prominet nunc in ſinus retrocedit, & aliquot inſulas objectas habet uſque ad notiſſimum portum *Leſquemin*, qui tamen & ipſe male fidus eſt, crebris rupibus circumdatus, ore anguſto, & quod unam tantum navem ſimul admittat, nihilo ſecius Cantabri hunc cete capiendi gratia ſolent adire. Tota hæc regio juxta littus humilis eſt & plana, mediterranea in colles monteſq; aſſurgunt & ſilvis atque ſaltibus horreſcunt; neque ſoli bonitate neque cœli temperie cum adverſa Novæ Franciæ regione comparanda eſt, licet multo depreſſior ſit.

Leſquemin.

Cap. VIII.

Portus Tadouſac & Flumen Saguenay.

HAud longe à portu Leſquemin, portus *Tadouſac* occurrit, creberrimis Gallorum & aliorum navigationibus inprimis celebratus, juxta oſtium magni fluminis *Saguenay*, de quo ſtatim dicetur. Exiguus eſt hic portus, & haud ſupra viginti navium capax, jacet in receſſu quodam juxta ipſas magni fluminis fauces; exterius quidem à parva inſula vel potius ſcopulo, quem marini fluctus fere exederunt, interius autem & in ambitu altiſſimis montium jugis clauditur, qui pauxilla terra tecti, cætera ſaxa & cautes, altiſſimis piceis veſtiuntur: haud procul à portu palus eſt collibus arboriferis circumdata. Mare in ipſo portu ſatis altum, vicinitate rapidiſſimi fluminis, mirabili æſtuum varietate agitatur, ventis vehementioribus & intenſis frigoribus valde obnoxium. Portus ad Eurum maxime patet, ſed hic minus metuendus eſt, à ventis qui flumen deſcendunt omne diſcrimen, utrumque illius cornu æſtu relabente vada aperit; in ipſo decem & nonnullis locis viginti orgyarum altitudo eſt: in ipſum ſinus gremium palus prædicta per exilem canalem ſeſe exonerat, ſicuti & per alterum emiſſarium in ipſum flumen, duoque hi canales inſulam quandam à continente præcidunt, in qua barbari quotannis quum ad hunc portum veniunt, ut merces ſuas (quæ fere è pellibus ferarum conſtant) cum Europæis commutent, tuguriola ſua ſtruere conſueverunt.

Flumen indigenis *Saguenay* dictum, vaſtum eſt & multis locis ad ducentas orgyas (mirabile dictu) altum: à Coro deſcendit, adeo pernix, ut maris æſtum accedentem dudum fruſtretur, & decurſum ad ipſum pene oſtium ſervet: oſtium quidem tantum quartam leucæ partem patet, ſed quo magis aſcenderis, eo latior fit alveus, multoſque ab utraque parte receptos amnes ſecum devehit in mare, quorum quidam etiam navigabiles ſunt: ad quinquaginta leucas aſcendi poteſt verſus Corum, ubi tum de modicis jugis præceps ruit, nonnumquam & in lacus ſpargitur, aut ab illis aquas fœneratur: multaſque inſulas vel potius rupes alveo ſuo lambit, omnes arboriferas. Ripæ dextra lævaque abruptæ in altiſſima montium & petrarum juga exſurgunt, arborum lucis denſa & aſpectu horrida. Regio ſoli cœlique inamœniſſimi, & humano cultui ob continua frigora ineptiſſima, vera ſolitudo, nam nec ſylvæ aves nutriunt præter paucas minutiores, nec lacus niſi ſtatis quibuſdam anni tempeſtatibus aliquot fluviatiles. Barbari qui huc commerciorum gratia è remotioribus Continentis regionibus deſcendunt, mira de hoc flumine narrant, atque adeo longo multorum dierum itinere, ſuperatis variis cataractis; de quibus præceps unda volvitur, enavigatiſque aliquot lacubus, tandem in conſpectum magni maris Septentrionalis perveniri, magna aſſeveratione noſtris perſuadere conantur: ſed vanitatem barbarorum & mentiendi libidinem non raro expertis (interdum non ſine periculo) in ambiguo fides vacillat, neque quiſquam hactenus, quod quidem ſciam, paulo altius hoc flumen aſcendit, neque ullum operæ pretium foret contra rapiditatem fluminis, in tam incultis & horridis regionibus luctari. Saguenay.

A ſiniſtra hujus fluminis ripa, provinciæ barbarorum (quos vulgo Canadenſes vocant) ſumunt initium, itaque jam tempus eſt ut de principe harum regionum flumine porro agamus. Unum admonebimus, à portu *Gaſpé*, qui jacet ad oppoſitam oram, è regione *Natiſcotec* Inſulæ, ad *Tadouſac*, octuaginta aut nonaginta leucarum intervallum præſcribi ab itineris hujus gnaris.

CANADA.

Cap. IX.

Magnum flumen Canadenſe; regionum item adjacentium deſignatio uſque ad Quebea.

Inter illuſtria Septentrionalis Americæ flumina facile principem locum tuetur hoc, quod olim *Quarterius* qui primus luſtravit, *Hochelagæ* (ob cauſam quam mox indicabimus) poſteriores *S. Laurentii* dixerunt, nunc vulgo ab accolarum nomine Canadenſe appellatur. Id in interioribus hujus Continentis provinciis ortum, interdum in lacus ſpargitur, rurſuſque contractis ripis per anguſtas fauces enititur, nonnumquam & præcipitatur, multos magnoſque amnes recipit & deducit, alibi latius, alibi anguſtius, multis anfractibus & ſinuoſis flexibus deſcendens, donec ad occidentale inſulæ *Natiſcotec* ſive Aſſumcionis caput ſeſe freto S. Laurentii miſceat, ingenti ore & inter utramque Continentis oram triginta aut quadraginta leucas lato, & ſupra centum & quinquaginta orgyas alto, maxime prope auſtralem ripam. Pene ſupra fidem piſcoſum eſt; nam ſtatis anni tempeſtatibus, pro cujuſque piſcis genio, ab ipſo ore ad fontes uſque, non modo fluviatiles, ſed & marini piſces, (qui quidem amnes ingredi haud aſpernantur) maximo numero capiuntur. Inter quos unus à *Quarterio* memoratur, peregrinæ admodum formæ, magnitudine orcæ, colore plane candido, capite leporino, barbari ſua lingua *Adhothues* appellabant: magna horum copia reperitur paululum ſupra oſtium *Saguenay*, ubi aqua dulceſcere incipit.

Utraque fluminis ripa peramœna eſt, ſed maxime aſcendentibus ſiniſtra, ſolo leniter verſus ripas declivi & ſenſim ſeſe in colles & montes attollente; ubique autem arboribus & ſilveſtribus vineis veſtiuntur, gratiſſimo adſpectu, de jugis multi rivi, torrentes, & modici amnes deſcendunt & à magno flumine abſorbentur. Multas inſuper alveus complectitur inſulas, plurimos facit ſinus & receſſus, de quibus ut eo ordine dicamus, quo jacent, *à Saguenay* redordiemur, hactenus enim ſuperiori capite dextram ripam produximus.

Iſle aux Lievres. Sex itaque ab oſtio illius leuc. verſus occaſum, parvula inſula Continenti prætexitur, quam à piſcibus illis, quos modo deſcripſimus, Leporariam vocant; diſtat à dextra quidem ripa duas, à ſiniſtra vero quatuor leuc. ſub hac anchoræ tuto figi poſſunt. è Continente fluviolus exit, refluente æſtu vadoſus, Champlanio *Riviere aux Saulmons*, quia Salmones hic capiuntur. Tribus ab hoc leucis diſtat promontorium

Cap Dauphin. *Delphini*, quod ampliſſimum & circiter VIII leuc. latum aperit, in cujus gremium amniculus exit, minuente æſtu vadoſus: clauditurque à promontorio Aquilino.

I. aux Coudres. Unius leucæ intervallo objacet Inſula Avellanarum, à multitudine illarum arborum, quibus tota ſcatet, dicta: tres leuc. in longitudinem patere, binas in latitudinem, Quarterius prodidit; Champlanius dimidia parte minorem facit: ad utrumque cornu faſtigiatur; verſus occidentem paſcua: circa littus quod Africum adſpicit ſcopuli extant, & hic fluctus admodum fervet: Cæterum peramœna eſt inſula, & arborum lucis vernans; haud ſupra mediam leucam à ripa diremta; è regione illius, modicus amnis è continenti profluit, *Riviere du Goufre* Champlanio, non ab altitudine ipſius amnis, vadoſus enim eſt & ob rupes oſtio illius objectas, navigari difficilis, ſed ab altitudine freti quod inſulam & continentem interluit, & magnis æſtibus concitatur, etiam quum venti ſilent. Ob eandem cauſam & promontorium, quod quinque leucas hinc abeſt verſus occidentem *Cap de Tourmente* Gallis dicitur. Hinc jam unda magni fluminis magis magiſque dulceſcit.

I. d'Orleans. Succedit duarum leucarum intervallo Inſula, Quarterio quidem *Bacchi* ob vitum ſilveſtrium multitudinem, hodie *d'Orleans*, à dextra quidem ripa mediam, à ſiniſtra ſeſquileucam dirimitur; patet in longitudinem ſex, in latitudinem haud multum ſupra unam leuc. auſtrale illius latus abundat ſylvis & paſcuis delectabili varietate. Ad auſtrum aliquot minores inſulæ adjacent, planæ & æquales, læta paſcuorum & lucorum varietate delectabiles, nec ferarum inopes, ſed inter ipſas & conti-

continentem multi ſcopuli interſunt, qui difficilem navibus ea parte acceſſum faciunt.

A flumine *Saguenay* ad dictam inſulam, ripæ fluminis Canadenſis magno flexu verſus Africum incurvantur; ſolum utriuſque continentis altis montibus aſperum eſt & infœcundius, multis piceis & ſimilibus arboribus ubique obſeſſum: ripæ ſcopulis hac illac ſparſis aditu difficiles, ipſeque fluvius haud facilis navigari niſi cum ſumma cura.

Porro ab Inſula Aurelianenſi ad *Quebec* (de quo paulo poſt) unius leucæ iter eſt: Totum autem illud Continentis Septentrionalis ſpatium, quod *Tadouſac* & *Quebec* interjacet, à Gallis *Novelle Biſcaye* appellatur; finitur autem torrente rapidiſſimo, qui è lacu, decem circiter leucis à ripa fluminis, in altis montibus ortus, ab iiſdem in abyſſum ſupra viginti cubitos altum ſe præcipitat, & ex adverſo Inſulæ hujus in magnum alveum devolvitur; Cataracten vocant Galli *le grand Sault de Momoranci*. Nova Cantabria.

Hactenus dextram ripam ſecuti ſumus, antequam autem ad ulteriora pergamus, etiam oppoſitam obiter luſtrabimus. E regione occidentalis Anguli Natiſcorec Inſulæ, verſus auſtrum promontorium vulgo *de Boutonieres*, in altum egreditur, & paulo ulterius verſus Corum promontorium Epiſcopi, & in ipſo littorum flexu verſus occidentem promonr. *de Chat*, ſupra quod altiſſima montium juga ſeſe oſtentant, vulgò *Monts de Noſtre dame*. Nec procul hinc *Mantane* in magnum alveum decurrit, exilis amnis & ad octodecim leucas tantum parvis cymbis navigabilis: Barbari qui amnem hunc accolunt, ubi ad fontes illius aſcenderunt, cymbas ſuas leucæ circiter ſpatio humeris portant ad alterius amnis originem, qui in magnum ſinum ſe exonerat, atque ita merces ſuas facili commercio permutant. Viginti à Mantane leucis, *Le Pic* occurrit, mons de ſe conſurgens & quò magis exſurgit eò exilior; ab hoc ad portum *Tadouſac* in oppoſita ripa quindecim leucarum trajectus eſt. Medio autem inter Mantanem & hunc montem ſpacio inſula *S. Barnabæ* occurrit, ripæ huic propior; cætera hujus ripæ tantum leviter cognita ſunt. Cap de l'Eveſque. Mantane fluv. Inſula S. Barnabæ.

CAP. X.

Interiora Fluminis Canadenſis, & de urbe Hochelaga à Iacobo Quarterio quondam viſa & deſcripta.

ANTEQVAM deſcriptionem Fluminis Canadenſis & riparum illius ſecundum recentiorum deſignationes proſequamur, non abs re fuerit priorum ante meminiſſe, & quæ à Jacobo Quarterio ſunt obſervata in medium adferre. Is igitur quum ad Inſulam *Bacchi*, hodie *d'Orleans*, cum navibus ſuis aſcendiſſet, paulum verſus occaſum provectus, idoneumque portum nactus, ibidem anchoras jecit, portuique S. Crucis nomen impoſuit (Champlanius quibuſdam argumentis evincere conatur, hunc locum hodie *Quebecq* dici, alii aliter ſentiunt:) ubi tum barbari fixa domicilia habebant & municipium *Stadacam* ſive *Stadaconam*: Quumque jam autumnus appropinquaret, domum ædificandam curavit, hibernationi aptam, in qua dum fabriles operæ occupantur, ipſe cum aliquot ſociis XIX Septemb. anni CIↃ IↃ XXXV interiora fluminis luſtrare aggreditur: Ripæ autem utrimque ſupra modum amœnæ viſæ, ingentes arborum luci & ſaltus & innumeræ vites, ſed minorum atque acidiorum uvarum feraces, utpote incultæ: Ipſe fluvius amœno blandus alveo, multis dextra lævaque barbarorum pagis & domiciliis cultus, qui piſcibus potiſſimum victitabant. Viginti quinque milliar. ſupra portum *S. Crucis*, fluminis alveus veluti conſtringitur & per anguſtas fauces ſuper rupes & ſaxa ſub undis latentia, rapido fluxu eluctatur, ideoque & navigantibus infidus: hæ anguſtiæ barbaris *Achelaci* ſive *Hochelay* dicebantur. Stadacona.

Novem deinceps dierum itinere ſubvectus, magnum lacum intravit, in quem flumen ſpargitur: duodecim hic in longitudinem, quinque aut ſex leucas in latitudinem patebat, duas pleriſque in locis orgyas altus, ſub initium unam & ſemiſſem, quatuor aut quinque fluviorum influxu nutritur, qui aliquot minores inſulas interſecant: hinc deinceps flumen certo ſuoque alveo labitur & alterum rurſus lacum pandit,

pandit, à quo ad *Hochelagam* quadraginta quinque leucarum iter eſt; flumine toto illo ſpacio vadoſo & nonniſi minoribus cymbis navigabili.

Hochelaga.

Ipſa urbs *Hochelaga* ſex aut ſeptem leuc. à ripa fluminis diſſita erat, in amœno & bene culto agro; abietum & pulcherrimarum quercuum ingens hic erat copia, & ſpatioſiſſima arva, Maizyque ſata, quo indigenæ pro farre utuntur. Urbs ligneo vallo in orbem munita erat, trabibus tranſverſis & tignis ſingulari induſtria inter ſe compactis, faſtigiato & aſſeribus extus & intus ſuperinductis clauſo: additum erat, circa faſtigium, tabulatum, ad quod ſcalis aſcendebatur & in quo ſilices & ſaxa magno numero erant congeſta, quo propugnatores ſi vis hoſtilis ingrueret & tuto poſſent conſiſtere & ſubeuntes à vallo ſaxorum ejaculatione ſummovere. Domus in urbe paulo pauciores quinquaginta, itidem è materie ſtructæ & corticibus arborum tectæ, quindecim paſſus latæ: quinquaginta ut plurimum longæ, in varia cubicula & conclavia eleganter diſtributæ, unico pene in medio ædium foco. Populo annona, aliaque inter ſe communia erant; panis è Mayzio, quod Caracomy appellabant; fabarum, piſorum, melonum atque cucumerum affatim; piſces ad ſolem & ventum ſiccatos aut fumo induratos in hibernum tempus ſeponebant; veſtes è ferinis pellibus componebant, ex iiſdem & ſtrata ſuper tabulata, paulum ſupra ſolum edita ſtruebant. Gens divitiarum contemtrix, quas neque appetunt, neque norant, unicâ de victu & amictu curâ. Neque commerciorum cauſa, ut plerique barbari, peregrinationes ſuſcipiebant, ſed limitibus ſuis contenti, operam omnem & induſtriam in colendis agris, in venationibus & piſcationibus collocabant. In pretio ſolum habebant *Eſurgny*, candidum inſtar nivis, quod in fluminibus reperiri ſcribit *Quarterius* in *Cornibots* (quid hæc vox ſibi velit, indagare nondum potui, niſi forte conchyly quoddam genus ſit, aut pro *Cornibot* ſcriptum fuerit *Caramot*, quo nomine ſquilla Gallis deſignatur:) in hunc modum: Cadavera hoſtium ſuorum, aut etiam civium ob gravius aliquot delictum morte multatorum, oblongis vulneribus in partibus maxime muſculoſis inciſa, in flumen demergebant, & duodecim aut plurium horarum ſpacio in fundo relicta, denuo extrahebant atque ita in inciſuris illis, precioſum illud ſuum *Eſurgny* inventum, in monilium uſum efformabant. Regulum ſuum qui *Agouhanna* illis vocabatur, ſummopere venerabantur, & ferarum pellibus inſidentem, in humeros ſublatum circumgeſtabant. Beata procul dubio gens, niſi verum Deum, illiuſque cultum penitus ignoraret.

Hæc à Iacobo Quarterio prolixe commemorata, preterire nolui, quamvis à Champlanio, aliiſque Gallis, licet longinquioribus multo itineribus ſuſceptis, nihil hodie de hac urbe aut gente compertum fuerit; ſicuti neque de aliis multis quæ Quarterius aut viſa ſibi, aut ex barbarorum relatu accepta memoriæ prodidit, quæ uti incerta & dubiæ fidei, hic operoſe recenſere nequaquam neceſſarium exiſtimavi.

Cap. XI.

Deſcriptio magni fluminis Canadenſis circa Quebecq & ſupra, ſecundum obſervationes recentiorum.

Capite nono utramq; magni fluminis ripam proſecuti ſumus uſque ad *Quebecq*, ita poſteriores Galli & Champlanius, vocant angulum quendam continentis, ad altitudinem ſex & quadraginta graduum & viginti ſcrupul.; Coloniâ Gallorum de qua mox dicetur, illuſtratum, & tum quum Galli primum hic appellerent, denſo nucum luco amœnum. Vicina regio uberrimo eſt ſolo & ad quævis ſata reddenda peridoneo; ſed fere ingentes ſylvæ occupant variarum arborum, nec noſtris diſſimilium, etiam fructiferarum, puta nucum, prunorum, ceraſorum, quæ ob culturæ defectum, fructuum bonitate plurimū à noſtratibus ſuperantur: vites innumeræ: rubi, fraga & ſimiles fructus; herbæ & radices ad uſum humanum utiles paſſim multæ: vicinus fluvius, (qui hic tantum quartam leucæ partem latus) large piſces, ſylvæ feras ſubminiſtrant. Cœlum ſalubre ab exitu Aprilis ad medium Decemb.; hiberni autē menſes morbidi, ſcorbutū & ſimiles affectus afferunt: Hyems enim hic admodum longa, ita ut ſæpe nives uſq; ad initium May ſolum operiant; quod mirū videtur ratione clymatis. Corus hic omniū frigidiſſimus, hibernis menſibus nives, æſtivis ſerenos ſoles adducit.

Quo

Quo altius ab hoc loco flumen aſcenditur, eo magis delectabiles ripæ apparent; ſed alveus fluminis nunc unam nunc duas leucas latus, ſenſim fit exilior & propter crebra vada & rupes difficulter & cum diſcrimine navigatur.

Quindecim à Quebecq leucis verſus occidentem ad oppoſitam ripam, alter angulus prominet, cui *S. Crucis* nomen etiamnum hæret, ab hibernis Quarterii ut vulgo creditur; licet totus ſit arenoſus & Cori violentiæ expoſitus, paſcuaque quæ adjacent, ubi fluctus implevit, aquis operiantur; & difficulter adiri poſſit ob brevia, cauteſque & fluvii rapiditatem. Novem ab hoc leuc. è dextra ripa effluit modicus amnis, *Sanctæ Mariæ*, vulgò, & paulo ultra jacet inſula, (*S. Eloy* Gallis,) à qua quinque leucarum iter eſt ad fluvium, Gallis *les trois Rivieres*; hujus oſtio aliquot minores inſulę objacent amœniſſimo proſpectu; & ſtatim occurrit Lacus *S. Petri* ad altitudinem ſex & quadraginta graduum; octo leucas in longitudinem, quatuor in latitudinem patens, & tres quatuorve orgyas altus: ad dextram ripam *S. Suſannæ* modicus fluvius, ad lævam duo exiles quidem amnes, ſed amœniſſimos campos permeantes, *du Pont* & *de Gennes* vulgo, in lacum ſe condunt, cujus unda tam tarde movetur, ut fere ſtare videatur. Ad caput hujus lacus aliquot minores inſulæ jacent, multis arboribus veſtitæ, & vinearum læto proventu & ferarum multitudine inſignes. Ad lævam ampliſſimus fluvius exit, ab accolarum nomine *Fleuve des Iroquois* Gallis dictus, quinque & quadraginta grad. ab æquatore: oſtium quadringentos aut quingentos paſſus patet, alveus ab Africo in aquilonem divergens, utrimque amœniſſimas & multis arboribus opacas lambit ripas: novemque aut decem inſulas circumgyrat; multis locis ultra dimidiam leucam latus, neque minus quam quatuor pedes, ubi maxime exilis, altus, per plana inde à noviſſimo cataracte deſcendit per quindecim leucarum ſpatium; ipſe cataractes lacus inſtar ſparſus & vadoſus, præcipiti lapſu tam citus devolvitur, ut nullis cymbis ſuperari poſſit; barbari tantũ monoxulis ſuis lintribus, ſummo labore & magno diſcrimine enituntur: hoc cataracte & item altero ſuperato, deinceps in magnum lacum intratur, qui octuaginta aut centum leucas ambit, multaſque inſulas complectitur, quarum quædam decem & plures leucas in longitudinem patent, caſtorum copia opulentæ: lacum ambiunt ſylvæ, caſtanearum, quæ cæteris Novæ Franciæ regionibus inſolentes, feraces: lacus varios piſces nutrit, & inter illos unum alibi ignotum, quem barbari *Chaouſarou* vocant; hic ad decem pedum longitudinem non raro excreſcit, longus & teres inſtar Lucii, duriſſimis cinericei coloris ſquamis, & quæ ferri aciem hebetent, totus, veluti Accipenſer, armatus; roſtro oblongo, magno rictu & duplici acutiſſimorum dentium ordine ad utramque maxillam præditus; non modo cæteris hujus lacus piſcibus infeſtus eſt, ſed & aves ſingulari induſtria venatur; inter arundines quippe & juncos ad ripam lacus latitans, roſtrumque erigens & rictum ſupra undas deducens, tamdiu immotus præſtolatur, donec aves doli ignaræ, in roſtrum illius tanquam ſtipitem incumbant, præſenti ſuo exitio. Barbari caput hujus piſcis maximi faciunt, & quum capitis doloribus tentantur, utuntur dentibus ad venam ſecandam, illa parte, quæ laborat, præſenti ut ipſi teſtantur levamine. Supra ripas lacus utrimque altiſſimi montes viſuntur; quorum juga ad orientem verſa perpetuis nivibus candent: Juxta hos *Iroquoſij* amœnas & Maizii feraces incolunt valles; quemadmodum & ad auſtrum, juxta minorem lacum, qui ad Norumbegam deflectit; quo & montes ſe exporrigunt altis quidem jugis ſed haud ita nivalibus. Huic à ſe primum adito, Champlanius nomen de ſuo impoſuit. Sed ad magnum flumen regrediamur.

Ab oſtio fluvii Iroquoſiorum aliquot leucas provectis, ingens occurrit cataractes *S. Ludovici*: ubi flumen ſe veluti in lacum diſpargit & inter rupes & minutas inſulas crebris vorticibus tam pernix ruit, ut navigiis ſuperari nequeat, itaque barbari lintres ſuos monoxulos in terram ſubductos humeris geſtant ad caput cataractæ. Porro duabus ſupra hunc leucis alius lacus jacet, duodecim leucas ambiens & tres mediocres amnes excipiens, quorum unus ab Occidente deſcendit & ab *Ochataiguinis* accolitur, qui longa riparum ſpacia inde ab oſtio hujus amnis occupant; alter ab Auſtro ex Iroquoſiorum provinciis; tertius denique à Septentrione cujus ripæ ab *Algoumequinis* & *Nebicerinis* habitantur. Lacus autem complectitur pulcherrimas inſulas, ripæque omnes & vicinæ terræ vaſtis teguntur nemoribus;

Sault S. Louis.

quinque

quinque & quadraginta grad. ac octodecim ſcrupul. ab æquatore, ut *Champlanius* obſervat: Qui quum ex uno ſuorum, quem jam ante in interiores provincias luſtrandi gratia ablegaverat, intellexiſſet, mare arctoum per tertium hoc flumen adiri poſſe (nam ſe eouſque pervaſiſſe & navis Anglicanæ tabulas fractas in littore vidiſſe mentiebatur) minore cymba iter eſt aggreſſus: ſed poſtquam longa terrarum ſpacia ſumma cum difficultate eſſet emenſus, plurimos lacus, multos cataractas & cœcos ſcopulos ſuperaſſet; varias gentes, *Quenongebinos*, *Oue-ſcharinos*, *Algoiugequinos* & *Matou-Oue-ſcherinos* adiiſſet, denique jam ſeptem ſupra quadraginta gradus ab Æquatore abeſſet, tandem incolarum indicio, & conductoris ſui confeſſione ſe deceptum cognovit, & voti irritus, alio itinere remeavit ad *Quebecq*.

Porro Champlanius ſupra cataractem S. Ludovici collocat Lacum *Algommequinorum* in quem fluvius deſcendit, cujus ripas utrimque claudit ſolum infœcundum, & habitatoribus infrequens, qui *Otaguottovemini* appellantur ex gente Algommequina, & ferina atque piſcibus victitant.

Proximus huic ſed longo intervallo jacet Lacus *Nipiſierinorum* ſex & quadragintā gradibus & xv ſcrupul. ab æquatore; hi barbari parce admodum ſementem faciunt; patet in longitudinem viginti quinque, in latitudinem octo leuc. gallicas. Succedit lacus *Attigovautanorum*, qui patet in longitudinem pene quadringentas leuc. gallic. in latitudinem quinquaginta; unde à Gallis Mare dulce appellatur. Supra fidem piſcoſus eſt, nutritque inter alios piſces, grandiſſimas Trutas. Maxima pars accolitur ab Attigovautanis, qui hic octodecim pagos habitant, quorum ſex ligneo vallo muniti ſunt, pene ad modum Hochelagæ, de qua ſupra. cap. x.

CAP. XII.

Barbarorum qui has Novæ Franciæ regiones incolunt, habitus, mores, religio, idioma.

PRIUSQUAM ad deſcriptionem reliquarum N. Franciæ regionum tranſeamus, de ingenio, moribus, atque inſtitutis barbarorum qui ripas magni fluminis accolunt, quique vicinas regiones inhabitant, pauca ſunt dicenda. Galli qui haſce regiones crebrius adierunt, uno pene ore teſtantur, indigenas licet temperamẽto corporis Melancholico videantur, hilariores tamen eſſe & ad riſum admodum pronos: Lente ſermocinantur & planè, ut qui ſe intelligi velint, ſæpiuſq; meditabundi ſermonem ſuſpendunt & per intervalla repetunt. Qui haud longè à Quebecq degunt, à medio Septembre ad mediũ Octobrem anguillarum capturæ dant operam, (quarũ circa hoc tempus maxima in fluminibus eſt copia,) eaſque recentes in cibum adhibent, & ſiccatas in hybernum penu recondunt; hyeme autem quum nives altiſſimæ ſunt (ita ut ſolum interdũ ad trium pedum altitudinem operiant) venationibus Caſtorum indulgent, pedeſque craticulis quibuſdam ſuffulciunt, ut tutius veſtigia ſuper nives poſſint figere; iconem è Commentario Champlanii acceptam hic adjunximus. Anguillis abſumtis, venatu Alcium & aliarum ferarum ſe ſuſtentant; ſed his quoq; deficientibus, admodum inopem vitã degunt & non raro miſere cum fame colluctantur; limaces tum ſtudioſe inveſtigant, denique & canes ſuos mactant, neque à pellibus quibus veſtiuntur abſtinent, aut interdum ab impuris & putridis cadaveribus; uti à Champlanio notatum. Duobus vitiis vel maxime obnoxii ſunt; nam



primo

primo vindictæ cupidiſſimi ſunt atque in hoſtes ſuos aperto marte aut ex inſidiis captos, immani & plane belluina crudelitate ſæviunt, tam vivos quam mortuos: ſecundo mendaciſſimi ſunt & cum primis doloſi perfidique; ita ut neque ipſorum verbis, neque promiſſis temere fides ſit habenda.

Vt plurimum nullis legibus, nullis inſtitutis politicis, ferarum in modum agunt, tantum abeſt ut aut Deum noverint aut numen aliquod ulla ſpecie religionis, cultuve venerentur. *Quarterius* quidem prodidit, Barbaros apud quos juxta S. Crucem hibernarat, unum Deum agnoſcere & ſub nomine *Cudruagnii*, ſuperſtitioſe timere potius, quam colere; miraque fabulari de omnium rerum conditore, & hominum creatione, verum tamen has divinæ cognitionis veluti ſcintillas, tam ſupina & craſſa ignorantia obrui, ut penitus extinctæ videantur: verum hujus cognitionis hodie ne veſtigia quidem apparent,

Habent autem ſuos vates atque hariolos, *Pillotoas* vocant, quos familiariter cum cacodæmone ſermones ſerere & rerum gerendarum momenta exquirere, eventuſque prænoſcere credunt; ideoque hiſce non ante conſultis, nihil temere aggredi, obnuntiantibus autem omittere aut differre ſolent. Quin & ſuis quique inſomniis miram fidem adhibent, & ex iiſdem inſequentis diei auſpicia præcipiunt Et, quoniam ſupra modum meticuloſi ſunt, iiſdem ita terrentur, ut è ſtratis ſuis ſæpiſſime exſiliant & tanquam ab hoſtibus ſuis inopinato deprehenſi, reliquam noctem inſomnes agant.

Corporis ſtatura ſunt mediocri, bene compoſitis membris, ſine ulla inſigni deformitate; tam fœminæ quam mares colore ſubfuſco aut illo qui in maturis olivis cernitur, idque non à nativitate, ſed à certis unguentis & coloribus, quibus corpora ſua à teneris illinere conſueverunt: quidam & notis quibuſdam & puncturis cutem pingunt ut formoſiores appareant.

Æſtate quidem ſeminudi agunt, hyeme vero totum corpus, pellibus alcium, vrſorum, caſtorum & ſimilium ferarum tegunt. Arma ipſis ſunt arcus & ſagittæ ligneæ clavæ & parmæ corio tectæ. Icones à Champlanio expreſſas hic adjungere viſum, in quibus habitus marium & arma ipſorum videre eſt.



Adoleſcentulæ poſtquam decimum & quartum aut quintum ætatis annum attigerunt, omnibus promiſcue ſui copiam faciunt, dein poſt quinquennium aut ſexennium, tam vagæ libidinis pertæſæ, unum ſibi virum deligunt, cum quo reliquam vitam pudice agant, & pleræque haud facile fallunt niſi forte viro conſcio. Si tamen ſteriles eſſe comperiantur, viris illas dimittere & alias ſumere licet: mariti ut plurimum valde zelotypi ſunt & conjuges ſuas curioſe obſervant. Cæterum haud alios matrimoniorũ ritus norunt, quam parentibus munera mittere quorum filias ambiunt

A aut

aut ſumunt. Vti autem & fæminarum atque adoleſcentularum amictus, itemque cultus & ornamenta, quibus in feſtivitatibus & publicis choreis magis ſe onerant quam ornant, plenius cognoſci poſſint, ex eodem Champlanio icones unius adoleſcentulæ, & duarum utrimque fæminarum, hic ſubjecimus.



Mortuorum cadavera ſcrobe effoſſa in viſceribus terræ condunt, veſteſque, lebetes, ſecures, arcum, ſagittas & quicquid vivi poſſederunt juxta collocant, & terra aggeris in modum aggeſta operiunt, tignis ſuperiniectis & aſſere quem rubrica quadam tingunt, hic tumuli apud illos honos: animarum autem immortalitatem profitentur, eaſque à corpore ſeparatas in longinquis regionibus & amœniſſimis locis cum amicis ante defunctis, delitioſe vivere opinantur.

Atque hi quidem omnium pene illorum barbarorum mores, ſed victus inopia & miſera iſta vivendi ratio non omnibus æqualiter accidit: qui enim ab oſtio fluminis ad Cataracten S. Ludovici utramque ripam accolunt, *Montagnetæ*, *Canadenſes*, *Souriquoſii* & ſimiles, quia terram non colunt, inopem vitam & nonnumquam gravem eſuriem tolerant: qui vero ſupra cataracten & in mediterraneis degunt, Algoumequini, Ochaiſtaguini, Yroquoſii aliique complures, agros colere & fruges in horrea cogere ſueti, raro hanc inopiam patiuntur, niſi quum aut meſſis fefellit, aut ipſi non bene rationes ſuas ſubduxerunt. nam omnibus hiſce barbaris familiare (ea eſt gentis ſegnities) non longius quàm in unam hyemem, idque ſatis parcè, proſpicere; ex quo fit ut & ipſi interdum egeant, & numquam aut raro admodum vicinis aut advenis quicquam poſſint impartiri.

De barbarorum lingua quædam à *Quarterio* atque aliis obſervata, hic adjungere operæprecium viſum. Ex barbarorum lingua qui Hochelagam incolebant, numerorum nomina hæc annotata: I. *Secada*: II. *Tignem:* III. *Haſche*: IV. *Hannaion:* V. *Oviſcon:* VI *Indahir:* VII. *Ajaga:* VIII. *Adigue:* IX. *Madellon:* X. *Aſſem*. Quæ Canadenſes hodie (ut à *Leſcarboto* Gallo obſervatum) in hunc modum efferunt. I. *Begou:* II. *Nichou*: III. *Nichtoa:* IV. *Rau:* V. *Apateta:* VI. *Coutouvachin:* VII. *Neovachin:* VIII. *Neſtovachin:* IX *Peſcovadet:* X. *Metren.*

Partium humani corporis nomina apud Hochelagenſes *Quarterius* obſervavit iſta.

Caput	*Aggonzi.*	Genua	*Agochinegodaſcon.*	Os	*Eſahe.*
Aures	*Abontaſcon.*	Manus	*Aignoaſcon.*	Barba	*Hebelin.*
Lingua	*Oſnache.*	Viri pudenda	*Ainoaſcon.*	Collum	*Agonhon.*
Capilli	*Agoniſcon.*	Vir	*Aguehum.*	Venter	*Eſchehenda.*
Stomachus	*Aggruaſcon.*	Frons	*Hergeniaſcon.*	Tibiæ	*Agouguenehonde.*

Digiti

Digiti	*Agenoga.*	Fœminæ pudenda	*Caſtaigne.*	Fœmina	*Agruaſte.*
Oculi	*Higata.*	Dentes	*Eſgongas.*	Facies	*Hegouaſcon.*
Brachia	*Ajayaſcon.*	Femora	*Hetnegradaſcon.*	Pedes	*Onchidaſcon.*
Ungues	*Agedaſcon.*				

Atque hæc quidem de Veteri lingua ſuffecerint, recentioris paulo poſt mentionem faciam: cæterum hi barbari ut ſæpe locum ita & linguam mutant, quemadmodum ex comparatione liquebit. Ii denique qui cum Europæis commercia exercent, multa vocabula Cantabrica & Gallica jam in uſum receperunt, licet ob pronuntiandi difficultatem mire deformata.

CAP. XIII.

De Attigovautanorum moribus & inſtitutis è Champlanii Commentario.

CHAMPLANIUS accurate admodum nobis deſcripſit Attigovautanorum mores, qui ad quadrageſimum quartum grad. verſus Arctum degunt, è quibus & reliquorum barbarorum æſtimari poſſunt. Tuguria ipſorum ad modum furnorum facta ſunt & corticibus arborum tecta, viginti quinque aut triginta decempedas longa, & ſex lata; utrimque tabulata ſupra ſolum quatuor pedes erecta, (ſuper quæ æſtate cubant, ut pulices vitent, à quibus mire infeſtantur,) ſemita decem aut duodecim pedes lata ſeparantur; hyeme humi ſuper ſtoreas juxta focos cubant, qui in ſingulis tuguriis plures pro numero familiarum (nam interdum viginti & plures familiæ in uno tugurio habitant) unde tam graviter à fumo vexantur, ut plerique ubi ſenuerint, viſu priventur.

Annona eorum maxime communis eſt Maizium & phaſeoli: Maizium autem leviter ebullitum in ligneis mortariis frangunt, fractoque addunt phaſeolos, aut alios fructus ad ſolem ſiccatos, interdum & adipem cervinam; & mixta tepida cogunt in placentas, quas ſub cineribus coquunt, & coctas frigida abluunt. Idem contuſum, quantitate duorum aut trium pugnorum, aqua miſcent & in olla coquunt, continuo agitantes; dein addunt piſcium pauxillum, recentium aut ad ſolem induratorum; hunc cibum, vocant *Migan*; & variis modis condiunt; ſed quovis modo conditus male olet, peſſime autem hyeme. Canes in deliciis habent & in feſtivitatibus menſis inferunt, quemadmodum & ferinam. Vtplurimum quoque Maizium cum ſpica ſua cæno aut aquæ immergunt, & tantiſper relinquunt donec putruerit, dein exemtū cum piſcibus aut carnibus ebulliunt: licet autem graviſſimum odorem de ſe fundat Maizium putridum, tamen vel maximi id faciunt, & avidiſſime etiam incoctum lingunt & exſugunt. Vrſos denique ſaginant aliquot annis, & in ſummis feſtivitatibus uſurpant.

Veſtes è pellibus variarum ferarum componunt, ad eum modum quem ſupra in Iconibus expreſſimus. Plerique facies pingunt nigro aut rubro colore, mixto cum aruinâ vrſorum aut pinguedine aliarum ferarum: veſtes marium & fæminarum parum differunt; niſi quod hæ etiam ornari geſtiunt plurimis conchyliis induſtrie inter ſe conſertis: his adoleſcentulæ ſe imprimis onerant ut procis placeant.

Mares fere venationibus & piſcaturæ mercaturæque dant operam, Tuguria ſtruunt, & ad bellum progrediuntur: fæminarum autem iniquiſſima conditio eſt, nam non tantum agros colunt, & ligna congerunt, & meſſem cogunt, omniaque domeſtica munia obeunt, verum etiam maritos ad bellum egredientes comitantur, & neceſſaria omnia mularum inſtar bajulant. Matrimonia pene ad eundem modum ſe habent quem ſuperiori capite deſcripſimus, niſi quod fœminæ etiam rariſſime, poſtquam unum elegerunt, fidem ſervent, utplurimum impune, & conjuge haud ignaro. Politicum aut civile regimen ipſis nullum, nullæ leges, crimina impunita, niſi quod privatim interdum pro vindictæ libidine crudeliſſime vindicantur, unde non raro domeſticæ & civiles diſcordiæ, ſeditiones & bella inter ipſos exoriuntur: ſinguli tamen pagi conſilium quoddam è ſenioribus cogere conſueverunt, in quibus deliberant de iis quæ facienda ſunt:

nec tamen uni alicui parent, ſed varios duces pro re nata conſtituunt, quibus libere obediunt & prout libet.

Religionis forma ipſis nulla, nullum numen agnoſcunt, diabolum tamen ſuperſtitioſe venerantur ſub nomine *Oqui*; quanquam & ambiguum eſt, an eo nomine dæmones deſignent, ſiquidem omnia quæ communem rationem excedunt, aut quæ admirantur, eodem nomine appellent: Eodem & divinatores ſuos & hariolos atque magos appellant (qui apud Algommequinos & Montagnetas *Manitones* appellantur:) ii & Medicinam & chirurgicam exercent, futura prædicunt, & miris illuſionibus miſeros infatuant: methodus medendi plane ridicula eſt, nam fere choreis & cantillationibus ægros delectant, & compotationibus tempus terunt.

Hyeme, (quæ hic ab initio Decembris durat ad finem Martii) ut plurimum genio indulgent, & vicinos pagos advocant ad choreas & cantationes, (*Tabagos* vocant hæc feſta,) ita ut interdum quingenti barbari conveniant cum conjugibus & filiabus, quæ tum potiſſimum dant operam ut bene ornatæ prodeant: eodem tempore multi perſonati vagantur, qui oſtiatim ſaltant & canunt, & à ſingulis familiis nominatim petunt ea quibus maxime capiuntur, quæ petentibus denegare inurbanum putant.

CADIA ſive ACADIA.

CAP. XIV.

Novæ Franciæ partes quæ auſtrum reſpiciunt, quas Galli Cadie ſive Acadie vocant.

HActenus illas N. Franciæ regiones proſecuti ſumus quæ magnum flumen Canadenſe attingunt, nunc ad eas tranſeundum quæ Oceano alluuntur & auſtrum aſpiciunt: ſed antequam eo deſcendamus, pauca dicenda ſunt de ora quæ orientem ſpectat & freto S. Laurentii pulſatur. In huius oræ Septentrionali parte è regione Inſulæ Aſſumtionis, octo & quadraginta gradibus & XLV ſcrup. ab Æquatore, Gaſpé ſive Gachepe portus jacet, Gallorum navigationibus jam notiſſimus, ſinum aperiens quatuor leucas in ipſo aditu latum, & ſeptem octove intra continentem ſe recipientē; in quem fluvius exit in mediterraneis ortus & circiter XXX mill. per plana deſcendens. A promontorio S. Laurentii ad hunc portum LXX aut LXXV mill. numerant. Haud longe ab hoc portu verſus auſtrum anguſta cervice promontorium ſe exſerit, ſtatimque retractum, alterum pandit ſinum, tria milliaria latum, & pene totidem profundum, vulgo *Baye de Morues*: huic objacet verſus auſtrum *Inſula Perforata*, inſtar ſcopuli utrimque erecta & per medium diviſa, exili alveo, qui nonniſi ſcaphis, ubi æſtus implevit, navigatur: hæc inſula tam vadoſo freto & tantum quingentos paſſus lato à continente dividitur, ut æſtu minuente pene ſiccis pedibus tranſiri poſſit.

[Margin: Gaſpé. — Iſle Percée]

Hinc continens magis verſus Africum, inflexo littore grandem ſinum admittit (Quarterio *Colfo de Chaleur*) cujus os ad quindecim leucas patet, freto in quibuſdam locis quinquaginta & plures orgyas alto: dextrum latus aſſurgit in nemoroſa juga, lævum planum eſt & raris arboribus veſtitum: medium ſinus abeſt ab Æquatore ſeptem & quadraginta gradus & XXX ſcrupul. Sinum claudit ad auſtrum Promontorium *Spei* Quarterio; juxta quod fretum *S. Lunarii*, ſeſe aperit. Reliqua ora ad fretum quod Inſulam *S. Laurentii* à continente dividit tantum obiter cognita, & ob brevia aditu difficilior eſt.

[Margin: C. d'Eſperance.]

Cadia pars continentis, triangularis eſt formæ, baſis illius, quæ longiſſima, adſpicit auſtrum, & inter portum *Campſeau* & promontorium *Furcatum*, ab ortu exporrigitur in occaſum: reliqua duo latera poſt varios anfractus & receſſus ſenſim ſe adducunt, donec ad occaſum quidem circa interiora ſinus Francici, ad ortum vero Freti *S. Lunarii*, pene coeant; qui duo ſinus exiguo terræ ſpacio diſiuncti hanc provinciam pene Inſulam efficiunt. Orientale latus obiter jam ante attigimus; ad cornu baſis, jacet *Camſeau*, celebris portus, à duabus inſulis veluti occluſus, & propter brevia & cautes, æſtuanſque & fervens mare difficilior aditu: diſtat ab Inſula *S. Laurentii* circiter octo milliar. ab æquatore quinque & quadraginta grad. & XX ſcrupul.

[Margin: Camſeau.]

Ad hoc portu verſus occaſum ad portum *de Savalette* numerantur ſex milliar. à Sana-

à Sanalette ad Inſulas, quæ magno numero continenti ordine objacent, & exilibus canalibus ſeparantur, milliar. quatuor: ab his ad viridem inſulam ſex aut ſeptem: è regione hujus exit modicus amnis cui ab inſula viridi agnomen datum: ab illa porro ad ſinum omnium Inſularum, ſex mill. Toto hoc ſpacio littus omne pluribus ſcopulis, qui fere integrum milliare in altum deſcendunt, obſidetur, & mare ſupra modum fervet. Quatuordecim ab hoc ſinu milliar. portus *S. Helenæ* aditur qui diſtat ab æquatore quadraginta & quatuor grad. & XL. ſcrupul. huic parva inſula objacet exili admodum freto & quod æſtu refluente vado tranſitur, à continente diremta. Ab hac ad *Seſambren* inſulam ſunt octo milliar. intereſt ampliſſimus ſinus qui à ſalubritate aëris Gallis dicitur *Baye Saine*.

IſſesRangees. Seſambre

A Seſambre ad fluvium *S. Margaretæ*, qui diſtat ab Æquatore quatuor & quadraginta gradus & viginti quinque ſcrupul. ſeſeque exonerat in mare ex adverſo martyrum inſularum; ſeptem milliar. Octo ab his milliar. Promontorium *de la Heve* exit in altum, pone quod portus jacet eodem nomine, quatuor & quadraginta gradibus & quinque ſcrupul. ab Æquatore, ubi tuto anchoræ figuntur. adjacet parva Inſula, longa quidem ſed anguſta, arboribus veſtita: à qua verſus ortum ſinus irrumpit in continentem, minores aliquot inſulas nemoroſas gremio ſuo comprehendens. Proximus jacet portus *Roſſignol*, ab inſula objecta pene occluſus, in quem modicus amnis deſcendit à media inter occidentem & arctum plaga, viginti, quinque circiter milliarum iter ab ortu ſuo emenſus. Hinc ad portum *Ovium* ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum ſeptem milliaria numerantur: circularis hic eſt formæ, parvaque inſula ori illius objecta clauſus, duabus faucibus mare admittens, quarum primæ quæ verſus ſeptentriones vergunt tantum duas orgyas, alteræ quæ ad auſtrum ſpectant tres quatuorve, ipſe ſinus ſeptem aut octo altus: in medio ſex minores inſulæ ſparſæ; duos exiles amniculos recipit: ora quæ ambit tota nemoroſa eſt & propter vicinas paludes magna hic cervorum aliarumque ferarum copia. Hinc ad portum Nigritarum, à vicino promontorio *Cap Negre*, decem milliar. objacet enim promontorio rupes, quæ eminus conſpecta, caput nigritæ haud male refert. Hactenus ora maritima humilior eſt & pumulis arboretis atque fruticetis obſita; inſulæque innumeræ vel potius rupes paſſim objectæ, omni ferarum genere re-fertæ.

Port au Moutōs. Port Negré.

Haud longe hinc jacet ſinus arenoſus, peropportuna ſtatio; duoque verſus occaſum milliaria Promontorium arenarum, ob vada & rupes, quæ ultra milliare in altum ſe projiciunt, imprimis vitandum. Hinc ad Inſulam corvorum marinorum, ob inſignem illarum avium copiam, unius leucæ trajectus; & è regione jacet ſinus, duo aut tria milliaria in continentem irrumpens, vulgo *la Baye courante*; à quo ad extremum hujus oræ promontorium, quod vocant *Furcatum* duo ſunt milliaria. Multæ hic inſulæ vaſtè in altum projectæ & quatuor quinqueve milliarium intervallo à continente disjunctæ, multæ itidem rupes, ipſeque oceanus fluctuoſus atque fervens: harum inſularum aliæ ab avium earumdem multitudine *Iſles aux Tangueux*; aliæ à piſcibus illis, quos veteres Phocas vocabant ſecundum Bellonium, *Iſles aux Loups marins* Gallis dicuntur, ad altitudinem trium & quadraginta graduum & triginta ſcrupul. Hactenus littora auſtralia ad occidentem pertinent.

Baye de Sable. I. des Cormorans. C. Fourchu.

CAP. XV.

Deſcriptio oræ Accadiæ quæ ad Aquilonem deflectitur & de Portu Regali.

JVxta Promontorium Furcatum, portus eſt qui à promontorio nomen mutuatur, in ipſo quidem aditu ſatis altus & navium ſtationi opportunus, ſed in interiori gremio relabente æſtu ſiccus, præter elicem modici amnis, qui per lætiſſima paſcua deſcendens hic exit. Hinc jam ora leniter verſus ſeptentriones flectitur, ad novem aut decem milliaria: nulli hic portus majorum navigiorum patientes; ſed aliquot receſſus & littora multis inſulis aut ſcopulis, vadiſque impedita, uſque ad Inſulam longam, inter Africum & Boream in longum exporrectam, ad ipſos magni

ſinus Francici,ut vocant, fauces: ſex milliaria in longitudinem, vix unum in latitudinem patet,tota nemoroſa & ob vada & rupes aditu perdifficilis: æſtus hic admodum fervet, præſertim in alveo qui inſulam â continente dividit, unde *le paſſage Courant* â Gallis appellatur. E regione Inſulæ continens mari in ſemet admiſſo, ſinum & tutiſſimum navibus receptum aperit, tria milliaria in ipſo aditu patentem, *S. Mariæ* nomine hodie notum: ingredientibus ad dexteram portus eſt *S. Margaritæ*, quatuor & quadriginta gradibus & XXX ſcrupulis ab æquatore verſus arctum; in ipſis faucibus tantum octodecim pedes altus, in interiori receſſu tres orgyas; ſolo cingitur plano & fertili qua Eurum ſpectat: ad lævam ſinus eſt exiguus, juxta quem argenti venas deprehenſas nonnulli affirmant: paululum interius amnis *Boulay* effluit, itemque alius in intimo ſinus gremio, quod anguſto terræ ſpatio â Portu Regali dirimitur: uterque amnis ferri fodinis celebris & paſcuis juxta ripas dives; ſolum ſanguineo pene colore rubet.

Port Royal. Ab Inſula longa littus magis verſus Boream retrocedit uſque ad *Portum Regalem*, nulli ſive amplitudinem ſive bonitatem ſpectes facile ſecundum, unde & nomen meruit; diſtat ab æquatore quinque & quadraginta gradus. Fauces illius patent octingentos paſſus, ipſe portus bina in longitudinem, unum in latitudinem milliare; vel millium navium capax & adverſus incerta ventorum egregie tutus: tres amnes in illum effluunt, quorum unus ſatis amplus & vulgo *de l'Equille*, â piſciculorum qui ibidem capiuntur copia ita dictus; ab oriente deſcendens longa terrarum ſpacia emetitur; ab ipſo oſtio, quod quadrantem milliaris patet & in duas veluti fauces, ab objecta inſula arborifera & amœniſſima, dividitur, modicis navigiis ad ſedecim milliaria aſcenditur, ubi alveus adhuc ſexaginta paſſus latus & octodecim pedes altus; ripa utraque arborifera inſignes fagos & fraxinos nutrit.

Alter *S. Antonii* nomine notus, portum ſubeuntibus ad dexteram, exilior eſt & ab inſula objecta clauditur; imminet ripis nemus, denſitate ſua commercium inter hunc portum & ſinum S. Mariæ impediens. Tertius ad idem latus, quia ob vada & rupes ori illius obverſantes, navigiis adiri nequit, vocant *Ruiſſeau de la Roche*. Galli hic anno cIↄIↄcv ſedes fixerant, uti paulo poſt dicemus.

A Portu Regali littus adhuc magis verſus boream declinat, ad promontorium *Poutrincourtii* & altitudinem quinque & quadraginta graduum & XL ſcrupul. ubi mare in ſinum ſeſe infundit, qui viginti milliaria ambitu ſuo complectitur, longior multo, quam latior, in intimo receſſu amnem exilem & aliquot torrentes excipiens: E regione Promontorii & ad lævum ſinus jam dicti latus, portus jacet, *Port aux mines* vulgo, ab æris metallis dictus, quæ bis quotidie â fluctibus operiuntur. Atque hic Continens longo atque anguſto tramite inter duos ſinus producitur & promontorium, vulgo *Cap de deux Bayes*, â re dictum, facit: ulterior autem ſinus, vulgo *Baye de Gennes*, mare per fauces quinque milliaria latas, admiſſum, interius ampliſſimo ambitu deducit; duoque flumina recipit, unum ab ortu ſolis, alterum ab Arcto deſcendens, & haud longe â freto *S. Lunarii* cum dextero Peninſulæ latere pene coit, & Cadiæ limites in conum faſtigiat.

Cap. XVI.

Souriquoſiorum, qui hic incolunt, mores, inſtituta, idioma.

Cadiæ ſive Acadiæ indigenæ, maxime qui circa Portum Regalem degunt, Souriquoſii appellantur: ſtatura corporis ſunt mediocri, membris bene compoſitis, ſine ulla deformitate. colore ut cæteri fere barbari ſubfuſco, ob cauſas alibi commemoratas: quodque barbaris qui ſub Torrida zona degunt formæ decus, ſimis naribus hic admodum rari; capillo ut plurimum nigro, rariſſime alterius coloris, niſi forte interdum rufo aut qui caſtaneis eſt: barbam non niſi primores alunt, cæteri radicitus evellunt: cæterum cultu corporum, veſtitu atque victu, â cæteris barbaris de quibus jam egimus nihil diſcrepant. æſtate piſcibus, hyeme ferina victitant: panis uſum quum neque ſerant neque metant, penitus ignorabant, donec â Gallis edocti, triticum, farinam & legumina in cibum adhibere cæperunt, quæ pellium commercio jam

jam commutant. Parent ſuis Regulis, quos *Sagamos* vocant; eadem ipſis veri Dei ignorantia quæ cæteris, nullaque veneratio aut religionis uſquam forma. Magos ſuos habent atque divinatores quos *Autmoins* appellant, tanta dignatione, ut ipſi Reguli plerumque id muneris obeant: dæmonis oraculum hi conſulunt & ipſo præeunte futura prænuntiant, ambiguis plerumque reſponſis, interdum & veris: hunc conſulturi, ſcrobem effodiunt & in illa ſtipitem figunt & fune alligato ſe proſternunt & ore in ſcrobem verſo, mirabiles geſticulationes, evocationes & conjurationes adhibent, tanto corporis motu ut largum ſudorem eliciant; his perfuncti & dæmonem adveniſſe & ſe illum fune conſtrictum tenere miſero popello perſuadent, atque illius indicio vaticinantur. Iidem & medicorum & chirurgorum munia obeunt: ad ægros vocati, invocato prius dæmonio, partes affectas tentant, halitu ſuo humectant, interdum & venam ſecant & ſanguinem exſugunt: eadem pene methodo in vulneribus curandis utuntur; & poſtquam ſanguinem exſuxerint, pellicula genitalibus Caſtorum detracta, obligant; neutrum gratis, ferina aut pellibus ab ægris ubi convaluerint donantur.

Hæc gens idiomate multum diſcrepat à Canadenſibus & reliquis barbaris qui continentem N. Franciæ incolunt, cujus pauca vocabula è multis, hic inſerere haud abs re fuerit. Numeros uſque ad decem ita efferunt. 1. *Negout.* 2. *Tabo.* 3. *Chicht.* 4 *Neou.* 5. *Nan.* 6. *Kamachin.* 7. *Eroeguenick.* 8. *Meguemorchin.* 9. *Eghkonadeck.* 10. *Metren.* Annos per Soles numerant *Cach' metren Achtek* centum anni: menſes per Lunas, *Metren Knich Kaminau*, decem lunæ. Diverſas anni tempeſtates ab effectis aut proprietatibus circumſcribunt, *Nibir betour*, id eſt ubi frondes pullularint, pro verno tempore: ita & in cæteris. Partibus humani corporis hæc apud illos nomina ſunt:

Caput	*Menougi.*	Capilli	*Monzabon.*	Aures	*Seckdoagan.*
Frons	*Tegoeja.*	Oculi	*Nepiguigour.*	Supercilia	*Nitkou.*
Naſus	*Chichkon.*	Os	*Meton.*	Labia	*Nekovi.*
Dens	*Nebidie.*	Lingua	*Nirnou.*	Barba	*Migidion.*
Gula	*Chidon.*	Collum	*Chitigan.*	Brachium	*Piſguechan.*
Manus	*Nepeden.*	Digiti	*Troeguen.*	Venter	*Migedi.*
Umbelicus	*Niri.*	Pudenda viri	*Carcaria* aut *Ircay.*	Fæminæ	*Match.*
Teſtes	*Nereron* aut *Marios.*	Anus	*Menogoy.*	Genua	*Cagiguen.*
Crura	*Mecat.*	Pedes	*Nechit.*		

Sexum & cognationes ita diſtinguunt.


Vir	*Metaboviou* aut *Keſſona.*	Fœmina	*Meboviou.*	Pater	*Nouchick.*
Mater	*Nekich.*	Frater	*Skinetch.*	Soror	*Nekicht.*
Filius	*Nekovïs.*	Filia	*Netouch* aut *Pecenemouch.*	Nepos	*Neroux.*

Elementa & quæ ex illis compoſita, ita nominant:

Ignis	*Bucktouw.*	Terra	*Megamingo.*	Lapis	*Knoudou.*
Pulvis	*Pechau.*	Mons	*Pamdemour.*	Aqua	*Chabaüan* aut *Orenpeoc.*
Cœlum	*Oüajeck.*	Sol	*Achteck.*	Luna	*Knichkaminau.*
Stella	*Kerkooeth.*	Lignum	*Kemouch* aut *Makia.*	Cortex	*Bovoüac.*
Folium	*Nibir.*	Sylva	*Nimbeck.*		

Armorum nomina: Arcus *Tabi.* Sagitta *Pomio.* Culter *Hoüagan.*

Mechanicarum artium haud plane ſunt rudes, nam & imagines quaſdam barbarico ritu ſculpunt, non tamen ut idola venerantur. Cantilenas quaſdam in feſtivitatibus ſuis, quæ *Tabagia* vocant, ut & aliâs adhibent & ad modulos earundem aut terram pede feriunt aut ſubſiliunt; iiſdem & magi ipſorum utuntur. *Eſcarbotus* Gallus illarum aliquot cum ſuis modulis exhibet, nos hic unam apponemus.



Tameja alle luya tameja douvem hau hau hé hé.

Cantilena autem abſoluta præſentes omnes accinunt aut acclamant Hé é é é. Mirum autem unde his vox Alleluya, quam tamen aliquoties perfecte à ſe auditam *Eſcarbotus* teſtatur, penes quem fides ſit. Atque hæc de Barbaris, nunc reliquum continentis perſequamur.

CAP. XVII.

Continens Novæ Franciæ uſque ad flumen Pemtegoüet.

E Regione Promontorii duorum Sinuum, ad Auſtralem Continentis plagam, notat Champlanius in Tabula ſua Geographica, flumen S. Ludovici, cujus tamen ſub hoc nomine nuſquam in ſcriptis ſuis meminit; licet circa hæc loca exilem amnem & cymbarum tantum patientem memoret, juxta quem ferri metalla reperiantur: quatuor ab hoc milliaribus verſus Zephyronotum (ad hanc enim plagam littora declinant) angulus terræ prominet, objectis cautibus & ferventi æſtu, navigijs fallax; & juxta illum modicus ſinus jacet ferri venis notus: nec procul alius ſinus & inſulæ aliquot continenti objectæ, uſque ad Promontorium Rubrum,

Cap Rouge.

pone quod, pulcherrimus amnis effluit; quinque & quadraginta gradibus & quadraginta ſcrupulis ab æquatore; barbari vocant *Ouygoudy*, Galli *Sancti Ioannis*, non ſine diſcrimine tamen hic aditur, propter vada & cautes, anguloſque prominentes: ore eſt anguſto, licet ſedecim nonnuſquam orgyas alto, ſenſim deducit ripas, rurſuſque adducit, juxta cornu quoddam terræ, ubi inter duarum rupium anguſtias cito curſu cataractæ in modum eluctatur, nec facile niſi quum æſtus implevit navigijs ſuperatur; dein rurſus in latitudinem unius milliaris ſe pandit, quam dudum ſervat: barbari hac via ad Tadouſac ſe penetrare narrant, lintres brevi terræ ſpacio in humeros ſublatos transferendo. Salmonum captura celebratur hic fluvius, & ferri metallis. Oſtio fluminis verſus occidentem adjacet Inſula, quam Galli à forma, *la Nef*, id eſt navem appellant; & oram legentibus aliæ atque aliæ inſulæ occurrunt, quarum una, quæ ſex milliaria ambit, *Manthane* à barbaris nominatur. Hic Inſularum veluti chorus in ſinus gremio diſperſus & crebris alveis interciſus, varios portus & ſtationes navigiis ſubminiſtrat; hac quoque aditus ad flumen *Eſtecheminorum* patet

F. Eſtechemin.

& ad parvam inſulam cui S. Crucis nomen indiderunt, quatuor & quadraginta gradibus & viginti ſcrupulis ab æquatore. Hic Galli ſedes fixerant; quas poſt prima hiberna deſeruerunt, uti mox dicemus. Præter flumen ab accolarum nomine *Eſtechemin* dictum, quod ab occidente deſcendit & inſulam hanc utrimque lambit, alii duo exiliores amnes hic exeunt. Maio & Iunio hic magna halecum copia ſubit: ſolum autem denſis arborum & fruticum nemoribus undiquaque impeditum ideoque ſementi faciendæ inidoneum, niſi ſylvæ prius cædantur, tamen ubertatem quandam videtur promittere, ſi humanâ induſtriâ cultus accederet. Culices hic ſupra modum moleſti ſunt, quos ab humiditate ſoli gigni & lucorum denſitate nutriri haud dubium eſt.

Barbari qui hic degunt *Eſtechemines* appellantur, habitu corporis, moribus atque inſtitutis Souriquoſiis plane ſimiles, lingua diſcrepant, quod è numerorum nominibus, quæ hic aſſcribere viſum, planum fiet. 1. *Bechkon.* 2. *Nich.* 3. *Nach.* 4. *Iau.* 5. *Prencht.* 6. *Chachit.* 7. *Contachit.* 8. *Eroviguen.* 9. *Pechcoquem.* 10. *Perock.* Neque dubium eſt in cæteris ad eundem modum diſcrepare.

Ab hoc ſinu verſus Norumbeguam per varios canales, inter innumeras inſulas

I. Menane.

navigatur, quarum una cæteris paulo major, barbaris *Menane* dicitur, tria milliar. à Continenti diviſa: cæteræ quæ viginti quinque milliarium ſpacio ſecundum littus ſparguntur, communi quidem nomine *Iſles Rangees*, ſed & peculiaribus nominibus à Gallis inſigniuntur, quæ hic recenſere longum eſſet. Harum extima & ad oſtium fluminis Pemtegoüet ſita, patet in longitudinem quatuor aut quinque milliaria & dividitur à continenti anguſto freto; ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum & xxx ſcrupul. tota conſurgit in juga, quæ inter ſe diviſa ſeptem aut octo montium ſpeciem eminus oſtentant, circa verticem nuda & meræ cautes; unde Gallis *Iſle des monts deſerts* dicitur. Littus omne à variis ſinubus & promontoriis laceratur.

Cap. XVIII.

De flumine Pemtegoüet, quod multi Norumbeguam opinantur; veterum errores notati.

QVi ſuperioribus annis de hiſce regionibus ſcripſerunt, multa fabulati ſunt de celebri oppido & flumine *Norumbegua*, barbaris *Aggancia*; quæ hodie longe ſecus deprehenduntur, neque veriſimile eſt hic umquam tale quid fuiſſe: interea, ſi altitudinis quam deſignant & aliarum circumſtantiarum ratio ineatur, haud dubium eſt, illos de hoc flumine locutos, quod barbaris, ut Gallis quidem placet, *Pemtegouet* dicitur, ut Anglis autem *Pennobſcot*. Oſtio autem illius variæ inſulæ objacent, decem aut duodecim milliar. à continente in altum projectæ, ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum: ipſum octo novemve milliaria in latitudinem patet: dextroque illius angulo Inſula montium deſertorum prætexitur; lævus in planiciem ſtratus à barbaris vulgo appellatur *Bedabedec*: intermedium ſpacium multæ occupant inſulæ, quarum extima vaſte ſeſe attollens Gallis *Iſle Haute* dicitur, flumen ſubituris vel maxime obſervanda. Flumen haud ſupra viginti milliaria navigiis aſcendi poteſt, propter cataracten de quo unda præceps ruit. Haud procul ab oſtio ad lævam fluminis ripam, ſolum in immania juga erigitur, cætera planum & fertile, multis arboribus & præſertim abietibus utrimque veſtitum: nulla hic oppida, rariſtantum barbarorum mapalibus accolitur, quæ è tignis contexta & arborum corticibus tecta ſunt. Barbari qui hic degebant quum Champlanius flumen luſtraret, de gente Eſtechemina ſe eſſe profitebantur: neque tamen ſtatas ſedes habere videntur, ſed crebro prout aut venatio aut piſcatura invitat, mutare. duobus tum Regulis parebant, quorum uni *Beſſabez*, alteri *Cabahis* nomen erat, qui Champlanium ſatis benigne barbarico ritu exceperunt. Porro uſitatum videtur hiſce gentibus, non modo locum crebro mutare, ſed & nomen, ſecundum Regulorum mutationem, à quibus utplurimum nomen genti mutuare ſolent: Atque hinc fit, ſcriptores pro temporum diſcrepantia in gentium nominibus prodendis plurimũ inter ſe diſſentire: Anglorum enim præfectus *Ioannes Smithus*, in huius fluminis deſcriptione, Beſſabeos nominat (à Reguli Beſſabez haud dubio nomine) & Tarantinos de quibus apud Gallos altum ſilentium. Cæterum hujus flu. accolæ, habitu corporis, cæteriſque moribus & inſtitutis, nihil ab aliis barbaris, de quibus jam egimus, differunt: ut mirum videri poſſit unde ſuperioris ſeculi ſcriptoribus in mentem venerit tam magnifica de urbe Norumbegua referre.

A *Pemtegouet* ad *Quinnibequin* numerantur verſus occaſum milliaria quinque & viginti; toto hoc intervallo multæ inſulæ objacent continenti, & medio fere ampliſſimus ſe pandit ſinus, in multos canales & inſulas diviſus: è regione autem oſtii fluminis Quinnibequi, jacet inſula leniter convexa, atque ob id Gallis *la Tortue* id eſt Teſtudo: inter hanc & Continentem cæcæ rupes & vada interſunt, ubi fluctus mirum in modum fervent. In ipſo oſtio flu. binæ utrimque inſulæ, plures in interiori alveo ripis adjacent, non ſine diſcrimine propter frequentia vada & cautes, rapidumque curſum, navigiis aſcenditur: ſolum quod utrimque lambit effætum & crebris rupibus aſperum, non niſi pumilas quercus fert, rara habet paſcua, aut arva ſementi faciendæ idonea.

B. S. Luc.

Fl. Quinnibequi.

Barbari qui hoc flumen accolunt, habitu & moribus à cæteris nihil differunt, piſcibus, quos flumen abunde ſubminiſtrat, & ferina vitam tolerant, terram ſe colere & ſementem facere, ſicuti alii qui magis ad auſtrum degunt, jam olim deſueviſſe narrant, ob hoſtium vaſtationes, qui ſegetes illorum corrumpebant: deſcendit autem flumen è mediterraneis & ab aquilone, primo exile, mox aliis rivulis & amnibus acceptis auctius, per varios anfractus, interque inſulas modo placidum, modo pernix devolvitur. Angli alio nomine *Sagadahoc* appellant, ut ſequenti libro dicemus; hic nobis propoſitum N. Franciæ deſcriptionem ex Francorum potiſſimum obſervationibus contexere.

Sagadahoc.

Cap. XIX.

Flumen Chouacoët, habitus & mores Almouchiquoſiorum.

A Flumine Quinnibequi quatuor milliar. verſus auſtrum (flectit enim ſe ora in hunc modum) littus legentibus obvius fit Sinus, qui permultas inſulas ſuo complectitur gremio, & ad continentem altiſſima montium conſpiciuntur juga: hinc octo milliar. provectis, flumen *Chouacoët* ſeſe aperit, tribus & quadraginta gradibus & XLV ſcrupul. ab Æquatore; cum aliquot inſulis in ipſis faucibus; quarum unam à vinearum multitudine, Galli quidem inſulam *Bacchi*, noſtrates vero Wijngaerden Eylandt vocant. Hæc duorum milliarium intervallo à continenti dirimitur, pulcherrimis quercubus & nucibus peramœna, arviſq; & ſatis valde opportuna. Flumen quâ exit, ſatis exile eſt, neque ſupra duas orgyas, ubi mare vel maxime implevit, altum, interius vero tres quatuorve; piſcoſum admodum: Solum ſecundum illius ripas uberrimum, paſcuis lætum & ingentibus abjetibus, fagis, ulmis peramœne veſtitum.

Barbari qui hic degunt ab aliis N. Franciæ indigenis, lingua & moribus multum diſcrepantes, *Almouchiquoſy*, ut Champlanius ſcribit, appellantur. Capitis cæſariem à fronte ad ſummum verticem abradunt, in occipitio eandem alunt & in nodos adſtrictam variis plumis ornant; faciem rubrica aut nigro colore illinunt; bene compoſitis membris ſine ulla deformitate: arma ipſis ſunt lanceæ, clavæ, arcus ſagittæque quas ferri inopia, monſtroſi piſcis *Signoc* cruſtacea cauda aſperant. Hi agros colunt, ſecus quam reliqui barbari qui ad orientem ab ipſis degunt, & maizii ſementem faciunt, & phaſeolorum variis & elegantiſſimis coloribus diſtinctorum, quos eo ordine terræ mandant ut mayzii culmi pro perticis ipſis ſint: Sata ſua & vepretis circumſepiunt & ſtudioſe purgant: ſerunt Majo, metunt Septembri. Iuglandes hic multæ, ſed noſtris minores; vites infinitæ, è quarum uvis menſe Iulio ſe optimum omphacium expreſſiſſe teſtantur Galli. Etiam cucurbitas & ſimiles fructus ſerunt, Tabacum denique. Fixas ſedes habent nec facile locum ut cæteri barbari, mutant, tuguria ſua quercinis corticibus tegunt & craſſis tignis in orbem communiunt adverſus hoſtiles impetus.

Quoniam jam monſtroſi hujus piſcis mentio incidit, qui toti huic mari perfamiliaris & frequens eſt, non abs re fuerit illum hic deſcribere: & primum iconem illius convexa & concava parte ſatis accurate expreſſam apponere.



Piſcis ergo hic *Signoc* vel *Siguenoc* barbaris, noſtratibus *Araneus Marinus* è Teſtaceorum eſt genere, duabus duriſſimis teſtis deſuper tectus, quarum anterior patellæ inſtar convexa, admodum craſſa, ſi non duplicata, circa frontem orbicularis & elegantiſſimè conformata, qua alteri conjungitur ſemilunæ in modum exciſa: exteriori latere tuberculis quibuſdam ſeu brevibus & obtuſis aculeis, diſtinctis ordinibus, aſperatur: poſterior teſta alterâ exilior, rumbiformis & utrimque dentata; adhæc foraminulis quibuſdam pulchro ordine variegatur: cauda item teſtacea oblonga & reliquum corpus pene longitudine excedens, trigona & à ſui medio ad cuſpidem uſque aculeis veluti ſerrata & aſpera. In convexa prioris patellæ parte fere circa medium duo illi ſunt oculi, ſatis conſpicui dum vita fungitur, ubi expiravit contractiores & cornea membrana obducti; plura crura habet inſtar Cancri & quidem primo octo breviora,

breviora, deinde bina oblongiora, & alia rurſus bina breviuſcula repanda, neque chelis armata, ſed oſſiculo obtuſo veluti remigio inſtructa quibus natare creditur; duas præterea circa os exiguas admodum chelas, quibus mandit: ſub poſteriore cruſta veſiculæ aliquot ſibi invicem ſuper impoſitæ, quæ haud ſecus inflantur quam ranarum buccæ ſolent. Littora & vada amant & in æſtuariis potiſſimum capiuntur, varia mole; ſunt enim non pauci quorum cauda palmum excedat: minor autem erat quem hic expreſſimus, unde factum ut omnes notæ quas deſcripſimus hic non tam evidenter appareant.

Fluminis oſtio adjacet exigua inſula arci extruendæ opportuna, ad quaſvis naves aditu fluminis arcendas. Porro duo aut tria milliar. ab hoc flumine verſus Eurum Promontorium jacet, & pone illud in receſſu portus inter aliquot inſulas, à quibus & nomen meruit; diſtat ab æquatore tres & quadraginta gradus & XXV. ſcrupul. Inde rurſus prominens ora *Cap aux Iſles* Gallis; ideſt promontorium Inſularum facit: huic quippe aliquot nemoroſæ inſulæ adjacent, anguſto freto à continente diviſæ. Solum continentis frumenti & pabuli ferax; multa ibi arva barbarâ induſtriâ culta & arboribus grata varietate diſtincta. Barbari qui hic incolunt monoxulis lembis utuntur; cæterum habitu & moribus ab *Almouchiquoſiis* nihil aut parum differunt, idioma ipſorum variat.

Vltra hoc promontorium pulcherrimus ſinus ſe aperit, peridoneum navibus portum præbens, unde & formoſus Gallis appellatur; diſtat ab æquatore tres & quadraginta gradus. multi barbari juxta agunt & uberrima arva colunt: præterea torrentes aliquot, arva irrigantes, deſcendunt in hunc ſinum. Octo à promontorio Inſularum milliar. verſus auſtrum, declive S. Ludovici promontorium in altum educitur, ad altitudinem duorum & quadraginta grad. & XLV ſcrupul. à quo verſus ſeptentriones ſinus jacet, multis barbarorum tuguriis & arvis undiquaque cinctus, in quem mediocris amnis, è mediterraneis deſcendens, egreditur, quem Galli *Riviere du Gaz*, noſtri ab arenis de *Sand Rieviere* appellant: *Champlanius* ad lacum Yroquoſiorum pertingere ſuſpicatur & fortaſſis ex illo effluere. Ab hoc promontorio ora paulum retrocedit & cubiti inſtar (multis ſinibus & receſſibus prius factis) reflectitur ad Promontorium quod Galli *Cap Blanc*, Angli *Cab Cod*, noſtrates Staeten-hoeck, id eſt, D. D. Ordinum cornu vocant: de quo plura ſuo loco dicentur. In ipſo littorum reflexu importuoſus ſinus eſt, ideoque à Gallis *Malebarre* dictus, in ampliſſimo receſſu qui tria quatuorve milliaria patet, multis barbarorum mapalibus undiquaque cinctus, cum pulcherrimis arvis & ſatis, atque exili quidem amne ſed potari pulcherrimo: ipſe receſſus ob frequentia paſſim vada mirum in modum æſtuat ac fervet: ambiunt præterea ſylvæ & luci proceris quercubus & beneolentibus cedris opacæ: Tabacum diligenter colunt accolæ: mapalia ipſorum rotunda ſunt & ſtoreis in ambitu operta, in medio focus, & circa faſtigium foramen ad fumum emittendum. Hactenus ora N. Franciæ à Gallis anno cIↃIↃCV accuratè luſtrata pertinet.

Beauport.

lib. III.

CAP. XX.

Coloniæ Gallorum ad magnum flumen Canadenſe.

DESCRIPTIONE regionum N. Franciæ abſoluta, de Coloniis Gallorum & illorum geſtis in hac ſeptentrionalis Americæ parte, pauca adjungenda. *Iacobus Quarterius* anno cIↃIↃXXXIV à Franciſco I. Franc. R. cum duabus navibus ad has terras miſſus, quum menſe Aprili è Gallia ſolviſſet, luſtrato primum littore *Terræ Novæ*, in Fretum S. Laurentii penetravit, illoque in gyrum circumnavigato, inſulaque *Aſſumtionis* & magni fluminis oſtio, inventis, in Galliam ſub exitum Septembris rediit.

Secundam deinde expeditionem, menſe Majo anni cIↃIↃXXXV ſuſcipiens, magnum flumen Canadenſe aſcendit & minoribus navigiis ad *Hochelagam* penetravit, & Gallorum coloniam apud portum S. Crucis collocans, ibidem hibernavit. Atque hic incognitus quidem tunc, nunc autem notiſſimus ſcorbuti morbus, colonos tantopere afflixit, ut multi miſere perirent, reliqui autem decocto frondium arboris cujuſdam quam barbari *Anneddan* appellabant, ſanitati reſtituti: interim variæ inter ipſum & barbaros

1535.

barbaros ſimultates eo uſque exarſerunt, ut Regulum ipſorum Donaconam ex in-
ſidiis captum & in naves impoſitum, ſecum in Galliam cum aliis nonnullis captivum
abducere conſultum judicaret: Quare erecta prius lignea cruce, & Regni Galliæ in-
ſignibus appenſis cum hac inſcriptione, FRANCISCVS PRIMVS DEI GRATIA
1536. FRANCORVM REX REGNAT, ſub initium Iulii anno cIↃ IↃ XXXVI in Galliam eſt
reverſus. Intermiſſam de hinc navigationem, anno demum cIↃ IↃ XL, majore mo-
1540. limine Rex redintegravit, & pleriſque barbarorum illorum jam defunctis, *Ioannem*
quidem *Franciſcum D. de Roberval* cum ampliſſima vice regentis poteſtate; *Quarterium*
autem ſupremum Nauclerum ad provincias Canadæ & Hochelagæ ablegavit. *Quar-
terius* menſe Maio cum quinque navibus è Gallia ſoluens, Auguſto demum appulit
ad portum *S. Crucis*, quem quum ſuperioribus annis ſatis incommodum eſſet ex-
pertus, duabus navibus in Galliam remiſſis, cum reliquis tribus flumen quatuor mil-
liar. aſcendit & idoneum locum nactus, caſtellum communivit *Charlesbourgh Royal*,
1542. ubi cum ſuis hibernavit. Verum quum *Robervallius* non ante annum cIↃIↃ XLII
cum tribus navibus ſoluiſſet, Quarterium jam redeuntem cum ſuis navibus, juxta
ſinum Conceptionis ad orientalem Terræ novæ plagam obvium habuit: quem
quum à reditu in Galliam dimovere non poſſet (negabat quippe Quarterius barba-
rorum inſolentiam à tam paucis compeſci poſſe) progredi certus, & flumen Cana-
denſe invectus, quatuor ſupra Inſulam Aurelianenſem leucas aſcendit menſe Iulio:
ubi Caſtellum *France Roy* condidit, ſeptem & quadraginta gradibus ab Æquatore
verſus Arctum, ut *Ioannes* Alfonſus illius nauclerus prodidit. Atque ita aliquot
annis hic perſtitit, variaſque expeditiones ſuſcepit, fluviumque *Sagnenay* luſtrare eſt
aggreſſus. Quo anno in Galliam redierit, non traditur: ſed à Rege, ſumtuum ſine
ullo aut ad modum levi emolumento, pertæſo, eſſe revocatum ſcribit *Eſcarbotus*.

Tentatum dein ſimile quid, anno cIↃIↃXCVIII, à Marchione *de la Roche*, ſed
cap. IV. infelici eventu, nam quum aliquot ſuorum in Inſula *de la ſable* pene deſtituiſſet (quos
poſtea inde reductos ſupra monuimus) nihil præterea memoria dignum geſſit.

CAP. XXI.

Coloniæ Gallorum in Auſtralem Novæ Franciæ partem deductæ.

POST Colonias jam aliquoties in ſeptentrionales N. Franciæ regiones fruſtra
deductas, nihil amplius ſuccedentibus annis à Gallis in illis partibus tentatum
fuit, donec demum anno cIↃIↃCIII *Petrus de Gua* Dominus *de Monts*, titu-
lum viceregentis à Rege impetravit, in omnibus N. Franciæ provinciis, quæ inter
quadrageſimum & quadrageſimum ſextum gradum latitudinis ſeptentrionalis con-
tinentur: & ampliſſimo diplomate ipſi ſoli conceſſum fuit Caſtorum & aliarum
ferarum, pelles commutare, in provincia *Cadiæ*, *inſula Britonum*, *ſinibus Sante Claræ
& de chaleur*, *Iſle Percee*, *Gachepe*, *Chichedec*, *Meſamichi*, *Leſquemin*, *Tadouſac* & ad
utramque fluminis Canadenſis ripam. Quibus impetratis & centum viginri agri-
1604. colis conductis, ſoluit è Gallia VII Aprilis anno cIↃ IↃ CIV, & proſpera navigatione
uſus, ad *portum Ovium* provinciæ Cadiæ, primum applicuit & ſuos in continentem
expoſuit: verum conſilio mox mutato, ad Inſulam *S. Crucis* ſe contulit in faucibus
flu. *Eſtecheminorum*. Hîc quum prima hyeme, è ſeptuaginta novem colonis, triginta
quinque variis morbis interiiſſent, & locus ob intenſum frigus Gallicis corporibus
1605. incommodior videretur, anno cIↃIↃCV, menſe Iunio, novo ſupplemento è Gallia
accepto (quum varia ante loca, atque omnem omnino oram uſque ad portum Ma-
lebarre luſtraſſet) conſultius ipſi viſum coloniam ad *portum Regalem* traducere; &
quum triginta ſuorum cum idoneo commeatu hic collocaſſet, in Galliam transfre-
tavit.

1606. De hinc anno cIↃ IↃ CVI, Dominus *de Poutrincourt* eodem curſum inſtituens, &
auſtrale Cadiæ littus legens, colonos à Montano in portu Regali deſtitutos, obvios
habuit reditum in Galliam meditantes, & haud invitos ad Coloniam reduxit. Hyems
illo anno multo clementior fuit quam ſuperioribus, minuſque quam ante ſcorbuto
laboratum. Primo vere omnis ora ad porrum uſque *Malebarre* & ultra ſtudioſe ab
ipſis obſervata, ſub hyemem ad Coloniam redierunt. In gallia interim anno cIↃIↃCVII,
diplo-

diplomate antiquato, & commercio pellium omnibus promiſcue proſtituto, *Montanus* impenſis ferendis impar ſuos è Colonia Regali in Galliam reducere fuit coactus.

Poutrincourtius vero quum majori molimine, anno cIↃ IↃ CX, novos colonos ad portum Regalem deduxiſſet & ædificia omnia integra reperiſſet, tectis ſolummodo collapſis; ad agros colendos & ſementem faciendam primo animum adjecit; deinde multos barbarorum, licet leviter admodum principia religionis Chriſtianæ edoctos baptizari curat; & inter primos principem illorum *Menbertöum* jam centeſimum ut ferebant, annum ætatis egreſſum: quem Regis Galliæ nomine *Henricum* nominavit. His actis, *Poutrincourtius* filium ſuum ſub initium autumni in Franciam remiſit; Qui quum Reginæ viduæ (nam Rex paulo ante immani ſcelere trucidatus erat) ſingula prout in N. Francia geſta eſſent, ordine ediſſeruiſſet, Jeſuitæ qui in aula degebant, inque illa plurimum poterant, obnixe à Regina contenderunt, ut quidam è ſuo ordine in N. Franciam ablegarentur, cum penſione annua duarum millium librarum, id ſibi à Rege paulo ante promiſſum arguentes; & quum illud facile impetraſſent, duos è ſuis elegerunt Petrum Byardum & Edmundum Maſſeum, qui illâ legatione fungerentur: eoſque Diepam miſerunt, ubi navis à duobus mercatoribus, qui cum Poutrincourtio ſocietatem inierant, parata in anchoris ſtabat: verum quum hiſce mercatoribus innotuiſſet, Jeſuitas hoſce ad hoc veniſſe ut navem ſuam conſcenderent, acriter ſe opponere cœperunt, cauſati parricidium Regis nimis alte adhuc animis ſuis inhærere, neque ſe induci poſſe ut fortunas ſuas periclitarentur in colonia alenda, quæ in Hiſpani poteſtate quodammodo futura eſſet; ſe cujuſvis alterius ordinis religioſos lubenter vecturos; Jeſuitas vero nequaquam, niſi forte Reginæ placeret omnem ſentinam ſimul exhaurire & univerſum ordinem ſimul in N. Franciam amandare; denique petere ſe, ſi Jeſuitas hoſce mittere omnino conſtituiſſet, ſumtus in navem factos refunderet: Quum autem nullis rationibus ab hac ſententia dimoverentur, conſultum Reginæ viſum ut duobus coronatorum millibus navem à mercatoribus redimerent: Jeſuitæ itaque magna pecuniæ ſumma in hunc uſum ab amicis & obnoxiis impetrata, mercatores abſolverunt, & cum Poutrincourtii filio ſocietatem certis conditionibus iniverunt: Et Januario demum anni cIↃ IↃ CXI ſolventes, ipſo Pentecoſtes feſto ad Portum Regalem applicuerunt. Hic jam Jeſuitæ ingenio ſuo uſi, omnibus negotiis ſeſe immiſcere, etiam extra vocationis & muneris ſui limites, & in barbarorum præſertim converſione tam imprudenter agere cœperunt, ut non levis diſcordia inter Poutrincourtium atque ipſos oriretur: quo in Galliam remeante ut Reginam omnia plenius coram edoceret, filius in illius præfecturam ſucceſſit, cui longe pejus cum Jeſuitis convenit. Pater in Galliam reverſus, quum antecedentibus damnis pene exhauſtus, ad novos ſumtus faciendos minime ſufficeret, à Jeſuitis perſuadetur ut Marchioniſſam *de Guercevillè* potentem fœminam & ſocietati ſupra modum addictam in partem admitteret: ſocietate facta, *Gilbertus du Thet* ejuſdem ordinis, ab illa quantocius in N. Franciam mittitur, Poutrincourtio in Gallia remanente: Hic quum ad coloniam applicuiſſet cum ſodalibus ſuis, tantam ſimultatem cum præfecto ſuſcepit, ut ipſum excommunicaret, totique coloniæ ſacrorum uſum interdiceret: reditum tamen paulo poſt in gratiam & Gilbertus in Franciam remiſſus; ille proſpera navigatione uſus, nihil non movit, *Guercevilliæ* præſertim opera, ut Poutrincourtium plane excluderet, adeoque res illius conturbavit ut ſubſidium coloniæ ſubmitti tempeſtive non poſſet & coloni illam hyemem in ſumma commeatuum inopia miſere traducerent. Jeſuitæ autem, impetratis à Regina quidem quatuor tentoriis regalibus, largoque belli apparatu, à privatis vero variis donis, menſe Martio anni cIↃ IↃ CXIII novam expeditionem in N. Franciam ſuſceperunt. Quumque in colonia portus Regalis neminem præter ſuos ſocios & duos alios offendiſſent, illis aſſumtis, curſum ad fluvium Pemtagoüet, ubi ſedem figere deſtinaverant, flexerunt: Commodum ibi applicuerant, quum acriter cum accolis contendere cæperunt, quod ipſis in exitium vertit. Angli tum forte cum una navi, ſub præfecto *Argallo*, ex Virginia ad hanc oram luſtrandam venerant, id barbari ſibi opportunum rati, præfectum per nuntios de Jeſuitarum in ſuas terras adventu certiorem faciunt; qui nihil cunctatus ſtatim cum ſuis advolat: Gilbertus du Thet inopinato illius adventu territus ſuos ad arma vocat & majorum tormentorum ictibus Anglos

[Right margin, beside the corresponding lines:] 1610. — Eſcarbotus l. 5. — 1611. — 1613.

Anglos ſubmovere conatur, verum illi tanto impetu in Gallorum navem incubuerunt, ut facile illa potirentur, Gilberto & aliis tribus in ipſo conflictu exanimatis & paucis graviter ſauciatis; reliqui duo Jeſuitæ cum multis aliis capti, pauci ſcaphæ beneficio ſe ſubduxerunt, Argallus primo navem cum captivis in Virginiam abduxit; & denuo ad fluvium hunc reverſus, munimentum à Gallis inchoatum funditus evertit, & cruci quam erexerant, columnam cum inſignibus Angliæ ſubſtituit: In inſula itidem S. Crucis Gallorum opera ſubvertit & ad Portum regalem delatus, quum coloniam vacuam reperiſſet, Poutrincourtio juniore tum abſente, omnia ædificia demolitur, & locum in ſolitudinem redegit. Quod quum Poutrincourtius anno
1614. cIↃ IↃ CXIV ad hunc portum appellens deprehendiſſet, voti irritus & damna ab Anglis accepta temeritati Jeſuitarum imputans, in Galliam revertitur, ubi paulo poſt Regi ſuo militans occubuit. Atque hæc quidem à Gallis in Auſtrali N. Franciæ parte geſta.

CAP. XXII.

Narratio eorum quæ à Gallis in Septentrionalibus N. Franciæ regionibus geſta ſunt.

M*ontanus* marchio cujus ſuperiore capite meminimus, omiſſa auſtrali N. Franciæ parte jam ab anno cIↃ IↃ CVIII ad Septentrionalem animum converterat; itaque impetrato à Rege privilegio *Champlanium* cum vicaria poteſtate ad magnum flumen Canadenſe mittit; hic quum primo portum Tadouſac adiiſſet, & S. Malenſium navibus ibidem inventis omni cum barbaris commercio interdixiſſet, adverſo flumine ad promontorium *Quebec* aſcendit, & locum habitationi commodum nactus, caſtellum foſſa valloque communit; ad altitudinem ſex & quadraginta graduum & quadraginta ſcrupulorum. Triticum initio Octobris, ſecale medio ſatum, vites ſub exitum diſpoſitæ. Scorbuti lues menſe Februario decem & octo colonos afflixit, quorum decem interierunt, uti alii quinque è dyſenteria: Solum altis nivibus tectum fuit ad Calend. Apriles, nivibus tum primum liqueſcentibus. Quumque jam de viginti octo, qui hic hybernaverant, tantum octo, eique fere ægri, ſupereſſent, menſe Junio anni cIↃ IↃ CIX è Gallia opportune ſupervenit ſupplementum. Champlanius hoc accepto, cum Ochateguinis atque Algoumequinis, expeditionem ſuſcipit in Yroquoſios, & ſuperato cataracte penetrat in eorundem Lacum, multiſque barbarorum cæſis & paucis captis incolumis cum ſuis Quebecum revertitur, & relicto ibidem Chavino, qui ipſo abſente coloniæ præeſſet, in Galliam.
1610. Anno dein cIↃ IↃ CX rediens, quum colonos omnes incolumes & ſanos reperiſſet, denuo cum barbaris confœderatis in Yroquoſios movet, & magna ſtrage edita, multiſque in miſeram captivitatem, ab inhumanis barbaris, abductis; ad coloniam primo, & mox, tantum ſeptendecim ibidem relictis, in Galliam remeat. At anno
1611. cIↃ IↃ CXI jam tertio in hanc N. Franciæ partem redux, loco coloniæ collocandæ idoneo juxta magnum *S. Ludovici* cataracten deſignato, nondum tamen colonis eo deductis, reditum in Galliam maturavit. Nam quum ex variis Galliæ portubus naves promiſcue, commutandarum pellium cauſa, magnum flumen adirent, non modo ipſe nullum emolumentum ex hiſce commerciis percipere poterat, ſed & ſinguli grave damnum patiebantur. *Champlanius* diſpendio prævertendum ratus, Regem permovit ut Comitem Sueſſionenſem primo, mox & Principem Condæum hiſce expeditionibus Patronum daret, ipſum vero illius vicarium conſtitueret. Qua dignitate auctus quartam navigationem in novam Franciam ſuſcepit menſe Aprili anno
1613. cIↃ IↃ CXIII, & proſpera navigatione uſus VII May Quebecum venit, & colonos ſuos incolumes reperit; ſuiſque aliquantulum refocillatis expeditionem in mediterranea ſuſcipit, mendaciis cujuſdam *Nicolai de Vignau* nimis temere fidem adhibens, qui ſe anno ſuperiori à barbaris ad conſpectum maris Borealis deductum conſtanter aſſeverabat, donec à barbaris & re ipſa mendacii coargueretur, à qua voti irritus ad coloniam primo & in Galliam paulo poſt eſt reverſus. Sed deinceps quintam expedi-
1615. tionem ſuſcepit anno cIↃ IↃ CXV ducens ſecum quatuor religioſos ex ordine Recollectorum, ut barbaros ad religionem Chriſtianam amplectendam permoverent:

XXV May

xxv May ventum Tadouſac, atque inde Quebecum & denique ad magnum Cataracten S. Ludovici, ubi multi barbari à variis provinciis convenerant. Eodem anno & expeditio in Yroquoſios ſuſcepta, cujus hic exitus fuit, ut uno hoſtium pago aliquandiu fruſtra expugnato, Champlanius duo vulnera acciperet & re infecta non ſine magno diſcrimine ad ſuos reverteretur demum anno cIↄ Iↄ cxvi. menſe 1616.
Junio jam exeunte: & in Galliam menſe Septembri. Poſtilla jam ſextò è Gallia ſoluit menſe Mayo, & Tadouſacum tenuit menſe Junio, & ſub finem Auguſti rediit in Galliam. Hactenus res à Gallis in ſeptentrionalibus N. Franciæ regionibus geſtas, ex commentariis Champlanii retuli; quid porro ibidem actum, aut quid colonia hac factum ſit, nondum potui indagare; niſi quod ſatis conſtet, hodieque illa loca à Gallis commerciorum gratia frequentari.

Cap. XXIII.

De Nova Scotia è Diplomate Regis Magnæ Britanniæ VVilhelmo Alexandro Equiti indulto.


Antequam huic libro finem imponam, nequaquam ſilentio præterire poſſum, bonam Novæ Franciæ partem, quam ſupra *Cadiam* nominavimus, anno cIↄ Iↄ cxxi à Iacobo Magnæ Britanniæ Rege, titulo *Novæ Scotiæ*, ſingulari diplomate D. Wilhelmo Alexandro Equiti conceſſam, quod poſt præfationem ita ſe habet.

Dedimus, conceſſimus & diſpoſuimus, tenoreque præſentis chartæ, damus, concedimus & diſponimus præfato D. Wilhelmo Alexandro, hæredibus ſuis vel aſſignatis quibuſcunque, hæreditario omnes & ſingulas terras Continentis ac inſulas ſituatas ac jacentes in America intra caput ſeu Promontorium communiter *Cap de Sable* appellatum, iacens prope latitudinem quadraginta trium graduum aut circa ab Æquinoctiali linea verſus ſeptentrionem; à quo promontorio ſecus littus maris tendentis ad Occidentem, ad ſtationem navium S. Mariæ (vulgo *Sainte Maryes Baye*) & deinceps verſus ſeptentrionem per directam lineam, introitum ſive oſtium magnæ illius ſtationis navium trajicientem, quæ excurrit in terræ Orientem plagam inter regiones Suriguorum & Echeminorum (vulgo *Souriquois* & *Etechemins*) ad fluvium vulgo *Sanctæ Crucis* appellatum: & ad ſcaturiginem remotiſſimam ſive fontem ex Occidentali parte ejuſdem, qui ſe primum prædicto flumini immiſcet; unde per imaginariam directam lineam, quæ pergere per terram ſeu currere verſus ſeptentrionem concipietur, ad proximam navium ſtationem, fluvium vel ſcaturiginem in magno fluvio de Canada ſeſe exonerantem: Et ab eo pergendo verſus Orientem per maris oras littorales ejuſdem fluvii de Canada, ad fluvium, ſtationem navium, portum aut littus communiter nomine de *Gachepe* & *Gaſpe* notum & appellatum, & deinceps verſus Euronotum ad inſulas *Baculaos* vel *Cap Breton* vocatas, relinquendo eaſdem inſulas à dextra & voraginem dicti magni fluvii de Canada ſive magnæ ſtationis navium, & terras *de Nuw-found-land* cum inſulis ad eaſdem terras pertinentibus à ſiniſtra, & deinceps ad Caput ſeu Promontorium de *Cap Briton* prædictum iacens prope latitudinem quadraginta quinque graduum aut eo circa: & à dicto promontorio de *Cap Briton* verſus meridiem & Occidentem ad prædictum *Cap de Sable*, ubi incipit perambulatio includenda & comprehendenda intra prædictas maris oras littorales & earum circumferentias à mari ad omnes terras Continentis, cum fluminibus, torrentibus, ſinubus, littoribus, inſulis & maribus adjacentibus prope infra ſex leucas ad aliquam earundem partem, ex Occidentali, boreali vel orientali partibus orarum littoralium & præcinctum earumdem: Et ab Euronotho (ut jacet *Cap Briton*) & ex auſtrali parte ejuſdem ubi eſt *Cap de Sable* omnia maria ac inſulas verſus meridiem intra quadraginta leucas dictarum orarum littoralium earundem, magnam inſulam vulgariter appellatam *Iſle de Sable vel Sablon* includendo, jacentem verſus Carban vulgo *Sout Southeaſt* circa triginta leucas à dicto *Cap Briton* in mari, & exiſtentem in latitudine quadraginta quatuor graduum aut eo circa.


circa. Quæ quidem terræ prædictæ omni tempore affuturo nomine *Novæ Scotiæ* in America gaudebunt. Quas etiam præfatas D. Wilhelmus in partes & portiones ſicut ei viſum fuerit, dividet, eiſdemque nomina pro beneplacito imponet. Una cum omnibus fodinis tam regalibus auri & argenti, quam aliis fodinis ferri, plumbi, cupri, ſtanni, æris, &c.

Hactenus ipſius diplomatis verba, prout concepta erant, fideliter expreſſimus,
quibus limites *Novæ Scotiæ* in America comprehenduntur. *D. Wilhelmus Alexan-*
1622. *der* ſtatim anno cIↃ IↃ c xxii navem miſit cum aliquot colonis ad locum habitatio-
ni idoneum perveſtigandum; qui paulo ſerius profecti, in Terræ novæ portu vulgo
S. Iehans port, hybernarunt & anno demum cIↃ IↃ cxxiii, auſtrale hujus inſulæ la-
tus prætervecti primo portum ſubierunt, Gallis jam ante *Port au Mouton* appellatum,
1623. ipſi *S. Lukas baye* dixerunt; deinde duas leucas provecti alterum, quem *Iolly port* ap-
pellarunt; denique ad portum nigrum, duodecim ab hoc leucis, profecti, vela verte-
runt & primum ad Terram novam, deinde in Angliam remearunt. Quid poſt illa
in illis partibus geſtum ſit, mihi non conſtat: niſi quod nomina harum provinciarum
à *Wilhelmo Alexandro* mutata inveni, in tabula Geographica nuper in Anglia excu-
ſa, in qua Peninſula Cadia, *Nova Calidonia*, ſeptentrionalis pars, qua *Gaſpé* ſpectat,
Nova Alexandria nominatur, atque alia loca ad eundem modum novis nominibus
inſigniuntur. Hactenus de Nova Francia.

RPJCB



NOVA ANGLIA,
NOVVM BELGIVM
ET VIRGINIA.
Grand Lac
Lac des Yroquois
Maquaas
Mahicans
Fort Orange
Sennecaas
Noordt Rivier
Navaas
Sequins
NIEUW NEDER LAND
Gacheos
Tappaans
Maquimaues
Capitanaſſes
Wecké
Helle gat
Archipelago
N. Amsterdam
Manhattes
Minquaas
Coenraed Bay
Godyns punt
Saſqueſahanough
Minquaas
Zuyd Rivier
Bolus
Tockawoghs
Narati-cons
Eyer haven
R. Quiriough
Paw tuxunt
R. Patawomeque
Mannahoak
R. Toppanahoc
R. Mattapanient
Kuſkarawoaks
C. May
C. Hinlopen
R. Youghtamund
R. Pamaunke
Wighcocomoco
Accohanock
Monacans
R. Pawhatan
James
Cheſapeak
Smith Ile
C. Charles
C. Henry
VIRGINIA
Ramuſhowoug
Ohdunook
Catokinge
Weapemeoc
Muſcoming
Chepanu
Moratuc
Paſkenoc
Moquoperc
Trinite Harbor
Tramaſquec
Secotan
Demamotsique
Aquaſcogoc
L. Paquyp
Paquiwock
Cotan
Secotan
Pomeioc
Panavioc
Croatoan
Cuuaruvoc
Wokokon
C. of Feare
Milliaria Germanica
10 20 30 40 50 60
WEST
46 45 44 43 42 41 40 38 37 36 35 34 33 32 31 30


NOVA FRANCIÆ PARS
Norembegua
R. S. Iean
S. Croix
Baye Francoiſe
CADIE
N. SCOTIA
R. Kine begin
R. Chonacoet
L. de Bacchus
I. Haute
Menane
I. Longe
C. Sable
P. Roſsignol
NIEUW ENGELAND
Pount davis
Graef Willems Bay
Briſtow
Tragabigſanda C. Anna
G. Hendr. Bay
Accomack
Plymouth
C. Cod
Nilford haven
Staten hoeck
Malebarre
Nalocks
Ad Block Eyland
B. van Naſſau
La Bermuda
OOST
46
45
44
43
42
41
40
39
38
37
36
35
34
33
32
31
30
Bermuda majori mole expreſsa.
S. Georges Iland
Tobacco bay
Burnt point
Southampton Harbour
Somerſet I.
Ireland
Gates I.
Great Sound
Abbots bay
Pagets port
White bearne bay
Elbow bay
Great Turtle bay
Port Royal
Harrington Sound
The Stags
Flemiſh wreck
Warwick fort
6. Millia.

RPJCB

DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER TERTIUS.
VIRGINIA.
INTRODUCTIO.

NOVÆ FRANCIÆ *quam ſuperiori libro abſolvimus, contermina eſt Americæ Septentrionalis pars, intra trigeſimum quartum & quadrageſimum quartum gradum Septentrionalis latitudinis concluſa: verſus ortum Magno Oceano, verſus Auſtrum Floridæ provinciis, verſus Arctum Nova Francia terminata, longis & incertis ſpaciis in occidentem patens & adhuc leviter intra continentem cognita; quam Angli vulgo communi nomine* Virginiam *appellant: Superiori autem ſeculo* Virginia *longe anguſtioribus terminis continebatur, quippe illam tantum regionem complectens, quæ Floridæ proxima eamque immediate contingens, à fortiſſimo Equite* Walthero Ralego, *anno* cIↃ IↃ LXXXIV *& aliquot ſubſequentibus primum adiri & ab Anglis, aliquot coloniis eo deductis, coli cœpit, & paulo poſt iterum fuit deſerta: Verum quum anno* cIↃ IↃ CVI *poſt privilegium à Magnæ Britanniæ Rege certæ Nobilium & mercatorum Societati, indulto; novæ expeditiones in Septentrionaliorem hujus Continentis partem fuiſſent ſuſceptæ, ad latitudinem nempe ſeptem & triginta graduum & paulum ultra, tota hæc regio quæ à trigeſimo tertio aut quarto gradu ad trigeſimum octovum ſecus mare porrigitur,* Virginiæ *quoque nomine cœpit celebrari. Reliquum Continentis ad limites Novæ Franciæ uſque, Primum qua Virginiæ huic contiguum eſt & jam ab aliquot annis a Belgis noſtris luſtratum fuit & ſub auſpiciis Illuſtr. & Præpotentum D. D. Ordinum confœderati Belgii etiam habitatum,* Novum Belgium *jam vocamus; Dein qua Novam Franciam propius contingit & ab una atque altera Anglorum colonia fuit occupatum,* Nova Anglia *admodum nuper cœpit appellari. Hiſce itaque nominibus in hac noſtra deſcriptione utemur; initium autem faciemus a* Nova Anglia, *utpote Novæ Franciæ ad Arctum proxima; de hac quidem jam multa ſuperiori libro è Gallorum (qui non exiguam illius partem ſui juris eſſe autumant) obſervationibus commemoravimus; ſed hic jam Anglorum ductum ſequemur & præſertim* Joannis Smithi, *qui ante paucos annos commentarium ſuum de* Nova Anglia *ſuo idiomate dedit in lucem; verum ne quicquam hic conſulto præteriſſe videamur; in ipſo limine* Ioannis Verazzani *Florentini navigationem præmittemus, qui auſpiciis atque impenſis Francorum Regis, inter primos aut forte primus has oras luſtravit.*

Cap. I.

Navigatio Joannis Verazzani *ad Continentem Americæ Septentrionalis.*

FRANCISCVS I Franc. Rex, proſperis Hiſpanorum ad Inſulas & Americæ continentem expeditionibus, permotus, Joannem Verazzanum Florentinum, cum una navi, qua quinquaginta navales ſocii vehebantur, ad Septentrionalis Americæ partes luſtrandas ablegat. Is anno cIↃ IↃ XXIV menſe Ianuario ab Inſulis Canariis ſolvens & primo curſum recta in occidentem dirigens, aura ab oriente proſperè afflante, viginti quinque dierum ſpacio, circiter quingentas leucas enavigavit; horrenda dein tempeſtas illum ſupra modum afflixit; qua remittente, curſum nonnihil verſus Septentrionem flexit & poſt totidem dierum navigationem, novas conſpexit terras, ad latitudinem triginta quatuor graduum ab æquatore verſus Arctum, littoribus inter Auſtrum & Septentriones productis. Solum juxta littora planum erat & pelago pene æquale; itaque nullum portum & ipſam oram ventis expoſitam conſpicatus, aliquot leucas primò verſus Auſtrum, deinde & verſus Arctum littora legit, ut portum inveſtigaret; quumque in eo fruſtra fuiſſet, in patenti mari anchoras figere & ſcapham exponere juſſit: Interim barbari, rei novitate perculſi, magno numero ad littus accurrere, & Gallis appropinquantibus, nunc fuga ſe ſubducere, nunc admirabundi retroſpicere, tandem ſecuritate promiſſa, paulum confirmati gradum ſiſtunt & advenas humaniter excipiunt. Pudenda exigua pelle tecti, cætera nudi agebant, colore ſubfuſco, nigris capillis, artubus bene compoſitis & ſine ulla inſigni deformitate. Littus arenoſum in modicos tumulos aſſurgebat, regio ipſa mediocriter alta & proceris arboribus undiquaque veſtita erat: venti æſtate potiſſimum ab occidente aut Coro flantes: ſudum cœlum; raræ admodum pluviæ. Sublatis deinde anchoris, oræ ductum ſecutus, primo ad ortum curſum dirigit, mox littoribus retrocedentibus, verſus Septentrionem: atque hic rurſus exſcenſione facta, ſolum longe amœnius deprehendit, viteſque paſſim ad faſtigia arborum ſcandentes, & haud dubio frugiferas, ſi cultura accederet: barbaros prioribus omnino ſimiles.

Centum circiter milliaria (ut ipſi viſum) ab hoc loco pulcherrimus amnis in oceanum effluebat, à quo rurſus ora quinquaginta milliaria verſus ortum convertebatur, donec ad Inſulam quandam perventum eſſet, triangulari formâ, quæ decem milliaria à continenti videbatur disjuncta, & in nemoroſa juga conſurgebat, quam *Claudiam* appellarunt. Porro quindecim ab hac milliaria provecti portum ſubjerunt ad altitudinem unius & quadraginta graduum & XL ſcrupul. cujus fauces auſtro expoſitæ, medium milliare patebant, intus lateribus utrimque recedentibus in modum freti, pene viginti milliaria ambitu ſuo capit & verſus boream ad duodecim milliaria in longitudinem porrigitur, aliquot minores inſulas arboriferas & mire delectabiles interluens. Ab accolis ſatis humaniter hic ſunt accepti: Regulus illorum cervina pelle induebatur, æs ipſis notum erat & in precio.

Hinc ora, editior multo, ad orientem flectebatur pene quinquaginta milliaria: rurſuſque verſus Arctum recedebat, ſed hîc populus vere barbarus & immanis moribus, nullis rationibus ad mutuum congreſſum aut colloquium adduci poterat: Urſorum, lutrarum & phocarum pellibus tecti, vitam piſcibus & ferina tolerare viſi, nulla frumenti notitia, nulla ſerendi cura: ipſumque ſolum illorum quæ feruntur maligne patiens, immanes ubique ſaltus & montes, & æris aliorumque metallorum haud obſcura indicia.

Dehinc curſum verſus Aquilonem dirigentes, ſupra triginta inſulas, multa promontoria, plures receſſus, ampliſſimos ſinus, portuſque prætervecti, ad terram jam ante à Britonibus luſtratam & quinquageſimum latitudinis Septentrionalis gradum perve-

dum pervenerunt, & velis verſis in Galliam menſe Julio incolumes redierunt. Atque hæc ex ipſius *Verazzani* ad Regem litteris compendio à nobis excerpta ab hodierna littorum deſcriptione & gentium moribus parum diſcrepant: nunc ad ea quæ nuper ab Anglis, noſtriſque obſervata ſunt, veniamus.

NOVA ANGLIA.

Cap. II.

Deſcriptio Continentis Americæ ſeptentrionalis quæ hodie NOVA ANGLIA *dicitur, è commentario* Ioannis Smithi.

SEptentrionalis quidem Americæ pars (inquit) quam hodie *Novam Angliam* vocamus, intra quadrageſimum primum & quintum latitudinis gradum interjacet; verum de qua nunc propoſui dicere, à flumine *Pennobſcot* ad promontorium *Cod*, recta fere linea, ſeptuaginta milliaria patet & ad minimum quadraginta barbarorum pagis juxta littus incolitur: viginti quinque hic portus à me luſtrati, quorum nonnullos quingentorum, quoſdam etiam aliquot millium navigiorum capaces puto: ducentæ aut plures inſulæ Continenti objectæ ſunt, quæ plures portus faciunt, quam brevi tempore à me commode luſtrari potuerint. Præcipua quidem barbarorum habitatio eſt juxta *Pennobſcot* verſus ſeptentrionem: ad auſtrum vero, oram ſecus, *Macadacut*, *Segocket*, *Pemmaquid* *Nuſconcus*, *Kenæbec*, *Sagadahoc*, *Aumoughcawgen*: hic populi *Segetago*, *Pahtiuntanuck*, *Pocopaſſum*, *Taughtanakagnet*, *Wabiggan*, *Naſſaque*, *Mashecoſqueck*, *Wawrigweck*, *Moshoquen*, *Wackcogo*, *Paſſaranack*, degunt, & illorum confæderati *Aucociſco*, *Accominticus*, *Paſſataquac*, *Aggowan* & *Naemkek*: qui omnes perparum dialecto & moribus inter ſe differunt: & licet in varias provincias & peculiaria Dominia diſtinguantur, tamen *Beſſabees* qui ad ripas fluminis *Pennobſcot* degunt, ultro primas deferunt. *Mattahuntii* duas inſulas incolunt, haud ultra milliare à Continenti disjunctas, & variis hortis, arviſque ſupra modum amœnas.

ſupra Pemtegouet.

Maſſachuſetorum gens longe populoſior, linguâ, moribus & commerciorum uſu, multum à cæteris barbaris diverſa; pagos ſupra viginti cum ſuis paſcuis & arvis poſſident; multos amnes accolunt, varioſque in mediterraneis lacus, juxta quos potiſſimum caſtores & lutras venantur.

Ora quæ à *Pennobſcot* ad *Sagadahoc* pertinet, in juga attollitur, multæ hic inſulæ atque ſcopuli objacent; ſylvæ frequentes largam materiem ad domorum & navium ſtructuram ſubminiſtrant; mare valde piſcoſum; ſolum uberrimum, & multis fructibus ad uſum hominum comparatis, per ſe fætum.

Maſſachuſetorum autem provincia ſoli ubertate cæteris longe præcellens, nunc in modicos colles aſſurgit, nunc in amœnas valles ſubſidet; ſolum arenoſum nonnumquam, ubere interdum gleba & ſaxorum venis intercurrentibus, humano cultui mirum in modum apta, nec Devoniæ noſtræ diſſimilis: promittit & metalla præſertim ferri & chalybis: auſim aſſerere, decem aut quatuordecim milliar. ſpacio, quæcunq; ad naves fabricandas & eaſdem commeatu & mercibus onerandas neceſſaria ſunt, abunde poſſe comparari. Nam qui ſoli ubertatem, tot arva, tot hortos; tam proceras arbores & imprimis ſalubre cæli temperamentum, indigenarum robur, agilitatem, & ſanitatem ad animum revocaverit, haud aliter poterit judicare, quam hanc regionem cæli ſolique bonitate cum laudatiſſimis Europæ merito poſſe comparari. Licet enim hîc & æſtas minus ferveat & hyems magis algeat, quam vulgo in Europa ſub eodem clymate, non minus tamen ſemina & feliciter pullulant & cito adoleſcunt. Piſcium captura hîc imprimis dives, atque ex hac prima emolumenta capienda forent. Menſe Martio, Aprili, Maio & parte Junii, maxima aſellorum majorum copia, Maio autem, Junio, Julio ac Auguſto accipenſerum, quin & halecum incredibilis multitudo juxta hæc littora capitur: quid multa; omnibus anni tempeſtatibus piſcoſum eſt mare. Neq; dubium eſt quin ſalinæ commode & utiliter hic fieri poſſent; Et è certis baccis, quas *Alkermes* vocant, præſens emolumentum à mercatoribus percipi: Earum enim libra aliquando in Anglia triginta atque etiam quadraginta ſolidis ſterlingenſibus veniit, licet nunc multo viliores ſint: Caſtorum præterea, lutrarum, martium ſive

muſtelarum Scythicarum, nigrarum vulpium & ſimilium ferarum pelles, magno numero & vili à barbaris redimi: (Gallos quidem anno cIↃ IↃ CXVI ſupra viginti quinque millia ejuſmodi pellium è N. Francia Europæ intuliſſe ſatis conſtat.) Et ut harum regionum dotes ſemel abſolvamus, aquæ fluminum limpidiſſimæ & potari pulcherrimæ, utpote quæ ex petroſis montibus deſcendant. Solum abunde & ſua ſponte varias arbores, varioſque fructus producit, moros imprimis, juglandes, avellanas, prunos, vites, rubos idæos, uvas criſpas, fraga: è ſeminibus autem pepones, phaſeolos, piſa & Maizium: lini quoque ſpeciem, è quo indigenæ retia ſua nectunt. Nulla denique regio plures aves aut majorem variorum quadrupedum copiam nutrit.

Cap. III.

Particularior ejuſdem Continentis deſcriptio ex eodem.

Pennobſcot.

SInus *Pennobſcot*, in quem fluvius ejuſdem nominis deſcendit, decem milliaria ab ortu in occaſum, totidem ab Auſtro in Arctum patet: multis inſulis diviſus, quarum quædam decem milliaria longæ, varios ſinus & portus aperiunt. verſus ortum *Tarentini* incolunt, Gallorum confæderati, quibus juges inimicitiæ & bella cum *Beſſabeis*, qui ex adverſo degunt. Ad lævam *Meccadacut* jacet ad radices montium, quos æquor lambit, quique tam altis jugis aſſurgunt ut ſedecim aut XVIII milliarium intervallo eminus à navigantibus conſpiciantur. Sinui objacet inſula *Soriſco*, præalta ſitu, ideoque Gallis *Iſle Haute* dicta. Huic proximus eſt locus *Segochet*, deinde *Nuſconcus*, *Pemmakid* & denique ad eandem oram amnis *Sagadahoc*; ad quem olim colonia Anglorum fuit deducta: juxta hunc *Aumukiawgeni*, *Kinnebeky* & alii barbari ſedes ſuas atque arva habent. Fluvius hic quadraginta aut quinquaginta milliaria è Continenti deſcendit, ripæ utrimque arenoſis tumulis & nemoroſis rupibus obſeſſæ, præterquam ubi barbari accolunt, ibi enim ſolum eſt ſatis fertile & pinguis gleba.

Meccadacut. Soriſco Inſula. Segochet. Sagadahoc.

Aucociſco.

Ab hoc verſus occaſum provinciæ *Aucociſco* ampliſſimi ſinus gremio prætenditur, multæque inſulæ cum ſuis portubus per ſinum ſunt ſparſæ. Haud longe hinc *Sowocotuck* ad angulum Continentis, qui latum ſinum aperit, arenoſo quidem littore, ſed crebris inſulis & cautibus illi objectis, aditu difficilem & non niſi minoribus navigiis. Quid multa? tota hæc ora à *Pennobſcot* huc uſque & longius à *Pennobſcot* verſus ortum, ejuſmodi rupibus & ſaxoſis inſulis ſcatet ut mirum ſit tam procerarum arborum feracem eſſe, neque quicquam hic eſt quod intuentes non magis deterreat, quam afficiat: tamen mare hic, ſi uſquam, mire piſcoſum, & hæ inſulæ tot arboribus amœnæ, tot fontibus riguæ, tam variis fructibus dites, tantaque hîc avium copia, ut non careat fide, licet littora tam aſpera ſint, tamen convalles & interiora Continentis fæcundiſſimo eſſe ſolo.

Sovvocotuck.

Accominticus. Angoam.

Littus verſus occaſum ſequentibus *Accominticus* & *Paſſataquak* occurrunt, modici portus & minoribus navigiis opportuni, & juxta littus fertile ſolum. His proxima eſt *Angoam*, provincia ſatis amœna, ſed portus illius propter brevia navigantibus infidus eſt, & ſinus ab alto mari remotior: multi hic colles modice conſurgunt, qui à barbaris coluntur. Verſus ortum inſula objacet, duo aut tria milliaria in longitudinem patens, media ſui parte paſcua & lætiſſimi graminis ferax, reliqua nemoroſa & pulcherrimis moris opaca, coloniæ deducendæ valde idonea, præſertim propter tutiſſimum portum. *Naimkeck* ſolo licet petroſiore, tamen *Angoam* non multum eſt inferior, incolæ deteriores.

Tragabigzanda.

Paulo ulterius inſigne Promontorium *Trabigzanda* vaſte in altum ſe projicit (Champlanio *S. Ludovici*, noſtris Wyngaerdshoeck,) cui tres inſulæ objacent quas vulgo Turcarum capita appellant, verſus ſeptentrionem latum ſinum pandens, juxtaque multi barbarorum pagi jacent, cum ſuis arvis, qui cum Gallis commercia exercent: ad occaſum autem inſulæ adjacent *Mattahuntiorum* cum ſuis ſtationibus.

Hoc promontorium prætervectis *Maſſachuſettorum* provincia occurrit, quam hujus tractus Paradiſum haud immerito dixeris, arva hîc frugum feracia pene innumera, & littora

littora ſtringentibus, vix aliud ſeſe offert amœnius aut fæcundius: barbari frequentes
& cum Gallis commercia exercere ſueti; ingenio ſatis placido, ſed ſi irritentur,
etiam fero & indomito. Hinc ad *Accomack* navigatur, egregium portum & fertile
ſolum, ſegnitie tamen gentis obſcurum.

Hunc prætervectos Promontorium *Cod* accipit (Gall. *Cap Blanc,*) terræ tantum C. Cod.
veluti cornu, in præaltos arenarum tumulos & humilibus pinorum fruticetis veſti-
tos, aſſurgens; & pone ipſum portus, adverſus incerta ventorum egregie tutus: Pro-
montorium ipſum ab uno latere patenti ſinu, ab altero vaſto oceano cingitur, falcis
meſſoriæ formâ: *Pawmetti* barbari promontorii cervicem, ſinus gremium *Chawuni*
accolunt: ora quæ grandem ſinum cingit, nullis quidem brevibus aut rupibus impe-
dita eſt, vadoſior tamen quam ut majoribus navigiis propius adiri poſſit. *Champlanius*
hic portum à ſe obſervatum in commentarios retulit, quem *port aux Huiſtres* ab oſtrea-
rum abundantia vocat, quinque milliaria ab hoc promontorio verſus Africum. In
interiori ſinu *Nauſit* Inſula jacet; ad continentem provincia *Capawack*, late patens & Nanſit
frumenti feraciſſima, habitatoribus frequens, & ſi barbaris fides, in mediterraneis Inſula.
æris aliorumque metallorum venis ſcatens.

Cap. IV.

Res ab Anglis in hiſce partibus geſtæ ab anno cIↄ Iↄ c vi.

ANno demum cIↄIↄcvi hæc regio quam modo deſcripſimus, ab Anglis 1606
publica authoritate adiri cæpit: privilegio à Iacobo magnæ Britanniæ Rege
certis Nobilium & mercatorum ſocietatibus indulto, colonias in utramque
continentis partem deducendi: quibus diſerte cautum erat, ut centum milliaria
inter utriuſque ſocietatis limites vacua relinquerentur, neque propius ſe mutuo con-
tingerent.

Ad ſeptentrionaliores partes primo miſſus *Henricus Chalonius*, ab Hiſpanis fuit in-
terceptus: & eodem pene tempore ſumtu Joannis Pophami ſummi totius Angliæ
Juſtitiarii, *Thomas Hamanus*; qui Chalonio ſubſidio miſſus ad flumen *Sagadahoc*, quum
ipſum non inveniſſet, oram luſtraſſe contentus in Angliam rediit. Deinde anno cIↄ 1607
Iↄcvii ejuſdem Pophami auſpiciis centum agricolæ in coloniam ad *Sagadahoc* tra-
ducti, in Peninſula quæ oſtio hujus fluminis adjacet ſedes fixerunt & munimentum
excitarunt ad hoſtiles inſultus ſuſtinendos, *S. Georgii* nomine: Coloniæ præerat
Georgius Pophamus, rei nauticæ *Ralegus Gilberti*. Flumen ipſum luſtrare aggreſſis, cata-
ractes, juxta inſulam quandam amnicam occurrit, quem tamen haud difficulter ſu-
perarunt; & mox alter, ubi aqua cum tanta violentia ruit, ut ulterius aſcendere
neutiquam potuerint; diſtabat hic locus ab Æquatore quinque & quadraginta gra-
dus & aliquot ſcrupul. quum oſtium ipſius fluminis tantum abſit tres & quadra-
ginta gradus, & xxx ſcrupul. ripæ utrimque in arenoſos tumulos modice aſſurgunt:
ſolum non eſt admodum fertile, nemoroſum tamen & quercubus egregie veſtitum.
Indigenæ cęterorum barbarorum moribus agunt & ſingulis pene menſibus à maligno
ſpiritu miſerum in modum vexantur, quem *Tanto* vocant, magiſquè metuunt quam
venerantur; dum Angli hic degerent, viſi ſunt Chriſtianorum ritibus & religione
nonnihil affici, nam Regem Iacobum, illiuſque Deum, bonum, ſuum vero *Tanto* 1608
malum profitebanrur. Verum quum Præſes coloniæ menſe Februario anni cIↄIↄ-
cviii & paulo poſt ſummus Iuſtitiarius (qui ſumtus hactenus præcipue ſuſtinuerat)
diem ſuum obiiſſent, coloni cum navibus, quæ ipſis ſubſidio miſſæ fuerant, colonia
deſerta, in Angliam redierunt; quorum inopinatum reditum Patroni tam inique tu-
lerunt, ut incepto aliquandiu deſiſterent. Galli interim, (hac occaſione uſi, an ſponte
ſua,) variis locis coloniarum fundamenta jecerant, quum *Argallus* è Virginia ſuperve-
niens opera illorum diſturbavit, colonias evertit, & quos deprehendere potuit, cap-
tivos abduxit, ut libro ſuperiore à nobis narratum. Angli dein majore conatu
Hobſonum & alios mittunt, unaque duos barbaros, qui in Anglia aliquandiu hæſerant,
ut gentem ſibi devincirent & hiſce interpretibus uterentur: verum quum paulo ante
eorum adventum, Anglus quidam nomine *Huntus*, vigintiquatuor barbaros, poſt
commercia cum ipſis exercita, in navem ſuam ſpecie amicitiæ illectos, perfide ab-

duxiſſet, & Hiſpanis in freto Gaditano (ut poſtea apparuit) vendidiſſet, barbari tanto odio in Anglos exarſerant, ut Hobſonus voti irritus reverti fuerit coactus.

1614. Deinceps anno cIↃ IↃ CXIV miſſus *Ioannes Smithus* (ut balænas caperet & auri atque argenti metalla ſcrutaretur) ad Inſulam *Monnahiggan*, quadraginta tribus grad. & ſemiſſe ab æquatore, applicuit; cete quidem repperit, ſed non ejus generis è quorum aruina oleum utiliter excoquitur; metalla autem nulla; itaque & hic fru-
1615. ſtra fuit. Anno vero cIↃ IↃ CXV jam ſecundo hic miſſus, in Gallicos piratas incidit, qui illum aliquandiu captivum detinuerunt. Interea quum forte fortuna unus eorum, quos *Huntus* (ut ſupra) vendiderat, in Anglorum poteſtatem rediiſſet, nova ſpes affulgere viſa, novoque diplomate à Rege, licet ægre, impetrato, alia colonia paulo poſt deducta, de qua ſtatim dicemus.

Cap. V.

Novæ Angliæ Cæli ſolique qualitates ex commentariis anno cIↃIↃCXXII *ab ipſa ſocietate editis.*

Antequam proſequar ea quæ poſt novum diploma à Rege impetratum Angli in hiſce partibus geſſerunt, non abs re fuerit hic præmittere, quæ ab illis prodita de Novæ Angliæ dotibus; quæque in communi de Coloniarum collocatione utiliter obſervarunt.

In loco, coloniæ ad partes tranſmarinas deducendæ, idoneo ſeligendo (inquiunt) trium potiſſimum rationem habere oportet: primo Cæli, ut colonorum valetudini conſulatur: deinde ſoli, ut eorum quæ ad victum neceſſaria ſunt, copia facile haberi poſſit: denique Maris, ut navigiis, ad commercia exercenda, facilis aditus pateat. Cæli autem qualitas aut ratione Clymatis in communi aut peculiariter ex ipſius loci ſitu atque habitu variat. Porro hæc in Nova Anglia ad hunc modum ſe habent. Hanc quum ſita ſit in medio pene temperatæ zonæ & æquali intervallo ab Arctico Circulo & Tropico Cancri, eandem aëris temperiem experiri oportebat, qua Gallia gaudet atque adeo qua bona pars Italiæ: verum contra accidit, nam qua mare contingit, aër multo frigidior eſt, idque partim ob oceani (uti videtur) vicinitatem, cujus jugis & inconſtans motus radiorum ſolarium reflexum frangit: partim ob vaporum aſcendentium copiam qui æſtum mitigant: mediterraneæ autem regiones mediocriter calent; certiſque experimentis comprobatum eſt, eaſdem regiones longe frigidiores eſſe qua aſcendentem ſolem ſpectant, quam qua deſcendentem; auraſque veſpertinas multo tepidiores quam matutinas experiri. Quæ quum ita ſe habeant, temperies cæli in hiſce regionibus noſtrorum hominum corporibus ſupra modum videtur apta, quæ temperato admodum Clymati ſueta neque intenſum frigus ferre poſſunt, neque immodicum æſtum.

Solum porro imprimis eſt fertile, & non modo illius frumenti, quod barbari ſerere conſueverunt, ſed & quod noſtri intulerunt, egregie ferax. Portuoſum autem eſt littus & quamplurimis inſulis ubique obſitum, quæ habitationi peridoneæ, nemoroſæ & quercubus, cedris, piceis, pinis, juglandibus, caſtaneis, ſaſſafris, prunis, calamis aromaticis, aliiſque grata varietate amœne veſtitæ ſunt. Indigenæ moribus utcunque compoſitis, & ſi bene cum ipſis agatur, humani & hoſpitales. Mare ad ipſa littora piſcibus fætum & ſalinis peropportunum. Avium in mediterraneis ingens copia & varietas; Pavones indici, perdices, cygni, grues, anſeres, anates, columbæ, præſertim quum fraga matureſcere incipiunt. Cervorum & ſimilium ferarum ingens numerus, quæ nonnumquam tres quatuorve fætus gignunt, inſigni indicio cæli ſolique bonitatis.

Peculiaris autem quadrupedum ſpecies hiſce regionibus frequens eſt, barbari *Moſſe* appellant, tauri magnitudine, capite damæ & latis cornubus, quæ quotannis mutant,
Moſſe. cervice cervina, brevibus jubis & à collo per dorſum deſcendentibus, pilis prolixis inſtar alcis, cum ingluvie pendula ſub ipſo jugulo, longis cruribus, magnis pedibus inſtar vaccarum, cauda longiore quam ſit damarum; caro ejus admodum grati eſt ſaporis, quam ad ventum ſiccatam barbari diu ſervant: cutis haud minus craſſa quam bubalorum nec minus ad varia utilis. Magna horum animalium copia reperitur in Inſula haud

haud longe à Continente diſſita (*Mount Manſel* vocant Angli) ubi barbari illa venantur in hunc modum; poſtquam diverſis locis pyras accenderint, ſaltus indagine cingunt & feras in mare, ad quod & naturæ inſtinctu feruntur, propellunt; dein cymbulis ſuis adnavigantes, in ipſis fluctibus obruunt & mactant: haud dubium autem eſt feram hanc ad miniſteria humana cicurari poſſe, ſi induſtria & diligentia adhiberetur. Porro è quibus utilitas & lucrum per commercia hauriri poſſit, hæc fere ſunt: piſces varii generis; precioſæ pelles caſtorum, lutrarum, nigrarum vulpium, muſtelarum ſcythicarum & ſimilium: canabis, linum, ferri metalla; aſſeres, trabes, omniſque generis materies: quibus addi poteſt vitium, quæ hic variæ & frequentes, cultura; & picem duram atque liquidam conficiendi ſumma opportunitas: denique nihil ſive è Gallia ſive è Germania per fretum Danicum ad nos defertur, quod non hic induſtria & levi labore parari poſſit. Quibus accedit haud levis unionum inveniendarum ſpes; & Ambar griſeum nonnumquam circa hæc littora deprehenſum. Denique facilis & compendioſa eſt ad has regiones navigatio & Angliæ maxime opportuna. Atque hæc quidem illi in commentario anno cIↄIↄcxxii edito.

Cap. VI.

Nova Pleymoutha, colonia ab Anglis huc deducta.

ANno cIↄIↄcxx Coloni aliquot in Anglia conſcripti, qui è Pleymoutha notiſſimo Angliæ portu ſerius atque adeo initio Septembris ſolventes, & nono demum Novembris Promontorium *Cod* prætervecti, quum, vento adverſante, portum quem petebant, decem milliaria à promontorio diſſitum, tenere non poſſent, in ampliſſimo ſinu, quem promontorii flexus claudit, anchoras fixerunt. Hic in terram exſcendentes & locum habitationi commodum circumſpicientes primum tuguria aliquot deſerta invenerunt; dein ulterius progreſſi, à barbaris inopinato fuerunt oppugnati, quos nulla opera fugarunt. Verum quum loca hæc haud ſatis placerent, xvi Decembris alium portum ex adverſo Promontorii verſus occidentem petierunt. Eſt autem ſinus præcedenti longe amplior, amœniſſimo ſolo undiquaque cinctus, duas inſulas nemoroſas, cætera incultas & deſertas ſuo gremio complectens, piſcoſus admodum, & variis aquatilium avium generibus pro tempeſtatum ratione ſcatens. Nulli hic incolæ ab ipſis inventi, licet arva olim culta & ſata fuiſſe appareret; nulli navigabiles amnes viſi, ſed plures rivi & torrentes limpidæ aquæ & potari pulcherrimæ. Solum hic mire fœcundum eſt multis in locis, nonnullis etiam arenoſum; ſicuti & figulinæ operæ idonea gleba: peramæni paſſim luci ac nemora & herbida rurſus paſcua & campi.

Juxta hunc ſinum in ipſa Continente Nova *Pleymoutha* ab ipſis deſignata, in acclivi ſolo & jam olim à barbaris culto: in una convalle torrens labitur, ſcapharum & cymbarum tantum patiens: multæque ſcaturigines & fontes paſſim rigant ſolum. Familiæ omnino novemdecim huc primum deductæ; ædeſque ita ſtructæ ut duplici ordine ex adverſo ſibi reſponderent, quo ſecurius agerent & ſibi mutuo opitulari poſſent. Hyeme jam pene exacta, menſe Martio, venit ad illos barbarus quidam *Samoſet* nomine, & conſuetudine Anglorum, qui piſcandi gratia inſulam *Monahiggan* accedunt, Anglici idiomatis nonnihil gnarus, à quo tum primum didicerunt, regionem ubi ſedes fixerant *Patuxet* barbaris appellari, jamque quadriennium eſſe ex quo incolæ ad unum omnes inuſitata quadam plaga interierint: huic territorio proximos agere *Maſſaſoitos*, qui haud ſupra ſexaginta viros ad bellum mittere poſſint: ad Eurum autem *Nauſitos* habitare, qui circiter centum cenſeantur, atque hos quidem Anglis valde infenſos eſſe ob *Hunti* illius facinus, de quo ſupra. Nec multo poſt advenit *Maſſaſoitus* vicinarum provinciarum Regulus (*Sagamos* barbaris) cum fratre ſuo Quadequina & plurimis aliis barbaris, qui fædus cum ipſis ſanxit.

Pley-mouṫha Nova.

Atque hæc quidem Novæ Pleymouthæ prima fundamenta fuerunt, quæ poſt illa novorum Colonorum acceſſu incrementum cepit: quæ ab Anglicis ſcriptoribus peculiaribus commentariis narrata, hic compendio retuli, cætera iis quorum intereſt relinquens. Hoc tantum addam, primos hoſce colonos, uti & illos qui poſtea acceſſerunt, potiſſimum aut omnino fuiſſe ex eorum hominum ſectâ, quos in Anglia vulgo

Brou-

Brouniſtas & Puritanos vocant, quales non pauci & in Belgium ſuperioribus annis ſe receperunt, & hinc ad ſocios ſunt profecti.

NOVUM BELGIVM

Cap. VII.

Deſcriptio Continentis Americæ ſeptentrionalis à Belgis noſtris primum penitius luſtratæ & habitatæ.

HActenus abſoluimus eam ſeptentrionalis Americæ partem, quam Galli quidem primum luſtrarunt & coloniis deductis aliquandiu poſſederunt; Angli autem nuper novis nominibus *Scotiæ* atque *Angliæ* inſignitam occupare & ſui juris facere ſunt aggreſſi: atque hanc quidem præcedenti libro ſecundum oram maris legimus ad promontorium uſque, quod Galli *cap Malebarre* vocant, ſuperioribus vero capitibus ob nuperas Anglorum obſervationes, relegimus ad promontorium Cod uſque. A Promontorio ergo *Malebarre* (ut inde ordiamur) continens magno flexu ſe verſus occaſum ſubducit, & veluti ſinum facit, in cujus intimum receſſum, vaſtum flumen ſeſe exonerat in mare, à cujus æſtuario rurſus littus verſus Africum cubito curvatur: hanc autem partem Continentis & plures inſulas eidem objectas, inde à trigeſimo octavo gradu & XXX ſcrupulis (ubi alterum itidem flumen exit) ad quadrageſimum quartum gradum & ultra in mediterraneis, *Novum Belgium* hodie appellamus, quia primum auſpiciis & ſumtibus noſtrorum hæc terra penitius luſtrari cæpit, deinde continuis navigationibus frequentata & authoritate Illuſtriſſ. & præpotentum D. D. Ordinum generalium Confœderati Belgii, colonia deducta & caſtello in barbarorum ſolo, ipſis ultro concedentibus, exſtructo, primum à Belgis cultum accepit. Iam ante quidem littorum flexus ab aliis nationibus fuerat obſervatus, ora etiam maritima ex alto viſa & haud procul à promontorio Malebarre adita fuerat, ſed nulli, quod quidem conſtat, in intimo hujus cubiti flexu, vaſtum & magnorum navigiorum ferax flumen ſeſe evoluere & à tam multis & diverſis populis habitari, obſervaverant; antequam anno cIↃIↃ CIX id à Belgis noſtris deprehenderetur.
1609. Societas quippe Indiæ orientalis, *Henricum Hudſonum* Anglum cum celoce miſerat verſus aquilonares Americæ regiones, ut aditum ad Tartariam & Sinenſes aperiret; quod quum fruſtra tentaſſet, mutato curſu novam Franciam primum adivit ad altitudinem quatuor & quadraginta graduum & quindecim ſcrupul. Deinde verſus Africum flectens ad altitudinem quadraginta & unius grad. & XLIII ſcrupul. terram conſpexit, & Inſulam opinatus, *Novam Hollandiam* nominavit, verum partem eſſe Continentis, atque adeo promontorium *Blancum* ſive *Cod*, paulo poſt patuit, & ſubducta curſuum ratione ab ipſis judicatum, promontorium hoc circiter ſeptuaginta & quinq; milliaria magis ad occaſum remotum eſſe ab Europæis regionibus, quam vulgo in hydrographicis tabulis deſcribatur. Porro poſtquam oram maritimam variis locis conſpexiſſent, inde à trigeſimo ſeptimo gradu (hucuſque enim ad Auſtrum inviti an ſponte declinaverant) ad quadrageſimum uſque littorum ductum ſecuti, ſinum amplum adierunt & pone humile & arenoſum cornu anchoras fixerunt: duo hîc barbari alcium pellibus amicti illos viſitarunt & ſatis humaniter exceperunt: aditaque Continenti, pruna cærulea jam matura ab illis lecta; pulcherrimæque quercus, populi, aliæque arbores paſſim ab ipſis conſpectæ. Dein ſublatis anchoris flumen ipſum ſubjerunt & ad quadrageſimum tertium gradum latitudinis ſeptentrionalis aſcenderunt, ubi alveus jam anguſtior & vadoſior majora navigia haud amplius ſuſtinet, indubiis ſignis patuit numquam ante illum diem Europæos aut flumen ingreſſos aut huc uſque aſcendiſſe. Quare quum Hudſonus cum celoce ſua Amſtelodamum ſub finem Autumni rediiſſet, & quæ de hoc flumine compererat (quod à barbarorum, qui fauces illius accolunt, nomine *Manhattes* appellaverat) ediſſeruiſſet, ſtatim
1610. anno cIↃIↃ CX mercatores quidam Amſtelodamenſes, eo navem cum variis mercibus deſtinarunt: & diplomate ab Illuſt. D. Ordinibus confœderati Belgii impetrato, quo ipſis ſolis hoc flumen & vicinas regiones commerciorum gratia adire permittebatur, ſequentibus annis hic cum barbaris commercia exercita fuerunt & à noſtris

quoque

quoque hibernatum: demumque anno cIↃIↃCXV munimentum auſpiciis eorumdem D. D. Ordinum hic ſtructum & præſidio militum aliquandiu ſervatum, uti paulo poſt dicemus. Hiſce initiis huic Continentis ſeptentrionalis parti NOVI BELGII nomen quæſitum, hodieque perennat. 1615.

CAP. VIII.

Particularis Novi Belgii deſcriptio ſecundum oræ illius ductum.

ORA Continentis, uti jam diximus, à promontorio *Malebarre* ſeſe flectit verſus occaſum, multis inſulis paſſim objectis, ipſoq; continentis littore tot receſſibus ſinubusque inciſo, ut ambiguum pene ſit, utrum Inſulæ an continentis nomen mereatur & in eo autores varient. Superato hoc Promontorio ſtatim ad ipſum littoris flexum inſula parvula objacet, duo milliaria à continēte, nec ſupra milliare longa, quā *Petockenock* appellari volunt. Illi ad occaſum vicina eſt Inſula oblonga & ampla, quam noſtrates ob ſimilitudinem quandam *Texeliam* dixerunt: huic vero verſus Africum, non niſi unius aut alterius milliaris intervallo alia minor adjacet, quam noſtri à primo inventore *Henrici Chriſtiani* Inſulam appellant; Angli autem *Vineam Marthæ* videntur appellare, ad latitudinem unius & quadraginta graduum & XV ſcrupulor. Quinque milliaria ambitu complecti produnt, arboribus paſſim veſtitam, avium copia amœnam & piſcationi peropportunam. Continentem verſus modico intervallo ſequitur parva inſula, quam à re ipſa *Doueræ* ſcopulum dixere, & unius milliaris intercapedine Inſula *Eliſabethæ* ad latitudinem unius & quadraginta graduum & X ſcrupul. in media ſtagnum jacet aquæ potabilis, inque eo extans ſcopulus, quem Angli munire aliquando aggreſſi, rurſus deſeruerunt. Extima Inſularum eſt quam Navarchus *Adrianus Block* de ſuo nomine appellavit.

Sed ad Continentem revertamur: hic primum ſe pandit ſinus (quem nonnulli etiam fluvium vocant) *Naſſovio* nomine clarus, duo milliaria noſtratia in ipſo aditu patens, & variis inſulis interjectis, octo circiter continenti ſeſe inſinuans, ſubinde anguſtior & in conum deſinens; alveo quatuor, quinque & interdum novem orgyas alto, præterquam in intimo gremio, ubi vadoſior eſt. Solo amœno & fertili ambitur, quod à validis barbaris habitatur, qui aditu difficiliores ſunt, utpote commerciis advenarum nondum aſſuefacti. Ab Occidentali hujus ſinus oſtio ſeptem milliaria littus legentibus verſus Occidentem, alter ſinus occurrit, ab Inſula in ipſis faucibus diviſus, ideoque binominis, nam fauces quæ ortum ſpectant ab Anchoris, quæ occaſum, à Cymbis nomen meruerunt: barbari qui hunc ſinum circumſident *Wapenokes* dicuntur; licet ab aliis, *Nalucanos* occidentale ſinus latus tenere, proditum ſit. Hunc octo milliaria aut circiter prætervectos ampliſſimus ſinus excipit, quem longus terrarum ductus ſeu potius Inſulæ multis alveis interciſæ & ad oſtium uſque magni fluminis in longum extenſæ, claudunt; multæ quoque Inſulæ minores per ſinum ſparſæ, necdum peculiaribus nominibus notæ, quæ navigantes pro arbitrio mutant. Hunc ſinum ingreſſos ad dextram Angulus continentis accipit incuruus inſtar falcis, pone quem ſinus exiguus amniculum recipit tenuem, qui ab Oriente deſcendit, à quo & nomen apud noſtrates hauſit. Sequitur ad eandem plagam alter fluviolus, quem à barbarorum Reguli nomine *Siccanamos* indigitarunt: ſtatio hîc percommoda; pone promontoriolum alveus fluvioli tenuis, haud ſupra quinque aut ſex milliaria aſcendi poteſt; Salmones hic capiuntur; barbari *Pequatoes* accolunt, quibus juges cum *Wapenokis* inimicitiæ. Hinc ora paulum verſus Africum reflectitur, eamque legentibus obvius fit amnis *Friſius* à noſtris nominatus, ubi commercia cum barbaris *Morhicanis* exercentur. Huic ad eandem oram proximus eſt amnis, quem noſtri dulcem, De Verſche Rieviere, vocant, vadoſus in ipſis faucibus & alveo ipſo exilis, ita ut ægre minoribus navigiis aſcendi poſſit; raris barbaris juxta mare accolitur, in mediterraneis primo *Sequini* degunt, quindecim milliaria à littore. deinde *Nawaſij* qui terram colunt & Maizium ſerunt, paneſque ex illo coctos ſuo idiomate *Leganick* vocant, ii Anno cIↃIↃCXIV ſe palis, caſtri in modum, adverſus hoſtiles incurſus muniverant, ad altitudinem unius & quadraginta graduum & XLVIII ſcrupul. uti à noſtratibus obſervatum inveni: ulterius *Horikani* degunt, qui hunc fluvium, cymbulis è corti-

cibus

cibus arborum barbaro artificio conſutis, ſolent deſcendere. Ab hoc fluviolo ad occaſum tendentibus octo milliaria, alius occurrit, cui à rubro monte nomen hæſit, hunc Querepees accolunt; multi hic Caſtores capiuntur, poſtquam barbaros natura ſua deſides, noſtrarum mercium deſiderium excitavit. Quatuor ab hoc milliaria verſus occaſum, oram ſequentibus, inſula occurrit, & mox aliæ complures, unde noſtrates Archipelagum Inſularum dixerunt, hic ſinus ad quatuor milliaria patet in latitudinem: Continentem habitant Suwanoës, cæteris barbaris habitu & moribus ſimiles.

Porro magnum ſinum à variis inſulis, per modicos alveos tantum à ſe invicem diviſis, claudi ſupra diximus: has natio quædam barbara incolit, piſcationi imprimis intenta, eaque vitam tolerans (*Matouwax* vocantur) unde orientali harum inſularum promontorio, piſcatorum nomen à noſtratibus impoſitum, quod nonnulli etiam ſinus caput vocant. In interiorem hunc ſinum majoris fluvii ramus aut ut alii volunt, alius amnis exit, quem noſtri inferni os, vulgo het Helle-gat, appellant, refluxus autem maris ab oriente in Occidentem tendens, majoris fluvii refluxui obviam it juxta inſulam, quam à juglandum copia, noſtrates *Nucum* Inſulam vocant.

CAP. IX.

De Magno ſeu ſeptemtrionali Novi Belgii flumine, & variis populis qui illud accolunt.

MAgnum Novi Belgii flumen, ab aliis *Manhattes*, à populis nimirum qui juxta æſtuarium illius degunt, ab aliis *de Montaigne*, à nonnullis & *Naſſovium*, ſæpius autem à noſtris grande & ſeptentrionale appellatur, ad differentiam alterius quod magis verſus Auſtrum, in eundem Oceanum erumpit.

Juxta æſtuarium hujus fluminis, continens Oceanum modico ſinu admittit, quem noſtrates vulgo *May* portum vocant à Navarchi Cornelii *May* nomine: clauditur Inſularum aliquot objectu & Promontorio arenoſo quod Orientem ſpectat, rupibus & vadis navigantibus infido, pone ipſum tamen ſtatio navibus ſatis opportuna. Sinum in ambitu accolunt *Aquamachuques*. Ab hoc promontorio flumen ingreſſuris, milliare aut paulo amplius intra æſtuarium, inſula occurrit, quam à nucibus appellari jam diximus: è regione illius ad lævam ſeu Occidentalem ripam tres quatuorue inſulæ Continenti adjacent. Fauces ipſæ fluminis diſtant ab æquatore quadraginta gradus & XXVIII aut XXX ſcrup. verſus arctum. Alveus in ipſo oſtio quatuordecim aut quindecim orgyas eſt altus, quam altitudinem fere in progreſſu ſervat & modo latior modo anguſtior, variiſq; meandris inter aquilonem & corum ſeſe inflectens aſcendit.

Dextram ſive Orientalem fluminis ripam, ab ipſis faucibus accolunt *Manhattæ* ſive *Manathanes* ferox natio & noſtratibus iniquior; à quibus tamen noſtri redemerunt Inſulam ſeu terræ Angulum, quem inferni os (de quo ſupra) à reliqua continente dirimit ibidemque arcis & oppidi fundamenta jecerunt Novi Amſtelodami nomine.

Siniſtram ſive occidentalem accolunt *Sanhikani* infenſiſſimi ſuperiorum hoſtes, cultior gens & melior, hi ſecus oras ſinus & in mediterraneis degunt. Ex adverſo autem Manhattarum degunt *Machkentiwomi*: & intra primum fluminis flexum ad eandem oram *Tappaanes*. Flumen hîc in medio alveo vadoſum, ſecus ripas vero utrimque altitudinem ſuam ſervat, & ſinum facit, qui circiter ſex milliaria ambitu ſuo complectitur & naves adverſus incerta ventorum, ubi opus eſt, egregie defendit: fluxus atque refluxus maris hîc ſatis validus, verum propter aquarum quæ deſuper deſcendunt copiam, non ultra pedes quatuor flumen decreſcit, & plerumque vernis menſibus inundat humiliores ripas. Secundus fluminis flexus corum verſus ſinuatur ad anguſtias uſque, quas noſtrates Haverſtroo nominant; atque ita variis flexubus aſcenditur ad locum quem noſtri Viſſchers Rack, id eſt piſcatorum flexum appellant. Atq; hic orientalem ripam obtinent *Pachami*: paulo ulterius arenoſum promontoriolum ſe projicit & ripæ accedunt, *Eſopus* vulgo dicitur, ubi *Waoraneky*, alia barbarorum natio, ſedes habent: his modico intervallo ſuccedunt ad oppoſitā ripam *Waranawancougy*. Hinc porro per varios flexus atq; reflexus, quos noſtrates peculiaribus nominibus inſigniunt, ad aliud promontoriolum aſcenditur, altitudine alvei paulatim decreſcente,

ſcente, & hic haud ſupra tres quatuorve orgyas alto, crebris vadis & brevibus paſſim ſparſis, majore navigantium remora quam periculo: deinceps urſorum Inſula aditur & pone illam exiguus ſinus, veterem ſtationem appellant. E regione ad dextram fluminis ripam habitant *Manhikani:* eidem autem ripæ prætenditur inſula oblonga, variis alveis interciſa, uti plures inſulæ videri poſſint; donec ad aliam inſulam perveniatur, ubi noſtri jam olim parvum Caſtellum habuerunt: atque hactenus fluxus maris reciprocis æſtibus aſcendit & flumen magnorum navigiorum eſt ferax: deinceps minus minuſque altum, vix minores cymbas patitur: conſpiciuntur autem eminus altiſſimi montes, de quibus maxima pars aquarum, quibus flumen hoc inflatur, ſe præcipitat: fontes autem haud longe à magno flumine Canadenſi abeſſe, vel hoc argumento opinantur, quod non raro ad Caſtellum noſtrorum barbari inde à *Quebec* atque adeo *Tadouſac* ventitare ſolent. Caſtellum autem hoc, quod *Auriacum* dicimus, inſulæ inſidet, quæ ſiniſtræ ripæ adjacet, ubi natio quædam barbarorum habitat, quos *MackWaſios* vocant, Manhikanis qui dextram ripam è regione tenent infenſiſſimi. Nam pene omnes barbari qui Occidentalem ripam accolunt, graves, cum iis qui Orientalem tenent, exercent inimicitias: huic caſtello primis illis annis machinæ aliquot bellicæ impoſitæ erant & præſidium aliquot militum, ſub auſpiciis Illuſtriſ. D.D. Ordinum confœderati Belgii, quibus præerat *Henricus Chriſtiani* & poſtea *Iacobus Elkens:* atque ita noſtri ab anno cIↃIↃcxiv ad aliquot ſuccedentes tenuerunt: Donec à ſocietate Indiæ Occidentalis, novo & ampliſſimo eorumdam præpotentum Dominorum diplomate ipſis conceſſo, porro ab ipſis hoc flumen adiri & coloniis deductis amplius habitari cæpit.

Cap. X.

Novi Belgii Cæli ſolique natura, fruges, plantæ, alia.

BElgæ noſtri tum qui primi hoc flumen ſubjerunt, tũ qui poſtea crebris navigationibus frequentarunt, mira narrant de proceritate arborum (egregio ſoli luxuriantis argumento) ad ædificia & naves etiam maximas, idonearum. Vitium ſylveſtrium copia. Nucum ſumma abundantia, quarum fructus à noſtratibus nonnihil abludunt, nam & minores ſunt, & duriore atque adeo leviori cortice tecti: atque in eumdem modum de aliis arboribus, plantis, herbis, quas terra ſponte ſua fundit: ubi autem induſtria humana atque labore colitur, Maizium præſtantiſſimum incredibili fœnore reddit, legumina quoque varia; phaſeolos præſertim mira & iucunda colorum varietate, peponum elegantiſſimas ſpecies, itemque angurias & ſimiles fructus uſibus aptiſſimos; ut nihil hic niſi ſedula hominum induſtria deſideretur. Noſtri autem jam variis locis triticum atque alia farris genera, item linum & Cannabin, aliaque Europæa ſemina ſerere cæperunt, quæ ſolum benigne admodum patitur. Herbarum omnis generis hic paſſim magna eſt copia, quarum quædam & elegantiſſimos flores ferunt, quædam & ad medicinam faciendam utiles judicantur; non poſſum omittere quin hic unam atque alteram deſcribam, licet uſus illarum adhuc ignotus ſit.

Miſſæ fuerant ad nos è Novo Belgio duæ plantæ, quæ anno ſuperiori, in Horto Medico hujus urbis feliciter ſuccreverant; quarum unam infra exprimendam curavimus, altera inclementia hyemis extincta fuit antequam pingi poſſet. congeneres utræque viſæ, licet nonnihil forma & mole foliorum atque caulium differrent: conveniebant in eo, quod folia omnino ſimilia eſſent ferro quo Africani atque Indi ſpicula ſua aſperant; quodque caules teneri eſſent & forte volubiles, quadrangulares aut quinquangulares, exiguis ſentibus aſperi, cum certis internodiis, à quibus folia erumpunt & è foliorum exordiis rurſus alii cauliculi: In hiſce vero differunt, primò quod prioris folia latiora & ab utraque parte lævia; poſterioris anguſtiora poſtica parte ſint aſpera & magis dilute vireant; ſecundo quod prioris folia longis pediculis caulibus alligentur, poſterioris longe brevioribus; Tertio quod prioris caules è viridi rubeſcant, poſterioris minime: quarto quod prior nullos flores videatur ferre, poſteriori vero inter ſingula internodia & in ſummitate principalis caulis enaſcantur floſculi minuti, è candido rubentes, forma & modo pene convenientes

cum floribus Piperis Aquatici, niſi quod paulo elegantiores ſint & magis in orbem conglobati. Vnde fortaſſe quis non abſurde harum plantarum alteram marem, alteram fæminam dixerit. Periit utraque ſuperiore hyeme, quare cætera obſervare non potuimus. Ejus autem plantæ quæ floſculos fert, Iconem hic ſubjicimus.



In ſylvis magna paſſim eſt ferarum copia, imprimis cervorum, & reliquorum quadrupedum quos pars hæc Americæ Septentrionalis nutrit.

Aves quoque hic innumeræ reperiuntur, tam majores quam minores, ſylvicolæ pariter & quæ flumina & ſtagna amant; mira quoque plumarum elegantia & varietate: Hyeme quoque hic capiuntur præſtantes Gallopavi, præpingues & optimis carnibus. Flumina denique optimos piſces nutriunt, Salmones, Sturiones & alios quamplures.

Cæli temperies à noſtro clymate non multum abludit, nam licet multis gradibus propius ad Æquatorem accedit, quam noſtrum, tamen hic non minus hibernis menſibus friget, quam in Belgio, & gelu ſatis intenſum eſt, crebræque altæ nives decidunt & operiunt diu terram, eadem qua apud nos annorum varietate: ſimilis ventorum inconſtantia; & æſtate crebra tonitrua, fulgura & validi nimbi. Ideoque vix ullam Americæ regionem, coloniis è noſtro cælo deducendis aptiorem eſſe exiſtimo; præſertim quum nihil hîc deſit, quod ad vitam humanam ſuſtentandam neceſſa-

rium

rium judicatur, & uberius labore & induſtria parari poſſit. Sola armenta atque jumenta hic deſiderantur, quæ levi negotio huc tranſportari, & ob pabuli pene ubique copiam commodiſſime ali poſſunt. Vites autem ſi cultura accederet, & vini uberem proventum videntur polliceri.

Cap. XI.

Indigenarum Novi Belgij mores & inſtituta; & Sankikanorum lingua.

BARBARI in multas nationes & populos diviſi, idiomate multum inter ſe, moribus vero perparum differunt, eadem corporum conſtitutione, qua illi qui bonam N. Franciæ partem incolunt. Veſtitus è ferarum exuviis, caſtorum præſertim, vulpium & ſimilium, barbarorum in modum conſutis, quo ſe totos hyeme, neglectim æſtate tegunt. Præcipuum illorum alimentum Maizium, è quo liba quædam panum inſtar coquunt, piſces, aves atque ferina. Arma arcus & ſagittæ acutis ſilicibus aut piſcium oſſibus aſperatæ. Lintres ipſis uni lignei, è vaſtis arborum truncis igne excavati. Quidam incertis ſedibus vagi ſub dio, humi ſtrati aut ſuper ſtoreas junceas, ſomnum pariter atque cibum capiunt, idque æſtate, quum propius ad mare piſcandi gratia accedunt. Alii fixas ſedes habent, domiciliaque & tignis furni effigie, corticibus arborum deſuper contecta, adeo capacia, ut pluribus familiis ſufficiant. Suppellex illis tenuis & rara, ſtoreæ & diſci lignei, ſecures barbara induſtria factæ è duris ſilicibus, tubuli quoque è quibus Tabacci fumum hauriunt, ex eiſdem ſilicibus haud inconcinne cavati, ut mirum ſit quo pacto in tanta ferramentorum inopia tales ab ipſis ſculpi poſſint; divitias neque appetunt neque norunt.

Cæterum nullus ipſis religionis ſenſus, nulla Dei veneratio: diabolum quidem colunt ſed non tam ſolemniter neque certis ceremoniis, ut Africani faciunt; hunc ſuo idiomate vocant *Menutto* vel *Menetto*; & quicquid mirabile eſt & captum humanum videtur ſuperare, id ſimiliter vocant *Menetto*; ad eundem plane modum, quem ſupra Canadenſes *Oqui* voce uti monuimus.

Nulla ipſis Politiæ forma, præterquam quod præfectos ſuos habeant, quos *Sackmos* & *Sagamos* vocant, qui fere ſunt familiarum principes, nam raro cognationis unius limites excedunt: ſunt autem ut plerique barbari, ſuſpicioſi & meticuloſi; imprimis autem vindictæ cupidiſſimi; mutabiles: verum ſi humanius tractentur, hoſpitales & ad obſequium prompti, exiguaque mercede operam ſuam addicunt & longiſſima quoque itinera brevi tempore abſoluunt, majori fide quam à tam barbaris hominibus jure quis expectet: neque dubium eſt conſuetudine Chriſtianorum & urbanis moribus & religione imbui poſſe, præſertim ſi coloniæ huc deducerentur hominum bene moratorum, qui & obſequiis illorum uterentur abſque violentia aut contumelia, & viciſſim illos ad veri Dei cultum & civilem converſationem ſenſim aſſuefacerent.

Non poſſum committere, quin uti in antecedentibus, qualemcunque guſtum dem Dialecti horum Barbarorum; & præſertim Sankikanorum, quæ natio ſupra Auſtrale flumen degit, ut ſtatim dicemus.

Numerorum nomina hæc illis ſunt:

1. *Cotté.*	2. *Nyſſé.*	3. *Nacha.*	4. *Wywe.*	5. *Parenagh.*
6. *Cottash.*	7. *Nyſſas.*	8. *Gechas.*	9. *Peſcon.*	10. *Terren.*
20. *Myſſynach.*	30. *Nachynagh.*	40. *Weywynagh.*	50. *Parathgynah.*	60. *Cottegynagh.*
70. *Nyſſaſtigen.*	80. *Gahashynagh.*	90. *Peſcongynach.*	100. *Cottapach.*	

Partes corporis humani ita nominant.

Caput	*Wyer.*	Capillus	*Mytrach.*	Frons	*Nachkaronck.*
Oculus	*Schinquoy.*	Naſus	*Akywan.*	Auris	*Hyttrwack.*
Os	*Toonne.*	Labrum	*Chettoen.*	Dens	*Wypyt.*
Lingua	*Wyeranou.*	Mentum	*Hochquoy.*	Collum	*Nequoykangan.*
Humerus	*Duchke.*	Pectus	*Toorſay.*	Vbera	*Noenackan.*
Brachia	*Nachk.*	Digiti	*Rinskan.*	Pollex	*Rideren.*
Vngues	*Hyckaes.*	Neruus	*Cheet.*	Sanguis	*Mohocht.*
Ventriculus	*Theſe.*	Venter	*Nathey.*	Femur	*Promine.*
Pedes	*Syt.*				

Sexuum nomina ita efferunt, Mas *Renoes.* Fæmina *Orquoywe.*

Elementa autem; & quæ ex illis compoſita.

Ignis	*Tinteywe.*	Aqua	*Empye.*	Arbor	*Hitteocke.*
Fluvia	*Soukeree.*	Gelu	*Kepatten.*	Nives	*VVynoyvvee.*
Grando	*Taſſyckii.*				

Animalium nomina hæc fere agnoſcunt.

Cervus	*Atto.*	Lupus	*Metumnu.*	Canis	*Aram.*
Vrſus	*Machquoyvo.*	Leo	*Synquoy Mackyrggh.*	Vulpes	*VVoucous.*
Caſtor	*Temaquoy.*	Lutra	*Counamoch.*		

Avium item.

Cygnus *VVynkyckſo.* Gallopavus *Sickenum.* Grus *Tarecka.* Anſer *Ciahack.*
Anas *Comconcke.* Perdix *Ourikinck.* Turtur *Mymy.*

Piſces hîc noti.

Lucius *Caopyte.* Anguilla *Syackameck.* Perca *Cawycakaneſſe.* Truta *Cackykane.*

Qualitates ita diſtinguunt. Bonus *Ouret.* Malus *Matet.*

CAP. XII.

Oræ maritimæ deſcriptio ad alterum uſque Flumen & gradum Trigeſimum Octavum latitudinis ſeptentrionalis.

INter Promontorium Arenoſum, quod modo ſinum veluti claudere diximus, qui flumen Septentrionale accipit, & extremum littus inſularum quas Mattouwacky incolunt, viginti quinque milliaria numerantur ſecundum exactiſſimas noſtrorum obſervationes, inter Mezen & Zephyronotum, ſervatque Mare medio pene intervallo alveum ſatis altum.

Hunc autem ſinum egreſſis & Auſtrum verſus littora legentibus, primum terra edita & duplex ſeſe oſtendit, reflectens verſus Libonothum, dein paulo amplius ad auſtrum curvatur, abſque brevibus aut vadis; juxta littus in ipſa continente arenoſi tumuli viſuntur, verum paulum provectis, ſolum ſenſim declinat atque humilius fit, littore ab ipſa continente fluctibus mediterraneis diviſo & Æquori pene æquali, niſi quod rari arenoſi colles hic illic extent, & ora inciſa fluctus marinos per certos canales, variis locis intromittat: præſertim ad altitudinem novem & triginta graduum & XV Scrup. Ovorum vel etiam ſinuum portum vocant noſtrates. Hic enim ora à marinis fluctibus inciſa, æquor patenti ſinu admittit, in quo minores aliquot inſulæ ſparſæ. Hunc portum prætervectis ſylva ad oram maris conſpicitur, & mox colles aliquot arenoſi, & humile littus & ſaltus, & nonnunquam tumulus unus atque alter, tota hac plaga ad zephyronothum inclinante, uſque ad fauces alterius ſatis ampli ſinus, qui duobus promontoriis utrimque in altum egredientibus, & aliquot milliarium intervallo disjunctis, mare vaſto ambitu admittit; ſeptentrionali May, Auſtrali promontorio Cornelii cognomen à primo inventore datum. Eſt autem hic ſinus crebris vadorum brevibus, navigantibus ſupra modum infidus, ita ut non niſi cum ſummo diſcrimine abſque peritiſſimo Nauclero adiri poſſit; inter brevia tamen alvei ſatis alti diſcurrunt.

In intimum autem gremium hujus ſinus, magnum itidem flumen egreditur, ex interiori continenti deſcendens, quod ad alterius de quo ſupra diximus diſcrimen, Auſtrale appellatur, jam aliquot navigationibus à noſtratibus luſtratum; præter minores aliquot amnes qui in hunc ſinum ſeſe evoluunt. Verum quum plenior hujus fluminis notitia ad nos nondum pervenerit, plura de illo dicere ſuperſedeo. Hoc unum addo, varias nationes Barbarorum ripas illius accolere & interiores regiones poſſidere. Ad minorem amnem qui in ſinum egreditur paulum infra majoris fluvii fauces degunt *Sevvapoſii*: ſtatim intra majoris fauces ad dextram quidem *Siconeſii*, ad ſiniſtram autem *Minquaſy*: ulterius aſcendentibus obvii fiunt *Naraticongy*, *Mantacſy*, *Armevvamexy*, qui omnes ad dextram ripam juxta minores amnes qui in majus flumen influunt, accolunt eo ordine, quem expreſſimus; remotiores à ripa ſunt *Mæroahkongy*, *Amakaraongky*, *Remkokes*, *Minquoſy* ſive *Machoeretini*; *Atſayongky*: omnium remotiſſimi *Mattikongy* & *Sankikanes*

kanes qui quadrageſimum gradum latitudinis ſeptentrionalis attingunt, abſuntque ab oſtio fluminis circiter octodecim milliaria: quibus quidam addunt *Sawanos, Capitanaſſes, Gacheos*, alios, qui vitæ inſtitutis & moribus ab iis quos modo deſcripſimus nihil aut parum diſcrepant, colunt agros, & Mayzio leguminibuſque victitant.

Porro promontorium *Cornelii* ut vocant, diſtat ab æquatore octo & triginta gradus & LV ſcrupul. Hinc digreſſos, ſequenteſque littus quod ad Zephyronothum convertitur, quatuor milliarium intervallo, aliud promontorium fit obviam quod noſtri Hinlopianum vocant, à quo deinceps ora primum verſus auſtrum revertitur, rurſuſque ad Africum retrocedit ad trigeſimum octavum uſque gradum, in quo hic finem facimus.

VIRGINIA.

Cap. XIII.

Virginiæ, quam Angli hodie incolunt, ſitus, cœli ſolique qualitates.

NOVO Belgio contermina eſt *Virginia*, Anglis colonis hodie habitata, quam Joannes Smithus in hunc modum deſcribit. VIRGINIA (inquit) in quam Angli noſtri anno cIↄ Iↄc vi colonias deduxerunt à trigeſimo ſeptimo ad trigeſimum nonum ſeptentrionalis latitudinis gradum ſecundum littus exporrigitur. Æſtas hic calida uti in Hiſpania, hyems frigida, qualis in Gallia aut Anglia: Menſe Junio, Julio & Auguſto hic potiſſimum æſtuat, qui tamen æſtus ab orientalibus auris quas *briſas* vulgo vocant Hiſpani, & à maritimis ventis plerumque corrigitur & egregie mitigatur: à Decembri ad Martium uſque friget, acerrimo quidem frigore, ſed minus diuturno. Anno cIↄ Iↄc vii quum pleriſque Europæ regionibus intenſiſſimum frigus incumberet, etiam Virginia longam hyemem & diuturnam glaciem fuit experta, ſed anno proximo pro octo aut novem niualibus aut glacialibus diebus, plures tepidos & pene vernos ipſa hyeme ſenſit. Venti multum hic variant; crebra fulgura & tonitrua, gravioraque quam in Europa. Africus hic maxime pluvius & imbrium pariter atque æſtuum fœcundus: Corus vero æſtum corrigit & plerumque ſerenat; frigus & gelu ab arcto, nebulæ & pluviæ ab Oriente atque Euro deſcendunt. Aër licet interdum ſiccior, nonnunquam & humidior eſt, neuter tamen damnoſus, neque quicquam impedit, quo minus omnimodæ fruges, haud ſecus quam in Europa, labore & induſtria humana hic utiliter excoli poſſint.

Vnicus ad hanc regionem aditus eſt per late patentem ſinum & à duobus promontoriis dextra levaque clauſum, quorum auſtrale, quod ab Henrico Walliæ Principe nomen accepit, arenoſis tumulis & modicis collibus conſpicuum, piceis & pinis juxta oram læte viret: ſeptentrionale à Carolo Eboracenſi tum duce, nunc Magnæ Britanniæ Rege nomen invenit.

Interior regio nulli Europæ, Aſiæ aut Africæ regioni ſecunda eſt, ſive multitudinem pulcherrimorum & navigabilium fluviorum ſpectes, ſive cœli ſolique bonitatem. Hîc montes vaſte ſe attollunt, alibi colles modice aſſurgunt, illic in convalles ſubſidet tellus, iſtic rurſus in latam planiciem ſternitur: crebra ſtagna, varii lacus, frequentes amnes interluunt, qui omnes in ampliſſimum & pulcherrimum illum Sinum ſeſe exonerant: In quo uti & in fluminibus variæ inſulæ ſparſæ ſunt, quarum quædam arboribus veſtitæ, quædam nudæ, omnes autem humiles & hactenus incultæ viſuntur.

Sinus hic inter Auſtrum & Septentriones porrigitur & æſtum maris ad ducenta pene milliaria anglica ſentit, alveo ad centum & quinquaginta milliaria navigabili & ſeptem & non raro quatuordecim orgyas alto, & ut plurimum decem aut quindecim milliaria lato. Solum in interiori Sinus gremio in altiſſima montium juga aſſurgit, quæ verſus Africum ſeſe perpetuo ductu & veluti recta linea expandunt, & quo magis ad auſtrum proceſſerint, eo longius ab ora Sinus recedunt: ab his varii rivuli & torrentes deſcendunt, qui alii in alios illabentes, tandem quinq; inſignes & navigabiles amnes in Sinum educunt; hi potiſſimum à Coro verſus Eurum labuntur, & dividunt

vidunt occidentalem oram, oſtiis nunc viginti, nunc viginti quinque milliarium intervallo à ſe invicem diſcretis.

Montes porro diverſæ naturæ ſunt atque ſoli, nam qui Sinus gremio prætenduntur, cautibus aſperantur ac ſaxis, quæ à molaribus haud multum differunt; quidam etiam marmor ferunt: nonnumquam & Cryſtallum ad radices montium reperitur, quod nivibus, quæ jugiter vertices hibernis menſibus operiunt, ab æſtu Solis ſolutis, & torrentibus in imas valles ſeſe præcipitantibus, una devolvitur: Eædem undæ, ramenta quædam ſoli abradunt & ſecum deferunt adeo ſplendentia, ut facile quis credat, metallorum venas intra montium viſcera abſcondi. Ipſa quoque ſoli natura multum variat, eſt quod bolum Armeniæ colore æmuletur, nonnullibi & quod Lemniam quam vocant terram, ſive ſigillatam referat: non raro & fullonia reperitur & marga ſtercorandis agris apta, & ſimiles terrarum ſpecies. Vtplurimum autem ſolum aut nigro aut arenoſo pulvere aut pingui gleba conſtat, rarius vero infœcunda glarea: fœcunditatem arguunt, proceræ quæ ubique fere naſcuntur arbores, & herbæ, lætaque gramina. Cæterum neque acclive nimium neque declive ſolum, colliculis & modicis convallibus ita temperatum eſt atque diſtinctum, tam limpidis fontibus riguum, tot amænis rivulis pervium, ut nihil pulchrius aut amænius natura moliri potuiſſe videatur: niſi quod ſylvis pene invia pleraque ſunt omnia, præterquam ubi Indigenarum induſtria, ſementis gratia, jam ab aliquot annis, illæ exciſæ atque eradicatæ fuerunt.

Cap. XIV.

Flumina Virginiæ & Populi qui ea accolunt, è Commentario Joannis Smithi.

Quinqve pulchra & navigabilia flumina in magnum ſinum (qui vulgo *Cheſapeack* appellatur) & quidem ad lævum ſeu occidentale illius latus, deſcendere ſupra diximus. Eorum primum & fere è regione faucium ſitum quibus ſinus æquor admittit, ab occidente deſcendens & in montibus *Monacanorum* oriens, vulgo *Pawhatan* dicitur à Reguli nomine, cujus ditionem præterlabitur; jamque centum & forte plura milliaria permenſus & toto illo tractu navigiorum patiens, ore tria milliaria lato in ſinum exit, alveo tamen propter vadoſas utrimque ripas ſatis anguſto: quo minus ſuperius navigetur crebri cataractæ & rupium ſaxorumque brevia faciunt: multos rivulos accipit è jugibus fontibus, præterea & aliis amnibus augeſcit; ab auſtro quidem primum amne *Apamatuck*, dein paulo inferius aliis duobus, qui ambo *Quiyoughcohanock* dicuntur, ſub quibus ſinus jacet, (in quem tres quatuorve modici torrentes confluunt) qui à Waraskoyakis mediâ parte accolitur: tertio *Nandſamund* fluvio; & poſtremo ſtagni emiſſario, *Cheſepeack* barbaris, à quo magno ſinui nomen: Ab arcto vero ſupra Iacobipolim Anglorum coloniam primo fluvio *Chikahamania*, deinde alio qui inſulam Cedrorum lambit, poſtremo & à ſinu & portu *Kecoughtan* aquas accipit, qui variis flexibus in canales & peninſulas veluti fibris inciſus, ſtationem cymbis præbet. Hujus fluminis, amniumque quos devehit, ripæ à variis populis vel potius cognationibus habitantur, ſub Regulis ſuis, quos ipſi *Weroances* vocant. Ad dextram ripam, juxta fluminis oſtium habitant *Kecoughtani* qui præter fœminas & infantes vix viginti viros bello idoneos numerant: his proximi *Paſpahegenſes* quadraginta milliaria ſupra oſtium, qui vix quadraginta habent: (in horum territorio ſita eſt Anglorum colonia) deinceps *Chicahimanenſes*, pene ducenti numero: *Weanakij* centum; *ArroWhatockij*, triginta: *Pauhatani* quadraginta. Ad lævam autem *Apamatuckij*, qui viros bello aptos ſexaginta numerant: *Quiyougcohanokij* qui viginti quinque: *VVaraskoyacky* qui quadraginta; *Nanſamundy* qui ducentos, Cheſapeacky qui vix centum. Omnes hi barbari peculiares ſuos *VVeroances* habent, quibus parent, præter *Chicahimanenſes* qui à ſacerdotibus ſuis reguntur, quos è ſenioribus eligunt & *CawCawWaſſoughes* appellant. In hoc flumine denique æſtivis menſibus ingens accipenſerum copia capitur (menſe quidem Junio minorum, Septembri autem longe maximorum) hybernis avium: omnes præterea amnes & torrentes qui in iſtud influunt valde piſcoſi ſunt.

Pavvhatan.

Quatuor-

Pamaunke fl.

Quatuordecim milliaria ab hoc flumine verſus arctum, alterum egreditur, *Pamaunke* vulgo dictum, quod ab occidente è mediterraneis montibus labitur, primo exilius, ubi *Toughtanound* nominatur ab accolarum nomine qui ſexaginta viros bello idoneos numerant: deinde variis meandris per longa terrarum ſpacia devolutum, alium amnem *Mattapamintum* ab ſeptentrione accipit & deinceps latiore alveo deſcendens *Pamaunke* appellatur, & juxta confluentem à trecentis pene barbaris accolitur: Infra hunc viginti quinque circiter milliaria ad dextram ſeu ſeptentrionalem ripam *VVerawocomoco* jacet, maximi horum populorum Reguli quondam regia; quam tamen jam reliquit & ſe ad Orapakenſium ſolitudines ad Youchtamundi ripas recepit: decem aut duodecim milliaria infra Werawocomoco ad ſiniſtram ſive auſtralem ripam *Chiſchiackorum* pagus jacet, qui quadraginta aut quinquaginta bellatores poſſunt emittere: exiguo ab hoc flumine intervallo, effluit è continenti, minor amnis, *Payan katuik* ab indigenis appellatus, cujus accolæ ad quadraginta accedunt.

Toppahanock fluv.

Tertium flumen *Toppahanock* dicitur, quod è *Mannahoackorum* jugis deſcendit & ad centum & triginta milliaria navigari poteſt: haud procul ab oſtio habitant *Cuttawomeni*, qui haud ſupra triginta viros habent bello idoneos; & ſupra hos ad ſeptentrionalem ripam *Moraugtacundij*, qui pene octuaginta; & his proximi *Toppanahockij* (à quibus flumini nomen inditum fuit) qui centum: & rurſus *Cuttawomeni* longe infrequentiores. Ad auſtralem ripam procul ab oſtio degunt *Nantauchtacundij*, centum quinquaginta viri; & propius ad oſtium *Opiſcopankij*.

Patavvveke fl.

Quartum flumen *Patawomeke* appellatur, quod in ipſo exitu ſex aut ſeptem milliaria patens, ad centum & quadraginta milliaria navigia patitur: quo intervallo multos rivos & amniculos accipit è vicinis collibus & montibus profluentes; qui colles non minus fructiferarum & ſilveſtrium arborum opacitate conſpicui ſunt, quam ipſe alveus mirum in modum piſcoſus. Frequentes ad utramque ripam jacent pagi, & quidem ad ſiniſtram haud longe ab æſtuario *VVigcomoco* centum triginta bellatores alens: ei proximus *Sekacowone* triginta: & *Onawmanient* centum; frequentiſſimus autem *Patawomeke* centum ſexaginta; juxta hunc excipit fluvium *Quiyough*, qui è montibus oritur qui ad occaſum vergunt; deinde alveum cubito ad boream reflectens, *Tauxenentum* quadraginta virorum pagum lambit; rurſuſque aſcendit verſus Corum: hic ad dextram ripam jacet *Secowocomoco* quadraginta virorum pagus, & *Potapoco* triginta: & ad ipſum prioris cubiti flexum *Pamacacak* ſexaginta; & paulum ſuperius *Moyowanæ* centum; denique ad alterius cubiti flexum *Nacochtanche*, octuaginta: atque ibi flumen per amœniſſimam convallem, decem milliaria longam, decurrit, arborum lucis opacam, multiſque torrentibus & rivulis irriguam.

Pavvtunxut fl.

Quintum flumen dicitur *Pawtunxut* præcedentibus longe minus, alueo tamen ad ſedecim aut octodecim orgyas alto, & longe piſcoſiore; Hujus ripas accolunt *Acquintanaſaci*, *Pautuxuntij* & *Mattapanientii* qui haud ſupra ducentos viros ad bellum valent emittere: attamen magis conjunctas ſedes habent quam cæteri barbari, illiſque multo cultiores & hoſpitaliores judicantur.

Triginta ab hoc milliaria, alius inſuper amnis in ſinum egreditur, quem à ſoli colore Angli vulgo *Bolum* vocant; alveo quidem navigabili, ſed ripis incultis atque deſertis.

In ipſum Sinus gremium quatuor præterea fluvii ſe exonerant, quorum interior bidui itinere in mediterraneis ortus, haud longe ſupra fauces de cataracte ſatis alto præcipitatur ideoque navigiis inacceſſus: hujus ripas in interiori Continente, accolunt *Saſqueſahanoxi* procera gens & præ Anglis atque barbaris gigantes viſi, cæterum ſimplices & præcipua erga advenas veneratione; lingua & amictu à reliquis barbaris multum diverſi, quippe pro mole corporis raucum boatum veluti è ſpecu edunt; urſorum & luporum pellibus amiciuntur, peregrinum in modum: integram urſi pellem circumjiciunt corpori, ita ut caput pro monili pectori ipſorum incumbat; alii lupi caput, alii ungulas pro ornamento appendent: arma ipſis arcus, ſagittæ & clavæ è duriſſima materie: pagos ſuos palis communiunt adverſus *Maſſawomekios* cum quibus jugiter bellum gerunt. Iconem unius barbari Joannes Smithus in tabula ſua Geographica nobis expreſſit, quam hîc adjungere operæprecium putavi.



Hujus crura juxta ſuras tres quartas partes ulnæ anglicæ craſſa erant, è quibus reliqua corporis moles æſtimari poteſt: cæterum membris bene compoſitis & decorus aſpectu, coma capitis ſupra dextrum humerum promiſsâ, leva capitis parte raſâ, & à fronte ad occipitium per medium verticem inſtar criſtæ erectâ: ſagittas ulnam & ſemiſſem longas, & acuto ſaxo, ferri inopia, aſperatas in lupi exuviis poſt tergum revinctas, arcum una, clavam altera manu geſtabat.

Porro ad dextrum ſive orientale magni ſinus latus etiam aliquot amnes egrediuntur, & quidem primo *Toghwogh*, barbaris frequens, qui ſeptem ab oſtio milliaria pagum palis undique ſeptum incolunt. His vicini ſunt ad eandem oram *Ozinii*. Deinde paulo magis verſus Auſtrum fluvius *Raphahanock*. Tertio illi vicinus *Kuskawaraok*, quem populus ejuſdem nominis frequentiſſimo pago accolit, ducentos viros bello idoneos numerans. Quartus huic modico intervallo proximus *Tantswicomoco* amnis, cum pago centum virorum: puſilla admodum hæc gens & idiomate à cæteris longe diverſo, moribus valde incultis atque aſperis: denique ad extimum cornu modici amnes *Acahanock* & *Accomack* cum ſuis accolis, qui *Pawhatani* parent, eiſdem moribus & dialecto cum reliquis illius ſubditis.

Cap. XV.

De Terræ fructibus qui ſponte in hac Virginiæ parte particulariter proveniunt.

Licet Virginia hæc multorum animalium fœcunda ſit generatrix, tamen graminis laborat inopia, præterquam in pauciſſimis humilibus & campeſtribus convallibus; non tam ſoli vitio, quam ob lucorum & ſylvarum denſitatem, ita ut facile labore atque induſtria, ſucciſis arboribus, huic inopiæ ſuccurri poſſit. Inter arbores ſylveſtres, frequentiſſimæ ſunt quercus & juglandes; quarum illæ longe pulcherrimæ & proceriſſimæ, in varias ſpecies diviſæ: nonnullæ ferunt glandes dulces & candidas, ex quibus indigenæ oleum excoquunt, quo artus ſuos oblinunt, & in pollinem contuſis panes aliaque edulia conficiunt. Habent & ulmos atque fraxinos, è quibus ſaponarius cinis exuritur, quo majores fuerint arbores, eo laudabilior. Præterea arbores quas Angli à ſimilitudine frondium, trunci atque fructuum Cupreſſos nominant, quarum quædam in ſummam proceritatem excreſcunt, trunco ad quinquaginta, ſexaginta & interdum octuaginta pedes alto, & craſſiſſimo, præſertim juxta radicem. Mori quoque ſatis vaſtæ juxta barbarorum tuguria & alibi paſſim reperiuntur: avellanæ item nuces Europæis nequaquam inferiores. Prunorum ſpecies hic tres obſervatæ, quarum duæ quæ rubra atque alba Pruna ferunt, arbutis ſimiles: tertiæ vero fructus appellant barbari *Putchamins*, hæc in Palmæ altitudinem adoleſcit, & fructum fert meſpilo non abſimilem primo viridem, deinde ſubflavum, ubi plene maturuerit, rubicundum: immaturus auſterior eſt & ſi maſticetur, os cum exquiſito dolore aſtringit, maturus gratiſſimi eſt ſaporis & præcocibus omnino ſimilis. Ceraſa hic reperiuntur grandia, poma perpauca,

pauca, parva atque acerbiora: vites frequentiſſimæ, quæ ad proceriſſimarum arborum faſtigia ſcandunt; ſed inter lucos raras uvas, prope barbarorum tuguria, ubi cœlo fruuntur liberiore, licet incultæ, magnam uvarum copiam ferunt: ſed ſucco ſunt minus laudabili; habent & uvarum ſpeciem grandiuſculam & inſtar ceraſorum, *Meſſamines* vocant, carne pingui, & ſucco minus liquido & inſipido ſi exprimatur. In deliciis habent *Chechinquamins*, fructus exiguos, glandibus haud abſimiles, niſi quod calicibus contineantur inſtar avellanarum. Acinorum quoque ſpecies hic abunde creſcit, noſtris uvis criſpis forma, colore & ſapore plane ſimilis; *Rawocomenes* vocant, iiſque tam crudis quam coctis veſcuntur. Hiſce fructibus pleriſque anni tempeſtatibus victitant, atque utuntur in hunc modum: Juglandes avellanas, glandes atque *Chechinquamines* ſiccatas recondunt, deinde ubi opus eſt, duorum ſaxorum attritu comminuunt, comminutas ſuper cratem torrent, & toſtas ligneo paſtillo redigunt in pollinem, atque aqua macerant, & utuntur lacteo illarum ſucco, quem *Pawcohiſcoram* vocant. *Putchamins* prunorum inſtar ſervant. Ex avellanis quoque *Chechinquamins* quatuor horis in aqua coctis, potum quendam atque panes conficiunt, hiſce primates ipſorum feſtivis diebus delitiantur. Præter fructiferas haſce arbores habent & populos albas, áliaſque quæ gummi odoriferum exſudant inſtar balſami; cedros item & ſaſſafras.

In riguis convallibus acini creſcunt inſtar capparum, *Ocouchtanimins* ipſis, quos æſtate ad ſolem ſiccant & aliquot horis coctos in cibos adhibent, nam incocti malignæ atque adeo venenatæ ſunt qualitatis. *Mattowme* in paſcuis provenit, panici graminis effigie, ſemen ferens ſiligini ſimile, ſed minus, panes ex illo coctos in deliciis habent & condiunt adipe ferina. Æſtivi menſes aut fraga ſubminiſtrant quæ menſe Aprili; aut mora quæ Julio matureſcunt, aut denique fructus admodum ſalubres, qui limones referunt, & *Maracok* ab ipſis appellantur (Angurias eſſe deprehendims.) Multæ præterea herbæ edules, violæ, porcellana, acetoſa & ſimiles paſſim in pratis & ſilvis læte creſcunt.

Inter edules radices excellit *Tockawouge*, cænoſis locis proveniens maxima copia, magnitudine & ſapore *Patatis* æmula: haſce radices in ſcrobem conjectas, quernis foliis & filice operiunt, deinde igne utrimque appoſito, viginti quatuor horis torrent, nam crudæ venenoſæ judicantur: quin & coctæ niſi dudum refrigerentur, comminuantur & exſiccentur, gulam acrimonia ſua pungunt; æſtate tamen admiſta acetoſa panum loco ab ipſis uſurpantur. *Wichſacan* paulo minor eſt radix, quæ contuſa & vulneribus impoſita, eadem conſolidat. *Pocones* autem maximi faciunt exiles radices, quæ in montanis creſcunt & ſiccatæ atque contuſæ, fundunt rubrum quendam colorem, quo tumores diſcutiunt, artus ſuos illinunt & facies ſuas atque veſtes inficiunt. *Muſquaſpenne* radicula eſt, digiti magnitudinem raro excedens, rubore plane ſanguineo; unde ſucco illius ſtoreas, clypeos, aliaque utenſilia tingunt. Pyrethrum denique, Saxifraga, & plura ſimplicia hic colliguntur: cepe quoque licet minora paſſim paludoſis locis ſponte naſcuntur.

Cap. XVI.

De Sativis fructibus & modo quo barbari illos colunt atque uſurpant.

VIRGINIENSES barbari annum ſuum dividunt in quinque partes; hyemem vocant *Popanau*; vel *Cattapeuck*, æſtatem *Cohattayough*, quum frumentum illorum ariſtas ſuas protulit *Nepinough*, autumnum denique & quum arbores frondes excutiunt *Taquitock*. Ab initio Septembris ad medium Novembrem feriantur & indulgent genio, nam tum maxime omnigenis fructibus, piſcibus, avibus & præſertim ferina abundant. In frumento ſerendo præcipue laborant, nam primum arboribus, quibus ſolum paſſim veſtitum eſt, corticem juxta radicem detrahunt, radiceſque ipſas adurunt ut emoriantur: dein proximo anno ubi arbores emortuæ fuerint, radicitus evellunt; & in vacua area demum ſemen faciunt hac methodo: Mares primum palo ligneo foramina terebrant, quatuor pedum intervallo, in ea Mayzy quatuor, fabarum duo ſemina injiciunt: fœminæ autem & pueri, ubi

jam

jam adoleſcunt, auferunt Zizania & aggerunt terram. Sementem inchoant Aprili, & repetitis operis producunt ad medium Junium: Aprili ſata, menſe Auguſto, atque ita ſucceſſive ad Octobrem uſque exeuntem metunt. Culmi plerumque duas treſve ariſtas, raro plures, (interdum & nullas) ferunt, quæ è ducentis, aut quum maxime luxuriant, quingentis granis conſtant: culmis antequam aruerint ſuccus eſt ſuavis, pene qualis ſacchari cannis, ideoque barbari farra ſua viridia atque immatura colligunt, ut culmos poſſint exſugere atque ita collecta magis laudant, quam quæ perfecte maturerint.

Piſa præterea ſerunt, quæ *Aſſentemens* appellant; & phaſeolos imprimis amant. Frumentum adhuc viride in ariſtis ſuis torrent, inque mortario frangunt, & foliis plantæ involutum coquunt in aqua, atque hæ præcipuæ ipſorum deliciæ. Serius autem ſatum, ita ut ad maturitatem pervenire non poſſit, ad eundem modum ſub cineribus toſtum, in hyemem recondunt, & tunc coquunt cum fabis; hunc cibum vocant *Pawſerowenam*. Maturas vero fruges, primum aqua nonnihil macerant, dein piſtillo contundunt, & pollinem barbaro artificio per ſportulam inſtar cribri excutiunt; è polline aut panes ſubcinericeos conficiunt, aut admixta aqua pulticulam, quæ *Ponap* ipſis dicitur. Furfures & reliqua farris retrimenta aliquandiu ventilata, aliquot horis ebulliunt, qui uſitatiſſimus ipſis cibus, *Vſtatahamen* nominant. Quidam & vacuas ariſtas urunt & pulverem quem *Pungnouck* dicunt, admiſcent farinæ, ſed male, ſiquidem non modo panum ſed & juſculorum gratiam minuit.

Menſe Mayo inter fruges ſerunt Pepones, & fructum melonibus haud diſſimilem, ſed minorem & multo inferiorem, quem vocant *Macock*, cito adoleſcit hic fructus & initio Iulii incipit matureſcere, duratque in Septembrem. Plantam præterea ſylveſtrem fructumque *Maracock* limonis, ut ſupra diximus, forma, qui ſubito incrementum ſumit & menſe demum Septembri maturatur. Præter hoſce fructus, raros admodum colunt, atque hos ipſos, quæ gentis ſegnities eſt, ſatis parce; maxima quippe anni parte ex quæ terra ſponte producit, quæque amnes, ſaltuſque ſubminiſtrant in cibis uſurpant; præſentibus contenti, futuri minus providi.

Ut ea quæ author noſter ſcribit de *Maracock* paulum illuſtremus, ſuperiori anno ad nos miſſa fuerant è Novo Belgio ſemina, cucurbitarum ſeminibus pene æqualia, ſub aquaticarum Limonum nomine, quæ quum hac æſtate terræ mandaſſem, ex forma foliorum & reliqua plantæ conſtitutione (nam fructus nullos tulit) deprehendi Anguriam eſſe ſive cucumerem citrulum. Pepones autem nobis è ſeminibus provenerunt minutiores quidem, ſed eleganti formarum & colorum varietate.

CAP. XVII.

De Variis animantibus Virginiæ, terreſtribus aëriis & aquatilibus.

INTER animalia ipſorum Cervi agmen ducunt, ab Europæis perparum diverſi, quorum plurimi per ſylvas & ſolitudines vagantur & juxta fluviorum fontes; inter flumina & in campeſtribus raro viſuntur.

Animal autem quod barbari vocant *Aroughcun*, caſtori eſt ſimile, niſi quod inter arborum ramos degat quemadmodum ſciurus. Ipſorum Sciuri magnitudine corporis ad noſtrates cuniculos quam proxime accedunt, nigro colore, aut ex albo nigroque mixto, ut plurimum tamen cinereo. Animalculum alterum, quod ipſi *Aſſapanick*, Angli Sciurum volatilem appellant, divaricatis cruribus & pelle diſtenta, veluti alarum remigio, nonnumquam ad triginta aut quadraginta decempedas volare videtur.

Opaſſum capite porcellum, cauda glirem referens, mole modicum felem, ſaccum ſub ventre habet, in quo catulos ſuos circumgeſtat & alit.

Muſſaſcus forma atque ingenio murem aquaticum æmulatur & muſcum redolet.

Lepores hic rariores, nec cuniculos noſtros multum ſuperant magnitudine. Vrſi hic quoque parvi ſi cum ſeptentrionalioribus conferantur. Caſtores moloſſorum mole, brevibus cruribus, anterioribus pedibus caninis, poſterioribus cygneis, cauda ipſis lata reticulo ſimilis, nuda atque depilis, carnes barbari maximi faciunt. Plurimæ hic Lutræ, quas barbari caſſibus intercipiunt & exuviis earum ſe ornant.

Habent

Habent & animal cato ſilveſtri non abſimile, quod *Vetchunquoy* appellant. Vulpeculæ hic parvulæ, nec tam graveolentes quam anglicanæ, colore è cinericeo nigricante. Canes illorum lupis pene ſunt ſimiles, nec latrant ut noſtri, ſed ululant. Lupi vulpecularum magnitudinem raro excedunt. Muſtelas quoque & Martes hic eſſe, pelles arguunt, licet ipſa animalcula raro hactenus ab Anglis viſa fuerint. Mirum autem quod ejusmodi animantia hîc gallinis aut pullis nocere hactenus non fuerit obſervatum; uti & illud, quod ipſorum ſerpentes veneni expertes eſſe credantur, quum in auſtralibus Americæ regionibus eorum morſus tam noxii & fere lethales eſſe deprehendantur.

In volatilium cenſum referuntur Aquilæ, variique Accipitres: perdices noſtris coturnicibus haud multo majores: ſylveſtres gallopaui, cicuribus noſtris pares: Merulæ atque Turdi remigibus alarum læte rubentibus; variæque minorum avium ſpecies elegantiſſimis plumis rubris, cæruleis atque viridibus. Hibernis autem menſibus, magna copia cygnorum hic reperitur, gruum item cinereorum atque alborum; nigris alis: ardearum, anſerum, anatum, columbarum, aliarumque avium, quarum nomina & forma Europæis ignota: pauciſſimæ autem harum æſtate hic conſpiciuntur.

E piſcium numero hic referuntur Accipenſeres, phocænæ, vituli marini, Paſtinacæ, quarum aculeus valde eſt venenatus; aſelli minores, ſalmones candida carne, Trutæ, ſoleæ, paſſeres, haleces, anguillæ, murænæ, percæ trium generum, cancri, aſtaci, oſtreæ atque mytili. Inter monſtroſos autem piſces merito referendus, parvulus piſciculus qui draconem, qui S. Georgio vulgo appingitur, egregie refert, niſi quod alis & cruribus careat. Aliuſque bufoni non abſimilis, unde & illi nomen inventum, qui extra aquam tantopere inflatur, ut dehiſcat.

Barbari autem carnes atque piſces aut aqua ebulliunt, aut ſuper crates torrent, aut denique verubus affixas Hiſpanorum more tantiſper ad ignem aſſant, donec penitus ſiccentur quemadmodum in Inſulis & Continente Americæ carnes ad ſolem ſiccare mos eſt, ita ut ad menſes aliquot conſervari poſſint.

Cap. XVIII.

Mores atque ingenium, habitus, & instituta Indigenarum.

INDIGENÆ pauci pro magnitudine regionis, & quidem pauciſſimi viri, longe plures fœminæ atque pueri. In ambitu ſexaginta milliarium circa *Iacobipolim*, haud ſupra quinque millia hominum & inter illos vix mille quingenti viri numerantur, qui arma ferre poſſint. Segnities illorum in cauſa eſt, qua fit ut licet ſolum fertiliſſimum ſit, tamen plures incolas alere vix poſſit. Multum autem inter ſe differunt, ſtatura corporis & dialectis; alii enim vaſto ſunt corpore ut *Saſquesharnekÿ*, alii pumilo ut *Wigcocomoci:* plerique autem proceri & graciles, bene compoſitis membris, colore fuſco ubi adoleverint, nam candidi naſcuntur, crinibus nigri & fere imberbes. Mares dimidiam capillitii partem ſibi à fœminis conchis quibuſdam abradi curant, alteram autem promittunt: Fœminæ pro ætatis diſcrimine varie tondentur, ſemper tamen vittas quam longiſſimas ab alterutro latere relinquunt. Barbari robuſto ſunt corpore atque agiles, frigus tolerare aſſueti, hyeme in ſylvis humi juxta focum ſtrati cubant, æſtate in gramine. Mutabili ingenio, vafri, timidi, & pro barbarorum captu ſatis induſtrii atque ingenioſi; iracundi & vindictæ cupidiſſimi; furari metuunt, quia furta ſua à ſortelegis ſuis deprehendi poſſe ſuſpicantur. Fœminæ raro impudicæ niſi viris ſuis conſciis. Unaquæque familia vel cognatio ſuos campos, ſuoſque hortos & arva novit.

Amiciuntur ferarum pellibus, hyeme quidem villoſis, æſtate autem depilatis: potentiores etiam pallia ex iiſdem pellibus conſuta circumamiciunt: ſed tenuiores ſe foliis arborum, gramine atque arborum muſco tegunt: non pauci etiam pallia geſtant è gallo pavorum plumis tanto artificio conſuta, ut non niſi plumæ appareant, ſingulari adverſus acrius frigus remedio. Fœminæ ſemper ventrem & pudenda velant, atque aliter forte conſpectæ erubeſcunt; crura, manus, ubera atque ipſam faciem nigris notis, variiſque ferarum & ſerpentum figuris diſpungunt: auriculus plerumque

plerumque tribus locis habent perforatas, quibus varias quiſquilias ornamenti gratia appendent: quidam viri viridem croceumque anguiculum, ſeſquipedem longum, qui & collum circumſerpit, & nonnumquam os illorum allambendo veluti oſculatur, alii murem alii glirem mortuum, cauda ſuſpenſum: in capite, alii alas avium, alii plumarum faſciculum cum crepitaculo, quod caput manubrii æmulatur, ab anguis cujuſdam cauda mutuatum; alii accipitrum aut aliarum avium exuvias; ditiores quidam laminam æneam, nonnulli denique, quod maxime glorioſum putant, manus hoſtibus præciſas & ſiccatas. Caput atque humeros rubrica inficiunt, è radicibus herbæ *Pocones* expreſſa & oleo mixta, id & hyeme adverſus frigus & æſtate adverſus æſtum ipſos munire credunt. Quid multa? quo quiſque magis terribilis apparet, eo pulchrius pictus & ornatus ſibi videtur.

Domicilia utplurimum ſecus fontes aut amnes habent, quæ ex ſurculis arborum inflexis & arcte colligatis conſtructa, ſtoreis aut corticibus arborum circumcirca contegunt, uti frigus & pluvias, ventoſque commodiſſime excludant; fumoſa tamen ſunt, licet in faſtigio aperta. In hiſce mapalibus circum focum ſuper crates cubant, palmum aut amplius à ſolo erectas, ſtoreis deſuper tecti, ſex, decem, nonnumquam & viginti in ſingulis: Ea denique utplurimum in medio ſuorum hortorum collocant, quos modicos habent: taleſque plerumque viginti nonnumquam & centum conjunctim cernuntur, ſepimento arborum diviſi: juxta ædes aut arbuſta cernere eſt aut veteres & deciduos arborum truncos, largam pyris materiem.

Parentes liberis ſuis varia nomina, prout allibuerit, imponunt; Fœminæ illorum facile admodum parere dicuntur; ſoboles autem mirè diligunt: in flumine primum, quod & veteribus Germanis obſervatum, frigida lavant, perungunt deinde pinguntque ut cutem adverſus frigus pariter atque æſtum indurent.

Viri piſcando, venando, belligerandoque aut ſimilibus virilibus exercitiis ſe occupant, atque alia agere erubeſcunt, plerumque deſides & otioſi: fœminæ atque pueri cætera peragunt, ſtoreas texunt, vimineos corbes, ollas, mortaria conficiunt, fruges comminuunt, panes coquunt, quin & maizium atque legumina ſerunt atque metunt, niſi quod hic & mares levem operam præſtent, denique onera bajulant. Ignem ſtipitum attritu eliciunt, quem foliis atque aliis ſiccis fomentis excipiunt: arcus concharum fragmentis expoliunt, ſagittas è novellis arborum ſurculis aut cannis confectas, piſcium oſſiculis, aut acutis ſilicibus aſperant, nonnumquam & gallopavorum unguibus, aut avium roſtris, quæ nervis ferarum alligant: E cervinorum autem cornuum extremitatibus gluten quoddam decoquunt, adeo tenax, ut frigida aqua numquam diſſolvatur: in bello quoque rotundis parmis utuntur, è corticibus arborum compactis, & ligneis gladiis. Lembi illorum piſcatorii, unilignei ſunt, è truncis arborum, mactræ in modum excavati, triginta, quadraginta & nonnumquam quinquaginta palmos longi, duos autem aut plures profundi, ita ut interdum quadraginta homines iis vehantur; ſed utplurimum minores ſunt; hos tam velociter contis atque aſſerculis impellunt, quam nos ſcaphas noſtras remigio.

Fœminæ membranas arborum, nervoſque animalium in fila ducere ſolent, & præſertim ſparti quoddam genus, quod *Pemmenaw* vocant, in tam tenuia fila, ut ad plurimos uſus commodiſſime adhibeantur; ex illis autem fere retia ſua nectunt.

Unica horum barbarorum religio eſt (ſi religionis nomen tanta impietas ferre poteſt) adorare omnia, à quibus inevitabile damnum metuunt, ut ignem, aquam, tonitru, fulmen, tormenta bellica, equos, &c. præcipue autem Cacadæmonem quem *Oke* vocant, magis ex timore quam amore venerantur: hujus terribiles admodum imagines in ſacrariis ſuis habent, & ſacerdotes tali numini convenientes: altaria ſua, quæ *Pawcorances* appellant, in agris diſponunt, atque ibidem ſanguinem & adipem ferarum immolant, tabaccumque offerunt è bello aut à venatione reduces. Sed de hiſce fortaſſe plus ſatis.

CAP.

Cap. XIX.

Res ab Anglis in hac Virginiæ parte geſtæ.

PRIMVS hunc Virginiæ tractum, quem modo deſcripſimus, incolere aggreſſus eſt *Bartholomæus Goſnoldus*, multis Nobilium & mercatorum in ſocietatem adſcitis & ampliſſimo diplomate à Jacobo magnæ Britanniæ Rege impetrato: quo permittebatur ſenatum non modo in Anglia, ſed & in Virginia hac conſtituere, rebus omnibus conſtituendis atque ordinandis. Prima expeditio tribus navibus ſuſcepta, duce *Chriſtophoro Neoportio*; is anno cIↃ IↃ c VI. XIX. Decemb. Londino ſolvit & ſex pene ſeptimanas cum adverſis ventis ſub ipſa Anglia colluctatus, ubi altum tenuit, primum ad *Canarias* inſulas aquatione facta, deinde cum barbaris *Dominicæ* inſulæ commercio inſtituto, ibidem aliquantiſper commoratus, verſus Virginiam iter flexit, eamque jam pene reverti certus, præter ſpem adnavigavit: Promontorium quod primum ſeſe obtulit, Henrici principis Walliæ nomine illuſtratum: hinc coloniæ idoneus locus quæſitus, ſenatores inaugurati & eorum præſes electus: atque impigre pro ſe quiſque, domos conſtruere, arva deſignare, vallum moliri: miſſi aliquot ad regionem luſtrandam, qui adverſo flumine (quod ſupra priori loco deſcripſimus) ſubvecti, poſt ſex dierum iter, pagum invenerunt modicum, amœniſſimo colli ſuperſtructum, & tres inſulas & aliquot agros jam à barbaris cultos; *Pawhatan* hiſce regionibus præerat, unde incolæ, conſueto hiſce gentibus more quem jam alibi notavimus, *Pawhatani* dicebantur; flumen hactenus navigabile, ulterius tendentibus ob brevia & confragoſa atque cataractas, etiam minoribus cymbis inacceſſum. Hi humaniter atque amice ubique à barbaris accepti fuerunt, verum coloni qui *Henricopolim* moliebantur, tantum jam odium indigenarum ſibi conciverant, ut merito ſibi metuerent; itaque & oppidulum communiverunt & bellica tormenta diſpoſuerunt. Neque ſatis bene inter ipſos colonos conveniebat, ſed mature à verbi divini adminiſtris reconciliati ſunt: Centum coloni ea vice deducti: naves autem XV Junii anni cIↃ IↃ c VII in Angliam remearunt. Poſt navium diſceſſum ingens calamitas novellam coloniam afflixit ob annonæ penuriam, ita ut vix decem illorum præ imbecillitate, pedibus conſiſtere valerent, & dimidia omnino pars ante exitum Septembris defungeretur, reliqui piſcibus & aſtacis marinis ægre vitam ſuſtentarent; quibus malis accedebat civilis diſcordia & denique (barbaris nonnumquam nimis parce de ſuo penu impartientibus) dira fames, quam tamen *Ioannes Smithius*, poſtquam præfecturam inierat, nonnihil profligavit, commerciis cum barbaris reſtitutis; & primo *Kecouchtanum*, deinde *Weraskoykum* profectus, cymbam frumento onuſtam reduxit: Interim illi qui in colonia remanſerant, indigenas ſuis mercibus ita expleverant, ut illas jam faſtidirent: & dum ille alteram ad Chichaminenſes expeditionem parat, maleferiati quidam cymbam illius pene ſubduxiſſent: exinde & ipſe à barbaris interceptus, & cymba ſuorum negligentia fuit amiſſa: ſed mox dimiſſus fuit, & commeatus coloniæ invectus. Poſt hæc novum ſupplementum ex Anglia, eodem *Neoportio* duce advenit, virorum centum & viginti: Neoportius autem Smitho adhortante Pawhatanum regulum in pago ſuo *Wicocomoco* inviſit, qui illos comiter, prout eſt barbarorum conſuetudo, excepit: lecto ſuo ſtoreis ſtrato inſidens, & pulvinari coriacio, margaritis & conchiliis, gentili induſtria, adornato innixus, & pellibus veſtitus; ſupra caput & ad pedes illius duæ puellæ accumbebant, dextrum læuumque parietem tegebant viginti concubinæ, faciem atque humeros rubrica pictæ: Neoportius Regulo adoleſcente anglo, ille viciſſim Neoportium uno ex intimis familiaribus (cui *Namontack* nomen erat) donavit: hiſce geſtis & magna frumenti copia viliſſimo precio comparato, ad coloniam reditum.

[Margin: 1606. — Cap. XIII. — 1607.]

Ex inde nova calamitas coloniam afflixit, pleriſque ædificiis & bona annonæ parte, fortuito incendio abſumtis: Sed ædificia mox pari diligentia reſtituta: *Pawhatanus* autem jam advenarum pertæſus, id unum agebat ut ipſorum arma clam ad ſe traheret, quo facilius ex inſidiis illos poſſet opprimere: Smitho dolos barbari gnaviter odorante & pro virili contra ſatagente.

Cap. XX.

Sinus Cheſapeack à Joanne Smitho *luſtratus.*

SMITHVS interea otii impatiens, Sinum *Cheſapeack* qui continentem recto in arctum tramite irrumpit, initio Junii anni cIɔ Iɔc VIII luſtrare aggreditur, & flumen in exigua & aperta cymba cum quatuordecim comitibus deſcendit ad Promontorium uſque *Henrici*; inde velis in orientem verſis inſulas adnavigat promontorio *Caroli* objectas & jam *Smithi* agnomine inſignes: & mox promontorio illo ſuperato, dextram ſinus oram legens, *Acowmacka* regulum inviſit, virum ſatis humanum: ſolum hoc tractu fertile eſt, & incolæ Pawhatanorum dialecto utuntur. Hinc egreſſus & primum inſulas aliquot in medio ſinus ſitas conſpicatus, flumen *Wigcomoco* ſubit, turbidum & cænoſum; hoc prætervectum Promontorium excepit, ubi ſtagnum dulcium aquarum repperit, verum ita calidum, ut balneum videretur: inde curſu inflexo inſulas adit deſertas, quibus *Limbi* nomen indidit; rurſuſque ad dextram oram reverſus Kuskaranock inviſit, inſignem amnem: hic à variis populis accolitur, *Soraphanigis*, *Nauſis*, *Arſecis*, *Nautaquakis*; qui quum mira ipſi narraſſent de gente *Maſſawomekarum*, ſubiit ipſum cupido hanc gentem inveſtigandi; quumque hanc oram vadoſiorem offendiſſet, ad ſiniſtram trajicere viſum; patet autem hîc in tantum ſinus, ut à dextra ora præaltæ rupes quæ ſiniſtræ incumbunt conſpici neutiquam poſſint. Deinceps ſiniſtram oram ad triginta milliaria Aquilonem verſus ſequens, nullos ibidem incolas invenit: tota hæc ora dulcium aquarum ſcaturiginibus abundat, montes aſperi & ſteriles ſunt, valles autem amœnæ & fœcundæ, nemora denſa & lupis, urſis, aliiſque feris referta. Proximo ſinui Boli nomen inditum, ob ſoli argillam bolum Armeniæ referentem; ſinus etiamnum hic decem in latitudinem patet milliaria novem decemve orgyas altus. Adverſis ventis hinc rejectus XVI Junii *Patawomekum* fluv. intravit, decem milliaria in ipſo oſtio latum; quem triginta circiter milliaria ſubvectus, quum nullos incolas inveniret, à duobus barbaris poſtremo *Onawmamentum* eſt deductus, ubi aliquot centuriæ barbarorum ex inſidiis in illum eruperunt, qui diabolicum in modum erant deformati, verum ſclopetorum metu, à noxa temperarunt, à Pawhatano oppidanis infeſto, ſe in Anglorum perniciem concitatos confeſſi. Luſtrarunt porro hoc flumen, ut metallum quoddam perquirerent, quo non exiguam argenti portionem contineri, à barbaris Neoportio perſuaſum fuerat; verum quum ad locum eſſet ventum, ſpe ſua falſi receſſerunt. Quum autem ad Toppahanock fluv. oſtium perveniſſent, duplex calamitas illos oppreſſit, nam & cymba in vada quæ faucibus objacent impingens hæſit, & Smithus paſtinacæ venenato aculeo ictus magnum vitæ diſcrimen adiit, olei cujuſdam auxilio, quod fortuito ſecum duxerant, ægre ſervatus. Denique *Payankatakam* & *Pumaunken* flumina prætervectus, Kecouchtanum & mox Jacobipolim XXI Julii rediit.

In oppido non modo variis morbis, ſed & gravibus diſcordiis laborabatur, Præſidis moroſitate atque imprudentia, adeo ut illum magiſtratu movere & Smithum in illius locum ſurrogare neceſſe fuerit. Ille rebus compoſitis & vicario conſtituto, ſecundam expeditionem ad ſinum penitius luſtrandum ſuſcipit & *Kecouchtano* ſolvens, ſumma celeritate ad Bolum fluv. ſiniſtram oram ſtringendo pervenit; à quo paululum provectus, ſinum ſeſe in quatuor veluti ramos ſpargere obſervat; quos luſtrare aggreſſus & in primo atque ſecundo nullos incolas offendens, ad oppoſitum latus flectit, ubi ſeptem octove lembos *Maſſawomekiorum* obvios habuit, qui Anglos cum ſumma admiratione contemplati, ſeſe protinus in terram projecerunt, verum amice invitati ad cymbam illorum acceſſerunt & Smithum ferina, arcubus, ſagittis & urſina pelle donarunt; & noctu ſe ſubduxerunt. Hinc ad *Tocwogiorum* flumen perventum, quibus quum perſuaſiſſent arcus & ſagittas illas *Maſſawomekiis* vi ereptas (nam hi duo populi juges inimicitias exercent) humaniſſime ab iis fuerunt excepti. Hîc ſecures, cultellos & ferri atque æris ramenta repererunt, quæ ſe à Saſquesahanokis (ſummis Maſſawomequiorum hoſtibus) accepiſſe profitebantur: Ea gens quartum magni ſinus ramum accolit, verum propter brevia & cataractas nullus cymbis ad ipſos patet aditus, itaque per nuncium acciti, venerunt ſexaginta numero,

ferinam,

ferinam, tabaccum, parmas, arcus, ſagittas. vimineoſque corbes, aliaque munera ferentes & Anglorum auxilium contra hoſtes ſuos implorantes. Mira autem narrabant de *Atquanahuckiis*, aliiſque populis his vicinis, ſeque ſecures ſuas à Gallis redemiſſe teſtabantur. Atque hinc denuo, Pawtunxunto & Tappahanoko fluv. leviter in tranſcurſu luſtratis, VII Septembris Jacobipolin remearunt.

Cap. XXI.

Quæ porro ab Anglis in hac Virginiæ parte geſta.

VEREOR ne limites, quos primum in ſcribendo mihi propoſueram, nimium egredi videar; itaque cæteras res geſtas leviter perſtringam. Anno proximo 1609.
novum ſupplementum eodem Neoportio duce advenit, & regia dona Pawhatano deſtinata; quem & coronarunt, barbaro ad indumenta peregrina ſtupente, & ejusmodi ceremoniarum inſueto; quibus rebus tamen magis efferatus eſt. Hinc ſtudioſe in metallorum venas inquiſitum, ſed fruſtra. Interea jam annonæ penuria in oppido laborabatur, quæ nimis parce pro multitudine, quæ jam ad ducentorum virorum numerum excreverat, ex Anglia erat ſubvecta, & inſuper nautarum prodigalitate & negligentia multum imminuta: itaque ab indigenis nunc precario, nunc violenter commeatum petere & ſumere aggreſſi, graves primum hoſpites, mox & hoſtes à barbaris ſunt judicati. Pawhatanus interea omnibus modis ſatagens ipſorum arma ad ſe trahere, Germanos quoſdam atque Polonos (qui nuper advenerant ut Anglos picis excoquendæ & ſaponarium cinerem exurendi rationes edocerent) ita pellexit, ut multos gladios aliaque arma furtim ſubducerent, & ad domum illius comportarent: ſed quum dolus patuiſſet, inſidiæ Regi fruſtra ſtructæ, Anglique in apertum bellum cum barbaris eruperunt.

Veruntamen pace paulo poſt redintegrata, quum colonia jam reſpiraſſe atque adeo florere videretur, nova calamitas acceſſit, maxima parte frugum à gliribus adeſa; neque ullum in barbaris præſidium erat, ſimili annonæ penuria laborantibus: itaque hac illac ſe diſpargere, alii oſtreis, alii glandibus, alii aliis fructibus ægre vitam tolerare; tanta & tam obſtinata quorumdam in hac neceſſitate deſidia, ut nonniſi à præſide coacti vitæ adminicula conquirerent; pauci tamen interierunt.

Quum autem jam in Anglia Senatui innotuiſſet, tam male inter colonos convenire, Baronem *de la Ware* cum ſumma poteſtate eo deſtinarunt: hic anno cIↃIↃCIX duos Equites *Thomam Gates* & *Georgium Sommerum* vice ſua miſit, donec ipſe ſubſequeretur; verum hoc ſalutare conſilium fors in contrarium vertit; navis enim quæ illos vehebat apud *Bermuden* fracta, ipſique ægre natando ſervati; cæteræ naves feliciter portum Virginiæ tenuerunt. Hic jam quidam ante Smitho infenſi, Equitibus, penes quos ſumma rei erat, abſentibus, omnia perturbare cœperunt, nec præſidi obſequi, neque quicquam recte per ſe agere, unde nonnulli in Angliam ab ipſo remiſſi; alii cum colonis aliquot novas ſedes quærere & duo oppidula condere aggreſſi; multi à barbaris cæſi, fruges corruptæ, aliaque damna accepta, ſupina ducum ignorantia, qui incommoda loca oppidis ceperant & ne quidem à fluminis inundatione tuta: ad extremum acceſſit Smithi infortunium, qui caſu à pulvere tormentario miſere ambuſtus, ſanitatis recuperandæ gratia Angliam repetere coactus fuit.

Reliquerat Smithus in Virginia quadringentos & nonaginta colonos, annonæ abunde ad decem ſeptimanas, naves majores tres, cymbas ſeptem, viginti quatuor majora tormenta, trecentas bombardas, cæterumque apparatum bellicum: Sed annona jam pene abſumta, dum ſubſidium à barbaris petunt, coloni aliquot à Pawhatani ſubditis occiſi: & indigenæ in univerſum tantopere in Anglos exarſerunt, ut ubicunque facultas daretur, aut clam aut palam illos trucidarent: venerunt interea Equites qui ad Bermudã enatarant, & populi calamitatibus permoti, univerſos in Angliam reducere parabant, quum Baro *de la Ware* cum tribus navibus advenit: atque ita Jacobipolim IX Junii anno cIↃIↃCX reditum. Ipſe autem adverſa valetudine tentatus, proximo anno in Angliam redire maturavit. Appulerat ante illius diſceſſum 1610.
Thomas Dalius eques cum colonis aliquot, armentis, cæteriſque neceſſariis: & non

multo

multo poſt illum *Thomas Gatius* cum trecentis colonis & pecore. Status oppidi compoſitus, & arx juxta *Henrici* promontorium ædificata: aliud præterea oppidum ſupra *Iacobipolin* octuaginta circiter milliaria loco edito & opportuno, quod *Henricopolin* appellarunt, & municipium infra oppidum quinque milliaria, *Bermudæ* nomine.

Rebus in Virginia ita compoſitis, pluribuſque ſubinde colonis miſſis & rerum ſumma in Anglia ad Comitem Suyth Hamtoniæ delata, abſolutam Reipublicæ formam Virginia tandem accepit. Verum odia barbarorum in advenas jam ſibi graves magis magiſque accenſa, in ſummam crudelitatem tandem eruperunt; quippe anno cIↃ IↃ C XXI ex inſidiis Anglos hac illac ſparſos, nihilque tale metuentes, adorti, ſupra trecentos & quadraginta, qua viros qua fœminas & pueros immaniter trucidarunt; Jacobipolin ipſam aggreſſuri, niſi ipſorum conatus mature à barbaro quodam, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperat, præfecto fuiſſent revelati: Inſigni documento barbarorum ingeniis parum fidendum eſſe etiam quum maxime blandiuntur. Atque hæc obiter, quæ Anglorum hiſtoriæ copioſius loquentur; jam ad reliqua Virginiæ tranſeamus.

C A P. XXII.


Virginia à VValthero Ralegho *primum detecta: Terræ fructus & animalia.*

RESTAT jam altera & maxime Auſtralis Virginiæ pars, unde nomen ad cæteras partes fluxit: hæc primum à fortiſſimo Equite *Walthero Ralegho* anno cIↃ IↃ LXXXIV detecta & in honorem Sereniſſimæ Reginæ Virginis Eliſabethæ *Virginia* nuncupata, à trigeſimo Auſtrum verſus ſexto gradu porrigitur. Aëris temperie & cœli ſolique bonitate cæteris par; niſi quod ſolis periodo vicinior ideoque & calidior. Hujus regionis ſitus, variæque dotes copioſe à *Thoma Heriotto* Anglo fuerunt deſcriptæ, è cujus commentariis peculiaria quædam breviter referemus. Inter quæ primum locum flagitant quæ ad vitæ humanæ uſum ſunt comparata.


Maizium indicum, quod Virginienſes *Pagatowr* vocant, hic uberrime naſcitur, & grana modo rubra modo flava, modo mixti coloris & elegantiſſime variegata producit, in ſex ſeptemve interdum & decem pedum altitudinem aſſurgens & ſpicas tres quatuorve, nonnumquam tamen & unam tantum, ferens, quingentis, ſexcentis & quum uberrima meſſis eſt ſeptingentis granis onuſtas, ſingulari ſoli luxuriantis indicio. Phaſeoli deinde mira colorum varietate, quos ſuo idiomate *Okindgier* vocant, forma à noſtratibus minime diverſos, caulis & folia nonnihil variant; ſaporis ſuavitate noſtrates fere ſuperant. His accedunt piſa, illis *VVickonzour*, noſtratibus quidem minora, ſed longe gratiore ſapore.

Macocquer ipſorum noſtris peponibus, melonibus aut cucurbitis fere ſimiles ſunt, gratiſſimi ſaporis & magna formarum varietate. Clariſſ. vir *Carolus Cluſius* deſcriptionem & iconem dedit lib. II. Exoticorum cap. II. fructus è Virginia allati, quem ipſorum *Macocquer* exiſtimat, quam hic inſerere operæ precium viſum. Erat (inquit) prorſus orbiculari forma, quatuor unciarum diametro, cortice duro præditus, foris lævi & ſubfuſco, interne nigra membranâ inducto, per quam ſparſæ quædam fibræ à pediculo ad ſummum: continebat vero pulpam nigram (quia non recens ſed ſiccus & vetuſtus) acidique & quodammodo ſalſi ſaporis, in qua plurima grana involuta, ſubfuſci coloris plana & cordis (ut vulgo pingitur) formam referentia, medulla albicante prædita. Quum porro hic fructus ex Virginia allatus eſſe dicatur, facile mihi perſuaderi ſinam illum eſſe, quem ejus regionis incolæ *Macocquer* appellant & (magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitiæ ſignum, ſtructo igni aſſidentes) pulpa ſeminibuſque exemtis, implent lapillis aut craſſioribus quibuſdam granis, ut majorem ſtrepitum agitatus & commotus edat, bacilloque aptantes manu tenent, perinde ac Braſiliani ſuum Tamaraca, ſed nullis pennis ornant. Integrum autem fructum & per medium ſectum, in hac tabella exprimendum curabam. Hæc ille.

Vereor



Vereor autem ne Clariſſ. vir. opinione ſua hîc falſus fuerit, & ipſorum Macocquer potius ſit pepo, varia formarum varietate in illis regionibus ludens, uti è ſeminibus ad nos allatis & hic enatis jam à multis annis videre fuit. Idem Clariſſ. vir & alterius fructus iconem exhibet, quem *Lobum e Wingandecaw* vocat & ex lib. 3. c. 3. hac Virginiæ parte allatum fuiſſe teſtatur; cujus ſimiles quum aliquot è novo Belgio noſtro accepiſſem, iconem unius inſignioris hic exprimendam curavi ea forma & mole qua erat (licet interdum duplo & triplo majores ibidem & in vicinis provinciis naſcantur.)



Erat autem hic Lobus ſex uncias longus & ſupra tres latus, craſſo validoque & pene ligneo cortice, foris quidem coloris qualis eſt caſtanearum aut paulo obſcurioris, interius cinericei, exteriori ſuperficie maximam partem valde ſcabra: continens fungoſam quandam pulpam cinericei coloris, pinguem, & tam acidi atque adeo ingrati odoris ut nares offenderet; in qua latebant ſeptem phaſeoli (ut ita dicam) ea mole & forma, qua unum illorum juxta ipſum Lobum exprimendum curavimus, duro itidem cortice & obſcuro rubente, tecti & album nucleum continentes amygdalæ vel avellanæ ſapore. Horum phaſeolorum aliquot quum anno cIↃ IↃc xxxi ſub veris ingreſſum terræ mandaſſem, tres omnino ex iis prodierunt plantæ ea forma quam infra expreſſimus; an autem herba tantum ſit, an vero frutex qui tandem veluti arboreſcat: mihi nondum conſtat, certe fructus aliquid arborei præ ſe fert, & cauliculus hujus plantæ licet adhuc teneræ & nuper natæ jam ligneſcere videtur, ſed vereor ne hyemem noſtram ferre poſſit.



Præter has & alias herbas; etiam radices edules ſponte hic proveniunt; imprimis quas indigenæ *Openawk* vocant, rotundæ, juglandi nuci magnitudine pares, interdum & multo majores; naſcuntur humidis & paludoſis locis, plures inter ſe cohærentes & veluti funiculo colligatæ; in aqua coctæ, aut igne toſtæ, boni ſunt alimenti. Diverſæ ob hiſce ſunt *Okeepenauck*, quæ ſiccis locis gaudent, orbiculari forma, & capitis interdum humani mole, recentes & uti è terra eruuntur manducant (propter ſiccitatem quippe aſſari aut elixari nequeunt) ſaporis ſuavitate prioribus haud quaquam pares, quare non niſi in ſumma neceſſitate illas in cibos adhibent, aut interdum varietatis gratia; concoctu alioquin non minus faciles, quam panes ſiliginei.

Kaiſtucpenauck radix candida, ovi gallinæ forma & magnitudine, ſed ingratioris ſaporis, licet indigenæ etiam hac veſcantur.

Sunt & radices hîc non multum diſſimiles illis, quas officinæ radices Chinæ appellant & forte ejuſdem ſpeciei, plures ſimul connexæ, caules moliuntur Cynosbato ſimiles, (ſed folia plurimum diſcrepant) qui arboribus contigui, eas arcte complecti, & ad ſummum uſque faſtigium eniti ſolent; *Tſinaw* nomen ab Anglis ob ſimilitudinem illis radicibus impoſitum; ex recentibus in fruſtra conciſis & contuſis, & ſucco una cum aqua expreſſo, fit panis; ex ebullitis vero juſculum haud ingrati ſaporis, præſertim ſi oleum admiſceatur.

Coſcushaw indigenis, Anglis ob ſimilitudinem *Yuca*, humidis & cænoſis locis delectatur: ex hac barbari ſuo more panem conficiunt & pultem grati admodum & ſuavis ſaporis, qua plurimum utuntur. Recentum ſuccus venenoſus, ideoque ſedulo exprimendus, antequam pulpa in uſum adhibeatur; ad ſolem itaque aut ignem, detracta cute, prius exſiccantur, dein in farinam rediguntur, è qua panes coquuntur. aut etiam recentes & virides purgantur, in fruſta conciduntur, contunduntur que & paſtilli ex illis fiunt, qui tantiſper ad ignem torrentur, donec areſcant; quibus rurſus in pollinem redactis, ad panes & pulmenta utuntur.

Habaſcon radix eſt calida, paſtinacæ forma & magnitudine, per ſe ſola quidem minime edulis, cum aliis vero cibis cocta haud inutilis.

Quin etiam allia multis locis ſponte naſcuntur, Europæis haud multum diſſimilia, ſed indigenæ illis minime utuntur, Angli vero ſe crebro ea uſurpaſſe teſtantur. Hactenus de radicibus, nunc & de arborum fructibus dicendum.

Caſta-

Caſtanearum hic variis locis ingens copia: nec non nucum integræ ſylvæ, quarum aliæ fructus ferunt noſtratibus ſapore & magnitudine æquales, putaminum duritie & craſſitie ſuperantes: aliæ longe majores, lignoſiſſimo putamine & ſcabro, nucleo vero grandi, dulci & valde oleoſo. Sunt & aliæ arbores quæ fructus ferunt, quos Angli à ſimilitudine meſpyla vocant, nam & amplo latoque ſunt umbelico, minime edules antequam molleſcant, colore tamen magis ad ceraſa accedunt, uti & ſapore, licet ita ſuavi ut fere inſipidus videatur. Ficus indica, quæ Tuna in Nova Hiſpania dicitur, hic ab Indigenis *Muttaqueſunnauck* appellatur. Mori, mala ſylveſtria, plureſque arbores Europæis ſimiles. Quinque denique glandium ſpecies ab Anglis obſervatæ; quarum primam *Sagatemener:* ſecundam *Oſamener:* tertiam *Punnincko-ner:* quartam *Sapummener:* quintam denique *Mangummenauck* ſuo idiomate appellant barbari: harum tres priores craticulis arundineis impoſitas lento igne ſiccant, ut melius ſerventur; deinde ubi illis uti libet, aqua macerant & ebulliunt: ex iiſdem & oleum admodum dulce exprimunt. Tertia vero cocta in aqua, dein expreſſa, caſtanearum ſaporem æmulatur, unde & panes nonnumquam ex illa conficiunt; quartam ſpeciem inter ignobiles cibos deputant, iiſque fere mancipia ſua nutriunt.

Quadrupedum variorum ingens hic copia, præſertim Cervorum; quorum ii qui juxta littora vagantur, pabuli inopia, minores ſunt Europæis; in interioribus provinciis, longe majores; cæterum noſtris plane ſimiles, niſi quod caudas habeant longiores & cornua verſus cervicem magis incurventur. Cuniculorum itidem, qui ut plurimum cinerei ſunt coloris inſtar leporum, ingens numerus, ita ut incolæ in pleriſque provinciis, è pellibus illorum ſibi chlamydes conſuant. *Saquenuckot* & *Maquowoc* cuniculis haud multum diſſimiles, ſed majores & gratiſſimi nutrimenti. Sciuri colore fere ſunt cinereo; urſi nigro, quos captos indigenæ comedunt uti & leones & ſimiles feras.

Avium præter notiſſimas, gallopavos nimirum, palumbes, perdices, grues, ardeas, cygnos & anſeres, ſupra octuaginta diverſas ſpecies, quæ ſylvas; & ſeptuaginta quæ littora, ſtagna atque paludes accolunt, à ſe obſervatas, teſtatur *Heriottus:* Neque minor piſcium abundantia, puta accipenſerum, Februario, Martio & Aprili: Halecum qui magnitudine noſtrates longe ſuperant, interdum duos palmos longi: quibus accedunt Truthæ, Turſiones, Rajæ, mugiles, paſſeres aliique quamplurimi humanis uſibus apti: Cancri quinetiam & oſtrea multiformia, muſculi, aſtaci, cochleæ marinæ. Denique cruſtacei generis piſces qui ab indigenis *Seeckanauck* vocantur & toto hoc littore ad fines uſque *Novæ Franciæ* frequentes viſuntur: præſertim juxta brevia & vada; formam jam exhibuimus.

CAP. XXIII.

De iis quæ hæc Virginiæ pars fert commerciis apta & de moribus Gentis.

PRÆTER ea quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſolum hoc etiam ſponte producit, aut occultat multa, quæ utilitatem in commerciis adferre poſſunt. Inter ea primo loco ab Anglis recenſetur graminis ſpecies, longis foliis & anguſtis, quorum ſuperficies membranula quadam tenui & ſplendenti inducta eſt, qua demta, pro ſerico ſe uſos teſtantur, unde & ſerici nomen gramini indiderunt. De iis quæ hic ſeri aut coli poſſent, non neceſſe eſt dicere, nam quum ſolum admodum fertile ſit, non eſt dubium quin ſata ingenti fænore ſit redditurum, ſi rite coleretur. Vena autem terræ, haud longe à littore, quadraginta aut quinquaginta milliar. in longitudinem porrigitur, è qua optimum alumen confici poſſet, uti à peritis illius artis obſervatum volunt: Eadem vena & calchantum, nitrum, alumen plumeum (ita vocat author) forte ſciſſile, ſubminiſtrat, verum non tanta copia, quanta alumen, nec tantæ utilitatis: variis in locis reperitur gleba quædam terræ, quam vulgo ſigillatam vocant, omnino ſimilis, notæque virtutis, tum apud ipſos indigenas, qui illam *Wapergh* vocant atque ad vulnera juxta atque ulcera ſananda adhibent, tum etiam apud Anglos qui illius experimentum ceperunt. Arbores quæ picem, reſinam, terebinthinam & ſimiles ſuccos fundunt, quum hic infinitæ pene ſint, non dubium eſt quin labore

atque induſtria colonorum ingens harum mercium copia parari poſſet. Saſſafras indigenis *Winauck*, hic paſſim reperitur. Ingentia nemora, cedrina ligna optimi odoris & ad fabrilia opera aptiſſima ſubminiſtrant: vites quæ hic innumeræ, largam vindemiam promittunt ſi cultura accederet: denique ad oleum maxima copia è juglandibus exprimendum non niſi opera humana deſideratur.

Præſens etiam emolumentum ſperari poteſt è pellibus lutrarum, quæ juxta littora degunt magno numero; neque vero abſimile etiam lynces hic reperiri aliaque animalia quæ laudatiores pelles ferunt. Cervina autem tergora tum cruda, tum rupicaprarum pellium in modum præparata maximo numero ab indigenis vilium mercium commutatione quotannis redimi poſſunt. Hyænam veteribus (ut vult Bellonius) recentioribus *Civettam*, Africæ perfamiliare animal, etiam hic à ſe obſervatam Angli teſtantur, penes quos fides ſit.

Metallorum haud levia indicia deprehenſa: Ferri quidem duobus in locis, octuaginta aut centum milliar. ab eo loco quem Angli coloniæ ſuæ elegerant; nec procul à littore rupes multæ quæ venas ferri magnis indiciis promittunt; è quibus, ut magnum emolumentum ſperari poſſit, facit lignorum copia & operarum vilitas. Æris autem & argenti metalla in mediterraneis reperiri conſtans fama eſt, nec obſcura indicia, licet certa in hunc diem fides vacillet. Margaritæ ſeu uniones penes indigenas repertæ, verum an hic natæ, dubium eſt. Tincturæ variæ, præter Rhus coriariorum Europæis notiſſimum, ex herba enim quam *Waſebur* vocant; & tenuibus radicibus *Chappacor*, & cortice arboris *Tangomocqueminge*, indigenæ diverſos colores rubros excoquunt.

Barbari harum regionum indigenæ, ſatis eleganti ſunt forma, comam alunt tam viri quam fœminæ: mares autem & maxime proceres, à fronte per medium verticem ad cervicem uſque capillos criſtæ in modum attondent: pelle cervina aut alterius feræ exuviis ab umbelico ad genua demiſſis, pudenda velant; cætera nudi agunt, aut levi chlamyde ex pellibus ferarum humeris circumjecta, pallia noſtratium æmulantur & varias corporis partes punctilis & notulis quibuſdam perſignant ut formoſiores videantur. Arma ipſorum ſunt arcus è corylo, ſagittæ ex arundinibus, & pali lignei plani duos cubitos longi: Scutis è corticibus aut bacillis barbara induſtria conſutis ſe tegunt, nulla ferri notitia.

Pagi ipſorum exigui & pauci juxta littus: decem, duodecim, etiam viginti; & qui ampliſſimi triginta domiciliis conſtant, nec niſi palis ligneis in orbem terræ infixis adverſus hoſtium incurſus ſepti. Ædes ſuas ex ramis & perticis in fornicem flexis & in faſtigio colligatis, pergularum in modum factas, aut arborum corticibus aut ſtoreis quibuſdam artificioſe contextis à ſummo ad imum tegunt: longitudo plerumque latitudine duplo maior nunc duodecim, nunc ſedecim interdum & viginti decempedarum ſpatium complectitur.

Satrapas ſuos ſive regulos vocant *Weroans*, ii interdum unum interdum plures pagos regunt; qui tum quum Angli hic appellerent, inter illos potentiſſimus judicabatur, decem & octo pagis imperabat. Suum cuique præfecturæ idioma. & quo majori intervallo à ſe invicem diſcretæ, eo magis variant idiomata ipſorum.

Bella inter ſe magis ex inſidiis quam aperto marte gerunt, & hoſtes ſuos plerumque ſub crepuſculum aut noctu ſplendente luna inopinantes conantur opprimere. Diſciplina magis & vario inſtrumentorum apparatu; quam ingenio aut induſtria deſtituuntur.

Multos quidem Deos, certis gradibus & ordinibus diſtinctos, quos *Mentoac* appellant, ſuperſtitioſe colunt, ita tamen ut unius ſummi atque æterni Dei licet admodum levis cognitio haud plane ex animis illorum deleta videatur; à quo per minores atque ab ipſo creatos Deos atque ſemideos; & mundum hunc creatum & hactenus gubernari fatentur. Aquam inter elementa; fœminam inter mortales primo creatam, & ex divino ſemine propagaſſe totum humanum genus. Quot ſecula à mundi creatione fluxerint non magis norunt, quam litteras aut alias notas quibus horum memoria conſervatur: omnis rerum memoria traditione parentum ad liberos propagatur. Numina ſua uti humanis corporibus prædita credunt, ita ſimulacris quibuſdam quæ *Kewaſowack* vocant venerantur. Sacraria quædam templorum in modum

illis

illis conſecrant, quæ *Machicomuck* nominant, in iis precantur, canunt & varia dona offerunt: habent & ſacerdotes ſuos, magicarum artium haud imperitos, qui in rebus dubiis dæmones conſulunt, & fœdis geſticulationibus artuumque præter naturæ modum contorſione miſero popello metum incutiunt & venerationem ſui extorquent. Animarum immortalitatem agnoſcunt, eaſque à corpore ſolutas aut ad beatas divorum ſedes, aut ad ardentem puteum in extremis terræ verſus occidentem oris (*popoguſſo* vocant ipſi) deferri opinantur. In furta adulteriaque & ſimilia crimina verberibus, interdum etiam mortis ſupplicio animadvertunt.

CAP. XXIV.

De primis Anglorum expeditionibus in hanc continentis partem ad annum uſque cIↃ IↃ LXXXVI.

PRIMA (quod quidem conſtat) in hanc Americæ partem, navigatio ſuſcepta fuit anno cIↃ IↃ LXXXIV, auſpiciis Reginæ Angliæ & impenſis *VValtheri Raleghi*, 1584. cum duabus celocibus ſub præfecto *Philippo Amadaſio:* Qui XXVII Aprilis àb occidentali Angliæ ora ſolvens, primum decimo May Canarias inſulas tenuit, & deinceps decimo Junii Inſulas Americanas, à quibus curſu verſus Corum reflexo, quarto Julii terram conſpexit, ejuſq; oram legit circiter milliar. CXX antequam portum ullum deprehenderet: ſed illo denique invento, anchoræ jactæ, haud longe à terra; quam exſcenſione facta, Coronæ Anglicæ habendam & poſſidendam conſuetis ceremoniis vindicarunt. Erat autem humilis & arenoſa juxta littus vitibus paſſim veſtita, quæ ad faſtigia arborum enitebantur: interius in colles modicos conſurgens, è quorum jugis mare undiquaque ambiens conſpicati, inſulam eſſe didicerunt, barbaris *VVokokon* dictam: viginti milliar. Angl. in longitudinem patet, vix ſeptem in latitudinem; pulcherrimo cedrorum luco opaca, in quo infinita alborum gruum & aliarum avium copia viſebatur, nec minor ferarum. Wokokon. Inſula. Tertio demum die, tres barbari qui juxta degebant, ad illos venerunt, piſces dono afferentes: poſtero item mane plurimi alii cum *Grangimineo* Reguli *VVinginæ* germano: Provinciam univerſam vocari afferebant *VVingandocoam*, Angli ad honorem Reginæ ſuæ Virginis, *Virginiam* dixerunt. Atque hic ab indigenis pelles rupicaprarum, alcium, cervorum, permutatione acceperunt. Reguli frater haud multo poſt ad illos rediit, & naves quoque adiit cum uxore & liberis: ipſa quidem decenter barbarum in modum erat ornata, ſerto alborum corallorum capillos redimita; ab auriculis funiculi, vilium margaritarum ad umbelicum uſque dependebant, ille autem incomtior æneam tantum lamellam ſupra verticem geſtabat.

Erant hi barbari colore fuſco, nigris crinibus, quos fœminæ quidem utrimque, mares vero ab uno tantum latere promittunt. Lintres illorum unilignei è truncis arborum excavati, ad cæterorum Americanorum modum.

Septem ab hac ſtatione milliar. altera inſula continenti objacet, *Raonoack* barbaris, quam *Granginimeus* habitabat; ex adverſo fluvius *Occam* elabitur, procul è continenti ut ferunt deſcendens, cujus ripis adſidet pagus *Pomeiock:* ſex autem dierum itinere adverſo flumine, maximum oppidum *Skicoack* jacere, barbari à majoribus ſe accepiſſe narrabant, nullo tum ſuperſtite qui illud vidiſſet. Raonoack Inſula. In hoc flumen amnis *Cipo* deſcendit, margaritarum, ut produnt, ferax: itemque *Nompano* cujus ripæ vicus *Chawanock* adſidet, *Poneno* parens: huic vicinus eſt regulus *Menatonon*: Erantque eo tempore tres reguli iſti *Wingina*, *Menatonon* & *Poneno* confœderati. Quatridui itinere verſus Africum *Sequotan* pagus jacebat auſtralis Wingandocoæ limes. Illi contermina erat *Pomonick* aut *Pananvioc* ſub regulo *Piamoco*, & ad favonium *Neuſiock* ſecundum ripas pulcherrimi amnis *Neüs*. Citra *Raonoack* plures inſulæ cum ſuis pagis continenti adjacent. Tota enim ora crebris inſulis ad ducenta & plura mill. angl. obſidetur, quæ freto mediterraneo, nonnuſquã quàdraginta milliaria lato, à Continente dividuntur. Septẽbri deniq; Angli cum duobus barbaris *VVanchete* & *Manleo* in patriam redierunt.

Anno cIↃ IↃ LXXXV menſe Aprili ſecunda expeditio fuit ſuſcepta, cum ſeptem navigiis præfecto *Richardo Greenvillo*; qui nono ejuſdem Pleymutha diſcedens, decimoquarto Canarias, ſeptimo May *Dominicam*, decimo *Coteſam* parvam ſub portu Rico inſulam attigit: & duodecimo ſinum Moſquitorum ad inſulam S. Joannis intravit: Deinde Hiſpaniola obiter adita & XX demum Junii Florida eminus conſpecta; XXIII 1585.

ancho-

anchoræ jactæ pone promontorium,quod ob diſcrimen ibidem aditum, *Timoris cornu* dixerunt: inde xxvi *VVokokon* delatis, negligentia nautarum Ammiralii navis fracta periit: hic *VVingina* è *Roanoack* ad ſe vocato, Continentem petierunt, ibidemque luſtrarunt *Pomejock*, *Aquaſcogoc* & *Sequotan* pagos & *Paquipe* lacum: Denique Sequotanorum pago, quia argenteum calicem furto ablatum reddere abnuebant, flammis abſumto, & multis barbarorum cæſis ad naves remearunt. Porro ad *Raonoack* cvii
1586. colonos ſub *Radulpho Lanio* expoſuerunt; qui hic ad xviii Junii, anni cIↃ IↃ lxxxvi incoluerunt & à *Franciſco Draco* in patriam ſunt reducti. *VVingina* ante, qui jam advenarum uti videtur pertæſus clam in exitium illorum conſpiraſſe compertus erat, cum plurimis ſuorum cæſo.

Luſtraverant autem hi verſus auſtrum quidem ad *Sequotan* uſque, lxxx circiter mill. à *Raonoack*, per fretum admodum latum, ſed vadis impeditum. Verſus Septentriones vero ad *Cheſapeanorum* terras, imprimis amœnas; (ſunt autem hi diviſi in *Mandoagios*, *Tripanigos*, atque *Opoſſianos*:) verſus Corum denique ad *ChaWanoock* cxxx milliar. ab inſula, per latum fretum & ſatis altum.

Cap. XXV.

Reliqua geſtorum ad annum cIↃ IↃ xc.

R*Alegus* eorum quæ in Virginia geſta erant ignarus, navem ſubmiſerat cum ſupplemento colonorum & annona; quæ quum portum quidem tenuiſſet, ſed colonos jam in Angliam deceſſiſſe intelligeret, re infecta rediit: Similis & Greenvilli fortuna fuit, niſi quod quindecim ſuorum apud *Roanoack* expoſuit, ut provinciæ poſſeſſionem continuarent.

1587. Anno dein cIↃ IↃ lxxxvii *Ioannes VVithus*, à Ralegho miſſus ad novam coloniam deducendam, cum cl qua viris qua fœminis. Hic quum xxvii Julii *Hatoraſkum* appuliſſet, quindecim illos ſuperiori anno in *Raonoack* relictos ſtatim quæſivit; verum nullum ne veſtigium quidem ipſorum deprehendit; ſed ipſum munimentum quod Lanius ad ſeptentrionale inſulæ latus conſtruxerat, plane deſertum, vallo disjecto & ſolo æquato; tuguria ſqualida & jam herbis fruticibuſque operta: quæ ſtatim repurgavit & nova aliquot adjecit. Deinde *Croatoan* petiit & jam de cæde illorum xv certior, dum vindictam in *Dacamonquepukios* qui cædis authores habebantur, molitur, plures ſociorum atque innocentes occidit. Gravi autem diſcordia inter colonos levem ob cauſam ortâ, *VVithus* in Angliam rediit, xci viris, xvii fœminis & xi pueris ibidem relictis.

Non invenio aliquam horum rationem habitam ante annum cIↃ IↃ xc, quo demum Raleghus pro ea qua in aula pollebat authoritate, perfecit, ut Claſſis alio deſtinata, Withum ad colonos ſuos reduceret: verum hæc diutius inter inſulas Americæ vagata, menſe demum Auguſto *VVokokon* attigit, xxxiv gradus (ut tum obſervatum) ab Æquatore: exinde & *Croatoan* boreale latus quinque & triginta gradib. & ſemiſſe ab æquatore: denique xv Auguſti *Hatoraskum* inſulam xxxvi gradib. & xx ſcrupulis ab æquatore. Verum quum Withum non ſine diſcrimine & unius cymbæ jactura in inſulam expoſuiſſent: Illa quaqua patet diligenter luſtrata, nullus colonorum ſuperſtes fuit inventus: Convenerat inter ipſum & colonos quum ab ipſis diſcederet, ut ſi ipſo abſente ſedes mutare cogerentur, nomen loci quem peterent, in cortice arboris notarent, cruce addita ſi forte periclitarentur: quare quum in arbore quadam CRO elegantibus Romanis literis inciſum abſque Cruce offendiſſet *VVhithus*, ſuſpicari cæpit, colonos in *Croatoam* ultro commigraſſe: verumtamen & hic oppiduli vallum quidem integrum ſed ædes disjectæ, ferri aliquot fruſta, multaque alia ponderoſa hac illac diſperſa, ciſtæ denique è latebris productæ, & à barbaris ſpoliatæ, triſte colonorum excidium aut præproperam fugam certo arguebant. Itaque *VVithus*, licet obnixe id contenderet, à claſſiariis neutiquam obtinere potuit, ut tantiſper ibidem hærerent, donec & *Croatoan* perluſtraret. Ab eo tempore non reperio Colonos hoſce ab alio quoquam quæſitos, antequam novæ coloniæ in alteram Virginiæ partem, deductæ fuerunt: nec quid illis factum ſit in hunc diem, quod quidem ſciam, conſtat.

DESCRI-

RPJCB



Xuala
Guaxule
Aminoja
Anilco
Guancane
Naguate
Ychiaha
Acoſte
Guacacoya
Coza
Capaha
Utiaunque
Tula
Chaſquin
Colima
Quignate
Chiſca
Chicaſa
Taſcaluſa
Bahia del Spiritu Santo
Achuſi
R. de Flores
R. de Nieves
C. de Cruz
GOLFO DE NOVA ESPAÑA
TROPICUS CANCRI
Milliaria Germanica
WEST


FLORIDA, et REGIONES VICINAE.
Apalatcy Montes
VIRGINIÆ PARS
Coſachiqui
Coſaqui
Coſa
Apalache
Achalaque
Lacus magnus
Oſachile
Vitacucho
Ochile
Matique
Magarqua
Omitaqua
Houſta qua
Onatheaqua
Edelano
Aquera
Eclanou
Enecape
Utina
Potanou
Calami
Mayra
Enecaqu
Mocoſo
Alimacani
Apallou
Timagoa
Iracan
Matiaca
Sarope
Marracoa
Emoloa
Mollova
Sarenala
Satoriova
Owataquaq
Olatacara
Seloy
Halinacani
Anacaroueo
Hoya
Majon
Helicopile
Ovade
Anduſta
Elena
Stalame
Charles fort
Port Royal
R. Iordan
R. Sieco
R. Grande
Gironde
Charente
R. Loire
R. Somme
R. Seine
R. de May
R. de Dolphins
C. Francois
Mucoſo
Hurrihigua
R. del Spiritu Santo
S. Matheo
Barra de S. Matheo
S. Auguſtin
Barra de Moſquitos
Bahia de S. Ioſepho
Tegeſta provinc.
Punta del Canneveral
Bahia de Tampa
Bahia de Carlos
La muſpa
R. Ayz
Canal de Bahama
Martyres
Cabeca de los Martyres
Tortugas
Bahama
Lucayoneque
Mimbres
Iabake
Pracell
Havana
Matança
C. S. Anton
CUBÆ PARS
37
36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
OOST

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER QVARTUS.

FLORIDA.

CAP. I.

Floridæ *provinciarum prima inventio, ſeu expeditio* Joannis Poncii Legionenſis.

VIRGINIÆ quam ſuperiori libro abſoluimus, contigua eſt Florida, vaſtiſſima provincia; in qua quidem luſtranda atque colenda primum Hiſpanorum, deinde & Gallorum labor atque induſtria enituit; verum utrique tam levem nobis, præterquam juxta littora, & tam confuſam maxime in mediterraneis, cognitionem reliquerunt, ut præter inſtitutum hic hiſtoriam rerum geſtarum & itineraria præmittere ſatius exiſtimaverim: in quibus, quantum ad Hiſpanos attinet, Antonii Herreræ potiſſimum decadas ſequar.

Ioannes Poncius Legionenſis novas terras aperire ſatagens, cum tribus navibus, quas viris, commeatu, atque omnibus neceſſariis abunde inſtruxerat, tertio Martii anni cIↄ Iↄ xII ſolvit è portu *S. Germani* in inſula *S. Ioannis de porto rico,* & *Aguadam* primo ſtringens, inde in altum provectus eſt, iter flectendo verſus Corum, & octavo demum ejuſdem menſis, vada quæ *los baixos de Babueca* vocant declinans, Inſulam *de Vejo*, duobus & viginti gradibus & triginta ſcrupulis ab æquatore verſus Arctum ſitam tenuit, proximoque die ſub Lucayarum inſularum una, quam dicunt *Chaicos*, anchoras fixit, & paulo poſt ſub *Yagune*, viginti & quatuor gradibus ab æquatore, (ut ab ipſius naucleris tum notatum invenio) deinceps *Amaguayam* & *Maneguam* prætervectus, attigit *Guanihanem* (quam inſulam *Columbus* primum viſam *S. Salvatoris* nomine inſigniverat) & vigeſimo ſeptimo ejuſdem menſis, inſula hactenus incognita poſt tergum relicta; tertio Aprilis rurſus terram eſt conſpicatus, triginta gradibus & octo ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, & oram illius deinceps legit, portum idoneum perveſtigans. Porro hanc terram Inſulam eſſe ſuſpicatus, FLORIDÆ nomen illi impoſuit, vel à vernanti & amœna terræ facie, vel ut alii prodiderunt, à die quo hanc primum viderat, qui Hiſpanis & Gallis Paſca floridum, Romanis Dominica in Ramis palmarum vulgo appellatur. Atque hic jactis ſub littore anchoris in terram deſcenderunt, partim ut incolas inveſtigarent, potiſſimum autem ut illam ſibi habendam poſſidendamque conſuetis ceremoniis vendicarent.

Octavo deinde ejuſdem menſis, velis explicatis verſus Africum navigarunt, & littora radentes, quum barbaros & illorum tuguriola (quæ *Bohios* vocant,) conſpicarentur, rurſus anchoras jecerunt; poſtero vero die paulum à littore in altum provecti, tantum pelagi refluentis æſtum ſunt experti, ut navigia plenis velis & ſecundo vento impulſas remoraretur, atque ægre in anchoris conſiſtere pateretur. Quumque Hiſpani ab indigenis invitati, in terram exſcendiſſent, barbari primò cymbam ſubducere, remos atque armamenta rapere cœperunt, Hiſpanis nihil contra molientibus, ne ultro gentem irritarent; verum quum illi unum è militibus clava lignea ita afflixiſſent, ut pro mortuo haberetur, ad arma utrimque ventum, duoque Hiſpani vulnerati, prœlium nox ſuperveniens diremit. Hinc ad vicinum flumen aquandi atque lignandi gratia profecti, è ſexaginta barbaris qui illos aliquandiu prohibere nitebantur

tebantur, unum interceperunt ut illo ductore atque interprete deinceps uterentur; Hic crucem lapideam cum inſcriptione ad ripam fluminis poſuerunt, à qua nomen eidem hactenus manſit *Rio de la Cruz.* Octavo autem May, promontorium Floridæ, quod *de Corrientes* vocarunt, octo & viginti gradibus & quindecim ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, prætervecti, pone illud anchoras jecerunt, haud procul ab *Abaioa* pago: Atque inde rurſus moventes verſus Auſtrum, primo duas inſulas obvias habuerunt, (quarum uni *S. Marthæ* nomen impoſitum, ubi & aquarunt) mox etiam plures: & longam veluti ſeriem ſcopulorum potius quam inſularum prænavigantes, ſub una illarum conſtiterunt, quam appellarunt *Polam*, ſex & viginti gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Inter hanc ſcopulorum inſularumve ſeriem & Continentem, pelagus freti in modum vaſtis fluctibus perrumpit: Omnibus autem hiſce ſcopulis tum *Martyrum* nomen inditum, quod rupes paſſim extantes, eminus homines palis ſuffixi viderentur; ſed mali ominis nomen, multorum poſtea naufragia atque exitium, jure meritoque inditum comprobarunt. Poncius deinceps nunc recta verſus arctum, nunc verſus boream provectus, & incolarum ingenia leviter periclitatus, nihilque minus quam Continentem ſuſpicatus, per medias *Lucayas*, ad inſulam *S. Ioannis* unde venerat eſt reverſus.

Ferunt illum imprimis motum fuiſſe, ut hanc navigationem ſuſciperet, vanis multorum barbarorum narrationibus, de fonte Inſulæ *Bimini*, & flumine quodam continentis, quorum aquæ ſenibus priſtinas vires atque adeo juventam poſtliminio reſtituerent; quare & ſtudioſe neque ſine diſcrimine illam inſulam adiit, & ſero animadvertit ſe à barbaris deluſum eſſe.

Cap. II.

Navigatio ſecunda Hiſpanorum in Floridam.

FLORIDA ad hunc modum inventa; Anno demum cIↄ Iↄ XX altera expeditio fuit ſuſcepta à *Luca Vaſquio de Ayllon* Licenciato, qui cum conſortibus ſuis, duas naves inſtruxit ut barbaros è vicinis inſulis ad metalla egerenda raperent & invitos manciparent. Ex è portu *de Plata* ad ſeptentrionalem Hiſpaniolæ oram ſito, verſus arctum navigantes (caſu an ex inſtituto incertum) velificatione ab extimis inſulis *Lucajarum* continuata, tandem ad Continentem Floridæ applicuerunt, triginta & duobus gradibus ab Æquatore verſus ſeptemtriones, tum quidem *Cichoræ* & *Gualdapæ*, nunc vero Promontorii *S. Helenæ* & fluminis *Iordanis* nominibus notam. Barbari indigenę, rem inſolitam, naves onerarias expanſis velis allabentes conſpicati, magno numero ad littus accurrerunt, monſtroſos eſſe piſces opinantes, poſtquam autem viros barbatos & veſtitos exſcendere viderunt, trepidi fuga ſe ſubduxerunt. Hiſpani vero duos eorum è fuga retractos, ſecum in naves abduxerunt & cibo potuque refartos, veſtibuſq; Hiſpanienſibus indutos ad ſuos remiſerunt. Regulus provinciæ, tam peregrinum veſtitum cultumque admiratus, quinquaginta ſuorum cum variis frugibus & annona illius regionis ad naves ablegat; multis præterea Hiſpanorum qui in terram deſcenderant comites adjungit, qui illos per vicinas provincias circumducerent, ubi & hoſpitaliter accepti, & variis muneribus, auro, margaritis, & laminis argenteis fuerunt donati.

Her.d.2. l.10.c.6.

Hiſpani vero, mores indigenarum, cœli ſolique naturam obiter contemplati, poſtquam dolia omnia aqua potabili repleviſſent, ſeque ad deceſſum comparaſſent, plurimos barbarorum in naves ad convivium advocarunt, qui quum fraudis ignari magno numero adveniſſent, illi revulſis anchoris & expanſis velis abitum accelerant; & miſeros illos invitos & nequicquam hoſpitii jura violata obteſtantes, in ſævam ſervitutem abripiunt. Una harum navium periit in mari, altera multis barbarorum partim mærore, partim obſtinata inedia abſumtis, tandem ad Hiſpaniolam rediit, ubi illi qui ſuperfuerant, canibus, avibus & putridis nonnumquam cadaveribus vitam tolerare viſi fuerunt. Immane autem hocce facinus, non modo ſe impune ferre poſſe ſperavit *Vaſquius*, verum & præmium à Rege & novas terras indagandi licentiam, conſuetaſque immunitates impetrare, quarum cauſa in Hiſpaniam navigavit.

Interea

Interea & plures alii Floridam petiverunt & magnum barbarorum numerum inde in ſervitutem abripuerunt. Patuitque tandem Continentem eſſe, non Inſulam. d.3.l.8. c.8.

Vaſquius denique impetrato Regis diplomate: anno cIↃ IↃ XXIV plures naves ad Floridam dimiſit, quæ quum ipſum de ſoli ubertate, auri, argenti, unionumque divite copia, reddidiſſent certiorem; vana ſpe impletus, proximo anno, cum tribus navibus eò contendit: Verum quum Promontorium *S.Helenæ* & flumen *Iordanis* adnavigaſſet, una ſuarum navium ibidem fracta, & ducentis ſuorum quos in terram expoſuerat, magis propria negligentia atque ſupina ſecuritate quam barbarorum fortitudine ad internecionem deletis, voti irritus atque animo æger ad Hiſpaniolam remeavit. 1524.

Hujus expeditionis tam infauſtus exitus, ſpem de immenſis Floridæ divitiis multum imminuit; nam & gentem quam tum viderant, paupellam eſſe conſtitit, & paucas tantum & viliores uniones, ex oſtreis ad ignem dehiſcentibus exemtas, neglectim habere, auri atque argenti pauxillum, neque in ipſorum terris natum, ſed in interiori continente & ſupra ſexaginta leuc. ab ora maritima, verſus ſeptentriones (ut tum creditum) apud *Otapalos* atque *Olagatanos* populos quæſitum; quos metallis omnis generis abundare tum fama erat.

Cap. III.

Tertia Hiſpanorum in Floridam expeditio Anno cIↃ IↃ XXVIII, *duce* Pamphilo Narvæſio.

Pamphilus Narvæſius ſuperiorum infauſto ſucceſſu nihil territus, quum anno cIↃ IↃ XXVI ab Imperatore & Hiſpaniarum Rege Carolo, omnium terrarum à flumine *Palmarum* ad extremos uſque Floridæ terminos detegendarum, præfecturam ampliſſimo diplomate impetraſſet: menſe Martio anni cIↃ IↃ XXVIII, è portu *Xaguæ* ad auſtralem Cubæ plagam ſito, vela fecit, cum quatuor onerariis & una celoce, quibus quadringenti milites & octuaginta equi vehebantur. Hæſit in *Camarreo* vadis claſſis, Navarchi imperitia, ſed nullo inſigni damno accepto, provecta, primò valida tempeſtate apud *Guaniguanigo*, rurſusq; altera juxta Promontorium *de Corrientes* jactatur: dehinc ſuperato *S. Antonii* promontorio, ſeptentrionale Cubę latus duodecim ſupra *Habanæ* portum leucis tenuit, ubi idoneam ab Auſtro auram nacta, felici trajectu Floridam adnavigavit duodecimo Aprilis; Anchoræ in quodam Sinu jactæ, unde tuguria barbarorum in continenti ſita viſebantur, à quibus piſces & ferinam permutatione mercium acceperunt. Poſtero die Præfectus partem copiarum in terram expoſuit, ſed domicilia indigenarum deſerta repperit (quorum unum trecentorum hominum capax videbatur) quumq; inter retia cymbalum aureum deprehendiſſet, ſpei plenus mox reliquas copias & equos, qui jam ad quadraginta & duos pervenerant, deduxit, & terram nomine Imperatoris poſſidendam accepit, conſuetis prius ceremoniis adhibitis: accedebant barbari, verum propter linguæ imperitiam, quid adferrent, haud ſatis conſtabat, niſi quod minitabundi, Hiſpanos ut finibus ſuis excederent, jubere videbantur. Præfectus inde paulum progreſſus, alium ſinum invenit, ingenti ambitu intra continentem receptum; itaque Navarcho imperat ut idoneum portum navibus inveſtigaret; verum ille locorum penitus ignarus, jam ante notum portum quoque erat prætervectus, Deinde quatuor leucas verſus interiora profectus, in barbaros incidit, qui maizium offerebant, apud quos dum abdita perſcrutatur, quatuor thecas ligneas invenit, in quibus cadavera pellibus ferinis tecta & barbarorum in modum picta abſcondebantur, panniculos inſuper lineos & laneos, atque auri ramenta aliquot, quæ barbari ab *Apalache*, longiſſimo intervallo ab ipſis diſſita & auri divite regione, ſe habere teſtabantur. d.4.l.4 c.4. 1528. Apalache.

Præfectus hiſce indiciis in majorem ſpem erectus, copias terreſtri itinere procedere, naves autem littus legendo proſequi præcipit, Theſaurario *Alvaro Nunnezio Cabeca de Vaca* nequicquam refragante. Primo May expedito agmine trecentorum militum, quorum quadraginta equites erant, profectus, duabus libris biſcocti & dimidia laridi in ſingulos milites diſtributis, quindecim dierum iter abſolvit, nulla

annona in illis regionibus reperta, præter palmitos; nullis itidem incolis uſpiam obviis: & ad flumen pervenit, quod partim natatu, partim ratibus ex obvia materie compactis trajecerunt: oppoſitam ripam tenebant barbari, qui Hiſpanos in domicilia ſua abductos, maizio refecerunt. Hic paulum ſubſiſtens aliquot ſuorum ad littus maris requirendum dimiſit, qui reduces ſinum & littus juxta vadoſum atque importuoſum à ſe viſum retulerunt. Hinc quindecim dierum iter progreſſus, nullo ne veſtigio quidem incolarum invento, tandem decimo ſeptimo Junii, Regulum cervino tergore eleganter picto tectum, buccinatoribus præeuntibus & multitudine barbarorum ſubſequente, obvium habuit, cui quum per ſigna expoſuiſſet ſe *Apalachen* petere, ille ſe Apalachenorum hoſtem eſſe viſus eſt reſpondere; & levibus quibuſdam munuſculis donatus, tranſmiſſo altero flumine, illos in pago ſuo, maizio aluit atque ferina. Denique per itinera impeditiſſima, vigeſimo quinto ejuſdem menſis *Apalachen* eſt perventum, oppidumque inopinantibus & imparatis barbaris primo impetu captum: multum ibi maizii, tergora ferarum, pallia è filis texta, aliaque barbarorum ſuppellex direpta: quadraginta tuguriis humilibus & ſtramineis conſtabat hic pagus, adverſus incerta ventorum, qui hiſce locis admodum interdum ſæviunt, egregiè munitus, & altiſſimis præterea montium jugis & profunda uligine undique ſeptus.

Apalache.

Solum omne quod hactenus luſtraverant, planum erat atque arenoſum, juglandibus, lauris, cedris, ſabinis, abjetibus, pinis, aliiſque arboribus paſſim obſitum, & humilioribus palmitis; multis ſtagnis riguum, & procumbentium præ ſenio, aut vi tempeſtatum proſtratarum arborum truncis impeditum; feræ innumeræ, cervorum tres ſpecies, cuniculi, lepores, urſi leoneſque ea nemora pererrant: regio frigidior quidem eſt, ſed lætis paſcuis abundans.

Viginti quinque diebus, quos hic ſunt morati, bis inopinato incurſu ſunt territi, barbaris ſe intra paludem recipientibus: ter in varias partes digreſſi, ut vicinas provincias luſtrarent, nihil præter impedita itinera, & indigenas omnium rerum egenos offenderunt. Regulus quem in vinculis cuſtodiebant, ſuum municipium, omnium hujus regionis longe maximum, ulteriores provincias longe infrequentiores incolis, & deteriore ſolo eſſe commemorabat; veruntamen novem dierum itinere verſus Auſtrum, aliud occurrere municipium, *Aute* nomine, cujus incolæ ipſius eſſent confæderati, & annona aliiſque rebus neceſſariis abundarent, utpote mari viciniores.

Hiſpani harum regionum inopiam conſpicati, & barbarorum injurias, qui equos illorum noctu ex inſidiis mactabant, non ultra ferentes, in animum inducunt iter verſus mare flectere. Magno cum diſcrimine iter octo dierum factum, barbaris ubique magno impetu (ſunt enim vaſtis corporibus & inſigni ſagittandi peritia præditi) illos oppugnantibus, & pari corporum agilitate ſeſe intra ſaltus & paludes recipientibus; ad *Auten* quoque certamen haud incruentum fuit, aliquot militum deſideratis; tamen loco potiti, magnam copiam mayzii, piſorum, cucurbitarum & ſimilium fructuum invenerunt. *Cabeca de Vaca* à Præfecto miſſus ut littus maris viſitaret, & poſt triduum reverſus, triſtem & ſquallidam regionis faciem, reductos intra terram ſinus & mare remotius renunciavit, militibus jam plus ſatis afflictis. Nec jam equi ferendis ægris ſufficiebant, quum (quod unicum ſupererat) deſerto *Aute* verſus mare moverunt; & aliquot cymbas fabricare aggreſſi, licet omnium rerum inopes, quinque ante vigeſimum Septembris utcunque perfecerunt: funes ex equorum ſetis contorquent, uterculos ex tergoribus conſuunt ad aquam conſervandam, vela induſiis ſuis inſtruunt, cæteraque expediunt ad eundem modum, prout aut ſors aut induſtria adjuvabant; nec dum à barbarorum inſultibus immunes, qui decem hic milites trucidarunt.

Aute.

Secundum ipſorum calculum, à ſinu *S. Crucis* ubi primum terram attigerant, ad hunc locum ducentarum & octuaginta leucarum iter abſolverant. Vigeſimo ſecundo Septembris naves ingreſſi ſolverunt, & poſtquam ſeptiduum inter ſinuum receſſus, viarum ignari oberraſſent, nullo dum mari viſo, inſulam habuerunt obviam, ubi lintres quinque & piſces ad ſolem ſiccatos acceperunt; & fretum quod inſulam à Continenti exiguo intervallo dividit, emenſi (nomen *S. Michaëlis* huic inditum) littus legendo iter recta verſus flumen Palmarum dirigunt: laborabant interim aquarum penuria

penuria, nec barbaros offendebant præterquam paucos, & piſcatu inopem vitam miſerrime tollerantes. Deinceps promontorium obvium non ſine ſummo diſcrimine ſuperant & aliquot ſociis largiore maritimæ hauſtu extinctis, rurſus Continenti ſe applicant, ubi primum à barbaris peramice hoſpitio excepti & potu, piſcibuſque coctis refecti, deinde nocturnis inſidiis petiti & pene oppreſſi, Regulo elapſo, & præfecto vulnerato, trepidè & cum ſummo periculo cymbas repetunt. Trium deinde dierum itinere provecti, eadem aquæ potabilis inopia preſſi, rurſus ad continentem appellunt: accurrunt incolæ & obſidibus utrimque datis & acceptis, aquandi opportunitatem Hiſpanis ultro oſtendunt: haud ſegnius tamen paulo poſt & obſides illorum retinent & ſuos ferociter repoſcunt. Gens erat ſtatura grandiori, quam quos hactenus viderant, promiſſis crinibus atque ſolutis; Reguli illorum ditibus martium pellibus erant amicti. Statio hic erat navibus admodum infida, itaque extremo periculo prævertendum rati, paululum provehuntur, ſed mox cymbis vi ventorum in diverſa abreptis, & ſingulis pro virili in anteriora tendentibus, una qua Theſaurarius *Cabeca de Vaca* vehebatur, (cui hæc narratio debetur) hæſit vado, atque ipſe cum ſuis comitibus in Inſulam, ut poſtea patuit, exſcendit, *Malhado*, quaſi dicas infortunatam, ab ipſis nuncupatam: Incolæ circiter centum primo in ipſos impetum fecerunt, verum mox blandimentis & munuſculis quibuſdam deliniti, piſces aliaque edulia liberaliter contulerunt: Et quum poſtea Hiſpani cymbam apud Inſulam hanc miſere fregiſſent, & armis, veſtibus, cæteriſque rebus mari hauſtis, ipſis ad extremam calamitatem jam nihil deeſſet, illos in ſuis tuguriis tantiſper aluerunt, donec & ipſiſmet victus deficeret: itaque Hiſpani fame efferati, horrendum dictu, ſociorum carnibus veſci cogebantur, donec ex octuaginta tantum quindecim ſupereſſent. Horum quatuor *Cabeca de Vaca*, *Caſtillo*, *Orantes*, & *Eſtavenico* poſt longos errores & varios caſus, quos hic referre nimis longum eſſet, tandem pervenerunt in Mexicanam provinciam: ubi cæteræ cymbæ perierint, aut quis exitus ipſum Præfectum tulerit, haud conſtat. Atque hic fuit exitus tertiæ hujus Hiſpanorum expeditionis in Floridam.

Cap. IV.

Quarta & maxime memorabilis Expeditio Hiſpanorum in Floridam, duce Hernando à Soto, *anno* cIↃ IↃ XXXIX *inchoata.*

POST ſuperiorem Pamphili Narvæſii infelicem ſucceſſum, navigatio in Floridam aliquandiu fuit intermiſſa, & anno demum cIↃ IↃ XXXVIII cœpit reſtaurari, quo *Hernandus à Soto*, Floridæ luſtrandæ & ſubjugandæ licentiam, una cum Præfectura Inſulæ Cubæ ſpeciali diplomate ab Imperatore impetravit. Is neceſſariis omnibus mature præparatis, & trecentis quinquaginta equitibus, nongentis peditibus (præter magnum navalium Sociorum numerum) in naves impoſitis, duodecimo May Anni cIↃ IↃ XXXIX ſolvit ex *Havanæ* portu, & ſub finem ejuſdem menſis anchoras jecit in Sinu *Spiritus Sancti*, ad Floridæ continentem, ibidemque è veſtigio trecentos milites expoſuit in terram, qui nullis barbaris conſpectis ſecure ſe ſomno dederunt; verum ſub auroram maxima indigenarum multitudo tam inopinato in illos incubuit, ut loco cedere & mare trepidantes repetere cogerentur, actumque haud dubio de ipſis fuiſſet, niſi è navibus opportune ipſis fuiſſet ſubventum. Expoſitis dehinc cæteris copiis, duas leucas verſus interiora continentis caſtra promovit, ad pagum *Hirrihiaguæ* Reguli, qui jam ad montana ſe ſubduxerat, metuens ne eorum quæ crudeliter in *Narveſii* milites, & imprimis *Ioannem Ortizium* (qui etiamnum ſuperſtes hoſpitio *Mucoſi* reguli utebatur) admiſerat, pænæ à ſe repoſcerentur. *Mucoſus* interim hunc *Ortizium* cum quinquaginta ſuorum ad Sotum mittit, pacem poſtulatum. Hujus adventus Præfectum ſupra modum exhilaravit, nam licet ille haud longe à littore intra continentem penetraſſet, tamen certa fama ſe accepiſſe narrabat, eximiam eſſe mediterraneæ regionis fertilitatem juxta atque amœnitatem.

[Margin: Her.d.6. l.7.c.9. — 1539. — Sinus Spirit.S. — Hirriagua.]

Præfectus his acceptis progrediendi certus, onerarias omnes, quatuor ſolummodo

 exceptis,

exceptis, dimittit, ut militibus omnem deſcendendi facultatem & ſpem penitus adimeret: dein *Hirrihiaguam* ad amicitiam & ſocietatem nequicquam pellicere conatus, ſexaginta equites & totidem pedites ad *Virribaracuxi* Regulum, qui *Mucoſo* proximus agebat, præmiſit; ſed & ille cum omnibus ſuis in aſpera & montoſa loca confugerat, neque ullis blandimentis poterat revocari. Hæc provincia multis agreſtibus vitibus, juglandibus, moris, ceraſis, pinis, quercubuſque paſſim erat conſita, virebatque lætiſſimis campis. Præfectus poſtquam id cognovit, *Calderone* cum quadraginta equitibus apud naves relicto, & prius monito ne quid damni indigenis ultro inferret, cum reliquo exercitu, per *Mucoſi* provinciam, iter inſtituit verſus boream, nullis certis indiciis itinera ſua conſignans, magno in futurum errore. Quum *Virribaracuxi* ditionem eſſet ingreſſus, nihil intentatum reliquit, quo Regulum permulceret, ſed fruſtra. Hinc vaſtæ uligines, quæ leucam in latitudine patebant, ægrè toto biduo ſuperatæ, inſultantibus undique barbaris; quorum quum aliquot cepiſſent, qui ſe iter commonſtraturos promittebant, pene in inſidias & impeditiſſima loca præcipitarunt; quod quum Præfecto innotuiſſet, barbaros fraudis manifeſtos canibus dilacerandos objecit; & ab alio qui ſimile exitium metuebat, in patentiorem ſemitam reductus, in *Acueræ* provinciam, (altera uliginoſa palude ſuperata per ſublicium pontem,) pervenit, hujus Regulus oblatas à Præfecto pacis conditiones repudiabat arroganti hoc reſponſo, bellum ſe cum vagis hominibus malle, quam pacem: viginti dies hic ſubſiſtens quatuordecim ſuorum amiſit, quinquaginta hoſtium occidit. Dein *Acueræ* provincia pene intacta, recta verſus aquilonem & *Ocaliæ* limites promovet (fertilis erat illa regio, neque ullis paludibus impedita) & itinere viginti leucarum abſoluto, ad *Ocalin* pagum pervenit: Conſtabat is ſexcentis pene caſis, & maizy, leguminum, glandium atque juglandium copia præcellebat; Regulus autem ad montana profugerat; ſed tandem animo paululum confirmato deſcendit ad Præfectum, & ſe ducem itineris præbuit: verum quum ad ripam cujuſdam fluminis caſtra poſuiſſent, ut pontem molirentur, circiter quingenti barbari, ex adverſa ripa, ingentem ſagittarum multitudinem effuderunt in Hiſpanos: rogatus autem Regulus, quare illius ſubditi ipſo præſente talia auderent; dicto minus audientes ſibi eſſe reſpondit, quod ipſis inconſultis cum advenis conveniſſet, quare dimittitur ad ſuos, ut ipſorum animos Hiſpanis conciliaret, verum nihil æqui ab ipſis impetrare potuit, & redire neglexit.

Virribaracuxi.

Mucoſus.

Acuera.

Ocalia.

Ponte jam parato copiæ traductæ, quæ duces itineris nactæ, poſt ſedecim leucarum iter in *Vitacuchi* provinciam penetrarunt: Ea circiter quinquaginta leucas patebat, & tum à tribus fratribus diviſim regebatur. Quorum unum cum pago ſuo *Ochile* (ſemel autem monendum, regulos & pagos hic uno atque eodem plerumque nomine cenſeri) quum ex itinere intercepiſſent & liberalius haberent, ad vallem amœnam & ædificiis hac illac ſparſis bene cultam, ab ipſo ſunt deducti. Regulus inſuper ad fratres ſuos mittit rogatum, ut Hiſpanis iter per ſuas provincias concederent, nulli quippe damnum inferre, neque quicquam præter annonam & tranſitum petere: Alter fratrum humaniter annuit; verum *Vitacuchus* qui ætate & potentia præcellebat, præferociter negavit, exitium Hiſpanis comminatus, ſi ſe invito provinciam ingrederentur; mox tamen mutata voluntate cum quingentis ſuorum Præfectum ſponte inviſit: Promota itaque ad pagum *Vitacuchum* caſtra, qui circiter ducentis ædificiis conſtabat, longe pluribus per campeſtria longe lateque ſparſis. Regulus Hiſpanos hic incautos opprimere meditabatur, verum inſidiæ ab interpretibus ſunt detectæ, multi barbarorum cæſi, ipſeque Regulus cum aliquot millibus ſuorum captus, & quum laxius habitus, denuo in Hiſpanorum necem conſpiraſſet, cum omnibus ſuis ad internecionem eſt cæſus.

Vitacuchi.

Ochile.

Oſachile.

Caſtra de hinc ad *Oſachilen* mota & fluvius ponte ſuperatus, perventumque ad ſata maizii, barbaris è tuguriolis ſuis in Hiſpanos ejaculantibus: Pagus ab incolis deſertus, neque ullis mediis permoveri potuit Regulus, ut rediret: Itaque crebreſcente jam *Apalaches* fame, bidui tantum mora ibidem facta, progrediuntur; etenim jam tempus admonebat de Hybernis cogitare. Duodecim dein leucis per deſertum ægre confectis & uliginoſa palude cum aliquot militum exitio ſuperata, invius & impeditus occurrit ſaltus, quem magno labore penetrarunt, rurſuſque ad

ad Campeſtria ventum, & in mayzii ſatis, quæ ad *Apalachen* pertinebant, caſtra metata: & mox crebris barbarorum incurſibus & viarum difficultatibus mirum in modum delaſſati, duabus leucis à loco, ubi *Capaſius* Apalaches Dominus cum valido exercitu ipſos operiebatur, conſederunt: Regulus non expectato ipſorum adventu cum ſuis propere aufugit, neque unquam potuit deprehendi aut revocari. Hic pagus circiter ducentis domiciliis conſtabat, præter multa tuguriola per campos ſparſim extructa: Temperies cœli commoda hic erat, ſolum fertile & mayzii atque leguminum feraciſſimum, amnes piſcoſi, indigenæ robuſti & bellaces. Paucorum dierum quiete capta, Præfectus ſuos in diverſas partes dimittit. Qui ad ſeptentriones ſpeculatum exierant, terram uberem, cultam, populo frequentem, nullis montibus aſperam, nullis paludibus inviam ſe reperiſſe, neque quicquam incommodi ab indigenis ſe paſſos, retulerunt: qui vero ad Auſtrum, terram aſperam & triſtem aſpectu, cultuque, & haud dubio illam, quam *Cabeca de Vaca* notaverat. [Apalache.]

Menſis October jam aderat, itaque Præfectus hic hybernare conſtituens, annonam congerere & locum munire aggreditur, *Capaſio* de pace nequicquam interpellato: *Annaſcum* cum triginta equitibus ad naves dimittit, ut reliquas copias adduceret; interim Regulus in loco arduo & munito intercipitur, ſed negligentius cuſtoditus elabitur, neque poſtilla potuit deprehendi. *Annaſcus* maximo itinere undecim diebus confecto ad *Calderonem* pervenit, uno tantum à ſuis amiſſo: & depoſitis apud Regulum *Muſcoſum* impedimentis & reliquo comeatu, *Annaſcus* quidem cum duabus celocibus ad *Autes* ſinum, quem nuper detexerat, navigavit, & ſubmiſſis à Præfecto auxiliis, incolumis in Hyberna rediit; [Autes.] *Calderon* autem cum ſeptuaginta equitibus & quinquaginta peditibus terreſtri itinere *Apalachen* petens, centum & triginta quinque leucas nullo impediente confecit, ad Apalachenorum paludem uſque; dehinc crebris barbarorum inſidiis exceptus & duodecim è ſuis deſideratis pervenit *Apalachen*. *Didacus* deinde *Maldonatus* à præfecto juſſus cum celocibus oram verſus occaſum luſtrare, & intra duorum menſium ſpacium, cum littorum, ſinuum, promontoriorum, portuum denique accurata deſcriptione reverti, haud ſegniter illud præſtitit & præſcripto tempore reverſus, ſexaginta verſus occaſum ab *Aute* leucis peropportunum portum, *Achuſi* nomine, ſe perluſtraſſe retulit. [Achuſi.] Hinc ad inſulam Cubam atque uxorem Præfecti mittitur, ut ea quæ hactenus geſta erant nuntiaret, potiſſimum autem ut *Achuſi* portus fama, quamplurimos ad familias ſuas eo traducendas permoveret.

Præfectus denique totum hybernum tempus in indagando ulteriorum verſus occidentem provinciarum ſtatu impendens, ita ex barbaris mercatoribus comperit, tredecim aut quatuordecim dierum itinere abeſſe provinciam *Coſachiqui*, auro, argento & unionibus opulentam; [Coſachiqui.] quam quum milites jam ſpe devoraſſent, ægre hybernorum moras tolerabant.

Cap. V.

Expeditionis Hernandi à Soto *progreſſus, & annus ſecundus.*

POSTQVAM *Hernandus à Soto* Apalachæ hibernaſſet, primo iter ad Septentrionem inſtituit per eandem provinciam, & tertio demum die pervenit ad locum juxta paludem munitum, paucis ſuorum, à ferocibus & bellicoſis barbaris, interfectis: deinde biduum progreſſus provinciam *Atalpahæ* ingreditur, [Atalpaha.] ubi primum quidem pagum repperit deſertum, ſed placatis barbaris, peramice in poſterum fuit ab ipſis exceptus. Inde decem dierum itinere adverſo flumine juxta ripas aſcendens, ſolum fertile & quietas gentes peragrando, *Achalaqui* provinciam adiit, [Achalaqui.] aſperam, infecundam & cultoribus infrequentem; pauciſſimi ibi adoleſcentes, plures ſenes invalidi & oculis caligantes reperti: Properatum hinc ad *Coſachi* provinciam: [Coſachi.] ea duorum germanorum fratrum *Coſæ* & *Coſachi* parebat imperio, à quibus perhumaniter ſunt ſuſcepti: *Coſachi* inſuper quatuor millia ſuorum qui impedimenta bajularent, totidemque bellatores Hiſpanis adjunxit, qui illos per deſertum, ſeptem dierum itinere, in *Coſachiqui* provincias deducerent: Tridui iter emenſi deſertum intrant, & via commodiſſima ſex diebus profecti (duobus interea validis & rapidis flumi-

fluminibus trajectis) ſeptimo demum die, quum jam ad latæ illius viæ finem perveniſſent, & ipſi conductores locorum ignari, qua tendendum eſſet, hæſitarent, magna totius exercitus perturbatio facta eſt; auxit dein ſollicitudinem occurrens flumen, altum & vadi expers. Itaque ſpeculatores in quatuor partes dimittere viſum fuit; quorum tres nihil certi retulerunt; *Annaſcus* autem qui cum mille barbaris, adverſo flumine inceſſerat, in pagum incidit ad ripam fluminis conſtructum; cujus rei dum Præfectum per nuntios certiorem facit, interea barbari auxiliares crudeliſſime Coſa-chiqui. in hujus & vicinorum pagorum (qui omnes de provincia *Coſachiqui* erant) incolas ſævierunt, ad unum omnes mactando, cœmiteria ipſorum deſtruendo & crania ſpoliorum loco abripiendo: Quod quum Præfectus ſuperveniens comperiſſet, immanitatem barbarorum deteſtatus, conſultius exiſtimavit eos domum remittere, quippe potius pacifice quam hoſtiliter vicinas provincias ingredi ſua intereſſe exiſtimabat.

Annaſcus, qui primum agmen ducebat, binas circiter leucas progreſſus, quum pagum ad ulteriorem fluminis ripam conſpexiſſet, conſtitit Præfectum operiens; qui adveniens, ſex è primoribus barbarorum, qui in adverſa ripa ſe objecerant, ad ſe pellexit; qui quum illum pacifice per provincias incedere, neque quicquam præter annonam petere intellexiſſent, Dominæ ſuæ (nam à Virgine regebantur) id ſe renunciaturos receperunt: neque illa ad Præfectum venire detrectavit, ſed & munera, prægrandes uniones & Rubinum aureo annulo incluſum obtulit; & licet ſubditi illius ipſi annonæ penuria laborarent, tamen dimidiam penu ſui partem liberaliter daturam pollicita, exercitum in oppoſitam ripam traducendum curavit: Mater vero hujus vidua, quæ duodecim ab hoc loco leucis agebat, à filia invitata, non modo venire detrectavit, ſed & filiam graviter increpuit, quod ipſa inconſulta, peregrinos hoſce tam facile in provinciam ſuam admiſiſſet.

Porro hæc regio peramœna quidem erat, ſed auri inops, æris modica, quod colore rutilo pene aurum æmulabatur; Unionum copia ingens, quarum quantum vellent è monumentis ſuorum majorum ultro Domina indulſit. Miniſtri regii qui Præfectum comitabantur, brevi tempore corraſerunt viginti Arrobas (pondus eſt Hiſpanicum viginti & quinque libras noſtrates aut circiter appendens) Præfecto multum refragante, qui duas tantum arrobas Havanam mitti ſatius exiſtimabat; Erant autem inter eas quæ piſa magnitudine ſuperarent: Par pene unionum copia in vicino pago, cui *Tolomeco* nomen, in Reguli monumento reperta, & lineæ veſtes, ſpiculaque cum æneis cuſpidibus in ambitu diſpoſita: quorum omnium quoque quintam partem quæ Regi è præda debebatur, iidem miniſtri abduxiſſent, niſi Præfectus tutius hic veluti deponi ipſis perſuaſiſſet.

Coſachique digreſſi ob annonæ difficultatem, in duo agmina ſe dividunt, quorum unum Præfectus ſibi ducendum ſumſit, alterum attribuit *Balthaſari de Gallegos*: Chala-que. Provinciam autem *Chalaquen* petentes, tam horribilis tempeſtas magno cum ventorum impetu, tonitrubus & monſtroſæ magnitudinis grandine, afflixit, ut omnibus pereundum fuiſſet, niſi arborum denſitate fuiſſent tecti.

Xuala. Sexto die ad *Xualæ* vallem perventum uberem atque amœnam.

Antequam autem progrediamur, breviter itinerum rationes ſubducendæ ſunt; flumen quod *Coſachiqui* provinciam ſecat, rei nauticæ periti, in Oceanum Septentrionalem effundi & ad oſtium *S. Elenæ* nomine appellari judicabant; rationibuſque itinerum ſubductis, quatuor leucis unius diei itineri imputatis, ab *Apalache Xualam* uſque ducentas ſexaginta leucas ſe progreſſos, compererunt, quibus ſi addas centum & quinquaginta à ſinu *Spiritus Sancti* ad *Apalachen* fient in univerſum quadringentæ & decem leucæ. In provincia *Coſachique* multa mancipia peregrina deprehenſa & quidem altero crure ſubnervato, ne facile aufugerent. Perquiſita autem ab Hiſpanis diligentiſſime vidua illa, de qua ſupra, quia magnam vim Margaritarum penes ſe habere ferebatur, nondum perforatarum; nam quum barbari illas ſtilis æneis ignitis terebrarent, omnem ſplendorem atque elegantiam ipſis deperire neceſſe erat. Hanc narrationem à Monacho Franciſcano in urbe Mexicana, ex Tribuni cujuſdam ore, qui expeditioni interfuerat, exceptam, ſupremoque Indiarum Senatui in Hiſpania oblatam, teſtatur *Antonius Herrera*, credo ut fidem ſuam liberet, nam multa hic & alibi ab ejuſmodi fraterculis narrata invenimus, quæ difficulter invenient fidem.

Cap. VI.

Hernandi à Soto *in interiores Floridæ provincias progreſſus.*

POSTQVAM Hiſpanorum exercitus quindecim diebus in valle *Xualæ* (quæ ad *Coſachiques* ditionem pertinet) quieviſſet, ut equos pabuli abundantia reficerent; hinc iter egerunt uno quidem die per loca culta & fertile ſolum, quinque autem ſequentibus diebus per montes ſaltuoſos, arboriferos, ſcatebriſque aquarum riguos, nec ulla hominum induſtria cultos. Patere viſi in latitudinem leucas viginti: Domina autem *Coſachiques* quatuor è proceribus ſuis ad *Guaxalæ* Regulum præmiſerat, qui tutum Hiſpanis tranſitum impetrarent, ni faceret, bellum ipſi minitans. Itaque *Guaxalæ* quatriduum morati, quinto die *Ychiaham* venerunt, pagum ſitum [Ychiaha.] in Inſula, quam amnis utrimque quinque leucarum ſpacio in longitudinem complectitur. Hic quum Præfectus indicio Reguli cognoviſſet, triginta ab hoc pago leucis, abeſſe roſcidi metalli venas, aurum ſuſpicatus, *Ioannem de Villalobos* eo deſtinat; qui redux æris eſſe metalla retulit, cæterum regiones fertiles & amœnas, populoſque hoſpitales. Ibidem præter Margaritarum parem pene copiam, etiam oſtrea inventa in quibus generantur, ſed deerat aperiendi induſtria, itaque ad ignem admotis ſplendor ille nativus ipſis unionibus deperibat.

Ychiaha dein mota caſtra ad *Acoſten*; & mox flumen trajectum, atque in *Cozæ* [Acoſte.] provinciam ventum fuit, admodum late patentem: juxta præcipuum provinciæ pagum, [Coza.] obvium habuere Regulum cum mille barbaris qui inſigni plumarum varietate ornati erant & ditibus ferarum exuviis veſtiti. Pagus ad ripam fluminis quingentis conſtabat ædificiis, ſolum eximia ubertate longe anteibat vicinas provincias; nec tamen Præfectus licet rogatus à Regulo hic voluit hibernare, proponens iter verſus mare flectere & *Achuſi* portum petere, uti commerciorum ex inſulis opportunitate frui poſſet. Quinque ergo dierum itinere pervenerunt *Taliſſam*, pagum munitum [Taliſſa.] vallo è ceſpitibus & tranſverſis tignis conſtructo, in finibus *Taſcaluzæ* Reguli, cum quo *Coza* bellum gerebat, qui cum Hiſpanis huc uſque proceſſerat ut inimicum territaret. Occurrit hic ipſis *Taſcaluzæ* filius, octodecim annorum adoleſcens, verum tam vaſto corpore, ut proceriſſimos Hiſpanorum toto pectore ſuperaret, qui pacem parentis nomine promittebat: Mox ipſe *Taſcaluza* gigantea magnitudine advenit, qui Præfectum magnifice ſuſcepit & exercitum benigne annona juvit, porroque deduxit; Inde flumen ſatis amplum, ratium inopia, non ſine diſcrimine trajectum. Hic *Ioannes de Villalobos* cum altero quodam milite in tranſitu deſideratus, unde ſuſpicari ſubiit ab indigenis trucidatos, idque eo magis, quod barbari de iſtis interrogati ferocius reſponderent, & quærerent num ſibi cuſtodiendos tradidiſſent? Itaque Præfectus quoſdam *Mavilam* mittit, quæ leucam aberat, qui deſideratos require- [Mavilã.] rent, (quippe Regulus majores copias illo loco coëgerat, ut Hiſpanos tutius, ita videri volebat, conduceret) at illi locum luſtrantes, munitiorem eſſe quam ad huc in Florida vidiſſent, renuntiarunt. Ventum deinde ad locum, qui octuaginta domiciliis conſtabat, ita amplis ut mille hominum capacia viderentur; erat enim in planicie conſtructus & vallo è tranſverſis tignis & ingeſta terra muri inſtar munitus; octuaginta autem paſſuum intervallo turres eminebant, in quibus octo propugnatores poterant conſiſtere; duæ tantum portæ aditum præbebant, in medio patebat ingens area, in qua Regulus Præfecto domicilium aſſignavit. Deſignaverat animo Barbarus Hiſpanos omnes non opinantes opprimere & ad internecionem delere, atque in hunc finem ingentem ſuorum multitudinem exciverat; itaque ex improviſo à ſeptem millibus impetus in Hiſpanos factus, qui illos ſtatim è municipio propulerunt: redintegrant pugnam Hiſpani, & proruto vallo, irrumpunt in municipium, incendunt ædes, & magnam ubique edunt ſtragem; undecim pene millia barbarorum hic cæſa ferunt & inter eos Regulum, & filium illius; nec Hiſpanis incruenta victoria fuit, Præfecto vulnerato & octuaginta & tribus militibus deſideratis, qui partim in prælio cæſi, partim poſtea è vulneribus interierunt; quadraginta equis & impedimentis fere omnibus in ipſo municipio incendio abſumtis.

Præfectus, uti ante diximus, ſtatuerat urbem condere juxta mare, ad *Achuſi*

 portum,

Chioza. Chicoza.

portum, itemque alteram viginti à portu leucis intra continentem ,ſed milites retragabantur,cauſati,pauciores ſe eſſe quam ut tam ferocibus & bellicoſis indigenis poſſent reſiſtere, neque ullum tantorum periculorum ſatis dignum præmium uſquam apparere, nullis dum auri argentive metallis tam vaſto terrarum tractu repertis. Quamobrem Præfectus animo æger (ingentes etenim opes in hanc expeditionem profuderat) & metuens ne ubi ad maritima loca reditum eſſet à ſuis deſereretur,iter alio convertit, & trium dierum itinere ad *Chiozæ* provinciam tranſiit, infeſtis undiquaque barbaris & fluminis tranſitum ſatagentibus impedire: Id altis & præruptis ripis, tandem ratibus ægre trajecerunt. Quatridui dein itinere venerunt *Chicozam*, locum amœnum inter rivulos & arborum fructiferarum lucos, ubi hibernare conſtituerunt, annona omni quam corradere potuerant in unum congeſta. Duobus pene menſibus barbari nihil hoſtile moliti, tum demum Hiſpanos primum noctu terrere,dein totis viribus oppugnare cœperunt,& ignita jacula in caſas quæ ſtramentis contectæ erant,jacere,quæ ſubito flammas conceperunt.Verum Hiſpani eruptione facta ſtatim hoſtes propulerunt; quadraginta milites hic deſiderati; equi quinquaginta, magnam partem intra ipſa munimenta flammis hauſti; porci quoque pene omnes amiſſi, paucis exceptis, qui ſepta conflagrantium hararum perruperant.

Chicacolla.

Hiberna dein *Chicacollam*, quæ leucam aberat, tranſlata, ob paſcuorum opportunitatem, ubi reliquam hyemem miſerrime exegerunt, nam pene nudi erant, frigus autem ſolito intenſius, & quotidie infeſtabantur à barbaris.

Alibamum.

Sub finem Martii ex hibernis moventes, poſtquam circiter quatuor leucas proceſſiſſent, monentur à præcurſoribus, munitionem in propinquo eſſe, *Alibamum* nomine, quæ à quatuor millibus barbarorum teneretur; hanc Hiſpani magno impetu aggreſſi, expugnant & duo millia hoſtium cædunt, paucis ſuorum deſideratis. Jamque ſalis penuria laborare inceperant, & febribus tentari, è quibus quotquot moriebantur, eorum cadavera graviſſimum & intolerabilem fœtorem de ſe ſpargebant: ſed docuerunt illos barbari herbas quaſdam urere & è cineribus lixivium conficere, quo pro muria uterentur; licet interpretum inopia fieret, ut barbarorum ſermones parum intelligerentur.

Chiſca. Caſquin. Capaha.

Tridui porro itinere ab *Alibamo* verſus ſeptentriones venerunt *Chiſcam* ad ripam ingentis fluminis (quod ob eam cauſam *Grande* appellarunt) & municipium inopinato aggredientes, multos barbaros ceperunt, reliquis ſe recipientibus in Reguli ædes, quæ in edito & prærupto colle ſitæ difficulter adiri poterant: pace deinde facta, plurimum annonæ à barbaris impetrarunt. Inde quatriduo ſecundum ripam fluminis progrediuntur, nam præaltæ ripæ tranſitum negabant, donec Regulus illius provinciæ, duabus ratibus paratis, trajiciendi copiam fecit, barbaris qui ad adverſam ripam degebant fruſtra impedire conatis. Tranſmiſſo flumine & quatridui itinere abſoluto, municipium occurrit quadringentarum caſarum, in edito colle juxta ripam fluminis ſitum, quod *Caſquino* Regulo parebat. Hic Hiſpanos perbenigne excepit, quippe quum cum vicino Regulo *Capaha* bellum gereret, advenarum auxiliis hoſtes ſuos opprimere ſe poſſe ſperabat. Poſtquam igitur ſex diebus hic corpora curaſſent, iter proſequuntur, *Caſquino* cum quinque millibus ſuorum comitante, & tridui itinere ad locum paludoſum, eoque emenſo, poſt alterum triduum in conſpectum *Capahæ* ventum: erat autem locus & natura & arte munitiſſimus, nam tria latera tegebantur foſſa altiſſima & quadraginta decempedas lata, quam fluminis unda implebat; quartum ligneo vallo ſeptum erat. *Capaha* tam inopinato hoſtium adventu territus, lembo in proximam inſulam quam muniverat evaſit; in reliquos à *Caſquinatibus* crudeliſſimè ſævitum. Quumque *Capaha* pacem à Præfecto oblatam ſpreviſſet, compluribus lembis, quos Caſquinates adduxerant, impetus in Inſulam factus & aditus ad illam ab Hiſpanis captus: verum Caſquinatibus cum quadraginta lembis turpiter fugientibus, Hiſpani pacem cum Capaha fecerunt, & mox Regulos inter ſe reconciliarunt.

CAP.

Cap. VII.

Expeditionis Hernandi à Soto *progreſſus, uſque ad illius obitum.*

SALIS inopia exercitum graviter affligente, tandem indigenarum indicio innotuit, leucarum quadraginta itinere abeſſe provinciam, quæ non modo ſale ſed & auro abundaret, ad quam duo Hiſpani cum aliquot barbaris dimiſſi ut rei veritatem indagarent. Hi undecimo die reverſi, ſalis duriſſimi & inſtar cryſtalli pellucidi, quantum ſex viri, æris autem abſolutiſſimi, quantum unus ferre poterat, attulerunt: ſeque per regiones aſperas & incultas iter habuiſſe ſunt teſtati.

Præfectus autem *Caſquinum* reverſus, iter flexit verſus occidentem, (nam à *Mavila* hactenus iter inſtituerat recta verſus Arctum) & quinque diebus ſecundo flumine deſcendens ingreditur provinciam *Quiguatæ*; ibique ſeptiduum moratus, eodem tramite, quinto die pervenit *Colimam*, ubi & amice à barbaris fuit acceptus, & alterum invenit flumen; quia autem Salis copiam hic invenerant, provinciam hanc *de la Sal* nominarunt. Hinc per deſertum quatriduo progredientes, venerunt *Tulam*; & barbarorum inſidiis detectis plurimos illorum occiderunt. Hic multa vaccarum tergora, haud male præparata, invenerunt, indigenis unde iſta haberent prodere pertinaciter recuſantibus. Quiguata. Colima. Tula.

Bidui deinde itinere *Vitanguæ* provinciam adierunt, & locum vacuum nacti (nam incolæ profugerant, Hiſpanoſque carpebant ex inſidiis, ita ut non levis perturbatio in caſtris accideret) eo quod hyems jam propinqua erat, & regio annona & paſcuis abundabat, hic hibernare conſtituerunt. Annus jam agebatur milleſimus, quingenteſimus quadrageſimus primus. Indigenæ nullis mediis ad pacem colendam cogi poterant, ſed Hiſpanos, venatione cuniculorum (qui hic optimi & frequentiſſimi) occupatos, è latibulis ſuis impetebant ſagittis, plurimoſq; vulnerabant; hyems autem gelida erat & admodum nivoſa; tamen nuſquam commodius hybernatum, tanta erat annonæ copia & lignandi opportunitas. Et licet Regulus in omnes occaſiones intentus eſſet, omneſque opportunitates captaret Hiſpanos opprimendi, nullum tamen gravius incommodum Præfecti vigilantia acceptum. Vitangua.

In provincia *Naguatex* excurſio facta, multique mortales in captivitatem abducti. Menſe denique Aprili ex hibernis digreſſi, ſeptimis caſtris ad præcipuum provinciæ *Naguatex* municipium pervenerunt, per uberrimos campos ſine ullo incommodo profecti, ibique ſedecim dies ſubſtiterunt, annonæ copia allecti. Dum hic morantur, *Didacus Guzmanus* Reguli filiæ amore inſaniens ab exercitu aufugit, neq; ullis Præfecti monitis aut minis perduci potuit ut rediret. Quum autem à Naguatex quinque dierum itinere proceſſiſſent, *Guacanæ* provinciam intrarunt, immani & pugnandi avido populo habitatam, cum quibus crebra Hiſpanis certamina fuerunt; multæ hic ligneæ cruces in caſulis eorum inventæ, quas haud dubio à *Cabeca de Vaca* jam olim acceperant. Naguatex. Guacane.

Præfectum jam dudum pœnitebat, quod nuſquam adhuc, & ne quidem *Achuſi* certas ſedes fixiſſet aut oppidum condidiſſet, quippe jam pluſquam dimidiam partem exercitus amiſerat, & animo anxius providebat omnem operam & ſumtum periturum, ſi quid ſibi humanitus accidiſſet; itaque jam urbem condere certus, & celoces aliquot ſecundo flumine dimittere, ut res ab ipſo geſtas & regionis ſtatum ad vicinas inſulas & continentem divulgarent; quam maximis itineribus ad flumen *Grande* contendit & ſeptem provincias quam ociſſime tranſcurrens, *Anilco* provinciæ fines ingreditur, in qua triginta leucas progreſſus, in principale municipium incidit: conſtabat illud circiter quadringentis ædibus, & flumen alluebat Bæti magnitudine par, cui Reguli palatium imminebat in edito colle ædificatum: Regulus ſtatim profugit nec umquam potuit revocari. Exercitus ſine impedimento flumen traductus & per aſperos & deſertos montes *Guachacoyam* provinciam adiit; præcipuus hujus regionis pagus ad ripam fluminis in colle leviter acclivi ſitus, ſtatim captus, regulo trans flumen profugiente: verum quum Hiſpanos ab Anilcone regulo bello petitos didiciſſet, cum quo ipſi veteres inimicitiæ intercedebant, prævertendum ratus, ultro ad præfectum rediit & fœdere icto, plurimos lembos adduxit; quibus in Anilconenſes Anilco. Guacahcoya.

nenſes ex improviſo impetus factus & à Guachacoyenſibus immaniſſime fuit ſævitum, Hiſpaniſque nequicquam impedire conantibus provincia penitus vaſtata.

Quigaultaugi.

Hic præfectus multos lembos inſtruxit, flumen trajicere & in *Quigaultaugi* provinciam tranſire meditans, quæ & fertilis erat & populo frequens, nam principale municipium quingentis domiciliis conſtabat: Cupiebat ſane Præfectus per hanc provinciam ſine ullo maleficio iter facere, ſed Regulus abnuebat omnes pacis conditiones, Hiſpanis ultro minitans.

Denique Præfectus *Hernandus à Soto* hic primum febri tentari cæpit & valetudine deſperata *Ludovicum Moſcoſum de Alvarado* ſibi ſubſtituit, & poſtquam militibus concordiam inter ſe & obſequium erga Præfectum ſummopere commendaſſet, anno ætatis quadrageſimo ſecundo deceſſit; cadaver illius ligneo capulo compoſitum, flumini, qua altiſſimum erat, immerſum.

Cap. VIII.

Expeditionis quartæ in Floridam reliqua, duce Ludovico Moſcoſo de Alvarado, *poſt exceſſum* Hernandi à Soto.

Post Præfecti *Hernandi à Soto* obitum, magna animorum commutatio in exercitu illius eſt conſecuta, nam quum ſe tam bellicoſis nationibus numero & viribus longe impares animadverterent, Floridam deſerere conſultius exiſtimarunt. Itaque primum verſus occidentem, leucas pene centum magnis itineribus profecti, multas provincias obierunt nec ſolo uberes nec habitatoribus frequentes, & ad *Auche* provinciam devenerunt. Regulus humaniter exceptis, conductores inſuper addidit qui illis per ſolitudines viam commonſtrarent: verum quum jam octidui viam proceſſiſſent, ſe à recto tramite deductos animadverterunt, & conductores canibus dilacerandos objecerunt, nequicquam obteſtantes ſe Domini ſui juſſu id feciſſe & intra triduum in rectam viam reducturos: cujus facti illos poſtea pænituit; & itinere verſus occaſum inſtituto, poſt triduum in aliam provinciam ſunt ingreſſi, infœcundam quidem, non tamen cultoribus vacuam, ubi & modicum commeatum & bovillas carnes & tergora invenerunt; licet indigenæ permoveri non poſſent ut ipſis oſtenderent, unde illa haberent. Provinciæ nomen *de los Vaqueros* inditum. Triginta leucas per eandem progreſſis occurrerunt altiſſimi montes; ulteriora autem aſpera atque inculta ab indigenis edocti, iter ad ſiniſtram verſus meridiem reflectunt, levi damno in finibus ejuſdem provinciæ à barbaris affecti. Viginti deinde diebus; per aliquot vicinas provincias vagati, quum longius ſe à *Guachacoya*, ad quam redire intenderant, diſcedere animadverterent, rurſus ad orientem ſe convertunt, viam quam prius tenuerant oblique ſecantes, & dimidiato demum Septembri ad eundem revertuntur tranſitum; licet autem cum barbaris nulla ipſis prælia fuiſſent, tamen nonnulli ex inſidiis interfecti, plures variis morbis & omnium rerum inopia interierunt. Sub exitum demum Novembris ad flumen quod ſupra *Rio Grande* nominavimus, devenerunt, trecentis & quinquaginta leucis, qua eundo, qua redeundo, tranſcurſis, & centum militibus & octuaginta equis amiſſis, præter multa ſervitia barbara. Ad ripam fluminis duo pagi erant, conjuncti, ducentorum circiter domiciliorum, quos licet jam tantum trecenti & viginti pedites & ſeptuaginta equites ſupereſſent, primo tamen impetu ceperunt, ab incolis, qui ſtatim diffugerant, deſertos: copioſa hic annona inventa, nihilo tamen ſecius ex antecedentibus incommodis nonnulli paſſim deficiebant. Provincia hæc dicebatur *Aminoia*, ſedecim leucas ſupra *Guachacoyam* quam petebant. Sub exitum Januarii materiem ad celoces conſtruendas cædere & parare cæperunt; Seni autem cuidam ex Indigenis præmonenti, flumen ſingulis quatuordenis annis, ſuperatis ripis campos omnes latiſſime opplere, atque illud tempus jam inſtare, fides minime eſt habita. *Anilco* & *Guachacoya* reguli omnia ſedulo agebant ut Hiſpanorum amicitiam demererentur & imprimis *Anilco* qui ipſis tunicas ex herba quadam malvæ non abſimili, barbaro artificio contextas miſit, egregio adverſus frigoris aſperitatem munimento; ex eadem herba & funes nauticos contorſerunt. In adverſa ripa, ingens provincia

Marginal notes: Auche. Los Vaqueros. R. Grande. Aminoia

Quiqual-

Quiqualtanqui prætexebatur, cujus Regulus clanculum ſe in Hiſpanorum exitium armabat, vicinis Regulis ad Societatem belli vocatis, & imprimis *Anilcone*, à quo indicium factum. Interea dum Hiſpani in celocibus ſuis ædificandis occupantur, & barbari bellicos ſuos apparatus faciunt, flumen decimo Martii creſcere & inflari cœpit, ita ut jam decimo octavo die ripas ſuas egrediens, caſtrorum portis affunderetur & vicinos campos, viginti & plures in ambitu leucas, longe lateque inundaret: ſub exitum demum Aprilis decreſcere cæpit, verum adeo lente, ut vigeſimo May ſemitæ nondum veſtigia paterentur; ſub exitum autem illius menſis tandem intra conſuetum alveum conſtitit. Vicini interea barbari ſedulo ad bellum ſe comparabant, & licet *Anilco* eorum conſilia & quæcunque ab ipſis deſignabantur fideliter ad Præfectum deferret, & ſubditorum ſuorum auxilia prolixe promitteret, tamen haud multum ipſi fidebant Hiſpani. Barbari autem qui adverſus Hiſpanos fœdus iniverant, Legatos in ſpeciem ad Præfectum miſerunt, revera ut conſilia illius & molitiones ſpecularentur, quos ille truncatis manibus, ut reliquos terreret, dimiſit, atque ita conſpiratio paululum elanguit. Barbaris propoſitum erat Hiſpanos diſcedentes lembis ſuis perſequi & prout ſeſe occaſio obtuliſſet, invadere: quod Hiſpanis gnarum, ideoque quum omnis ſalutis ſpes ſita eſſet in celeritate diſceſſus, ſeptem liburnicas quas paraverant deducunt, & porcos omnes, octodecim tantum exceptis mactant; *Anilconi* atque *Guachacoyæ* regulis, ſingulis ſuem cum porco ad fæturam faciendam relinquunt; Dein lintres comparant ad equos tres & triginta, qui ex omni numero ſupererant, devehendos; & Regulis inter ſe reconciliatis, trecentos & quinquaginta milites navibus imponunt, cum barbaris aliquot viris atque fœminis, qui ultro ipſos voluerant comitari. Rebus omnibus rite paratis, die qui *S. Petro* ſacer habetur, ſolvunt & naves velis atque remigio impellunt: poſtero die mille lemborum claſſem, quorum nonnulli viginti & quinque remis utrimque impellebantur, in ſe ferri animadvertunt, ingenti barbarorum multitudine refertam; qui ſtatim denſum ſagittarum nimbum in Hiſpanos effuderunt, plurimoſque ſauciarunt: decem continuis diebus Hiſpanos ad hunc modum inſecuti, paulum remiſerunt: itaque Hiſpani centum pedites & octo equites in terram exponunt, ut è viculo juxta ripam fluminis poſito, annonam raperent; ii viculum ab incolis deſertum ingreſſi, plurimum annonæ ibidem congeſtum deprehenderunt, verum incolis ex improviſo reverſis fugere & ad naves ſe recipere ſunt coacti, relictis equis, quos barbari ſtatim ſagittis confecerunt. Claſſis quoque hoſtilis ſub id denuo in illos invecta, lembum unum cum equis eripuit. Decimo ſexto dein die, gravius damnum quorumdam Hiſpanorum temeritate acceptum, nam quum quinque milites in barbarorum inſidias præcipitaſſent, pluresque quam à Præfecto juſſi fuerant, ſubſidio feſtinarent, quadraginta & octo viri à barbaris circumuenti & lembis illorum demerſis, remis contiſque inter natandum interfecti: atque hic barbari inſequendi finem fecerunt, quum pene quadringentas leucas, niſi Hiſpanos hic itinerum ratio fefellit, ipſos fuiſſent ſecuti. Flumen hic ita latum erat ut ripæ utrimque conſpici vix poſſent, ita ut ſe jam mare ingreſſos ſuſpicarentur; verum decimo nono demum ex quo ſolverant die illud attigerunt, & inſulam oſtio fluminis objectam offendentes, exſcenſione facta in illa paululum conquieverunt. Hic rationibus itinerum ſubductis ſe octingentas leucas ſecundo flumine devectos compererunt, quod tamen minus veriſimile videtur.

Hic conſilium ceperunt Novam Hiſpaniam petere, itaq; hinc ſolventes, curſum ad occaſum dirigunt & Floridæ littora à dextera radentes, decimo quinto die appellunt primò ad inſulas mergis refertas & mox ad nemoroſum littus, ubi bitumine quodam inſtar picis invento, liburnicas ſuas, quæ jam rimas agere cæperant, refecerunt; octo tantum barbaris conſpectis, quos ne quidem ubi locorum eſſent interrogare ipſis curæ fuit. Quinquageſimo denique & tertio die poſtquam à fluminis oſtio diſceſſerant, aparctias valide in fluctus incumbens claſſem disjecit; duæ liburnicæ haud ita longe à littore abreptæ, Panuci fluminis oſtium ſubintrarunt, uti & paulo poſt cæteræ: atque ita tandem pedeſtri itinere ad urbem Mexicanam incolumes pervenerunt, anni CIƆ IƆ XLIII autumno jam vergente. Hic quartæ hujus Hiſpanorum in Floridam expeditionis exitus fuit, quam ex Hiſpanorum commentariis, licet dubiæ

Quiqualtanqui.

dubiæ fidei & propter incertas Regionum locorumque deſignationes, haud magni momenti, tamen paulo prolixius retulimus, ne quæ à multis magno molimine tradita fuerant, incurioſius prætermiſiſſe videremur.

Cap. IX.

Gallorum prima expeditio in Floridam, Joanne Ribaldo *duce.*

Qum ut ſuperioribus capitibus à nobis narratum, expeditio *Hernandi à Soto,* quæ fere intra fretum Mexicanum ſubſtitit, tam infeliciter & infructuoſe ceſſiſſet, dudum in hac parte ab Hiſpanis ceſſatum: Galli vero animum ad Floridam adjecerunt, auſpice imprimis *Gaſpare Colinio* Caſtellionæo maris Gallici
1562. præfecto, illuſtris memoriæ Heroe, qui anno CIↃ IↃ LXII *Ioannem Ribaldum* eo deſtinavit, cum duabus regiis navibus & copioſo milite, (quorum quam plurimi nobiles erant) largo commeatu & bellico apparatu. *Ribaldus* è Gallia menſe Februario profectus & duorum menſium iter, non uſitato prius Hiſpanis curſu, emenſus, ad Americæ Septentrionalis continentem appulit loco importuoſo & præaltis ſilvis præcincto, ubi Promontorium viſitur quod Francicum appellavit, triginta gradibus ab Æquatore verſus Arctum. Erat autem terra haud admodum alta, (ſiquidem Floridæ littora fere leniter declivia ſunt & vadoſa,) ſed proceritate arborum modice ſeſe attollens. Inde oram ad ſeptentriones ſequentibus, flumen occurrit amœnum,
F. Delphin. *Delphinum* (quod juxta illud hujuſmodi piſces in mari natantes vidiſſet) ab ipſo poſtea dictum. Dein fluvium *Maium,* (à menſe, quo illum primum vidit, ſic
F. Majus. appellatum) ſubiit, amplum & amœnis ripis, ubi ab indigenis humaniter acceptus, ſecus ripam columnam erexit, cui Galliæ inſignia inſculpta erant: in oppoſita ripa ab indigenis ad eundem modum excepti, ſilvas crebris moris albis juxta ac nigris conſitas conſpexerunt, in quibus & bombyces ſericeo operi faciendo ſponte enatos ſe inveniſſe narrant.

Sequana. Inde egreſſos alterum flumen excepit, quod *Sequanam* dixerunt; & mox tertium quod *Somonam,* & ſex ab hoc leucis quartum, quod *Ligerim*; atque ita porro
Somona. Ligeris. alia quinque, quæ *Carantonum, Garumnam, Girondam, Bellum & Grande* indigitarunt. Hinc ulterius ad Arctum tendentes, ut flumen *Iordanis* inviſerent, & valida tempeſtate aliquandiu jactati, ad aliud flumen pervenerunt quod *Bel à Veoir* dixerunt: Atque hic celoces venti vehementia paulo ante abreptæ ad ipſos redierunt, quæ nunciarunt haud longe hinc abeſſe flumen cæteris omnibus longe majus,
Port Royal. ad quod provecti, anchoras intra oſtium fixerunt; huic *Portus Regalis* nomen impoſitum, duobus & triginta gradibus ab Æquatore verſus arctum.

Hic ſolum ad utrumque ripam ſupra modum erat amœnum, nemoroſum & proceris quercubus atque cedris undiquaque obſitum, humilibus inſuper lentiſcis gratum odorem ſpirantibus: feræ in ſilvis innumeræ; maxima perdicum, gallopavorum & indicarum gallinarum copia: flumen omnigenis piſcibus egregie fœtum, & imprimis ſquillis (quas *Sallicoques* Normanni vocant,) cammarorum magnitudine: Exit inter duo promontoria in mare, ore tria milliaria Gallica lato; intus autem diſpeſcitur in duos veluti ramos, quorum unus ab occaſu, alter ab Arcto deſcendit, in media inſula jacet, peregrinis animantibus ſcatens.

Flumen autem tria milliaria ſubvecti rurſus anchoras jecerunt; & ſcaphis aſcenderunt ad duodecim milliaria; hic indigenæ inopinato advenarum aſpectu territi fugerunt & lupum cervarium veru ſuffixum & ſemitoſtum reliquerunt, à quo loco nomen inditum *Cap. Lucerne.* Hinc ad tertium fluminis divortium ventum, cujus accolæ, quum primo fugiſſent, mox redierunt & Gallos humaniter acceperunt, & ferarum pellibus & corbibus (qui è palmarum foliis induſtrie facti erant) & paucis unionibus donarunt. Aliquantum deinceps itineris progreſſis, alius amnis occurrit quem *Liborne* nominarunt: uti & amœniſſimam inſulam quam complectitur *Cedrinam.* Hujus provinciæ Regulus duos viros illis conceſſit, qui

primo

primo paululum tergiverſati, mox lubentiſſime Gallos ſunt ſecuti: hi narrabant magis ad Arctum habitare potentiſſimum quendam Regulum *Chiquolam*, & vaſtum admodum oppidum poſſidere, aliaque mirabilia. Poſthęc *Ribaldus* ſuorum animis pertentatis, quum viginti & ſex hîc hibernare paratos cognoviſſet, exiguum munimentum tumultuario opere conſtruxit, quod ſedecim in longitudinem, tredecimque in latitudinem decempedas patebat, & Carolinum fuit appellatum: Colonis *Albertum* vice ſua præfecit; & poſtquam utroſque decoris & officii ſui admonuiſſet, cum reliquis ſolvit, & leni Africo afflante, quindecim milliaria verſus ſeptentriones provectus, flumen habuit obvium, quod quia in oſtio vix dimidiam orgyam altum erat, *Baſſum* dixerunt. Quumque mare in progreſſu magis magiſque vadoſum deprehendiſſent, reflexo ad orientem itinere, feliciſſimo curſu Diepam redierunt vigeſimo Julii ejuſdem anni.

Albertus autem, vicinarum provinciarum ſtatum à barbaris edoctus, primum Regulum *Anduſtam*, mox & alios minores dominos *Touppam*, *Majon*, *Hoyam* & *Stalamen* inviſit, à quibus peramice hoſpitio fuit ſuſceptus. Galli interim annonæ penuria laborare cæperant, nec à vicinioribus barbaris poterant juvari, quum & ipſi egerent & herbis atque radicibus victitare cogerentur: Verum quum indigenarum indicio cognoviſſent, duos germanos *Convexin* & *Ovaden*, regulos ad auſtrum incolentes, annonâ abundare, ab iis auxilium petere propoſuerunt: ad *Ovaden* primò ventum, qui ripas fluminis *Belli* accolebat, viginti quinque ab ipſorum munimento milliaribus: à quo peramice accepti domum illius aulæis, quæ è verſicoloribus avium plumis eleganter contexta erant, undique ornatam repererunt; & liburnicam ſuam mayzio & phaſeolis onuſtam reduxerunt. Verum mox quorundam negligentia, maximum illorum domicilium flamma totum conſumſit, pauxillo annonæ ægre ſervato: domicilium quidem novum à barbaris uno die ſtructum; & annona ſecundo ab *Ovade* haud difficulter impetrata fuit, qui uniones & cryſtallum atque argenti ramenta (quæ decem dierum itinere à ſua provincia ſub montibus erui narrabat) liberaliter donavit.

Ad munimentum reverſos, ſeditio militum excepit, qui nimiam præfecti ſeveritatem haud amplius ferentes, ipſi exitium matur arunt & *Nicolaum Barrenſem* in locum illius communibus ſuffragiis ſuffecerunt. Premebantur jam in dies magis atque magis annonæ penuria, & promiſſa è Gallia ſubſidia nequaquam comparebant; itaque diſcedere certi, navigium parant, & modico tantum commeatu impoſito, in Galliam vela faciunt: inter navigandum autem ob viginti dierum malaciam in tantas annonæ anguſtias ſunt redacti, ut, horrendum dictu, unum è ſociis mactare & humanis carnibus viſcera ſua explere cogerentur; tandem tamen in patriam redierunt inedia & mœrore pene enecti, ope cujuſdam Angli, qui paucis in Gallicum littus expoſitis, reliquos ad Reginam Eliſabetham, quæ animum ad Floridam adjectura videbatur, reduxit.

Cap. X.

Secunda Gallorum expeditio in Floridam *duce* Renato Laudonerio.

BELLO civili in Gallia, quo factum fuerat ut *Ribaldus* ſuis ſuppetias tempori ſubmittere non potuerit, extincto; *Colinius* qui jam in gratiam cum Rege redierat, denuo expeditionem in Floridam cæpit urgere; huic commendatione Coliny præfectus *Renatus Laudonerius* qui ſuperiore expeditione Ribaldum fuerat comitatus, & centum quinquaginta librarum millia attributa in ſtipendia militum & reliquos navigationis ſumtus. Is tribus navibus, quarum una centum viginti, altera centum, tertia ſexaginta doliorum capax erat, Franciſcopoli rite præparatis, & plurimis colonis atque idoneo omnis generis fabrorum numero in naves impoſitis, è Gallia vigeſimo ſecundo Aprilis anni CIↃ IↃ LXIV ſolvens, quinto May tenuit 1564.
Teneriffam è Canariis inſulis unam, ibidemque aquavit. Unde provectus quinto & decimo die Inſulam *Matinino* & mox *Dominicam* attigit; ubi exſcenſione facta, à barbaris primum benignè excepti fuerunt, verum quum licentia militari graſſarentur & incolarum hortos invaderent, fructuſque illorum ipſis invitis carperent,

perent, pulſi, unoque ſuorum deſiderato, naves repetere ſunt coacti. Hinc alias minores inſulas *Santos, S. Chriſtophori, Rotundam, Anguillam* & *Anegadam* prætervecti, Majus fl. nuſquam mora facta, vigeſimo Junii Floridæ continentem adnavigarunt, & *May* fluminis æſtuarium ſunt ingreſſi. Hic provinciæ illius Regulus (*Paracouſſi* vocabant barbari) ſtatim ad ipſos venit cum duobus filiis adoleſcentibus & ſuorum non contemnenda multitudine, iiſque exultabundus reditum gratulatus, columnam quam *Ribaldus* hic ſtatuerat, integram & lauris atque corollis redimitam oſtendit.

Regulo *Saturiova*, majori autem filio *Athore* nomen erat, qui Præfectum Laudonerium lamina argentea donavit. Dein Flumen luſtrandi gratia ingreſſi, ab accolis fauſta acclamatione *Ami Ami* ſunt accepti, & Regulum ex itinere viſitarunt qui centum quinquaginta annos ætate ſuperare & ad quintam uſque generationem filios nepoteſque numerare ferebatur.

Ad *Saturiovam* reverſi, argentum omne ex *Timagoæ* provincia, quæ longè aberat, deduci docentur, & quia *Saturiova* ſibi capitales inimicitias cum *Timagoa* intercedere profitebatur, auxilia ſua ipſi prolixè deferunt. Hinc quatuor milliaria ad flumen *Sequanam* & ſex ad *Somonam* progreſſi à Regulo illius provinciæ, cui uxor & quatuor filiæ ſatis formoſæ aderant, perhumaniter ſalutantur & paucis orbiculis argenteis donantur: verum quum juxta *Majum* flumen ſedes figere, ob annonæ abundantiam, & aurum argentumq; è vicinis provinciis eruendi fiduciam conſultius judicaſſent, curſum retro flexerunt, & XXIX Julii eodem unde profecti fuerant, ſunt reverſi. Hic oppidulum triangulari forma conditum Arcis *Carolinæ* nomine; partem valli occidentalem ceſpitibus, auſtralem lignorum faſcibus & arena; qua flumine alluitur, ligneo ſepimento muniverunt; ædificia humilia condita, qualia hæc regio tantum patitur ob ventorum vehementiam; furnum extra vallum, ut incendium vitarent, ſubmoverunt.

Laudonerius inter ea Legatum ſuum *Otignium* flumen aſcendere jubet, ut quæ de *Timagoa* ex Regulo cognoverat, è propinquo ſpecularetur: Ille circiter viginti milliaria adverſo flumine ſubvectus, incidit in Timagoenſes, qui quum illos aurum argentumve amicè poſtulaſſet, reſponderunt ſe jam nullum habere, verum ſi vellet, ad locum unde haberi poſſet, lubenter conducturos; qua conditione accepta, unum ſuorum cum illis dimittit; verum hoc longiores moras trahente, circiter decem milliaria provehitur *Otignius*, atque ibidem militem ſuum nactus, quum animadverteret illum tantum pauxillum auri inveniſſe, & barbari ulterius ad *Mairram* regulum, qui auro argentoque abundaret, ſe ducturos reciperent, illum quidem inter barbaros reliquit, ipſe vero ad oppidum remeavit. Præfectus quindecim dies præſtolatus, Tribunum *Vaſſurium* cum aliquot militibus mittit, ut militem illum reducerent; qui quum biduum navigaſſent, monentur à barbaris, Gallum illum apud Regulum *Mollavam*, maximi Principis *Olatæ Ovautinæ* vaſallum, divertere; quare ad hunc properantes à *Mollava* peramicè ſunt ſuſcepti, & militem ſuum qui jam quinque libras argenti ab indigenis erat mercatus, receperunt. De *Olata* hæc compererunt; Illum quadraginta Olata. regulis imperare, & inter hos *Cadecham, Chililum, Eclanovum, Enacapen, Calanyum, Anachataquam, Omittaquam, Aequeiam* atque *Mocoſum* facile primos eſſe; Eundem complures habere hoſtes & imprimis *Saturiovam*, cui triginta reguli parerent, & *Potanoum, Houſtaquam, Onatheaquam* ad montium radices incolentem; pleroſque autem *Olatæ* ſubditos auro atque argento abundare. Vigeſimo octavo Julii naves in Galliam remiſſæ.

Saturiova regulus Præfectum inter ea urgere inſtitit, ut promiſſorum memor, cum ipſo adverſus *Timagoam* moveret, ſed illo modeſte ſeſe excuſante, ipſe cum valida ſuorum manu ex improviſo Timagoenſes aggreſſus, multos mortales cecidit & captivos aliquot abduxit. Laudonerius qui pacem inter vicinos conciliare maximopere cupiebat ut remotiores barbaros unitis viribus facilius opprimeret; duos captivos à Regulo petit, & quum non impetraſſet, invito illos eripit, & uni è ſuis tribunis *D. de Arlac* committit ad Olatam reducendos. Hic decimo Septembris iter ingreſſus, ad *Majarquam* pagum aſcendit, qui octuaginta milliaria à Gallorum colonia aberat, atque inde pervenit ad *Olatem*; cum quo adverſus *Patanoum* regulum pugnavit, & pagum illius ex improviſo cepit, multis barbaris cæſis, captiſque: atque ita cum

modico

modico argenti, & levi auri pondere, aliiſque rebus, quas *Olata* Præfecto dono mittebat, ad ſuos rediit.

Advenerat interim navis è Gallia, ſtatimque fuerat remiſſa; multorumque animi jam manifeſtè ſpectabant ad ſeditionem, Præfecti authoritate jam labante: Nautæ quos & ipſe adduxerat, quique è poſtrema illa navi remanſerant, celoces duas quas paraverat, clam ſubducunt ut in Mexicano freto & circa Havanam pyraticam facerent; haud ſegnius tamen alias duas conſtruxit, quæ ſtatim itidem à ſeditioſis militibus abreptæ; una tamen quæ jam ad Jamaicam penetraverat, quorundam induſtria, quos tantæ perfidiæ pœnitebat, poſtea ad ipſum fuit reducta, & de præcipuis ſeditionis & fugæ authoribus ſumtum ſupplicium.

Porro quum Præfectus è duobus barbaris, quos *Marracoui* regulus (qui quadraginta milliaria à colonia Gallorum ad Auſtrum degebat) miſerat, intellexiſſet, duos barbatos ab *Onathaquæ* & *Matthiacæ* regulis cuſtodiri, nihil prius habuit quam utrumque ad ſe accerſere: Erant autem Hiſpani, qui ante annos quindecim, è navibus apud Martyrum ſcopulos fractis, incolumes in Continentem evaſerant & pervenerant ad Regulum *Calos*; de cujus potentia & divitiis mira narrabant, quippe qui è fractis Hiſpanorum navibus maximam pretioſarum mercium partem ſervaſſet. Locorum autem hunc eſſe ſitum deſignabant: *Onathaquam* ad orientalem Floridæ plagam, haud procul à Promontorio quod hodie *Cannaveral* vocant, incolere; huic ad occidentale Floridæ latus pene oppoſitum eſſe *Calos*, quatuor aut **Calos.**
quinque dierum intervallo; & pari pene ſpacio utrumque locum abeſſe à Promontorio, quod *Caput Floridæ* appellant: In medio Inſulam amnicam circiter quinque milliaria ambitu complecti, *Sarrope* indigenis, quæ optimis fructibus & præſertim **Sarrope.**
palmis abundaret.

Poſt ea Laudonerius verſus arctum ad *Auduſtam* miſit in cujus provincia Galli anno CIↃ IↃ LXII hibernaverant; qui & annona illos iuvit, & ut apud ſe ſedes figerent invitavit: nec non ad viduam *Hiocajæ* reguli, quæ duodecim milliaria ab oppido incolebat, à qua & mayzii copia perbenignè ſubminiſtrata. Deinde & celoces ſuas adverſo flumine ſubmiſit, quæ triginta milliaria ſupra *Matthiaquam* provectæ, ingentem lacum offenderunt cujus adverſæ ripæ conſpici non poterant; inde redeuntes, Inſulam *Edelano* longe amœniſſimam adierunt, quam amnis trium milliarium ambitu circumluit; & mox *Eneguapæ*, *Chilyli*, *Paticæ* & *Coiæ* provincias; unde **Edelano.**
pedeſtri itinere *Olatam* inviſerunt, & quidam apud illum manſerunt. Qui quum poſtea narraſſent, *Houſtaquæ* provinciam à ſe aditam, quæ *Apalacti* montes proxime contingat, è quorum radicibus torrens deſcendit, argenti æriſque ramenta ſecum deferens, certiſſimo indicio montes illos metallis abundare; Præfecto conſultum viſum ſimul ac ſupplementa è Gallia adveniſſent, coloniam novam magis verſus Arctum deducere, ut ad hos montes, qui ab arce Carolina aliquot dierum itinere verſus Corum declinant, facilius penetraret. **Apalacti.**

Hæc meditantem annonæ penuria afflixit, itaque duas naves parat, quibus ſuos in Galliam reduceret, & ne interim fame perirent, *Olatam* regulum inopinantem intercipit, nullo in præſens emolumento, quum barbari non modo annonam non ſubveherent, ſed & Gallos graviſſimo bello pene opprimerent: Commeatus tamen, quantum ſufficere putabant, hinc inde conquiſitus, præſertim è flumine *Iracana*, cui *Somonæ* nomen indiderant; jamque vallum demoliri cæperant, quum **Iracana.**
Ioannes Haukinus Anglus cum quatuor onerariis tertio Auguſti anni CIↃ IↃ LXV ſupervenit, qui Laudonerio unam navem cum largo commeatu vendidit. **1565.**

CAP. XI.

Tertia Gallorum expeditio in Floridam *duce* Joanne Ribaldo.

DUM hæc à Laudonerio in Florida geruntur, nonnulli, qui in Galliam fuerant remiſſi, varia in illum crimina confinxerunt, quibus Rex Galliæ permotus, *Ioannem Ribaldum* denuo miſit, qui in Præfectura ſuccederet, illumque in Galliam remitteret. Is XXVIII Auguſt. anni CIↃ IↃ LXV in Floridam pervenit, quum

Laudonerius omnia ad diſceſſum jam comparaſſet. Adventu illius cognito, vicini Reguli *Homoloa, Seravatri, Almacani, Malica* atque *Caſti*, novum Præfectum inviſerunt, variaque obtulerunt munera, ſimulque promiſerunt ſe ducturos illum ad montes *Apalacti*, è quibus rutilum quoddam metallum erueretur, quod ipſi *Sieroa Pira* appellabant & aurum eſſe putabatur. Tria minora navigia, quæ *Ribaldus* adduxerat, jam flumen aſcenderant, quum ſex majora Hiſpanorum, oſtium fluminis ingreſſa, juxta quatuor Gallorum onerarias, anchoras jecerunt; Galli quum ſe Hiſpanis impares cernerent, licet illi nihil adhuc hoſtile molirentur, reſectis anchorarum funibus, vela explicant atque altum petunt; nec ſegnius Hiſpani illos perſequuntur, quatiuntque majoribus tormentis; verum quum Gallos aſſequi non poſſent, ad continentem vela vertunt, & in oſtio fluminis, quod barbaris *Seloy*, Gallis autem *Delphinum* dicitur, naves ſuas conſtituunt (diſtat id à *May* æſtuario circiter leucas octo) ibique expoſito milite ac machinis aliquot, caſtra ope Nigritarum, quos magno numero adduxerant, communiunt. Quod quum *Ribaldus* per *Coſetum* navarchum cognoviſſet (naves enim Gallicæ jam ad portum redierant) Tribunos militum in conſilium advocatos, quid facto opus ſit, interrogat. Aderant *Grangæus, Ottinius, Sanmarianus, Veſtius, Ionvilla*, præcipui duces, qui omnes præeunte *Laudonerio* cenſuerunt, ſumma diligentia munitioni Carolinę firmandæ incumbendum eſſe, nec infeſtâ turbinibus ac typhonibus tempeſtate, claſſem fluctibus committendam; nam profectionis quidem tempus certum, reditus incertum eſſe, periclitari interim munitionem, tam vicino hoſte. *Ribaldus* contra diſſerebat, in hoſtes quantocius ducendum antequam vires colligerent, & munimentum in propinquo extruerent; initia bellorum fama conſtare, defecturos ſenſim vicinos Regulos, qui odio Hiſpanorum hactenus Gallicis partibus faverant, ſi audierint illos ad primum Hiſpanorum adventum trepidantes caſtris ac munitionibus ſe continere; & ut pondus ſententiæ ſuæ adderet, literas *Caſtellionæi* promit, quibus hæc erant addita: dum iſtas obſignaturus eſſem, de *Petri Melendes* ad Novæ Franciæ oram profectione certior ſum factus, tui officii eſt proſpicere ne quid Hiſpani in nos moliantur, ſicuti nos nihil ultro in ipſos movere æquum eſt. Ita non auditis cæterorum Tribunorum ſententiis, impoſito in naves milite & abductis ſecum *Ottinio* & *Arlaco*, atque expeditiſſimo quoque Laudinerianorum x Septembris altum petit; & horrenda tempeſtate, (quæ ad Kalend. Octobres tenuit,) eodem die jactatus, demiſſis antennis, venti vehementiam declinare cogitur. Naves Gallicæ, ſupra quinquaginta ab arce leucis, ſcopulis illiſæ confractæque perierunt, ſalvis tamen pleriſque qui illis vehebantur. *Laudonerius* (ut ipſe prodidit) cum octuaginta & quinque, qua viris qua fœminis atque pueris, & pleriſque invalidis in arce Carolina deſtitutus (alii ad ducenta & quadraginta capita fuiſſe tradunt) quum haud immerito ſibi metueret, vallum cœpit reſtituere. Hiſpani vero duce itineris *Ioanne Franciſco* Gallo, quem muneribus corruperant, incredibili celeritate ſtagna, ſilvas, & flumina tranſgreſſi, duce *Petro Melendes* duodecimo Kal. Octobres, ex improviſo ad arcem advolant, paulo ante ſolis ortum, pluvioſa admodum tempeſtate; *Vigneus* autem qui ſtationibus præerat, ſolutis jam excubiis & vigilibus ad quietem capiendam dimiſſis, è propinquo hoſtes per clivum expanſis vexillis deſcendere conſpicatus, ad arma conclamat: Galli vix lecto ſe molientes, impetu à diverſis partibus in arcem facto, intercipiuntur; hoſtes poſt leve certamen vallo potiti, in area ſigna conſtituunt; inde promiſcua cæde in milites, fœminas, pueros, ægrotos ac ſenes graſſatum. *Laudonerius* licet adhuc è morbo debilis, non ſine ſummo diſcrimine, cum paucis ſuorum per paludes ad naves à Ribaldo relictas evaſit, & tandem incolumis rediit in Galliam: reliqui diverſis ſuppliciis interierunt. Joannes Ribaldus qui maris rabiem evaſerat, haud perinde hominum crudelitatem potuit effugere, nam quum ſe ſuoſque, fide ab Hiſpanis accepta, dedidiſſet, ab iiſdem contra fidem datam crudeliter eſt interfectus. Supra ſexcentos ea clade periiſſe ſcribunt; Gallicumque nomen penitus in Florida deletum.

Seloy.

CAP.

Cap. XII.

Quarta expeditio Gallorum in Floridam duce Dominico Gurgio.

CLADES Gallis ab Hiſpanis crudeliſſimè in Florida inflictas, quum Rex Galliæ ſciſſa factionibus aula aut contemſiſſet aut odio Proteſtantium (quales fere cuncti fuerunt qui perierant) atque adeo ipſius *Coliny* (cujus conſilio expeditiones erant ſuſceptæ) diſſimulaſſet, inventus eſt tandem homo privatus, qui ſive ſuæ ſive publicæ injuriæ ſenſu ſtimulatus, contumelioſam Hiſpanorum crudelitatem inultam ferre diutius non potuit. Is fuit *Dominicus Gurgius* Monte-marſani in Novempopulania natus, ingenio acer & manu promptus, qui tria navigia mediocria inſtruxit & CC delectos milites & circiter LXXX nautas impoſuit, aſſumto legato *Caſanova* & *Franciſco Burdegalenſi* qui uni navigio præeſſet; Cumque iis, celato conſilio XI Kal. Septemb. anni CIↃ IↃ LXVII ſolvit, & ſuperato *S. Antonii* promontorio, per fretum Bahamenſe ad *May* fluminis pervenit oſtium. Hiſpani populares ſuos rati, quum diſploſione tormentorum ipſos ſalutaſſent, Gurgius illos viciſſim ut in illo errore confirmaret, reſalutavit: tum prætervectus alio ſe ire ſimulavit, donec à loci illius conſpectu ſe ſubduxiſſent: Dein quindecim ab illo æſtuario leucis ad oſtium *Sequanæ*, (quod flumen Barbaris *Tacatacouru* dicitur) exſcenſionem fecit; ubi accurrentibus ad littus indigenis armatis, quum ſigna pacis dediſſet, & miſſo tubicine, veniſſe ſe à Rege Francorum, ultro amicitiam ſuam & patrocinium afflictis deferente, nuntiaſſet, poſt mutuas lætitiæ & gratulationis ſignificationes eo die diſceſſum. Poſtridie *Saturiova* cum filiis ac Regulis ſibi ſubditis, & inter eos *Molona* & *Almacane* ad illum venit, & poſitis utrimque armis, conſederunt. Heic *Saturiova* per interpretem de injuriis ab Hiſpanis acceptis conqueſtus, paratos ſe ac ſuos dicit ad ulciſcendam & privatam & ipſorum injuriam, cum Gallis fœdus icere; quod ſtatim factum & munera utrimque data & accepta; tum per *Petrum Breum*, qui ex laniena ſervatus apud *Saturyovam* latuerat, exploratus hoſtium ſtatus, miſſique periti qui munitiones inſpicerent: *Olotocara* Saturiovæ propinquo ſedulam Gallis operam navante. Dein inter eos dies condicitur, quo Reguli cum ſuis more Gentis ad pugnam inſtructi convenirent. Nuſquam majori fide & quod fidei pignus eſt majore cura ſilentium ſervatum.

E Thuano & aliis.

1567.

Tacatacouru.

Præter *Carolinam* ab Hiſpanis poſt Ribaldinam cladem reſtauratam, aliæ duæ munitiones hinc inde in ripis *May* fluminis inferius verſus mare extructæ fuerant & L. militum præſidio & tormentis, quæ Gallis eripuerant, armatæ: In tribus illis munimentis quadringenti omnino delecti Hiſpani erant.

Quum igitur die condicto cuncti ad *Somonam* conveniſſent, potionem quam *Caſſinen* vocant, biberunt, id barbaris ſolemne eſt, quoties ad periculoſam expeditionem proficiſcuntur, quod ejus beneficio & animos incendi & famem atque ſitim diutius tolerari poſſe credant; atque ita iter aggreſſi ſunt. *Gurgio* propoſitum erat ante primam lucem Hiſpanos ex improviſo aggredi, ſed itinerum ob crebras pluvias difficultate factum eſt ut Sol ante oriretur quam in conſpectum caſtellorum perveniri poſſet; quod quum Gurgium male habere animadverteret *Helycopyle*, commodiore itinere, ſed paulo longiore, per ſylvam copias circumduxit, & reperto vado Gallos menſe Aprili anni CIↃ IↃ LXVIII minus flumen traduxit & ad Caſtellum Hiſpanorum ſtitit quod ad dexteram ripam erat ſitum. Ibi poſt aliquot tormentorum diſploſionem quum *Olotocara* ſervandorũ ordinum ignarus in aggerem inſiliiſſet & tormentorium ſariſſa confodiſſet, inſequente cum ſuis Gurgio, locus capitur: nec mora interpoſita barbari quidem natando, Gurgius autem cum LXXX ſclopetariis navigio quod commodum ſupervenerat in adverſam ripam evadunt & alterum caſtellum vi expugnant atque diripiunt: Elapſi fuga præſidiarii, ab indigenis qui jam vicinam ſylvam inſederant, intercepti; utrobique centum & viginti Hiſpani interfecti, exceptis triginta qui ad ſupplicium ſervati ſunt. Supererat Arx *Carolina* quæ duo milliaria aberat, in qua trecenti præſidiarii erant ſub ipſo Præfecto, qui obſidionem toleraturus credebatur, donec auxilia Hiſpanis ſubmitterentur: *Gurgius* quum

1568.

ex captivis cognoviſſet, Hiſpanos credere, duo millia Gallorum ſibi imminere, ſimulque Caſtelli ſitum atque aditus penitius exploraſſet, neutiquam ſibi cunctandum exiſtimavit, ſed hoſtes quantocius opprimendos, antequam Gallorum paucitate cognita ex timore ſeſe recolligerent: itaque octo ſcaphis paratis & Tribuno Hiſpano captivo viæ duce uſus, quum tota nocte iter feciſſet, mane in conſpectum Arcis venit: hinc inde per lucos circumpoſitos barbari abditi, ne exitus fugientibus pateret: Ipſe quum ad partem humiliore foſſa vallatam vim facere decreviſſet, is qui loco præerat, LX è ſuis mittit, qui de Gallorum ſtatu cognoſcerent; ſed *Caſanova* ſe medium cum viginti delectis interponente, intercluſi illi & ad unum omnes à *Gurgio* cæſi: quo caſu territus loci Præfectus, dum cum ſuis in lucos vicinos ſe ſubducere tentat, ab Indis pene interceptus eſt. Ita capta Arx & tormenta aliaque impedimenta in poteſtatem Gallorum venerunt: captivi ad vicinas arbores laqueo ſuſpenſi, addito elogio, cum iis non ut Hiſpanis, ſed ut proditoribus, & percuſſoribus actum; ſiquidem *Melendez* Gallis ſuperioribus annis interfectis ſuperſcribi juſſerat, non tanquam Francos, ſed tanquam Lutheranos habitos eſſe. Quibus actis *Gurgius* quum ſuas copias tot locis cuſtodiendis impares animadverteret, barbaris ut caſtella demolirentur perſuadet, & tormentis, aliaque præda in naves impoſita, relicta Florida in Galliam rediit.

Poſtilla Galli nullam Floridæ rationem habuerunt; & *Gurgius* non modo nullum tam præclari facinoris præmium tulit, ſed periculum vitæ & fortunarum adiit, apud amicos latitare coactus, donec tempora mutarentur.

Cap. XIII.

Floridæ ſitus atque limites ſecundum Hiſpanos.

HACTENUS res in Florida geſtas ab Hiſpanis atque Gallis, ex commentariis utriuſque gentis retulimus; ſupereſt jam ut illius ſitum & limites paulo accuratius explicemus.

FLORIDÆ nomen apud Scriptores Hiſpanos nonnumquam latiſſima ſignificatione ſumitur, pro omnibus illis Regionibus, quas *Petrus Melendez* ampliſſimo diplomate à Rege Hiſpaniarum in Præfecturam accepit; nonnumquam propria & ſtrictiore, pro ea parte quæ primum hoc nomine à *Poncio* eſt inſignita. Priore ſignificatione complectitur ingentem terrarum tractum, inde à flumine *Palmarum*, viginti duobus ab Æquatore gradibus verſus Arctum, ad Promontorium *Bacalaos* uſque, quadraginta & octo gradibus ab Æquatore: intra quos limites CIↃ CC LVIII leucæ, ſecundum littorum ductum, numerantur; itemque quicquid terrarum ſecus oram maris & intra continentem luſtrandum & detegendum reſtat, à quadrageſimo octavo gradu ſeptentrionali ad ſeptuageſimum tertium. Atque harum quidem regionum illæ, quæ à flumine Palmarum ad promontorium *S. Helenæ* & flumen *Iordanis* pertinent, leucarum circiter ſexcentarum intervallo jam dudum ſecundum littora ab Hiſpanis luſtrari cœperunt: nec non ſinus *S. Ioſephi* qui à flumine Palmarum abeſt leucas LXXX verſus Arctum; Inſulæ denique illæ quas *Terram Novam* appellamus. Totus autem hic terrarum tractus Continens eſt, cœlo atque aëre bene temperato, ſolo pleriſque locis fœcundo & culto, atq; adeo indigenis haud infrequenti, quemadmodum ab Hernando à Soto & aliis eſt obſervatum: denique *Ioannes Pardus* Cuencæ in Hiſpania natus, paulo minus biennio has provincias (ut narrat Herrera) obambulavit, & pedeſtri itinere è Florida in Novam Hiſpaniam pervenit.

Florida autem propriè & ſtrictius ſumta, complectitur regionem illam, quæ Cubæ inſulæ ex adverſo objacet & inter duo maria (haud ſecus atque Italia) ab Auſtro in Arctum centum pene leucis in longitudinem protenditur, viginti quinque leucas aut ubi maxime dilatatur triginta in latitudine patens; Atque hæc propriè Floridæ nomen accepit à Ioanne Poncio, ſervatque hodie; Niſi quod communiter mediam viam ſequuntur (quod & nos probavimus) & Floridam inter Novam Hiſpaniam & Virginiam Anglorum concludunt. Porro hujus regionis Cæli Solique natura à Caſtellæ in Hiſpania temperie & fœcunditate non multum abludit, nam & fructus pene ſimiles hic inveniuntur & ager paſcuis abundat & ſolum tritici aliarumque fru-

gum feraciſſimum exiſtimatur. Nulla hic auri metalla; neque auri aut argenti notitiam olim habuiſſe indigenas veriſimile eſt, quippe quum ne argentum quidem in littora illorum è fractis Hiſpanorum navibus ejectum, colligere operæ precium duxerint, antequam metalli hujus precium ab Europæis didiciſſent. Unionum tamen copiam volunt habuiſſe in mediterraneis, ſi fides Hiſtoriæ, quam jam ante retulimus, non vacillat: non levi enim conjectura adducor ut credam, aut Eſurgni aut quid ſimile fuiſſe, quod Hiſpani pro unionibus acceperint; licet non abnuerim minutiores (forte etiam modicas) Margaritas hic, uti & alibi reperiri, ſed juxta littora aut in æſtuariis fluminum; ſed in amnibus aut paludibus procul à mari oſtrea margaritifera vera generari, nondum legi à quoquam obſervatum.

Cap. XIV.

Cæli ſolique natura & mores Indigenarum in illa Floridæ parte quam Galli luſtrarunt, è Commentariis Laudonerii.

R*Enatus Laudonerius* qui diligentiſſime has provincias luſtravit, qua Oceanum attingunt, de Florida teſtatur in hunc modum. Solùm maxima parte planum & crebris amnibus riguum, ſecus oram maris pene ubique arenoſum. Silvæ fere conſtant pinis (quarum nuces nucleis deſtituuntur) quercubus, juglandibus, ceraſis, moris, lentiſcis, caſtaneis, ſed magis ſilveſtribus quam ſint Europeæ. Magna inſuper cedrorum, cupreſſorum, laurorum, palmarumque copia; vites agreſtes paſſim arbores complectentes; complures meſpili majores atque meliores fructus ferentes quam in Gallia; Pruni quoque ſed fructibus magis ſpecioſis quam delicatis. Inter Silveſtres autem arbores excellit quam barbari *Pavame*, Galli *Saſſafras* vocant, materie & cortice præſertim exquiſitè odorato. Frutices præterea variorum generum & imprimis rubi, & qui minores acinos ferunt grati ſaporis, quos Galli appellant *blues*. Terra autem producit ſponte radicum quoddam genus, *Haſez* barbaris, quibus pro farre utuntur: Arbor denique *Eſquine* hic reperitur ſingulare, adverſus luem veneream atque alios contagioſos morbos antidotum. Quadrupedes vulgatiores ſunt cervi, rupicapræ, damæ, leones, pardi, lynces, lutræ, luporum aliquot ſpecies, lepores, cuniculi, canes feri, & feræ quæ à leonibus Africanis non multum abludunt. In Avium numero recenſentur Gallopavi, perdices, Pſittaci, columbæ, turtures, turdi, corvi, accipitres, ardeæ, grues, ciconeæ, anſeres, anates & infinitæ pene aliarum avium ſpecies, inter quas ſunt quædam minores elegantiſſimis plumis variegatæ. Crocodilorum ingens in amnibus numerus, uti & anguium varia genera.

Multum quidem auri atque argenti apud Barbaros reperitur, ſed è navibus Hiſpanorum in littus ejectis ſervati potius, quam in hiſce provinciis nati; cujus rei evidens indicium eſt, quod quo propius ad Auſtrum & Floridæ extimum promontorium acceditur, eo plus, quo vero magis ad Septentriones receſſeris, eo minus horum metallorum reperitur; licet barbari unanimi conſenſu prædicent in montibus *Apalatci* rutili metalli venas reperiri, quod ego (inquit *Laudonerius*) aurum Apalatci.
eſſe conjicio. Quamplurimas præterea herbas atque acinos producit hæc regio ad varios colores exprimendos valde idoneos, quibus & barbari ſcite noverunt uti in tergoribus ferarum, aliiſque rebus tingendis.

Viri olivaſtro ſunt colore, ſtatura grandi, corpore bene compacto ſine ulla deformitate; tergore cervino eleganter parato tegunt pudenda, cætera nudi: & brachia poplitesque variis notis picti, quæ ablui nequeunt, quippe cuti ipſi veluti inſculptæ; capillitio ſunt nigro atque ad femora uſque promiſſo, nonnumquam & in nodos haud indecenter collecto. Simulandi diſſimulandique artifices, doloſi, pugnandi avidi atque bellicoſi; arma ipſis ſunt arcus atque ſagittæ, chordas arcuum aut è nervis cervorum aut eorumdem tergoribus artificioſe præparatis & in lacinias diſſectis, contorquent: ſagittas aut piſcium dentibus aut lapillis aſperant: juniores ad curſuram exercent, præmia victoribus proponentes: ſagittandi quoque induſtriam

ſtriam

ſtriam uſu atque exercitatione ſibi comparant & piſcationi atque venationi ſupra modum indulgent.

Fœminæ eodem ſunt corporis habitu, eodemque colore atque in eundem modum pictæ; utrique autem & mares & fœminæ paulo candidiores naſcuntur, ſed crebris unctionibns, oleo quodam ipſis uſitato, colorem cutis adulterant: quod & ſuperſtitionis cujuſdam cauſa, quam tamen advenas ſtudioſe celant, faciunt, & ut nudam cutem adverſus ſolis ardorem obdurent atque muniant. Tanta autem illorum eſt agilitas, ut etiam fœminæ altiſſima flumina, infantes ſuos ulnis complexæ, natatu ſuperent & ſumma celeritate ad altiſſimarum arborum faſtigia enitantur; eædem omnia domeſtica munia obeunt. Plurimi reperiuntur in hiſce regionibus Hermaphroditi, qui onera portare & ad bellum proficiſcentibus annonam ſubvectare conſueverunt.

Maizium ſuum bis quotannis ſerunt, menſe nimirum Martio & rurſus Junio, idque in uno eodemque arvo; ſex reliquis menſibus terram quieſcere ſinunt. Agros numquam ſtercorant, ſed ſementem facturi primo zizania quæ ſemeſtri illo ſuccreverunt, incendunt, rediguntque in cineres; deinde ligneis inſtrumentis, qualibus in Gallia vinitores utuntur, ſubigunt terram, & bina grana maizy conjunctim conjiciunt & ſcrobem. Sementis tempore Regulus unum aliquem operis præficit, & large præbet *caſſines* potum; meſſem autem convehunt in publicum horreum, ex quo in ſingulas familias juxta proportionem diſtribuitur; tantum autem ſerunt, quantum ad ſemeſtre opus ſe habere judicant, idque ſatis parce; tribus enim quatuorve hibernis menſibus in ſilvarum adyta ſecedunt & tuguriola concinnant è palmarum ramis & ibidem *Maſte* (vox barbara eſt, cujus explicationem nondum inveni) piſcibus, oſtreis atque ferina vitam tolerant; cibos ſuos craticulis ligneis impoſitos aut flamma torrent aut indurant fumo. Crocodilorum carnibus ſupra modum delectantur, quæ ſane & candidæ ſunt & non inſipidæ, niſi quod muſcum redoleant. Quum morbo aliquo tentantur, uti venam aperiri nobis, ita illi à medicis ſuis ſanguinem è parte illa quam affectam putant, exſugi curant.

Cap. XV.

De Arboribus quibuſdam & herbis Floridæ familiaribus aliiſque.

Saſſafras.

INTER ſylveſtres arbores, quæ Floridæ familiares, ſupra recenſuimus *Saſſafras* quam arborem *Franciſcus Ximenes* ita deſcribit. *Saſſafras* eſt arbor grandis, foliis diviſis in tres partes, trunco glabro & ſubrubenti, & qui redolet aniſum. Calida & ſicca eſt pene in tertio gradu & ſubtilium partium, quapropter medetur colicis & nephriticis doloribus; & eſt validum remedium adverſus urinæ difficultatem & affectus renum è cauſa frigida natos: diſcutit flatus, aperit obſtructa, corroborat partes interiores, ſanat aſthma alioſque pectoris morbos è cauſa frigida ortos; adjuvat digeſtionem; laxat alvum; tollit uteri infœcunditatem; promovet menſes, & eſt validiſſimum remedium contra luem veneream: mitigat dolores dentium & corrigit rheumata. Exhibetur decoctum ligni, ramorum & radicum, præcipue autem corticum mane jejunis quantitate octo unciarum. Fit autem hoc modo: ſumunt mediam unciam radicum cum ſuo cortice in minutas aſſulas conciſarum & macerant per noctem in duodecim aquæ libris; dein coquunt lento igne, donec tertia pars conſumatur:ſed notandum tam in decoctione quam uſu,ægri eſſe habendam rationem, nimirum temperamenti illius, virium, ætatis & conſuetudinis, ſicuti & anni tempeſtatum; oportetq; ut victus ſit tenuis,ſiccuſq; uti in cæteris alexipharmacis adverſus luem veneream ſolet:Debet autem ſumma cautio adhiberi & corpus generatim purgari. Quidam decocto ſimplici utuntur pro ordinario potu,pauxillo ſolummodo vini admixto,ſine præcedentibus purgationibus aut ulla diæta:monendum præterea hujus decocti uſum valde periculoſum eſſe debilibus & valide afflictis:

Valet



Carlos.

C.XXIV

Valet per ſe lignum aquam marinam dulcem reddere, ut in extrema neceſſitate obſervatum ab ipſo Ximene: nam quum è Florida verſus veram Crucem navigarent anno cIↄ Iↄ cv, juxta ſinum *Carlos* aquæ dulcis inopia cœperunt laborare & ad exiguam Inſulam delati, ibidem invenerunt aquam, à marina vix quicquam differentem, ſed quum ibidem arbor hæc copioſiſſimè creſceret, aſſulas quaſdam ex illius materie diſſectas, immerſerunt aquæ, & poſt octiduum eandem dulciſſimam factam non ſine ſtupore hauſerunt. Hæc *Franciſcus Ximenez:* vide & integrum caput de hac arbore apud Monarden. Iconem è Dalechampio hic apponimus.

Fert quoque paſſim in ſilvis arborem, quam deſcripſit *Franciſcus Ximenes*, occaſione *Cahoz* arboris Peruviæ familiaris, quæ folia fert rotunda & delicata, coloris obſcure virentis, de qua ſuo loco dicetur. Non fuerit (inquit) præter propoſitum, hic meminiſſe alterius arboris huic non diſſimilis, niſi quod fructum non ferat, è cujus foliis indigenæ Floridæ potionem conficiunt, quam vocant *Cacinam*, quæ ſingulari virtute pollet ad urinam promovendam, & tanti fit ab Hiſpanis atque barbaris, ut vix ullus ſit qui non mane & veſperi illam hauriat, idque majori exceſſu quam in Nova Hiſpania ſolent Chocolaten; fit in hunc modum, ſumunt certam quantitatem foliorum & indunt illa vaſi argillaceo & ita ſicca ſine ullo liquore, titione ad hanc rem comparato tantiſper torrent & altera manu continuo verſant, donec color illorum viridis in rubrum mutetur, deinde illis ſenſim aquam affundunt, donec vas pene repleatur, & tum ſolum liquorem exhauriunt, qui colore refert vinum modice rubens, & ſpumam edit ad modum *Ghocolates* quando illi *athole* miſcetur. Hunc liquorem quantum ferre poſſunt, bibunt calidum è grandibus conchis marinis, magna contentione tam barbari quam Hiſpani, & ſe morituros credunt ſi aliquo die non hauſerint; poſt ſeſqui horam autem à potu, incredibilem effunduntur urinæ copiam, pene horæ ſpacio idque continuo; pauci itaque hic reperiuntur qui affectibus renum aut veſicæ laborent: barbari quoque hac potione ſe ſuſtentant; & quando corpus purgare volunt, miſcent illi aquam marinam; ita enim valide evacuat noxios humores & per ſedes & per vomitum, verum niſi modus in miſcendo teneatur, interdum enecantur. Potentiſſimum denique eſſe remedium adverſus nephritidem & arenulas hanc Cacinæ potionem, jam multoties experientia comprobavit. atque hæc de Arboribus.

Inter herbas excellit *Apoyomatli* ſive *Phatziſiranda*, quam idem *Ximenes* ita deſcribit. Folia (inquit) hujus herbæ ſunt ſimilia porri foliis, verum longiora & tenuiora, pene inſtar Cyperi, ad cujus ſpecies videtur referenda: caules habet inſtar juncorum, plenos pulpa, nodoſos & ſeſquicubitum altos; florem parvum & anguſtum: radicem tenuem, oblongam, per intervalla plenam nodis ſeu tuberculis rotundis & capillatis. Hiſpani vocant ſphærulas *S. Helenæ*, quia è portu Floridæ qui ita dicitur, in Hiſpaniam advehuntur. Tubercula iſta diſſecta & Soli expoſita mirum in modum durantur, & exterius induunt colorem nigrum, interius alba: præſidiarii illius loci ea perforant & conficiunt ex illis roſaria, quæ non modo ibi, ſed & in Hiſpania magni fiunt. Radix autem ſaporem habet aromaticum pene ad Galangæ modum; eſtque calida & ſicca in tertio gradu, & pene in quarto, nonnihil aſtringens & reſinoſa. Naſcitur locis humidis & ad ripas amnium. Barbari herbam inter duos lapides comminuunt, & totum corpus illinunt ſucco, quum ſe abluere volunt, idque fere quotidie, quia

quia carnem corroborare & ſuavi ſuo odore credunt perfundere. Pulverem vero valde ſubtilem, non modo barbari ſed & Hiſpani utiliter ſumunt in vino adverſus dolores Nephriticos; movet enim potenter urinam, rejicitque omnia excrementa quæ meatus ſolent oblimare. Contuſa vero & cum buccella ſumta mitigat dolores pectoris; & emplaſtro applicata ſiſtit ſanguinolentas dejectiones; corroborat ventriculum; medeturque affectibus uterinis. Meminit hujus plantæ Monardes; ſed in Cap.59. deſcriptione foliorum & caulium diſcrepat à Ximene, tribuens illi folia ampla & ramos humi procumbentes.

Cap.VII. Mittit quoque hæc provincia *Ambar* quod vocant *Griſeum* (inquit *Monardes*) idque in littus ejectum invenitur à *Cannaveral* ad promontorium uſque *D. Helenæ*.

CAP. XVI.

Regimen Politicum Floridanorum ex eodem Laudonerio.

FLORIDANI pluribus parent Regulis, quos ipſi vocant *Paracouſſios*, qui ut plurimum diſcordes, jugiter inter ſe bellum gerunt; non tamen aperto marte; ſed fere ex inſidiis graſſantur, & ex improviſo ſeſe mutuo opprimunt atque intercipiunt, & in interceptos crudeliter ſæviunt, mares omnes trucidantes, iiſque capita præcidentes, comarum gratia, quas in triumphis ſuis exultabundi circumferunt; imbelli tamen ſexui parcunt, & fœminas atque pueros in ſervitutem abreptos ſedulo educant. Victoriæ compotes domum reverſi, amicos omnes advocant, & triduum integrum noctu atque interdiu epulantur, cantillando tripudiandoque tempus terentes; chorum ducunt vetulæ, capillis occiſorum hoſtium ornatæ; Soli potiſſimum victoriam acceptam referunt, eique litant. Ad bellum proficiſcentes, panes, mel atque farinam è mayzio ſecum portant, nonnumquam & piſces fumo induratos, ubi hæc defecerunt, etiam immundiſſimis rebus veſcuntur, & carbones, arenaſque pulmentis ſuis admiſcent. Aciem explicantibus Regulus præit, una manu clavam, altera arcum geſtans, pharetra poſt tergum rejecta, reliqua turba ſequitur cum arcubus atque ſagittis; impetum autem faciunt cum maximis clamoribus & boatu.

Nihil temere aggrediuntur niſi Senatu ſæpe conſulto; ſingulis quoque diebus mane conveniunt in palatium, ubi Regulus eminentiori ſella conſidet, dein cæteri ſuo ordine pro ratione ætatis ingrediuntur, & manibus ſupra verticem elatis, præcinunt ſuum *Ha He ya*, reliquis *ha ha* proſequentibus: poſt illa ſinguli ſubſellia ſua occupant: Si res magni momenti in deliberationem veniat, etiam ſacerdotes, & quotquot ætate cæteros præcellunt, invitantur, illorumque conſilium ante omnia requiritur. Tum *Caſſine* infertur; præit bibendo Regulus, reliquiſque ex ordine infundi imperat.

Nulla hiſce barbaris certa religio, neque fere ullum certum numen venerantur, Soli tamen & Lunæ nonnullum cultum impendunt, cætera quoque quæ communem rationem excedentia in oculos incurrunt, ſuperſtitioſe colunt. Sacerdotes ſuos habent, quos vocant *Iawas*, quibus admodum obnoxii ſunt, auguriis illorum atque præſtigiis infatuati; nam præterquam quod magicarum artium minime ſint rudes, medicinam exercent & vulnera obligant, ſemper herbas atque alia medicamenta circumgeſtantes: Nullus autem morbus ipſis familiarior quam lues venerea, quum & fæminis intemperanter abutantur, nec marium nefaria conſuetudine abſtineant.

Connubia quidem ſingula privati & vulgus, plura autem Reguli & magnates colunt, unam tamen illi pro Regina habent, cujus liberos in ſpem ſucceſſionis educant: fæminis poſtquam prægnantes factæ fuerint, ut plurimum abſtinent, nec cum iis conſueſcunt quum menſtrua ſua patiuntur, nam & cibos tum earum contactu fædari autumant. Regulum defunctum ſolemniter efferunt, pateram, qua potare ſolitus eſt, tumulo ſuperimponunt, & innumeras ſagittas in ambitu infigunt terræ, triduano jejunio & ejulatu eum plangentes; vulgus quoque cæſariem ſuam præcidit in ſingulare luctus argumentum: denique Reguli arma & reliquam ſuppellectilem una cum domicilio illius incendunt atque abolent; & vetulas quaſdam deputant,

deputant, quæ toto ſemeſtri illum ſingulis diebus mane, meridie & veſperi diris ululatibus plangant. Vicini autem Reguli & amici magnifice juſta ipſi perſolvunt. Sacerdotes itidem in ædibus ſuis funerantur, quas ad eundem modum flammis abolent.

Cap. XVII.

Deſcriptio oppidorum & arcium quæ hodie ab Hiſpanis in Florida poſſidentur.

HISPANI hodie in Florida, pro tanta regionum amplitudine, pauca omnino poſſident oppida: nam ad magnum illum Sinum, qui Fretum Mexicanum admittit, hactenus nulla habent; ad oram autem quæ ab Oceano Septentrionali pulſatur, tantum bina: quorum prius, Oppidum *S. Auguſtini* nomine cenſetur cum ſuis arcibus, ad æſtuarium fluminis *May*, quod hodie *S. Auguſtini* dicitur, & interius ad ipſius fluminis ripas; diſtans ab auſtrali Floridæ promontorio, leucas, ut ferunt, quinquaginta. Alterum *S. Matthæo* ſacrum juxta cornu *S. Helenæ*, diſtans à priori leucas duodecim aut paulo plures, & ab Habanæ portu circiter centum.

Prius oppidum *S. Auguſtini* nomini dicatum, facile principale eſt, cujus fundamenta à Gallis fuerunt jacta, uti ante diximus: quod à Gurgio pene funditus deletum, poſt ipſius diſceſſum, à *Petro Melendez* fuit reſtauratum. Id ab Anglis duce fortiſſimo Equite *Franciſco Drakio*, anno cIↃ IↃ LXXXV in hunc modum fuit captum. E Sinu Mexicano per Fretum Bahamenſe in oceanum Septentrionalem delati Angli, quum oram Floridæ è vicino raderent, circiter XXX gradibus ab Æquatore verſus Arctum Floridæ littus proſpectantes, animadvertunt juxta fluminis æſtuarium ſpeculam quandam ad modum ſuggeſti eminere; itaque militibus in celoces impoſitis, curſum illo convertunt, ut quid rei eſſet è propinquo explorarent. Flumen ingreſſi exſcenſionem faciunt, & ripam circiter milliare unum ſequuti, munimentum conſpiciunt nuper admodum ab Hiſpanis ad adverſam ripam conſtructum; & ſupra illud, unius pene milliaris intervallo exiguum municipium, aliquot ligneis ædificiis conſtans, ſine ullo vallo. Angli itaque duo tormenta, quæ ſecum duxerant; ante veſperam dirigunt in munimentum, & aliquot ſuorum cum exiguo lembo mittunt, qui munimentum propius ſpecularentur. Hiſpani univerſas Anglorum copias advenire ſuſpicati, poſt aliquot tormentorum diſploſionem, fugam capiunt, paucis ſuorum in munimento relictis. Latuit aliquandiu Anglos Hiſpanorum fuga; donec Gallus quidam captivus ad ipſos tranſiret, & eorum quæ ab Hiſpanis gerebantur certiores faceret: Tum ſine mora omnes copiæ traductæ, & paucis illis ſtatim diffugientibus, munimentum nullo negotio captum: quippe nulla dum foſſa præmunitum, & vallo, quod ex tranſverſis lignis conſtabat, nondum perfecto; pauci enim menſes erant ex quo Hiſpani hoc munimentum moliri cœperant. Nihil alicujus pretii hic inventum, præter decem & quatuor ænea tormenta, & circiter viginti florenorum millia, in ſtipendia militum, qui hic CL in præſidio collocati erant, in ciſta depoſita. Munimentum hoc *S. Ioannis* nomini erat dicatum. Hoc potiti quantocius cymbis ſuis flumen aſcenderunt & ipſum *S. Auguſtini* municipium nullo negotio ſunt ingreſſi, præfecto *Petro Melendez* inter primos fugam capeſcente. Atque hic didicerunt, Hiſpanos duodecim leucis ab hoc loco verſus arctum, alterum municipium tenere juxta *S. Helenæ* promontorium, quod itidem à centum quinquaginta præſidiariis cuſtodiretur. Propoſitum erat *Drakio*, id quoque Hiſpanis eripere, verum quum inter navigandum mare vadoſum & oram admodum humilem & onerariis inſidioſam comperiſſet, mutato conſilio recta petiit Virginiam.

Cap. XVIII.

Deſcriptio Oræ Maritimæ provinciæ Floridæ, tam qua magno Oceano pulſatur, quam qua ſinum Mexicanum admittit.

Extimum Floridæ cornu, quà Cubam reſpicit verſus auſtrum, tegunt notiſſimæ inſulæ (vel potius ſcopuli) quæ *Martyres* nautis dicuntur. Pone Martyres jacet promontorium Floridæ, quatuor & viginti gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum; ab hoc littore legentibus verſus Aquilones occurrit primo amnis *Ays*; dein terræ cornu vulgo *punta de Cannaveral* viginti & octo gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore.

Canna-veral.

A quo duarum aut trium leucarum intervallo abeſt amnis ſive *Barra* (ut vocant) *de Moſquitos*, quam excipit decem aut plurium leucarum intervallo, *barra de Matanza*, ob Ribaldi & Gallorum cædem hoc nomine notata.

S. Auguſtin.

Paulo ultra jacet Flumen *S. Auguſtini*, patenti ore ſe pandens verſus Eurum; circiter triginta gradibus ab Æquatore verſus Arctum, uti ab Hiſpanis obſervatum.

S. Mathæi

Ab hoc flumine ad æſtuarium *S. Matthæi* ſunt decem leucæ; intermedio autem ſpacio exeunt in mare *Saravay* & *Sana* amnes, ſed *S. Matthæo* quam *Auguſtino* propiores.

S. Petri.

Sequitur deinceps octo leucar. intervallo *S. Petri* fluvius uno & triginta gradibus ab æquatore verſus Arctum: & quinq; leuc. amnis ſeu *Barra de Balenas*. dein ſeſquileucæ *Alacany* ſive *Gualaquiny* fluvius. A quo ad *Saon* vel *Chaon* numerantur leucæ quinque. A Saon porro ad *Deſpogen* una; ad *Capalam*, tres. A Capala ad *Coſonuſum* duæ; uno & triginta gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore. A Coſonuſo ad *Barram de Aſopo* tres leucæ. Ab Aſopo ad ſinum *Sanctæ Crucis* duæ & ſemis. A ſinu S. Crucis ad ſinum vadorum (vulgo *Dos Baxos*) tres. A Sinu vadorum ad promontorium *S. Helenæ* quinque, duobus & triginta gradibus & triginta ſcrupulis ad Æquatore verſus Arctum.

Iordanis.

A promontorio S. Helenæ ad *Oriſtanum* ſex leucæ. Ab Oriſtano ad *Oſtanum* quatuor. Ab Oſtano ad *Cayaguam* octo. A Cayagua ad flumen *Iordanis*, intervallum non proditur, diſtat autem ab Æquatore (ut annotant Hiſpani) tribus & triginta gradibus. Hactenus littora magno Oceano expoſita ita ſe habent.

Pars Floridæ quæ ſinum Mexicanum magno gyro admittit, minus cognita eſt, quæ tamen de illa accepimus, quoad orarum ductum, hæc fere ſunt. Poſt *Martyres* ſequuntur *Tortugæ* notiſſimæ inſulæ de quibus alibi diximus. Ad Continentem autem ſeu Occidentale Floridæ latus primum ſignatur *la Muſpa* & ab hac tredecim leuc. magis verſus Arctum ſinus de *Carlos* ſive *Calos*, quem & Ioannis Poncii Legionenſis nomine inſigniunt. A Poncii ſinu totidem leucas numerant ad *Tampam*. A Tampa ad ſinum *Spiritus S.* tres & triginta leucas; hic barbaris appellatur *Tocobaga*, diciturque ab Æquatore diſtare novem & viginti gradibus & triginta ſcrupulis verſus ſeptentriones.

Calos.

Atque hinc ora, quæ fere hactenus ad Arctum tetendit, vaſto & pene trecentarum leucarum ambitu ſe circumgyrat verſus occaſum, uſque ad flumen Palmarum, quo intervallo pauca admodum loca ſignata invenimus. Nam à *Tocobaga*, quæ aliis dici videtur *Ancon Baxo*, numerant leucas centum ad flumen Nivale vulgo *Rio de Nieves*. A flumine nivali ad Flumen florum viginti aut paulo plures. A flumine florum ad ſinum *Spiritus S.* (quem alterum eſſe oportet à præcedenti) ſive *Culatam* ut vulgo vocant, ſeptuaginta. A Culata ad flumen Piſcatorum, vulgo *Rio de Peſcadores* itidem ſeptuaginta. A flumine denique Piſcatorum ad flumen *Palmarum* centum.

DESCRIPTIO-

RPJCB


NOVA HISPANIA, NOVA GALICIA, GVATIMALA.
Anglica milliar.
Hiſpaniæ leucæ.
Germanica milliar.
NVEVA BISCAYA
Cinaloa
Tamotchala
Topia
S.Iuan
Sᵗᵃ Barbara
Durango
CVLLACAN
ZACATECAS
PANVCO
S.Louis de Tampice
Chametla
Zacatecas
S.Filipo
Tula
Xilotepeque
Papautla
Meſtitlan
XALISCO
Tepique
Compoſtella
Guadalajara
L.Chapala
NVEVA GALICIA
C.de Corrientes
Las tres Marias
Mexico
Lateotlalpa
Mechoacan
NVEVA ESPAÑA
Tlaſcala
Los Angeles
Xalapa
Misteca
Guaxaca
Acapulco
Tutepeque
Zacatula
Colima
WEST
MAR



GOLFO DE NVEVA
ESPAÑA
Tropicus Cancri
DEL ZVR
R. del Spiritu Santo
B. de Tampa
B. de Carlos, ó de Iuan Ponce
La Muſpa
Tortugas
Los Martires
B. del Spiritu Santo
R. de Flores
R. de Nieves
Hauana
CVBA
C. S. Anton
Negrillos
Bermeja
Los Alacranes
Y. de arenas
La Deſconoscida
Triangulo
La Çarça
R. de Lagartes
B. de Conil
C. de Cotoche
Conil
Chuaca
Sisal
Merida
Yzaes
Cocomes
Y.s de Mucheres
Valladolid
Cozumel
Campeche
Champaton
YVCATAN
Chetumal
L. de Chetumal
Lago de Bacalal
Sierras de S. Martin
Rocca partida
R. de Guazacoalco
R. de Gryalua
P.o Real
Lago de Xicalango
TABASCO
Salamanca
Zeltales
Zoques
Chiapa
Quelenes
Vera Paz
Soconusco
GOLFO DE HONDVRAS
Quitazuenho
Pantoja
Zaratan
Lamanay
G. de Guanajos
Vtila
Guajama
Guanaja
C. de Honduras
C. de Camaron
S. Millan
I. dos Baxos
Victosas
C. de 3 puntas
P.o de Higueras
Golfo Dulce
Trugillo
R. de Xagua
R. Guayape
S. Iorge de Olancho
B. de Cartago
C. de gracias a Dios
B. Honda
G. de Nicuesa
R. de Yare
S. Pedro
Gratias a Dios
Vulcan
S. Iago de Guatimala
GVATIMALA
HONDVRAS
Valladolid Comayagua
Chontales
S. Saluador
S. Miguel
B. de Fonseca
Xerez
La Trinidad
P.o de Acaxutla
R. Lempa
R. Xicalapa
B. de Guatimala
R. Ayutla
R. Coatlan
Segovia
NICARAGVA
Taguzcalpa, o Tiguzigalpa
Iaen
R. de Yayrepo
Leon
Realejo
L. de Nicaragua
Desaguadero
P.o de S. Iuan
Neque cheri
Granada
Malaya
Nicoya
R. de Varquez
P. de los Anzuelos
Cast. d'Austria
La Poseſsion
S. Iuan
P.o de Velez
C. Blanco
Chira
Golfo de Salinas
El Cano
COSTARICA
Chomes
Concepcion
Trinidad
Cartago
S.ta Fe
VERAGVA
Aranjues
Carlos
P.ta de Borica
I. de S.ta Maria
Escudo
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
OOST

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER QUINTUS.

NOVA HISPANIA.

Cap. I.

Novæ Hiſpaniæ *limites, cœli ſolique qualitates & deſcriptio generalis.*

NOva Hispania, principalis Americæ Septentrionalis pars, per ſe multas magnaſque provincias complectitur: olimque ad orientem Jucatana, ad occidentem California & Nova Biſcaya terminabatur: verum uti nunc provinciæ Americanæ in conventus Juridicos *(Audiencias* ipſi vocant*)* ab Hiſpanis ſunt diviſæ, longe aliis limitibus continetur, & Jucatanam quidem includit, novam autem Galæciam excludit. Patet itaque jam ab extremis peninſulæ Jucatanæ finibus verſus ortum, ad limitem occidentalem Mechuacanæ, ubi ſe à nova Galæcia dividit in longitudinem circiter quadringentas leucas; in latitudinem autem inter arctum & auſtrum, ab extremis Panucenſis provinciæ limitibus ad oceanum uſque Meridionalem, ſive Mare Pacificum, circiter ducentas. Opportuniſſimo utique loco ad utrumque mare poſita.

De ſoli natura & qualitatibus ita in communi judicat *Ioſepus Acoſta.* l.3.c.24.

Campis pabulo fœcundis, cæteras omnes Americæ provincias, longe præcellit Nova Hiſpania, unde hic innumerabiles equorum, taurorum vaccarumque, pecudum & ſimilium animalium greges reperiuntur. Fructibus omnis generis ſupra modum abundat; nec minus frumenti ferax eſt, omnibuſque ad victum neceſſariis cæteras novi orbis partes longe ſuperat. Vini tantum copia à Peruvia ſuperatur; nam licet vitem quidem haud maligne toleret, tamen uvas nequaquam ita maturat aut mitigat ut vino exprimendo ſint idoneæ; obſtat cœlum menſe Julio & Auguſto nimis pluvium: & ſiquid vini interdum exprimatur, tenue eſt & acidius & Longobardico & Genuenſi perſimile.

Cælo (quod & cæteris novi orbis provinciis peculiare, quæ intra Tropicum, ab æquatore verſus ſeptentriones divergunt) gaudet ſudo & ſereno ab initio Novembris ad Aprilem uſque: Nam Sol hiſce menſibus ultra lineam æquinoctialem verſus Tropicum Capricorni tendens & longius ab hoc clymate recedens pluvias arcet; & contra ſuperato rurſus Æquatore ad Cancri tropicum remeans, largis pluviis rigat quotidie ſolum, ita ut fluvii multi alveos ſuos egredientes, campeſtria longe lateque inundent, idque potiſſimum à Junio in Septembrem: Non tamen in omnibus provinciis, eodem modo & menſura, uti poſtea diſtinguemus, quum ad ſingularum deſcriptionem pervenerimus.

Bis quotannis in tota Nova Hiſpania ſeritur atque metitur: id ſoli cælique diverſitate accidit: in editis quippe collibus & natura ſua ſiccis menſe Aprili & Maio ſementem faciunt, quumque utplurimum ſub veſperam largus imber decidat & ſudæ ſint noctes, interdiu autem Sol vehementer ferueat, fruges egregie maturantur & metuntur menſe Octobri: (Novembrem operiri non caret diſcrimine, quia nonnumquam pruina aut gelu nocturnum ariſtas adurit & frumentum corrumpit:) in humilibus vero & riguis aruis, quum ab Octobri ad Martium uſque parum admo-

dum pluat, ſementem faciunt menſe Octobri, metunt Maio: atque ita cœli ſolique natura alternante, etiam ſerendi metendique tempeſtates variant. Unde jam à barbarorum temporibus provincias in calidas & frigidas fuiſſe diviſas legimus, non quod ullæ admodum frigidæ ſint, nam omnes intra zonam torridam concluduntur, ſed quia aliæ montanæ ſunt, aliæ planiores & campeſtres, uti ſuo loco à nobis dicetur.

Abundat imprimis argenti metallis (nam auri hic admodum rara ſunt) de quibus in ſingulis provinciis dicturi ſumus.

Denique dividitur hic conventus juridicus in plures provincias, *Mexicanam* ſive Archiepiſcopatum, *Tlaxcalam*, *Mechuacanam*, *Guaxacam*, *Chiapam*, quæ totidem Epiſcopatus habent, *Panucum* & *Iucatanam*, quæ præfecturæ vocantur; ſingulas ergo ordine proſequemur, ubi ante arbores quaſdam & plantas inſigniores aliaque ejus generis deſcripſerimus.

Cap. II.

Reſinarum & liquorum aromaticorum deſcriptio, quorum magna copia in Nova Hiſpania *invenitur.*

QUANQUAM plures provinciæ tam Septentrionalis quam Auſtralis Americæ reſinas & liquores aromaticos ferant, tamen Nova Hiſpania cæteras longe ſuperat eorumdem varietate, præſtantia atque copia, quorum nonnullos præſtantiſſimos hic deſcribemus.

Inter reſinas facile primum ſibi locum poſtulat *Liquidambar*; arbor quæ reſinam hanc exſudat à Mexicanis appellatur *Xochiocotzol quaxihuitl*; eſtque admodum vaſta, folia illius ſunt ſimilia Laricis foliis, duobus ſinibus in tres angulos diviſa, una parte candicantia, altera obſcurè virentia & undique ſerrata: Cortex trunci & ramorum partim viridis eſt partim rubicundus: eo vulnerato emanat liquor ſive reſina, quam Hiſpani vocant *Liquidambar*, Mexicani *Xochi ocotzotl*, quæ ſuavitate odoris accedit ad ſtoracem: eſt calida in tertio gradu, & ſiccandi facultate prædita: foris applicata refocillat ventriculum debilem, corroborat cor, conciliat ſomnum; ſuffitus illius ſedat dolores capitis è cauſa frigida natos; eſtque ſingulare remedium adverſus ſpaſmum & affectus uterinos. Manat quoque ex eadem arbore oleum non minus præſtans odore & virtute medica; quod à nonnullis uſurpatur pro ſtorace liquida: alii putant oleum hoc ſtillare ex reſina ſoli expoſita, aut prælo expreſſa, ita ut ſubtilior pars à craſſiore ſegregetur, in quo falli videntur. Qui plura de hac reſina & oleo
cap. VIII. deſiderat, adeat *Nicolaum Monarden* in exoticis *Caroli Cluſii*, ubi & vires illius accurate deſcriptas inveniet.

Secundum locum ſibi flagitat *Copal*: barbari autem Novæ Hiſpaniæ & imprimis Mexicani communi nomine omnes reſinas odoratas & gummi vocant *Copal* & varias illarum ſpecies peculiaribus diſtinguunt agnominibus, plures enim ſunt arbores quæ ejuſmodi reſinas fundunt, quas non abs re fuerit particulatim recenſere, ut differentia noſtris penitius innoteſcat. Primo itaque per excellentiam vocant *Copal*, reſinam candidam & tranſparentem, quæ exſudat ex arbore, cujus folia ſunt ſimilia robori, ſed longiora, fructus rotundus colore ſubrubente & eodem ſapore cum reſina; quæ ex arbore manat interdum ſponte, interdum vulnerata; vocant *Copal quahuitl*, id eſt, arborem quæ fert *Copal*. Naſcitur locis calidis; & diverſitas quædam obſervatur, inter arbores quæ montoſis locis aut campeſtribus proveniunt, tam in forma ipſius arboris, quam in colore reſinæ. Secundò vocant *Copal quahuitl patlahuac* ob latitudinem foliorum qua ejuſdem generis arbores multum excedit; eſt autem arbor mediocris, foliis diſſectis & admodum ſimilibus plantæ quæ in Hiſpaniis appellatur Zumaque, latinis Nautea, tam quoad colorem, aſperitatem ſiccitatemque, quam formam foliorum: ramos habet inſtar alarum, è quibus eliquat reſina cādida quidem, ſed nonnihil diverſa à ſuperiore & minore quantitate. Tertiò *Copal quauhxiotl*, quæ eſt arbor procera & glabro cortice qui facile ſe patitur à trunco ſeparari: folia illius ſunt parva ſed longiuſcula, ſimilia rutæ licet minora & longiora: fructus fert racematim pendulos à ſingulis pediculis: exſudat liquorem reſinoſum, colore & odore ſimilem *Copal*, ſed parce admo-

admodum. Quartò *Tepecopalli quahuitl*,id eſt,*Copal* montenſis;quæ eſt arbor modica foliis arbuti,ferens fructus ſimiles glandibus,qui continent nucleum coopertum quadam ſaliva lubrica & reſinoſa, intus candidum & ad diverſa utilem. Exſudat hæc arbor reſinam admodum ſimilem thuri antiquorum,& uti creditur illius ſpeciem,quare ab Hiſpanis in America appellatur *incienſo de las Indias*, id eſt, thus Americanum, & à nonnullis *Anime:* atque hoc ſibi voluit *Monardes*, qui diſtinguens inter *Copal* & Animen dicit; *Copal* eſſe reſinam admodum candidam,lucidam,transparentem, magnis fragmentis & haud diſſimilem diacitro valde tranſparenti; Animen autem eſſe reſinam albam vergentem ad colorem thuris & Copale magis oleaginoſam. Differre autem ab Anime orientali, quod hæc peregrina neque tam candida ſit neque tam lucida. Huic inſignem virtutem tribuunt, matricem loco motam reſtituendi. Quintò *Cuitlacopalli* ſive *Xioquahuitl* ob trunci ſcabritiem; quæ eſt arbor mediocris, foliis parvis & orbicularibus; ferens grana racematim collecta inſtar Oxyacanthæ, valde odorata & viſcoſa: fundit de ſe gummi nonnihil odoratum, quod calidum judicant in tertio gradu & humectandi facultate præditum. Sextò *Tecopalquahuitlpitzahuac*, id eſt, Copal arbor ſubtilibus frondibus; eſt arbor mediæ magnitudinis, quæ exſudat lachrymam ſive ſpeciem thuris, quæ paulo nigrior eſt; habet folia ordine quodam digeſta ad alterum ramorum latus, paulo majora rutæ foliis; fructum fert minutum, rubicundum & figura piperi rotundo non abſimilem; quorum unum atque alterum ordine digeſtum habet ad ſingulos ramos. Septimò *Xochicopalli*,id eſt,Copal floridum (vocatur & *Xarapiſca*;) quæ eſt arbor modica foliis menthæ Saracenicæ,licet non tam profundè diſſectis,quæ terna conjunctim ramis hærent: truncum habet valde odoratum; exſudat liquorem coloris fulvi ſive leonini, qui redolet mirum in modum limones. Octavò *Mizquixochicopalli* vel *Xochicopal quahuitl*, quæ eſt arbor grandis, foliis aurantiæ mali; trunco notis quibuſdam candidis variegato, floribus rubicundis ſed exiguis:exſudat reſinam coloris ignei,quam Animen vocant atque etiam Copal. Cæterum reſina quæ per excellentiam vocatur *Copal* eſt calida pene in tertio gradu, ſiccans aliquantulum & adſtringens,ſuaviſſimo odore, lenit dolorem capitis ſuffitu ſuo, ſi oriatur è cauſa frigida: medetur ſuffocationi uterinæ & ut compendio dicam, præſens eſt remedium adverſus omnes affectus è cauſa humida aut frigida;idem præſtant & cæteræ ſpecies Copal. videatur idem *Monardes*.

Tertium locum attribuo Reſinæ quam barbari vocant *Holli* & Hiſpani *Vle*; arbor appellatur *Holquahuitl:* illius duæ reperiuntur ſpecies; una quæ truncum obtinet lævem & fulvum, plenum pulpâ lenta & viſcoſa, flores candidos, & frondes grandiores, & ſphærulas ſubrubicundi coloris trunco affixas, plenas fructibus candidis inſtar avellanarum,qui cooperiuntur tela fuſca,ſapore amaro. Altera habet folia ſimilia aurantiæ foliis, ſed paulo majora: utriuſque cortex eſt amari ſaporis. Cortex inciſus fundit reſinam, quæ initio eſt coloris lactei, tum fuſci & denique nigri: cogitur in pilas rotundas, quibus & barbari loco pilarum utuntur: hac corpora ſua illinunt: eandem & cum certis vermibus quos vocant *Axin* in pillulas coactam deglutiunt; ut agilitatem ſibi addant & membra in omnes partes verſandi & flectendi miram dexteritatem; pollet & medicis facultatibus, movet enim urinam, mundat uterum, & putatur ſterilitatem fœminarum corrigere. Folia hujus arboris ſiccata & contuſa, leones, tigres & ſimiles feras dicuntur necare.

Quartum locum tenet *Tecomahaca*, uti corrupto paulum nomine jam vulgo appellatur,nam barbari vocant *Tecomahiayc*,itemq; *Copalyhyac*; & *Memeyal quahuitl* ipſam arborem; Eſt autem arbor grandis,foliis orbicularibus & ſerratis; fert in extremo ramorum fructum exiguum, rotundum, ruffum, plenum ſeminibus inſtar nucleorum cotonei mali;planta eſt acris & mordax,odorifera cum adſtringendi facultate: ex hac interdum ſponte, interdum vulnerata,emanat reſina jam omnibus nota,quæ eaſdem facultates obtinet cum antecedentibus:quidam myrrhæ loco uſurpant:ſedat dolores è flatulenta materia ortos; diſſolvit tumores lentos & viſcoſos; utero autem adeo amica eſt ut prunis impoſita & naribus appoſita ſtatim laborantibus ſuccurrat; umbelico applicata retinet menſes immoderate fluentes,corroborat matricem,eamque ſervat ſuo loco: dentium concavitatibus indita; ſedat dolores eoſq; liberat à putredine; denique præſtantiſſimum eſt remedium adverſus omnes affectus è cauſa frigida.

Quinto loco nobis dicetur *Caranna:* hæc eliquatur è grandi arbore, quam barbari Mexicani vocant *Tlahuilillocan;* truncum habet lævem, rubrum & ſplendentem, valde odoratum; folia ſimilia oleæ, decuſſatim aut crucis in modum diſpoſita: reſina obtinet eaſdem facultates quas Tecomahaca & ut quidam opinantur etiam majores, licet non tam crebro uſurpetur, uti adhuc ignotior.

Sexto loco Gummi quoddam odoriferum inſtar Anethi, quod funditur ab arbore, quam barbari vocant *Huitzil xochitl* & *Anetl-inan,* quæ truncum habet rectum & glabrum, exteriore parte obſcure virentem, interiori candidum, folia ſerrata & acuta, ſimilia baſilico: flores pallidos, ſed ad oras flaveſcentes: ſapore juxta atque odore ſimiles anetho, efficacia vero majori.

Septimo reſinam candidam & valde odoratam qua medici barbari plurimum utuntur adverſus dyſenteriam: injecta in aquam ſtatim reſolvitur in lacteum liquorem, quem ipſi vocant *Quauhcitlali,* & exhibent quantitate oboli per ſe aut cum Copal, ſiſtit mirifice ſanguinem è quacunque parte corporis manantem, ſed cavendum ne majori quantitate ſumatur: emanat ex arbore valde procera, quā vocant *Quauhcopaltic xixio,* truncum habet lævem & tenerum, & ſponte diſſilientē inſtar ſquamarum; folia baſilici, fructus oxyachantæ, licet majores, qui initio virent, ſed mox rubeſcunt.

Poſtremo loco nobis commemorandum *Balſamum*; *Hutzochitl* (inquit *Fr. Ximenes*, quem & in antecedentibus ſecuti ſumus) quam Panucenſes barbari appellant *Chute* & Hiſpani Balſamum (quia exſudat liquorem admodum ſimilem Balſamo Syriæ & nequaquam inferiorem odore & qualitatibus) eſt arbor magnitudine aurantiæ mali, foliis amygdali, ſed majoribus & acutioribus; fert flores flavos in extremitatibus ramorum, foliis longis & anguſtis in quibus certa ſemina incluſa reperiuntur, ad fuſcum colorem vergentia. Cortex hujus arboris quavis anni tempeſtate, ſed præcipue quum pluviæ deſinunt, inciſus effundit nobiliſſimum liquorem, colore fulvo vergente ad nigrum, ſapore acri & nonnihil amaro, odore vehementi, ſed gratiſſimo. Cogitur & alio modo, Gemmas arboris & teneriores ramulos minutim conciſos coquendo in aqua & oleoſam ſubſtantiam quæ ſupernatat colligendo in vitrum; ſed hoc Balſamum ignobilius eſt. E ſeminibus autem hujus arboris exprimitur oleum non minus ſuavis & grati odoris, haud diſſimile oleo amygdalarum amararum, ſed acrius: pollet eiſdem pene virtutibus quibus Balſamum; de quibus medici conſulendi & imprimis *Monardes.* Alia præterea arbor hic reperitur, quam vocant *Quauticonex,* modicę proceritatis, craſſo trunco, materie ſolida ac dura, odorataq;: Folia illius ſunt lata; flos minutus ac candidus, fructus ſimilis baccæ lauri. Corticem hujus minutim concidunt, & quatuor diebus macerant in aqua, dein exemtum ſoli exponunt, & ubi incaluerit, exprimunt prælo, liquorem admodum ſimilem Balſamo, & ad varia utilem.


Nihil hic dicam de *Lacca*, licet ejus quoque copia ſuppetat, niſi arborem quæ illam fundit hic appellari *Tzinacan cuitlaquahuitl:* ſicuti nec de ſanguine Draconis; licet arbor quæ illum producit, hic frequentiſſima ſit & *Ezquahuitl* appelletur; qui deſcriptionem illius deſiderat adeat *Monarden.*

CAP. III.

De fructiferis aliquot arboribus, plantiſque Novæ Hiſpaniæ *peculiaribus.*

INTER fructiferas arbores primo nobis commemoranda, *Achiotl* quam alii vocant *Changuaricam*, quidam & *Pamaquam*, quam *Fr. Ximenez* ita deſcribit: Eſt arbor magnitudine & trunco, formaque aurantiæ malo ſimilis: folia ſunt ulmi foliis figura, colore & aſperitate admodum ſimilia; cortex, truncus, & rami ſunt ruffi vergentes ad viridem colorem; flores grandes in modum ſtellarum quinque foliis diſtincti, coloris è candido rubicundi; fructus eſt ſimilis calicibus caſtaneæ, forma & magnitudine parvarum amygdalarum viridium, quadrangularis, qui ubi maturuerit dehiſcit, certa grana rubentia ſimilia granis uvarum, ſed magis rotunda continens. Barbari hanc magni faciunt, coluntque circa tuguria ſua, viret toto anno, fertque fructum verno tempore, quo & materies illius cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum, inſtar ſilicis: cortex eſt utilis ad funes & rudentes, qui robuſtiores ſunt cannabinis. E ſemine denique fit tinctura coccinea qua pictores utuntur: eadem


eadem & in medicina uſurpatur, quum frigida ſit qualitate; cum aqua aliqua ejuſdem qualitatis hauſta, aut foris applicata, mitigat æſtus febriles, ſiſtitque dyſenteriæ fluxum; denique utiliter adjungitur omnibus potionibus refrigerantibus: unde etiam vulgo miſcetur potioni Cacao ad refrigerandum & bonum ſaporem & colorem illi conciliandum.



Secundò *Amacoztic.* (quam alii vocant *Texcalamatl*, alii *Tepeamatl*) arbor grandis latis foliis & inſtar hederæ, craſſis & ſubpurpureis, & pene figura cordis ut pingitur vulgo, ferens fructus ſimiles exiguis ficubus, colore purpureo, plenos ſeminibus minutis & rubris. Pene adducor ut credam hunc eſſe fructum illum, aut certe illi ſimilem quem Clariſſ. Cluſius in exoticis ſuis expreſſit, ideoque Iconem quam dedit hic adjungendam exiſtimavi. Credo autem eundem virum Clariſſimum haud fruſtra ſuſpicatum hunc fructum eſſe arboris quam in Inſulis appellant *Gaguey* quam Oviedus deſcribit lib. VIII. cap. XV. *Gaguey* (inquit) eſt arbor producens fructum inſtar ficus, verum haud majorem avellana, interius vero plane ad modum ficus candidæ caſtellanæ, plenum minutiſſimis granulis, & grati ſaporis. Fr. Ximenes ſcribit, decoctum radicum humectare linguam febricitantium; pectoris dolores lenire; & proprietate quadam occulta, choleram evacuare & flegma, per vomitiones & ſedes: coquendo tres uncias radicum in tribus aquæ libris, donec dimidia pars conſumatur. Lib. I. c. XI.


Tertiò *Copalxocotl* (quia materies illius redolet *Copal*) quam Taraſci vocant *Pompoquam*, arbor eſt foliis ceraſi noſtratis; fructus ferens ſimiles exiguis pomis, dulces quidem ſed valde adſtringentes; qui exſudant ſalviam quandam valde viſcoſam, quam febribus dyſenteriæ mederi volunt.

Quartò *Quauhayohuatli* quam alii vocant *Quahtlalatzin*, eſt arbor grandis, craſſo trunco, rubro & contorto, ramis undique projectis, foliis Adelfæ ſive Rhododendri, anguſtis & longis, fructu orbiculari ſed compreſſo, ſimili fabis marinis, ſed minore. Fabæ Iconem hic exhibemus ea mole & forma qua revera eſt ad vivum expreſſam. Quinque horum fructuum aut ad ſummum ſeptem mirifice purgant, ſi ante paulum torreantur & contuſi in vino macerentur; ſed auferendæ ſunt membranæ quibus tecti ſunt, & quibus per medium ſunt diviſi. Monardes de hiſce ita ſcribit: Fabæ purgatrices quæ Carthagine & Nomine Dei naſcuntur, noſtris ſimiles ſunt, ejuſdem cum noſtris formæ & coloris, pellicula quadam tenui, ut ceparum tunicula eſt exterior, illas per medium interſecante, quæ cum cortice abjicienda eſt; alioquin tanta vehementia ſupernè & infernè purgant ut in vitæ diſcrimen ſumentem conjiciat. Quæ fabarum noſtrarum ſimilitudo, quã cur illis tribuerit ignoro (niſi forte adhuc aliæ reperiantur præter has quas exhibemus,) Clariſſ. virum Cluſium multum fruſtra torſit ut aliquam Iconem illis daret. Hanc quam expreſſimus fabam purgatricem eſſe certo certius eſt, colore caſtanearum, & minime craſſam aut admodum convexam, denique nihil ſimile habentem cum noſtrate faba communi. cap. XLIX.



Author noſter Fr. Ximenez & aliam arborem nomine *Quauhtlalatzin* deſcribit, quæ ita vocatur, quia fructus ubi maturuerit, dehiſcit cum magno ſtrepitu, & tam longe diſſilit quaſi tormento bellico ejiceretur: eſt arbor grandis, foliis mori, ſed majoribus, in ambitu ſerratis, cum multis venulis: truncus illius eſt fulvus: fructus rotundus, ſed utrimque compreſſus & ſtriatus inſtar melonis, continens duodecim aut etiam plures nucleos candidos & orbiculares, figura nummi regalis; quorum duo (demtis membranulis quæ medios dividunt, has enim angores cauſare obſervant)

ſuperne & inferne purgant omnes noxios humores, maxime bilioſos & pituitoſos; nuclei autem nonnihil torrendi ſunt & aqua macerandi & à jejunis ſumendi: medicamentum eſt ſecurum.



Quintò *Quauhayohuachtli* ſive arbor quæ fert pineas nuces purgatrices: hæc eſt arbor mediocris magnitudinis, foliis grandibus inſtar lappæ, quaſi rotundis & crenatis; fructus eſt ſimilis communibus nucibus, continens tres nucleos, ſuis ſeptis & concavitatibus diviſos, qui admodum ſimiles ſunt noſtris pineis nucibus, verum majores, & longe diverſis facultatibus præditæ: nam pollent ſingulari virtute ſuperne & inferne evacuandi omnes humores noxios, præcipue craſſos & lentos; quare fere in morbis inveteratis adhibentur, quinque aut ſeptem, & neſcio qua cauſa aut quo myſterio etiam novem; torrendæ autem ante ſunt ut lenius operentur, deinde frangendæ & in vino aut aqua macerandæ; ſunt natura calidæ & pingues. Iconem hic exhibemus. Clariſſ. Cluſius hunc fructum deſcripſit & iconem expreſſit in notis ad Monardem ſub nomine Ricini Americani; quanquam vix credo eundem fructum fuiſſe, neque enim forma nucleorum aut ipſius ſiliquæ ſatis convenit; Iconem autem noſtram ad vivum exprimendam curavimus, prout fructus ad nos delatus fuerat è Braſilia, ubi à Luſitanis *Pinnones de braſil* appellantur. Vide Monarden de oleo quod ex hoc fructu exprimi ſcribit.

cap.IV. Sextò *Ahuacaquahuitl*; quæ eſt arbor ſimilis ilici, foliis aurantiæ mali, ſed magis virentibus, majoribus & magis aſperis, flore exiguo & è candido flaveſcente; fert fructum ovi forma, ſed longe majorem & aſperiorem, quique magis accedat ad formam & molem ficus præcocis (quam Hiſpani vocant *Brevam*) exterius nigri coloris, & interdum obſcure viridis, interius herbacei, ita pinguis ut vaccino butyro accedat, ſapore nucum recentium; folia illius ſunt odorata, calida & ſicca in ſecundo gradu, quare vulgo in balneis uſurpantur. Fructus quoque eſt calidus & palato gratus quem Hiſpani corrupto nomine vocant *Aguacaten*, & licet non ſit ingrati ſaporis neq; improbi nutrimenti, tamen eſt pinguis & humidus, & valde excitat venerem & auget ſemen. Continet interius certa oſſicula ſive nucleos ex albo rubentes, læves, duros & ſolidos, in duas partes inſtar amygdalarum diviſos, ſed longiores & majores ovis palumbum; quibus ſapor eſt amygdalarum amararum, unde & ſimile oleum ex illis exprimitur, non modo ejuſdem odoris ſed & ſaporis & efficaciæ.

Septimò *Quauhtzapotl*, aliis quoque *Texaltzapotl* Hiſpanis *Annona*; eſt grandis arbor foliis aurantiæ mali, ſed anguſtioribus; floribus candidis & in tres angulos diviſis, qui magnitudine & odoris ſuavitate ſunt ſimiles floribus pyrorum præcocium. Fructus variegatur rubris & herboſis notis, magnitudine melonis Americanæ; partes illius interiores ſcatent nucleis exiguis & nigris; valde ſimilis eſt ſubſtantia illius celebri illi obſonio, quod vocant *Maniar blanco* tam colore quam ſuavitate, licet neutiquam eadem nutriendi facultate polleat, nam generat flatus & pravos humores; grana hujus fructus ſiſtunt alvum.

Octavo *Xahuali* (de qua alibi me dicturũ promiſi,) eſt pulcherrima arbor, habens folia ſimilia fraxino; materies illius eſt gravis, pardo colore vergens ad fulvum: fructũ fert ſimilem capitellis papaveris, abſque corona tamen: quem maturum nonnulli comedunt; Indi autem aquam ex illo exprimunt, qua crura & totum interdum corpus abluunt, quando caro præ laſſitudine flacceſcit, ad corroborandum illam; nam propria illius vis eſt aſtringere, & porro nigro colore tingere; cutis enim ſenſim tingitur colore nigro, qui nullo modo ablui poteſt, ſed poſt xv dies ſponte evaneſcit: ungues autem numquam colorem mutant, niſi quum ipſi mutantur. Barbari in ſympoſiis & expeditionibus bellicis ſe hoc liquore ſolent tingere ut hoſtibus ſuis terribiliores appareant.

Nono

Nono *Coatl* & aliis *Tlapalezpatli*,grandis frutex, quique non raro in molem arboris excreſcit, truncus illius eſt craſſus, enodis inſtar piri arboris; folia ſunt ſimilia ciceris foliis, verum minora, aut non diſſimilia rutæ, aut paulo majora: flores exigui, oblongi,lutei & ſpicatim digeſti; eſt frigida & humida planta, licet parum recedat à medio temperamento.Materies illius tingit aquam cęruleo colore,quæ pota refrigerat & mundat renes & veſicam,temperatq; urinæ acrimoniam; jam à multis annis infertur Hiſpaniæ, ubi *Lignum Nephriticum* appellatur. Monardem hic audiamus: Mittit etiam nobis Nova Hiſpania ligni quoddam genus craſſum & enode, materie pyri, cujus uſus jam diu receptus fuit in his regionibus, ad renum vitia, urinæque difficultates & incommoda.Poſtea experimento comprobatum eſt,ejus aquam in Jecoris & Lienis obſtructionibus, utilem eſſe. Illa autem hac ratione paratur: Lignum aſſulatim & minutim conciſum in optima & limpidiſſima aqua fontana maceratur, atq; in ea relinquitur donec aqua à bibentibus abſumta ſit. Dimidia hora poſt injectum lignum,aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui ſenſim intenditur pro temporis diuturnitate,tametſi lignum candidum ſit,(cæruleum ideo dico,quoniam adulteratur alio ligno ſimili,quod aquam croceo colore inficit,ne quis fallatur.)Hac aqua aſſiduo utuntur, ea vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus, ſine ulla humorum commotione,neque opus eſt alia victus ratione,quam temperata: aquæ enim ſapor non magis immutatur ligni injectione, quam ſi nihil in ea maceratum eſſet, Calidum & ſiccum eſt in primo gradu. Hæc ille. Obſervat *Fr.Ximenez*; lignum poſtquam quindecim dies continuos aqua maceratum fuerit, virtutem illius penitus exhauriri, neque amplius aquam colore illo cæruleo tingi. c.xxvii.

Decimo *Higuero* (ut vocant Hiſpani)arbor grandis,foliis noſtratis mori,atq; adeo forma & magnitudine illi ſimilis: fructus fert inſtar cucurbitarum, oblongos, orbiculares & aliis figuris: è quibus barbari cyathos & alia vaſa conficiunt,quæ vocant *Tecomates* è quibus vulgo potum Cacao hauriunt. Medullam fructus nonnunquam comedunt barbari, quum alio victu deſtituuntur, eſt ſimilis medullæ cucurbitarum.



Undecimo *Xalxocotl*(indigenæ Inſulæ Hiſpaniolæ vocabant *Guyabo*, quod nomen & Hiſpani retinent) eſt arbor grandis, cujus variæ reperiuntur ſpecies; quarum duas *Fr. Ximenes* ita deſcribit: (Iconem autem ab Hiſpano delineatam ramuli cum fructu hic apponendam duximus:) prima eſt foliis aurantiæ mali, ſed minoribus & villoſis, floribus candidis, fructu rotundo & pleno granulis pene inſtar ficus, unde illi nomen apud Mexicanos natum, quod ſonat fructum arenoſum: folia ſunt acida & aſtringentia & valde odorata, ſanant ſcabiem, & ſolent illis uti in balneis; cortex eſt frigidus & ſiccus valdeque aſtringens: decoctum illius diſcutit inflationes crurum, & ſanat plagas fiſtuloſas; ſurditati quoque mederi volunt, & ventris dolores tollere, propter facultates quaſdam occultas quæ non obſervantur. Fructus eſt calidus & ſiccus, præcipue pars illius exterior & ſolida, nam interior blanda eſt & caloris moderati, redolens quodammodo cimices, nihilo tamen minus menſis infertur, & cum voluptate à plurimis guſtatur, licet non omnibus æque conveniat. Sunt qui concoctionem promovere

vere dicant & ventriculum calefacere ex cauſa frigida languentem. Secunda ſpecies fructus fert longe majores, neque tam male olentes, itaque delicatiores habentur. Hæc ille. Deſcribit & eandem arborem & fructum *Oviedus:* Arbor (inquit) lib.viii. cap.xix. eſt grandis, foliis aurantiæ, ſed rarioribus ramis & magis ſparſis, frondibus quoque haud ita virentibus, formaque magis accedentibus ad lauri folia, niſi quod paulo latiora ſint & craſſiora, & venis magis tumidis. Duæ ſunt hujus ſpecies, ſed omnes ferunt fructus inſtar pomorum, alios longos, alios rotundos; alios carne rubra, alios candida; omnes tamen cortice viridi aut flavo ubi plenè maturuerint; verum quia maturi, ſapore ſunt ingratiore, & vermibus obnoxii, ut plurimum virides carpuntur: Intus ſunt ſolidi, in quatuor veluti partes diviſi; quibus & granula quædam duriſſima continentur: in faſtigio habet fructus coronam foliorum minutorum quæ c.lxiv. facile excidunt. Meminit & Gomara; & Monardes uti videre eſt in Exoticis C. Cluſii.

Duodecimo *Maguey* vulgo, Mexicanis *Metl*; arbor quæ ab indigenis magni fit & ſtudioſe colitur; folia illi ſunt lata & craſſa (tegularum propemodum magnitudine & eodem modo carinata ut Gomora teſtatur) longis validiſque ſpinis & extremum mucronem armata, quæ acuum & acicularum atque adeo terebrarum uſum præſtant, interiores autem foliorum fibræ, filorum; Truncum autem ſatis craſſum; & pyramidis in modum faſtigiatum, incidunt atque excavant, è quo emanat liquor, inſtar aquæ, limpidiſſimus, potari pulcherrimus atque adeo ſalubris, tanta copia ut (mirabile dictu) ex una planta interdum quinquaginta arobæ (quarum ſingulæ capiunt xvi ſextarios) effluant: is levi decoctione convertitur in *Mel*; depuratione in Saccharum; dilutione in acetum & addita *Ocpactli* (radix eſt quæ à præſtantia *Vini Medicina* vocatur, quam tamen non invenio ab authore meo deſcriptàm) in vinum: *Fra. Ximenez* ſcribit vinum fieri è Saccharo illius affundendo aquam, & miſcendo ſemina aurantiorum, melonum & alia, quo facilius inebriet: Barbari avidè illud hauriunt, licet inſalubre ſit, valideque caput tentet & inebriet: nullum autem cadaver, nulla ſentina ita fætet uti illorum halitus qui illo vino ſe ingurgitarunt. Longum eſſet omnes uſus hujus plantæ deſcribere: *Franciſcus Hernandes* & illius interpres *Fr. Ximenez* inter herbas recenſent, & tribuunt illi folia ſempervivi ſive Aloes; plureſque illius commemorant ſpecies, magnitudine & forma nonnihil diverſas. Vi- c.xlviii. dendus & Acoſta: & Clariſſ. Car. Cluſius. Rariorum plantar. lib. v.

Decimo tertiò *Mizquitl* quæ (uti ſcribit *Fr. Ximenez*) eſt arbor admodum communis in Nova Hiſpania, ubicunque locorum ſponte naſcens, ſed præcipue in montanis; ſilveſtris & ſpinoſa, foliis ſubtilibus alliorum in modum; ſiliquas habens pendulas, quemadmodum Tamarindi & ejuſdem pene formæ, edules, oblongas, dulces & grati ſaporis, plenas granis, è quibus barbari Chichimecæ certas pillulas conficiunt, quibus veſcuntur loco panis: hanc (inquit) veram caſſiam antiquorum eſſe judico, quæque producat verum gummi Arabicum; cujus magna in Nova Hiſpania reperitur copia, hactenus non ſine inſigni negligentia ignorata: liquor è ſtolonibus hujus arboris expreſſus, aut aqua in qua macerati fuerint, collyry in modum oculis adhibita mirifice medetur omnibus oculorum affectibus.



Decimo quartò *Yecotl* quam Hiſpani vocant palmam montenſem & nonnulli Indi *Quauhtlepopotli*; quæ ex una radice profert duos aut tres truncos, qui flores ferunt candidos & odoriferos, racematim pendulos, & in ſex foliola diſtinctos, è quibus naſcuntur fructus ſimiles pineis nucibus, quales hic expreſſimus, qui elegantiſſimi ſunt, varia mole & figura, colore ut plurimum caſtaneæ. Dubito an hunc fructum expreſſerit Cluſius in exoticis lib. ii. cap. iii. plures ejuſcemodi vidimus è Nova Hiſpania allatos, vacuos omnes, ita ut de ſemine illius nihil poſſimus dicere: Ximenes teſtatur frigidum eſſe & glutinoſum. Qui & obſervat è foliis hujus arboris fila neri, (è quibus telæ fiant,) magis valida licet tenuiora, quam quæ nentur è Maguey.

Decimo-

Decimoquinto & ultimo loco nobis deſcribenda reſtat (nam omnes perſequi non eſt hujus operæ) mirabilis arbor, quam *Mexicani, Nochtli,* inſulares *Tunam* appellant (Europæi ficum Indicã) ſi modo arbor dicenda eſt, quum ſine caudice aut ramis adoleſcat, nihilque pene lignei habeat; verum forma illius jam vulgo notiſſima eſt. Duæ autem illius ſpecies reperiuntur; agreſtis quæ aut nullum fructum fert, aut ita ſpinoſum ut nulli uſui ſit: & hortenſis quæ fructus fert turbinata forma & ficuum non diſſimiles, eadem pene mole & glabros, quorum cute craſſiore detracta pulpa interior apparet, granis quamplurimis referta, prædulcis & gratiſſimi ſaporis, eaque aut alba quæ præſtantior judicatur, aut rubicunda purpureave, ita ut manus ſanguineo colore tingat, ſicuti mora, & urinam comeſta ſimili colore inficiat, quæ res medicos ignaros interdum luſit. Eſt & alia ſpecies, Americanis *Nochezcli Nopalli* aut *Nopal nochez tli*, quæ licet tales fructus minime ferat, tamen majoris ſit & diligentius colitur, quia fert pretioſum illud granum, quod vulgo *Cochinilla*, à Cocco veterum, dicitur, tinctoribus ob elegantiam coloris tantopere expetitum; id granum ſiccatur ab indigenis atq; infertur toti Europæ ditiſſimo commercio: quinquies mille ſexcentas ſeptuaginta arrobas anno cIↄ Iↄ LXXXVII una claſſe in Hiſpaniam traductas refert *Acoſta*. Hæc planta loca amat temperatiora; *Herrera* illius culturam ita deſcribit: Cochinillæ granum quam plurimis *Novæ Hiſpaniæ* regionibus generatur ad arborem quæ vocatur Tuna, quæ craſſiſſima habet folia, quibus propagatur in locis apricis & ab aquilonibus defenſis; Eſt autem vivum animalculum vel potius inſectum, à cimice forma non multum abludens, quum primum plantæ ſe applicat pulice paulo minus, è ſemine erumpit acari magnitudine, & arborem integram atq; adeo totum hortum implet, & ſemel atque iterum quotannis colligitur; arbores certo ordine inſtar vitium diſponunt & ſtudioſe colunt, & repurgant à zizaniis; quo recentiores ſunt plantæ, eo copioſius & præſtantius ferunt granum: imprimis autem neceſſarium eſt ut à variorum inſectorum injuria defendantur, nec minus à gallinis quæ granum devorant; utuntur vulpinis caudis ad plantas detergendas ne novella inſectorum ſeminaria lædant; ubi autem jam ſatis adoleverint, magna cura eximuntur, necanturque aqua frigida aſperſa, atque in umbra ſiccantur & conduntur fictilibus: eadem & cinere injecto enecant, deinde abluunt, atque aliis inſuper modis ſuffocant; frigida tamen eneca cæteris præſtant. Plurimis denique modis granum à mercatoribus adulteratur, quatuor enim fere illius reperiuntur ſpecies; una quæ nullius pretii colorem fundit utpote agreſtis & inculta: altera nigrior, quæ etiam ſponte & abſque cultura provenit: tertia montenſis quam chichimecam vocant, inferioris quoque notæ; quas omnes quartæ quæ culta & optima cenſetur, permiſcent. Optimum longe granum dat Tlaxcala, cujus indigenæ præſtantiſſimam tincturam ex illo conficiunt (qua pictores utuntur & fœminæ ad facies infucandas) hoc modo, comminuunt & macerant in decocto arboris *Tezhuatl*, addito pauxillo aluminis, & ubi reſederit cogunt in tabellas quas Hiſpani vocant *Granaen pan*. *Fr. Ximenez* ſcribit hanc plantam gummi quoddam producere, quod renum & urinæ calorem temperet: Succum autem plantæ, aut aquam ex illa extractam admirabile remedium eſſe contra febres peſtilentiales & bilioſas.

Cap. IV.

De floribus quibuſdam & herbis, animalibus & gemmis Novæ Hiſpaniæ.

Indigenæ *Novæ Hiſpaniæ*, præ ceteris nationibus, maxime delectantur floribus, atq; ex iis corollas & ſerta elegantiſſima componunt, quæ *Suchiles* appellant; mira quippe hic florum elegantia & infinita pene varietas, quorum nonnulli & odoris ſuavitate præcellunt, quales imprimis illi quos arbor quædam fert, quam *Floripondio* vocari volunt, nullos præterea fructus ferens; ſunt autem liliis paulo majores, campanularum inſtar penduli, candidiſſimi, ſtaminibus è medio liliorum inſtar emicantibus: Spirant ſuaviſſimum odorem, præſertim aura matutina ſufflaminante; Floret arbor toto anni tempore ſine intermiſſione. Quales & illi, quos fert arbor *Xuchinacaztli* vel *Hueinacaztli*, Hiſpanis *Flor de la oreia*, à figura, nam conſtant foliis interiori parte purpureis, exteriori virentibus & ita diſpoſitis ut aurem referant; ſuaviſſimi & gratiſſimi odoris. Et quos arbor *Yolloxochitl* fert, quorum umbelicus cor refert, cinctus multis

multis foliis albicantibus & interiori parte ſubrubentibus, grandibus, & glutinoſis atque beneolentibus: quæ imprimis magni faciunt, tam ob ſingularem elegantiam, quam inſignes qualitates contra affectus uterinos. Quales denique flores arboris *Cacaloxochitl* (nam omnes recenſere longum eſſet nimis) qui ſunt grandes, pulchri & fragrantiſſimi odoris; quidam coccinei coloris, quidam candidi & plurium colorum; naſcuntur ex illis fructus, ſiliquæ grandes, craſſæ & rubicundæ, quarum pulpa in medicina uſurpatur ad ventriculum & inteſtina mundanda.

De Flore Africano aut Thunetano (ut vulgo creditur quum potius Americanus eſſe videatur) de quo Dodonæus & alii egerunt; hic non dicerem, niſi author meus *Fr.* pag. 2. l. 3 c. 12. *Ximenez* quædam annotaret quæ operæ precium fuerit cognoſcere. Scribit autem florem hunc à Mexicanis vocari *Cempoalxochitl* à multitudine foliolorum, & ab Hiſpanis Clavellinas de las Indias, falſo autem credi eſſe veterum Othonam aut Florem Jovis; forma jam omnibus ſatis nota eſt: pleriq; qualitates & virtutes illi attribuunt venenoſas; hic contra ſalubres; quas ita deſcribit. Succus Foliorum floris, aut ipſa folia contuſa & è vino aut aqua hauſta, medentur ventriculo refrigerato; movent urinam, mẽſes & ſudores; foris applicata ante acceſſum ſolvunt rigores febrium intermittentium; diſcutiunt flatus; excitant venerẽ, ſanant cacohexiam è cauſa frigida natam, aut ab intemperie jecoris; aperiunt obſtructa; relaxant nervos contractos; medentur hydropi; cum frigida ſumta cient vomitiones; denique admirabile eſt remedium adverſus omnes affectus frigidos, evacuando cauſam mali per urinam & ſudores. Plures ſunt illius ſpecies, ſed maxima proprie *Cempoalxochitl* appellatur; ex hac fit balſamum ad vulnera curanda, friendo in oleo communi & addendo ſuccum eorumdem florum, donec conſumatur & reliquum percolando, pauxillo ceræ admixto ut denſetur in unguentum; ſingulare eſt remedium contra vulnera & hæmorrhoides. Nihil hic de viroſa qualitate; & tamen de una eadem planta loqui Dodoneum & alios, atq; hunc Ximenem ex omnibus circumſtantiis liquido apparet. Iudicent herbariæ rei Periti. Agnoſcit & aliam herbam nomine *Cempoalxochitl*, ſed ab hac diverſam, quæ fert folia Chæchoreì ſpinoſa & ſerrata, aſperaque, juxta originem nigricantia aut cinerea: caules palmares, luteos & qui deſinunt in flores, inſtar floccorum cardui, à quibus nomen accepit: hujus decoctum eſt amarum, & in enemate ſumtum ſolvit alvum, movet urinam & ſedat dolores ventris; eſt acris & ſubtilium partium; calida & ſicca in tertio gradu: prodeſt tuſſi, provocat ſternutationes & ſuccus naribus inditus educit flegma.

Herbarum paucas recenſebimus ob peregrinam illarum naturam, & alias qualitates: & imprimis quam barbari *Yçuinpatli* & *Quimihpatli* vocant, Hiſpani *Cevadillam*; cujus aliquot reperiuntur ſpecies, ſed præcipua fert folia longa & anguſta, lineis quibuſdam diſtincta ſecundum longitudinem; caulem tres palmos longum, cui ſpicatim annaſcuntur grana inſtar hordei, ſed minora: tam urente & cauſtica vi prædita, ut in gangrenis & malignis ulceribus quum cauterio opus eſt, eoſdem edat effectus, quos ſublimatum atque adeo candens ferrum.

Secundò *Tlilxochitl* quæ eſt herba volubilis, foliis inſtar plantaginis, ſed longioribus & craſſioribus, ſcandit arbores, eaſque complectitur: fertque ſiliquas oblongas, anguſtas & quaſi rotundas, quæ redolent balſamum Novæ Hiſpaniæ; iconem illarum ad vivum expreſſam hic ſubjicimus: miſcentur celebri potioni Cacao; pulpa illarum eſt nigra minutis ſeminibus referta inſtar papaveris; ferunt duas illarum aqua maceratas mirifice movere urinam.




Tertiò *Chichimecapatli*, quæ folia habet longa & tenuia, caulem tenuem & cubitalem, radicem forma & magnitudine nucis, exterius nigram, intus candidam, è qua ſuccus emanat viſcoſus: eſt calida & ſicca in quarto gradu & vehementis efficaciæ, unde cum ſummo diſcrimine uſurpatur; nam quantitate ſcrupuli ſumta ex aliquo liquore, tam recens, quam ſicca (& ſicca quidem tutius) purgat ſuperne & inferne

omnes


omnes humores noxios: barbari tamen ex hac & *Cocozlic*, componunt quoſdam trochiſcos, quorum dragma una egregie & ſine noxa purgare creditur.

Quarto *Mecaxuchitl* herba humi repens, cujus caules ſunt teretes, contorti & læves, præterquam ubi pediculi foliorum enaſcuntur, quæ fert grandia, craſſa & quaſi rotunda, odorata & acris ſaporis; fructum fert ſimilem piperi oblongo, qui miſcetur potioni *Cacao*, eique addit gratum ſaporem: corroborat cor & ventriculum; attenuat craſſos & lentos humores & inſigne eſt alexipharmacum contra venena; fructuum icones hic adjecimus, quos accepimus in faſculis colligatos, quemadmodum Europæ inferuntur.





Atque hoc eſt piper illud cujus Monardes meminit cap. LIV. licet in eo fallatur quod altæ cujuſdam plantæ fructum credidit: nam revera fructus eſt oblongus, craſſitudine quidem funiculi at dimidii pedis longitudine, ut autem appareat quantum differat à pipere quod proprie longum vocatur, (de quo Garſias ab Horto in Aromatum Hiſtoria cap. XII.) Hic porro illius quoque hiſtoriam attexam, (nam planta eſt Novæ Hiſpaniæ quoque familiaris) ex authore quem lubenter hic ſequor, *Fr. Ximenez* Plantam inquit, quæ fert piper longum, ſolent Philippinarum Indigenæ appellare *Buyobuyo* & Mexicani (apud quos non minus creſcit) *Tlatlanquaye* atque etiam *Acapatli*; habet autem truncos contortos ad modum ſarmentorum & in iis folia ſimilia foliis candidi piperis, ſed longiora & acutiora; fructum teretem, longumque: folia ſunt odorata, ſapore acri & mordaci, calida & ſicca in tertio gradu & ſubtilium partium; ſemen nuſquam perfectè maturatur aut eam conſequitur perfectionem ut ſementi aptum ſit, itaque colli-



gitur quum jam rubeſcere incipit, & exponitur ſoli ut matureſcat & ita ſervatur: ſiccum atque etiam viride comeditur, neque male nutrit, addit bonum guſtum cibis, modo ne igni, poſtquam admixtum fuerit, admoveatur, nam ſi ebulliatur ſtatim amittit ſaporem & virtutem.

E fruticum claſſe tantum hic recenſebo *Pinahuizxihuitl*, quem alii vocant *Cocochiatl*, qui quatuor palmos ut plurimum altus, caudices habet tenues & ſpinoſos, folia in ſex partes diviſa & inter ſe in modum faſciculi conjuncta; radicem ſarmentis fœtam; flores & fructus ad modum caſtanearum, principio virides & poſtea roſſos, racematim pendulos. Mirabilis eſt planta, nam folia vel minimo contactu aut afflatu humano ſe contrahunt atque marceſcunt.

De armentorum & pecudum infinita pene multitudine alibi dicemus, quæ vel eo æſtimari poteſt quod ſexaginta millia tergorum taurinorum anno CIↃ IↃ LXXXVII una claſſe ex hiſce provinciis in Hiſpaniam miſſa fuiſſe teſtatur *Acoſta*. Inter peregrina animalia, quæ cæteris quoq; Americæ utriuſque regionibus familiaria ſunt, numerantur primò *Ayotochtli*, Hiſpani vocant *Armadillo*, quod animal alibi plenius deſcribemus. Secundo lacertorũ quædam ſpecies, *Caltete* vocant & *Thema Cuilcahuga*, haud diſſimilis Europæis lacertis, Hiſpani in hiſce provinciis vocant ſcorpionem eſt animal tres tertias ulnæ partes longum, cauda prolixa, cruribus brevibus, lingua rubicunda, lata & diviſa in duas partes, capite obſtipo & monſtroſo, lente promovet, eſtq; opertum corio duro variegato, & multis punctulis diſtincto candidis & fulvis, annulorum inſtar corpus ambientibus, & à capite ad caudam & extremitates crurum eleganti ordine deſcendentibus. Magis aſpectu horrendum, quam morſu metuendum, qui licet damnoſus ſit, non tamen eſt lethalis; nec facile lædit, niſi prius offenſum. Tertio Crocodyli qui hic in variis paludibus reperiuntur & ab indigenis appellantur *Acuitzpalin*: de quibus author meus *Fr. Ximenez* obſervat; ſub jugulo hujus animalis reperiri

periri certas glandulas, ſimiles fabis, muſcum redolentes, quæ præſens remedium ſint adverſus ardentes febres: ventriculum autem illius exemtum, bene lotum, & ſiccatum ad ſolem, & in pulverem redactum, ſi dragmæ pondere ſumatur, mirabiliter movere urinam, lapillos comminuere, èque renibus atque veſica depellere. Eundem illotum, exemtis tantum excrementis, in furno lente toſtum donec plene ſiccetur, in pulverem dein redactum admirabile remedium eſſe adverſus hydropem; ſi pulvis quantitate cochlearis exhibeatur mane, poſt prandium, & paulo ante cænam; aut ſemel aut bis tantum quotidie, prout vires ægri ferre poſſunt.

Cervorum ingens hic eſt numerus, quos barbari vocant *Mamaza*; & rupicaprarum quas appellant *Mazatl*; cum variis prænominibus pro colorum & molis diverſitate. Unum adhuc animalculum hic addo *Tlaquatzin* (quod & in aliis Americæ regionibus reperitur & varia nomina obtinet) quod idem *Fr. Ximenez* ita deſcribit: Forma eſt catelli, roſtro tenui & prolixo atque depili, capite exiguo, ſubtiliſſimis auriculis, oculis minutis & nigris, pilo prolixo, candido rerum in ſummitate pardo & nigro; cauda rotunda, duos palmos longa, inſtar anguium coloris pardi & ſub finem nigri, qua totum corpus quum libet ſuſpendet: parit quatuor aut quinque catulos, quos in lucem editos, circumgeſtat in pelliceo ſacco, ſub ventre juxta mammas, qui ita à natura factus eſt, ut non facile apertura illius diſcernatur; Subit arbores mira velocitate, & infeſtum eſt avibus domeſticis, inſtar vulpeculæ, cætera innoxium. Cauda hujus animalculi mirabile remedium eſt adverſus nephritidem, nam dragmæ quantitate ex aqua ſumta, mirifice mundat ureteres, expellit arenas & calculos & alia excrementa quæ meatus illos obſtipare ſolent; excitat venerem; generat lac; medetur colicis doloribus; prodeſt parientibus: denique vix credibile eſt quantis virtutibus polleat.

Naſcitur quoque hic in certis arboribus, quas indigenæ appellant *Quapatli*, atque etiam aliis, quas à ſimilitudine Hiſpani vocant ceraſos, certa ſpecies vermium piloſorum & aſperorum, qui ſunt rubri coloris, craſſitie pennæ anſerinæ, longitudine duarum unciarum; hos barbari coquunt in aqua donec diſſolvantur & pinguedo omnis ſupernatet, quam deſpumant & ſervant ad multos uſus; (*Axin* ipſis dicitur) nam illita mitigat quoſvis dolores in quacunque parte corporis; relaxat nervos contractos, reſolvit humores; & mixta cum terebinthina & tabaci ſucco utiliſſima eſt contra hernias, nam facillime diſcutit humores collectos è quacunque cauſa.

Volatilium elegantia, varietas & copia incredibilis: inter aves autem eminere hic creditur *Cozquauhtli*, ſive ut Mexicani vocant *Aura*, magnitudine gallinæ Ægyptiæ, plumis per totum corpus nigris, excepto collo & partibus pectori vicinis, ubi è nigro ſubrubeſcunt, alæ juxta originem ſunt nigræ, cætera cinericeæ atque fulvo & purpureo colore mixtæ; ungues incurvi; roſtrum ſimile pſittacorum, in extremitate rubrum; narium foramina patula, oculi nigri, pupilla fulva, palpebræ rubentes, frons ſanguineo colore & multis rugis horrens, quas inſtar gallopavi contrahit & diducit, cui accedunt crines rari & criſpi inſtar Nigritarum; cauda aquilæ ſuperiori parte nigra, inferiori cinerea: veſcitur anguibus, gliribus, lacertis & fimo quoque humano: volat pene continuo, & ſupra fidem fere nititur contra ventum etiam vehementiſſimum: Caro illius inutilis, nec uſurpatur in cibis. Eſt & alia ejuſdem ſpecies, quam Mexicani *Tzopilotl* vocant: utraque autem gravem de ſe fundit odorem. de aliis alio loco dicetur.

De Gemmis jam pauca addamus: Mexicani vocant *Eztetl* gemmam, quæ videtur ſpecies Jaſpidis herbacei, cum punctulis quibuſdam ſanguineis; affirmantque alligatam brachio aut collo, quoſvis fluxus ſanguinis ſiſtere; quare & pulverem illius indunt naribus, quum immoderate ſanguinem fundunt.

Reperitur hic & alia ſpecies Jaſpidis punctulis quibuſdam albis variegata, quam vocant *iztlia yotli quetzaliztli* aut ſmaragdum obſcurum, & brachio aut regioni renum alligatam ferunt ſedare dolores nephriticos, rumpere lapillos & expellere quævis excrementa, quæ meatus obſtruunt. Vide quæ Monardes de hac obſervat. c. XXXVI.

Eſt item tertia, colore magis obſcuro & ſine punctulis, & ponderoſior, quam vocant *Tlilayotic* & umbelico admotam colicis doloribus volunt mederi.

Denique

Denique (ne omnes commemorem) gemma quædam nigra, ponderoſa, admodum polita, quam adverſus uteri morbos admodum utilem faciunt. De qua & Monardes. c. xxxv.

Sed jam ad ſingularum provinciarum deſcriptionem tranſeamus.

MEXICANA PROVINCIA.

Cap. V.

Provinciæ Mexicanæ *ſive Archiepiſcopatus limites, & partes ſive provinciæ minores.*

ARCHIEPISCOPATVS, & provincia quæ ab urbe principali Mexicana appellatur, continens inter cætera municipia omnia & pagos qui per utrumq; lacum ſparſa ſunt aut ripis illius aſſident, de quibus mox dicetur: dividitur ad ortum per provinciam *Chalco* ab epiſcopatu Tlaxcalenſi, ad occaſum à Mechoacana. Patet in longitudinem inter auſtrum atque arctum centum & triginta leucas, in latitudinem qua mare auſtrale contingit octodecim tantum, in mediterraneis ubi latiſſima eſt, ſexaginta. Complectitur autem plures minores provincias, antiquitus quidem dominiis, nunc tantum nominibus diſtinctas, quarum veluti centrum eſt metropolis *Mexico*; habens verſus aquilonem *Lateotlalpan*, *Meztitlan*, *Xilotepequen* Her. d. 4. & *Panucum*; verſus Favonium *Matalzingo* & *Cultepequen*; verſus ortum *Teſcuco*; verſus l. 9. c. 5. Eurum *Chalco*; ad auſtrum primo *Suchimilco* dein *Tlaluc*: inter Auſtrum & Africum *Coyxcan* & omnium remotiſſime *Acapulco*. Vulcanus porro qui inter hanc & Tlaxcalenſem provinciam interjacet (ut ab eo particularem deſcriptionem ordiamur) ab indigenis appellatur *Popocatepec*, diſtans à *Cholula* ſecundum Gomaram octo leucas; eſt mons eminens, cupreſſis, cedris, pinis, quercubus proceritatis & materiei exquiſitæ, totus obſitus: Pagi radices illius ab aquilonari plaga contingentes, Tlaxcalenſi epiſcopatui annumerantur, ab auſtrali vero Archiepiſcopatui; clivi illius admodum ſunt fertiles & tritici atque goſſypii feraces: Accolæ loquuntur linguam Mexicanam. *Tepexo* alumine candidiſſimo & pellucido dives ſita eſt ad radicem montis, à quo planicies deſcendit ad *Chiautlam* goſſypio & maizio opulentũ pagum: fervet hic cœlum, raris pluviis: montes vicini vaſtas arbores nutriunt, quæ nobiliſſimum Copal & Animem exſudant, menſe Novembri potiſſimum, quo minimum pluit, leviter vulneratæ. *Chiautlæ* ſubeſt vicinus pagus *Ocotlan*, ubi puteus viſitur aquæ ſalſæ, è qua indigenæ optimum ſalem coquunt; his ſuccedunt haud longo intervallo *Contecomapa* & *Gualtepeque* pagi, quorum indigenæ Miſtecenſium idiomate utuntur, atque hic Jaſpis è monte eruitur, elegantiſſime virens & ad Porphyrium accedens: hi pagi abundant maizio, uti & *Patonala*, cujus incolæ ſunt ejuſdem dialecti, & *Tecomatla* atque *Pucla* pagi qui ad Epiſcopatum Guaxacenſem pertinent: *Mutezuma* rerum potiente, ſtativa militum hic erant, bello tum flagrante inter ipſum & *Tutepecenſes*, qui magnam provinciam incolunt ad mare uſque Auſtrale, nunc *Guaxacæ* conjunctam. A *Pucla* ad *Caſtlam* ſedecim leucarum iter eſt, per medios *Amniſcorum* fines, qui limitem inter hanc & *Ometopal* dividunt. Duabus citra hanc leucis *Tuculula* aditur, auri venis dives atque frugibus, verum crebris terræ motibus obnoxia, adeo ut incolæ in humilibus caſis (*Bohios* vocant) è ceſpite aggeſtis & ſtramine deſuper tectis, vivere cogantur: mari auſtrali ita vicini, ut murmur fluctuum facile poſſint exaudire. Atque hactenus è Vulcano ad extremos uſque Mexicanæ provinciæ & mare Pacificum, Archiepiſcopatus provinciæ ad eurum pertinent, & diœceſis ab Epiſcopatu Guaxacenſi dividitur.

A metropoli vero verſus auſtrum ſita ſunt municipia *Coautruaguacal*, *Acapiſtla*, *Guaſtepeque* & *Autepeque*, Marchionis Vallenſis peculium, loca peramœna, cœlo quidem fervido, ſed ſolo crebris torrentibus riguo, agriſque mayzii & goſſypii feraciſſimis: florumque elegantium & beneolentium roſarum perfœcundis: pertingunt autem ad ejuſdem Vulcani radices: hic optimum & candore atque ſoliditate præcellens ſaccharum tribus quatuorve machinis conficitur. Juxta hæc jacet *Tlapa*

 altis

altis collibus & profundis vallibus diſtincta, abundans frumento & auri venis nobilis, è quibus incolæ multum auri colligunt & tributi loco pendunt. Huic contigua eſt provincia *Cuexco*, multos habens pagos, & copioſo mellis, ceræ, tritici atque goſſypii proventu locuples: *Zumpango* vicus ſub hac cenſetur cum ditibus argenti fodinis *Martini de yerbo* & *Gundiſalvi Cereſii*: hæc regio pertingit ad *Acapulcum* notiſſimum maris Auſtralis portum, compleċtiturque complures inſignes pagos qui omnes ad Archiepiſcopatum pertinent.

Rurſus ab eadem Metropoli Mexico verſus *Atlacabayam* & montana tendendo, primò *Alapulcum* deinde *Xalatacum* venitur ſeptem ab urbe leuc. ultra hæc *Tlaxco* provincia occurrit & frequentiſſima Hiſpanorum colonia, juxta nobilem argenti fodinam, in qua multa ſervitia jugiter occupantur & argentum devehunt ad urbem: ſunt ibidem ferrariæ inſignes: hæc provincia ſpectat ad Africum, ducitque per quamplurimos pagos ad mare auſtrale. Ab *Atlacabaya* autem, priuſquam *Xalatacum* attigeris, aliâ viâ ad occaſum dividitur, quæ ad vallem *Matalzingo* ducit, cujus principalis pagus appellatur *Toluca*: longe lateque patet hæc vallis, incoliturque à barbaris Otomiis novem ab urbe leuc. paſcuis abundans atque armentorum pecudumque gregibus, tam incredibili fœcunditate, ut *Didacus Nonnius de Camargo*, binarum ovium fæturam in valle *Atzompan*, intra decennium, ad quadraginta millium gregem, ſingulari induſtria promouiſſe prodatur ab *Herrera*. Ab hac valle, alia rurſus ſemita verſus Africum deflectens, ad *Tuxaltithan* vicum progreditur & duodecim leuc. ulterius ad *Maltepequen* pagum argenti metallis nuper inventis nobilitatum: hæc via porro Africum inter & Zephyronothum tendit ad Mare Auſtrale per multas provincias atque pagos, qui Archiepiſcopatui accenſentur. *Matalzingo* autem ad occaſum proxima eſt *Yxtalavaca* uſque ad *Taximaroam* triginta ab urbe leuc. quæ ad Mechoacanenſem Epiſcopatum refertur, illumque dividit ab Archiepiſcopatu. *Zacatulam* & *Colymam* petentibus hac iter eſt per ampliſſimas Mechoacanæ provincias. Rurſus à *Matalzingo* paulum ad Corum deflectentibus, *Xiquipilco* & *Chiapa* pagi fiunt obvii, quorum incolæ mayzio victitant & Maguey.

d.3.l.5. c.9. A Metropoli Mexicana recta ad Corum proficiſcentibus, *Eſcapuzalco* & *Tenyauca* occurrunt, & quatuor ab his leucarum intervallo *Guatitlan*, & ſtatim *Atexepit*: Huic contigua eſt *Xilotepeque* provincia Otomiis habitata; gens eſt puſilli animi, tardiſſimique ingenii atque adeo pravi, quæque ob ſermonis inconcinnam brevitatem & aſperitatem, religione difficulter admodum poteſt imbui: laborum alioquin tolerantia reliquas Novæ Hiſpaniæ nationes facile ſuperans: Hæc provincia dividitur à Mechoacanenſium pagis verſus Corum, incoliturque multis municipiis & pagis & fruitur maximam partem cœlo admodum temperato. *Xilotepequæ* ad Arctum adjacet *Tula*, inſignis pagus, cujus incolæ Otomitica lingua utuntur, agroſque gnaviter colunt.

Porro à Metropoli Mexicana verſus arctum progredientibus primum obvia fit *Tepeaquilla* atque inde *Ecatepeque* & *Atotobilco*, *Tulanzingo* & *Meztitlan* provincia, optimi aluminis ferax, cœlo temperato atque ſalubri, ſolo multis piſcoſis amnibus irriguo: incolis induſtriis, in texendo telas goſſypinas: in hac provincia ferri metalla à ſervitiis excoluntur. Ex hac in *Guaxatecarum* provinciam tranſitur, in qua plures ſunt pagi ad flumen Panucum & S. Stephani oppidum pertingentes; indigenæ utuntur idiomate peculiari & à Mexicano multum diverſo.

Ab urbe autem verſus aquilonem, *Otumba* & *Tepeapulco* adeuntur, nobiles pagi, ſolo frumenti atque graminis æque feraci: hiſce proxima eſt *Guaxinango* provincia, argenti venis locuples: ſequitur deinde *Papautla* atque *Tupax* provinciæ, quam *Tupax* vel *Tuxpa* fluvius perlabitur, in Fretum Mexicanum egrediens, è regione Inſulæ quam vocant *de Lobos* à lupis marinis; cœlo admodum inſalubri ob nimium æſtum, & orarum maritimarum ſupinam declivitatem.

Ad ortum urbis *Texcuco* ſita eſt & inde *Gueytulpa* atque *Zacatepe*; à qua paululum ad boream deflectentibus montes aſcenduntur quæ inter *Tuxpæ* & *Sant Petri Paulique* amnium alveos medii diſcurrunt. Atque hactenus Archiepiſcopatus ad orientem pertinet & hiſce limitibus à Tlaxcalenſi Epiſcopatu ſeparatur.

Viâ denique quæ ab urbe ad Veram crucem ducit, *Ategotepeque*, quæ Epiſcopatui

patui Tlaxcalenſi attributa eſt & à barbaris Otomiis incolitur, limes provinciæ Mexicanæ clauditur. In Mexicana provincia ſeu Archiepiſcopatu, varia metalla numerantur cum ſuis municipiis, quæ diſtant à Metropoli; *Puchuca* leuc. quatuordecim: *Taſco* duo ſupra viginti; *Tzquiquilpo* plumbi fodinæ itidem duo ſupra viginti: *Talpayaua* viginti & quatuor: *Temozcaltepeque* octodecim: *Cultepeque* viginti & duo: *Zacualpa* viginti: *Zumpango* quadraginta: *Guanaxuato* ſexaginta: *Comania* ſeptem ſupra ſexaginta: *Achiacica* octodecim ab Angelorum civitate. *Gautla* denique, *Zumatlan* & *Sant Luis de la Paz*, quorum diſtantiæ ab urbe non produntur. Atque in hiſce fodinis quæ omnes, una excepta, argenti ſunt, ſupra quatuor millia Hiſpanorum, præter ſervitia, induſtriam ſuam atque operam dicuntur exercere.

Cap. VI.

Lacus Mexicani & Metropoleos deſcriptio.

PRINCIPALIS non modo Archiepiſcopatus, ſed & totius Novæ Hiſpaniæ atque adeo Americæ eſt *Mexico*, olim indigenis *Tenoxitlam* vel *Tenuchtitlan* (quod etiam aliter ab aliis effertur) aut etiam *Temiſtatan* dicta: diſtat ab Æquatore viginti gradus & aliquot ſcrupula verſus Arctum: à Meridiano Toletano ſecundum ductum lineæ Æquinoctialis gradus tres ſupra centum: & ſecundum lineam directam leucas mille, ſeptingentas, quadraginta; ita ut differentia à meridiano Toleti ſit horarum octo, ut à curioſis invenio obſervatum: Sita autem eſt in medio Lacus, qui quinque circiter leucas in latitudinem, ubi latiſſimus eſt, octo aut paulo plures in longitudinem porrigitur: in hunc à jugis montium qui circumquaque imminent magna copia ſeſe præcipitant rivi, ſed aqua fundi nitroſi vitio ſalſuginem contrahit, ita ut turbida, amara, potuique inidonea ſit: huic alius lacus exiguo intervallo conjungitur, dulcis, potarique pulcherrimus & minutorum piſciculorum ferax, magnitudine à ſuperiori non multum diſcrepans; Hic perpetuo in ſalſum lacum influit & ſalſuginem illius corrigit: Uterque lacus ſupra triginta leucas ambitu complectitur, & præter hanc urbem, plus quam quinquaginta municipiis atque pagis, partim incolitur, partim accolitur; quorum quædam quinque millia domiciliorum jam olim habuerunt, quædam decem; Tezcuco denique ipſi urbi magnitudine quondam æmula fuiſſe creditur.

Nutrit hic Lacus (inquit Fr. Ximenez) piſces glabro corio tectos, quadrupedes inſtar lacerti, palmum aut circiter longos & unciam craſſos, ſub ventre notulis quibuſdam variegatos à medio corpore ad caudam ſenſim tenuiores fiunt; cauda ipſis eſt longa & ſub finem exilis, pedes, quibus natat, diviſi ſunt in quatuor digitos inſtar ranarum, caput grandius quam pro corporis mole, nigro rictu, qui fere ſemper illis hiat: quodque mirabile uterum habet fœmineo ſimilem, patiturque menſes ſuos uti ſæpe fuit obſervatum; edules ſunt atque anguillarum ſimiles condiunturque pipere & Chille: barbari vocant *Axolotl*, Hiſpani *Iuguete de Agua.* Hauritur ex eodem Lacu, certa ſpecies luti, quam ad focum cogunt in orbes, ubi candida evadit inſtar nivis, unde à barbaris vocatur *Tizatlalli* ſive terra candida; ſimillima eſt ceruſſæ; frigida & ſicca, aſtringendi facultate pollens ſine ulla mordacitate; eadem fere præſtat quæ ceruſſa. Plurimum autem optimi ſalis (*Iztatl* vocant Mexicani) ad ripas prioris Lacus colligitur, ditiſſimo in hiſce regionibus commercio: Nec minor copia optimi & abſolutiſſimi nitri Mexicanis *Tequixquitl.* Innumeris quoque cymbis uniligneis hic navigatur, quas Mexicani ſua lingua appellant *Alcales.*

Urbs ipſa in medio ſalſi lacus (ut *Corteſius* prodidit) ædificata, tribus ſtratis aggeribus aditur, quorum unus ab occaſu deſcendit mediam leucam longus, alter ab aquilone unam leucam, tertius denique ab Auſtro duas, per quem Corteſius olim hanc eſt aggreſſus & cepit; ab ortu tantum cymbis aditur. Non tam multis canalibus hodie pervium eſt oppidum, atque olim fuit, licet calles anguſti etiamnum ſint, & recti omnes; multæ in illo ſunt areæ mercatu quotidiano frequentes, ſingulari civium compendio; & præter has tria fora præcipua, quæ magno accolarum concurſu certis hebdomadæ diebus frequentantur, barbari vocant illa *Tianguſtli*, Hiſpani *Tiangues*: Eorum unum antiquo nomine *Tlatolulco* dicitur, immane ſpatium quadrato

ambitu complexum, & à tribus lateribus porticibus & tentoriis inſtructum, in medio illius viſitur hodie macellum & fons eleganti opere ab Hiſpanis ſubſtructus: alterum & ipſum ſatis amplum *S. Ioannis* forum hodie appellatur: Tertium denique & principale *S. Hippolyti* (quem urbis patronum fecerunt) ad quod incredibilis hominum multitudo, diebus Mercurii & Jovis confluit; unicuique mercium generi ſuus locus deſignatus, atque adeo unicuique inſtitori: merces quæ ad hoc forum comportantur, recenſere longum eſſet, nihil enim è terra, ligno, auro argentoque fingitur, nihil in toto hoc tractu colligitur, aut aliunde importatur, quod hic deſideretur. De urbis vero frequentia, qualis ante Hiſpanorum adventum fuiſſe traditur, nihil jam dicere attinet: hodie ſupra quatuor Hiſpanorum & triginta barbarorum millia illam feruntur incolere, exiguus numerus prout olim fuit. In quatuor partes ſive regiones civitas jam olim diviſa fuerat, quæ hodieq; mutatis tantum nominibus durant, quarum una *S. Ioannis*, altera *S. Mariæ* rotundæ, tertia *S. Pauli* & *Sebaſtiani*, quarta vero & maxima (olim *Tlatelulco*) hodie *S. Iacobi* nomine inſignitur. Hic Tribunal regium ſitum eſt, cui Vice-Rex præſidet: hic palatium, & cæterorum miniſtrorum regiorum ſedes, denique & Archiepiſcopi Cathedra, cujus ſuffraganei ſunt Epiſcopi Tlaxcalæ, Guaxacæ, Mechoacanæ, Novæ Galæciæ, Chiapæ, Yucatanæ, Guatemalæ, Veræ Pacis & Philippinarum Inſularum. Cathedrale templum Corteſius inchoaverat, Præſes autem Sebaſtianus Ramirez perfecit. Sunt præterea in hac urbe diverſorum monachorum monaſteria, Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, Societatis Jeſu, de la mercede, Diſcalceatorum aliorumque: itemque decem fœminarum, quas vocant Nonnas, diverſorum ordinum. Item Academia illuſtris, in qua liberales artes, variæque ſcientiæ è Cathedra docentur; varia Collegia, & Noſocomia: Denique ſupra tria Hiſpanorum millia habitant in vicinis Indorum pagis (quorum ducenti quinquaginta in hac provincia numerantur) in quibus uti & in tribus millibus villis ſeu prædiis (*Eſtancias* vocant Hiſpani) ſupra quingenta millia Indorum recenſentur, qui tributum pendunt; præter centum quinquaginta monaſteria diverſorum religioſorum, & Jeſuitarum aliquot Domos. In ipſa quoque urbe jam à pluribus annis Inquiſitio Hiſpanica domicilium fixit.

Ad cœli temperiem quod attinet, eiſdem hic temporibus pluit, quibus in reliquis Novæ Hiſpaniæ regionibus, & Aquilone flante plerumque veſperi, raro matutino tempore, interdiu maxime ſerenat. Veſpera plerumque, verſus Aquilonem ſupra jugum montis *Tepeaquillæ*, qui leucam tantum unam ab urbe diſtat, ſe colligunt nubila & brevi momento ſeſe urbi cum valido vento atque turbine ſuperfundunt; neq; ullum certius nimborum præſagium, quam jugum hoc nubibus operiri. Tempore autem pluviarum, cœlum in urbe maxime eſt ſalubre, mane quidem ſudum, ſub veſperam humidius, noctu autem ſerenum & ſtellis illuſtre. Menſibus vero Novembri, Decembri, Januario, Februario & Martio quibus rariſſime admodum pluit, & ſolum areſcit, ſingulis pene veſperis turbo concitatur, qui nitroſum pulverem tam valide excitat atque diſpargit ut nebulæ inſtar feratur & conſpectum pene adimat, ſub noctem autem ceſſat, ut quoque pluvia ſuis temporibus: Inſalubris autem eſt hic pulvis & quo aridior & magis noxius, quum nares atque ora hominum impleat & graves dolores in hypochondriis excitet, & nonnumquam exitium adferat. Hi turbines pulverulenti non modo hic ſed eò in tota nova Hiſpania perfamiliares ſunt, ſed alibi haud ita noxii: itaque hiſce menſibus multi urbem vitant, alii ædes ſuas ante veſperam arctiſſime occludunt, ut peſtem hanc excludant, aut ſi veſpertina aura frui lubeat, mature antequam pulvis hic concitetur, in ſuburbanas villas aut vicina prædia ſecedunt.

Anno cIↃ IↃ C XXIX ingens nobiliſſimam hanc civitatem oppreſſit calamitas, menſe enim Octobri, perruptis inopinato aggeribus, tantum aquarum diluvium ſeſe infudit in lacum ut totam civitatem abſorberet, undæque etiam editiſſima ædificia, & imprimis Vice-regis palatium penitus operirent, multa incolarum millia aquis hauſta, ſuppellex omnis amiſſa aut corrupta, qui cymbis evaſerant ad vicina municipia pene nudi ſe ſubduxerunt; utrum poſtilla aliquod remedium tanto malo inventum fuerit, mihi non conſtat, prudentiores de civitate actum iudicabant; Vice-Regis & aliorum miniſtrorum avaritiam hujus cauſam fuiſſe ſcribunt; qui argen-

tum

tum aggeribus ſartis tectis conſervandis à Rege deſtinatum, nefario peculatu, in-terverterint.

Cap. VII.

Loca maxime illuſtria circa Lacum & urbem Mexicanam, Chulula, Tezcuco, Quitlavaca, Yztacpalapa, aliaque.

INTER famoſiora loca quæ in Ambitu & ipſo Lacu olim viſebantur, facile primas tenebat *Chulula*, magna olim civitas, & ipſi pene Metropoli æqualis; præcipuumque Novæ Hiſpaniæ Dominium poſt rempublicam Tlaxcalenſem, ſingulare ſuperſtitionum gentilium ſacrarium & longe antiquiſſimum. Incolis olim frequentiſſima, in planicie ſubſtructa erat, fere viginti millibus domiciliis conſtans (præter innumeras in vicinia villas, hac illac ſparſas) & plurimis templis decorata cum ſuis turribus, quas dies anni numero æquaſſe ferunt, adeo ut memoriæ proditum fuerit, ſex millia infantum utriuſque ſexus, ad aras cæſa & dæmonibus immolata fuiſſe ſingulis annis. Præfectum habuit populi ſuffragiis deſignatum, qui cum ſex optimatibus atque ſacerdotibus omnia pacis bellique munia, domi foriſque adminiſtrabat, nihilq; aggrediebatur, niſi de quo ante fuiſſet deliberatum & numina religioſe conſulta: unde hæc civitas omnium deorum domicilium apud reliquas harum regionum nationes audiebat. Eadem & celeberrimum erat emporium variarum mercium, quas incolæ ſingulari induſtria parabant. Ager enim illius cochinillæ eſt feraciſſimus, ſolumque & ſata læte producit, & pabulum armentis atque pecoribus abunde ſufficit. Indigenæ tam mares quam fœminę, membris bene compoſitis & moribus urbanis beneque cultis erant, & induſtrii mercatores: Vulgus tunicis veſtiebatur è *Nequen* (panni genus eſt è fibris atq; filamentis foliorum *Henequen* contextum) opulentiores autem togis goſſypinis, quibus fimbrias addebant, variis plumis aut cuniculorum pellibus eleganter prætextas.

Secundum locum merebatur *Tezcuco*, vaſtum municipium, & quondam Hiſpali duplo majus, domiciliorum elegantia & ſemitarum opportunitate ſpectabile, in planitie itidem ædificatum ad oram Lacus ſalſi; nihilo tamen ſecius dulcibus & potabilibus aquis abundans, quas per varios aquæ ductus de vicinis montibus derivarant. Diſtat ab urbe ſex leucarum itinere ſecundum oram Lacus, ut Corteſius tradit.

Quitlavaca tota in aquis ſubſtructa erat, inſtar Venetiarum, unde Hiſpani illam Venezuelam appellarunt; ſalubris locus & piſcatu dives: aditur per ſemitam ſilicibus ſtratam, quæ viginti palmos lata, & pene dimidiam leucam longa erat: olim fere à duobus millibus familiarum incolebatur.

Yztacpalapa circiter decem millium domiciliorum municipium, dimidia ſui parte in Lacu ſalſo, reliqua ad ripam illius conſtructum; habens plurima ſtagna dulcium aquarum, in quibus varii piſces nutriuntur: & fontem ad viam quæ in Metropolim ducit, arboribus amœne ſeptum; duas quidem leucas ab urbe, ſex vero abeſt à *Tezcuco*; ad urbem iter pertinet per ſemitam ſatis latam, ſilicibus ſtratam, adeoque directam, ut portam Mexicanam ſtatim, poſt levem initio ſui flexum, exhibeat.

Ad hujus latus, *Mexicaltzingo*, quatuor millium domiciliorum pagus in ipſo Lacu erat ſubſtructus; atque *Cuyocan* ſex millium domorum ad ejuſdem ripam, loco ſalubri & in agro imprimis fertili atque amœno: *Huicilopucho* denique quingentarum ædium pagus. Tria hæc loca excelſis turribus, multiſque templis erant ornata, quæ ita reſplendebant, ut eminus argentea viderentur, quæ nunc fere in monaſteria ab Hiſpanis ſunt converſa. Salis hic ingens copia reperitur, non tamen aut candidi aut grati in cibis, ſed ad muriam tantummodo idonei; coquitur ex ipſa terra, quæ in tota hac vicinia admodum ſalſa & nitroſa deprehenditur: opulento mercimonio, quia ad varias partes tranſportatur.

Guatitlan diſtat à Mexico leucas quatuor: *Teniauca* duas: *Ezcapuzalco* unam, ſecundum ripam Lacus: *Tacuba* ipſi proxima eſt.

Suchimilco inſignis eſt locus, in ipſo Lacu dulci; quatuor ab Vrbe leuc. verſus Auſtrum, binas autem à *Cuyocan*.

Queretaro provinciæ *Xilotepec* (de qua ſupra) pagus, fontem habet calidiſſimum, cujus aquæ quum primum erumpunt, ita fervent, ut quæcunque attigerint, ſtatim adurant; tepediores vero factæ pecus mirum in modum ſaginant. In eadem provincia & alter fons celebratur, qui quatuor continuis annis ſcaturit, deinde quatuor ſequentibus deficit, & rurſus ad priorem modum erumpit: &, quod mirabile, pluviis diebus, parcius, quum ſudum eſt tempus & aridum, copioſius exuberat. Quamplurima ſunt in hac provincia argenti metalla; multaſque fert herbas ſingularis in medicina uſus. Notandum denique inter *Queretarum* & *S. Ioannis* pagum, in campis, qui haud ſupra novem leucas in longitudinem patent & binas tantum in latitudinem, ſupra centum millia armentorum, ducenta millia pecudum, & decem millia jumentorum paſci; tanta hic eſt pabuli copia atque præſtantia.

Cap. VIII.

Acapulco *oppidum & portus ad mare* Auſtrale.

ARCHIEPISCOPATUS Mexicanus portus ſuos habet ad utrumque Mare, celeberrimum autem ad Meridionale, qui à provinciæ nomine vulgo *Acapulco* appellatur: Septemdecim gradus & aliquot ſcrupul. ab Æquatore diſtans verſus Arctum. Sex leucarum intervallo ab amne vulgo *de los Yopes*, qui Archiepiſcopatum à Tlaxcalenſi Epiſcopatu diſterminat ad occidentem, octo autem à fluvio *Citala* & duodecim à *Mitla fluv.* verſus ortum.

Portus hic vaſto oſtio & ſupra leucam lato ſeſe aperit ad mare Meridionale ſive Pacificum, directe adverſus meridiem, intus autem duobus veluti brachiis ſe continenti inſinuat, quorum unum ad orientem ſe convertit, adverſus incerta omnium ventorum egregie præmunitum, vbi naves in variis receſſibus & in anchoris conſtitui, & in ſiccum ſubduci, quum res poſtulat, commodiſſime poſſunt: alterum vero primò recta ad Arctum tendit, deinde ad occidentem ſe convertens, oppidum alluit atque arcem, onerariis navibus accipiendis peridoneum: ita ut hic portus inter ſecuriſſimos & capaciſſimos facile primum locum jure ſuo mereatur. Occidentaliori oſtii angulo, objacet exigua & aſpera inſula, continenti pene annexa.

Oppidum haud ita magnum eſt, diſtans à Metropoli leucas octuaginta (uti à *Petro Texeira* in Itinerario fuit annotatum) difficili & periculoſo itinere, ob montium altitudinem petrarumque aſpera, frequentia item flumina, denſiſſima nemora, incolarum denique triſte & humile ingenium, maxime autem ob eorumdem infrequentiam: Tria enim flumina ſatis ampla in hoc itinere trajicienda: quorum primum quod vocant *del Papagajo* pontone trajicitur: Alterum, Hiſpanis *de las Balſas*, rapidiſſime decurrens & Tago nequaquam minus, quod ratibus ingentium cannarum inter ſe junctis & cucurbitis inſuper additis, barbari natando ſuperare conſueverunt: Tertium *S. Franciſci* licet ingens quoque, vado tranſitur. Viatores toto hoc itinere mirum in modum infeſtantur à culicibus, *Moſquitos* vocant Hiſpani; quorum morſus adeo ſunt virulenti, ut homines nonnumquam enecent. Antequam autem ad Vrbem perveniatur, Marchionatus Vallenſis, qui primo harum regionum debellatori Fernando Corteſio titulum dedit, eſt tranſeundus. Hactenus è Texeira. Anglus autem qui anno cIↄ Iↄ c III hac iter egit, teſtatur ſe ab *Acapulco* per inculta triginta leucarum ſpatia, primum veniſſe *Zumpangum* Indorum pagum (de quo ſupra) dein *Cuernavacam* Marchionis Vallenſis municipium haud incelebre, diſtans à Mexico tredecim leucas.

Porro Mexicani mercatores in hoc portu Acapulcenſi, quatuor tenent onerarias majores, quibus commercia exercent cum Philippinis inſulis & Sinarum regno, quod ſupra duo millia leucarum ab hoc portu abeſſe tradunt: Solvunt plerumque binæ onerariæ mercibus Europæis onuſtæ menſe Martio, & redeunt Junio inſequentis anni: tam lucroſo commercio, ut vulgo credatur, peculium intra duos annos decuplo augeri poſſe: vehunt autem hæ naves quando revertuntur ditiſſimam gazam.

Spilbergius noſter cum claſſe ſua anno cIↄ Iↄ c XV hunc portum ingreſſus, quum Hiſpanos non inopinantes quidem, ſed tamen imparatos opprimere & oppidum capere atque diripere potuiſſet, inconſulte, ut à multis creditur, & non exploratis

ploratis ante hoſtium viribus atque animis, ſatius habuit cum Præfecto paciſci & commeatu in claſſem impetrato nihil hoſtile moliri. Narrat in ſuo diario, in Arce quæ portui imminet, tum fuiſſe tormenta ænea ſeptemdecim, præſidiarios quadringentos, præter nobiles quamplures, qui undique accurrerant, & varios belli apparatus. Quum autem Claſſis Naſſavica anno cIↃ IↃ cxxiv in hoc portu in anchoris ſtaret, à noſtris obſervatum, Arcem quæ haud procul ab oppido, cornu quoddam terræ occupat, novis operibus nuper fuiſſe communitam, additis quatuor propugnaculis, & lapideo muro undiquaque firmatam.

Cæterum oppidum plerumque annonæ penuria laborare dicitur, longe enim petendam eſſe & quum advecta fuerit, ab iis qui quotannis in occidentem navigant, exhauriri, ita ut hic locus præter portum nihil memorabile habeat.

Cap. IX.

Digreſſio de antiquis Mexicanorum inſtitutis.

NON abs re facturus videor, ſi hic de antiquis Mexicanorum moribus, Reipublicæ forma, Regum origine atque ſucceſſione, rebus denique geſtis pauca commemoravero: ſiquidem hæc primùm natio nobis in hac Americæ deſcriptione occurrit, quæ aliquam politeiæ formam habuerit.

Mexicanos (quod omnis Reipublicæ fundamentum eſt) ſingularem inventutis inſtituendæ rationem habuiſſe produnt Hiſpani, idemque è libro barbaris & rudibus picturis expreſſo apparet, quem Vir Doctiſſimus, optimèque de hiſce ſtudiis meritus *Samuel Purchaſius* Anglus nuperrime in lucem protulit in laborioſo ſuo opere. Quarto à nativitate die, obſtetrix, infantem nudum in aream domicilii juncis ſtratam efferebat, maſculum quidem cum iis inſtrumentis, quibus pater victum quærere erat ſolitus; fæmellam autem cum fuſo, ſcopis & ſimilibus utenſilibus; in medio vaſculum aqua plenum poſitum erat, in quo illum abluebat, è regione tres pueri conſidebant, quibus pulmentum è maizio & leguminibus (quod *Ixicue* appellabant) apponebatur, qui ſaturati, puero jam abluto nomen imponebant. Dein poſt dies viginti Parentes offerebant puerum, aut Sacerdoti in Templo, quod *Calmacac* appellabant, ſacris ordinibus ubi ætatem quatuordecim aut quindecim annorum attigiſſet, initiandum: aut militiæ Præfectis atque magiſtris, quos *Teachauch* aut *Telpuchtlato* dicebant, militaribus diſciplinis inſtituendum: Domi interim dum adoleſceret, pro ratione ætatis & victum præbebant, triennibus quidem dimidium panem, quadrimis integrum, à ſexto vero ad decimumtertium ætatis annum, ſeſqui alterum, deinceps binos: & pro ſuo modulo aliquid agere docebant, uti quinto annò levia onera ferre, ſexto pueros quidem forum verrere & ſpicilegium facere, puellas fuſum tractare & ita porro: denique negligentes aut contumaces primo minis terrebant, ſpinis *Maguey* ob oculos poſitis, deinde & caſtigabant, ſpinis eiſdem illos pungendo, aut bacillis cædendo, aut *Axi* ſuffimigio naribus ſubjecto miſere torquendo.

Connubia legitima hoc ordine celebrabant: Pronuba, quam *Amanteſam* vocabant, ſponſam tergo geſtans, quatuor fœminis comitantibus quæ pineis tædis prælucerent, illam poſt Solis occaſum, ad limen domus in qua parentes ſponſi manebant, ſiſtebat, qui acceptam in atrium introducebant, & ſuper ſtoream humi ſtratam è regione ſponſi collocabant, & utriuſque fimbria in nodum conſtricta copulabant, duobus ſenioribus totidemque matronis vel uti teſtibus utrimque aſſidentibus; tum Copal diis incendebatur, cænabant deinceps conjugati, & mox reliqui vocati, cænaque abſoluta vinculum ſolvebatur & leges connubiales dictabantur. Addit *Gomara* primo quatriduo non convenire, ſed radere ſe & ſanguinem elicere ſolitos, quem diis connubialibus offerrent, quarta demum nocte, thorum conjugalem à Sacerdotibus ſterni & quibuſdam ceremoniis conſecrari, à conjugibus autem ſuffumigari atque ita demum conjuges miſceri: poſtero denique mane ſtratum, veſtes & imprimis ſanguinem quem elicuiſſent diis in Templo offerre, ibidemque à ſacerdotibus benedici & aqua munda aſpergi, quater quidem in honorem *Tlalloc* quem Neptuno, quaterque ad reverentiam *Ometochtli*, quem Baccho Hiſpani reſpondiſſe tradunt.

Qui autem ſacris ordinibus initiabantur, *Tlamacaſquæ* dicebantur, & primum ſolum Templi verrere, aut ligna bajulare, aut alia ad idolorum cultum neceſſaria ſenioribus ſubvehere cogebantur, negligentioreſque aut contumaces graviſſimis tormentis caſtigabantur: atque ita ſenſim ad honeſtiora miniſteria promovebantur. Militaribus verò diſciplinis imbuendi *Tequinarum*, id eſt, ſpeculatorum aut virorum bello clarorum arma bajulabant, iiſque alia ſervitia præſtabant, donec & ipſi capto aut occiſo hoſte aliquo in militares ordines aſſciſcerentur.

Regimen politicum Mexicanorum antiquis temporibus Ariſtocraticum fuit, deinde ad unum delatum, qui non ſucceſſione aut hæreditate, ſed libera electione, primum à toto populo, deinde ab optimatibus aſſciſcebatur: nam à temporibus *Izcoatl* quatuor Electores è nobilitate Mexicana & duo ſocii Reges *Tezcuco* atque *Tacubæ* Regem Mexicanum dicuntur elegiſſe. Utplurimum autem juniores eligebant, uti bellicis laboribus ferendis aptiores. Singulare quoque ſubditorum in Principes obſequium ſemper enituit. Regum primum familia modica, cum imperio atque opibus, luxus & magnificentia crevit, maxime ſub Mutezuma primo. Poſt Regem dignitate & authoritate eminebant Electores, qui plerumque è germanis aut conſanguineis Regis allegebantur, eos *Tlacohecalcatl*, id eſt, Principes ſpiculorum vocabant. His dignatione proximi erant *Tlacatecatl*, id eſt, hominum mactatores. Tertium locum obtinebant *Ezuahuacatli*, id eſt, ſanguinis profuſores: quartum denique *Tlillancalqui*, id eſt, Domini caſæ nigræ, à nigro unguento quibus Sacerdotes ſe illinere conſueverant. Ex hiſce quatuor ordinibus Regius ſenatus conſtabat, neque facile quiſquam ad regnandum vocabatur niſi ex uno aliquo horum ordinum.

Præter hos multi inferiores miniſtri cenſebantur, quorum alios *Tectli* vocabant, qui erant veluti prætores urbani: alios *Mixcoatlayotlac*, *Ezguagacatl*, *Acatlyacapanecatl*, & *Tequixquinahuacatl* qui veluti judices erant ordinarii & lites populi dirimebant & juſtitiam adminiſtrabant. Nuncios autem ſuos & apparitores *Teputchli* vocabant, ii fere juniores & cælibes eligebantur ut ad curſuram magis idonei eſſent; Nam è remotiſſimis provinciis ad Regem referebant in linteis picta, quæ characteribus exprimere non poterant. Singulis autem provinciis præerant Regis vice gubernatores, vulgo *Petlacalcatl*, quibus adjuncti erant Tributorũ exactores, quos *Calpixque* vocabant.

Eorum autem quæ tributi nomine à ſingulis provinciis atque urbibus quotannis pendebantur cenſus in picto libro viſebatur, cujus exemplar idem *Purchaſius* in laborioſo ſuo opere exhibet: è quo facile eſt colligere, quanta fuerit imperii Mexicani magnitudo, & quam ingens theſaurus ſingulis annis in ærarium fuerit relatus. Etenim unaquæque provincia pro ſui qualitate, ea quæ ſolum ferret, aut induſtria incolarum elaboraret magno numero pendebat: etiam liberos ſuos ut dæmonibus immolaretur.

Militiæ denique potiſſima illis cura fuit, variique militares ordines & dignitates à Regibus conſtitutæ, atque ampliſſima præmia fortiſſimis viris decreta.

Breviter his defungimur neque ſuperſtitiones illorum attingimus, quia prolixius à *Gomara* & *Acoſta* aliiſque ſunt commemoratæ.

CAP. X.

Mexicanorum Idioma, numerandi & ſcribendi ratio, menſes, anni, ſeculum & modus rerum geſtarum memoriam conſervandi.

NOVÆ Hiſpaniæ indigenæ infinita pene idiomatum varietate inter ſe diſcrepant, quæ non tantum dialectis variant, ſed plane diverſæ ſunt linguæ; inter univerſas autem maxime excellit Mexicana, quæ & vicinis nationibus, etiam longinquis, poſtquam Mexicani imperii ſui fines longe lateque propagarunt, tam communis eſſe cæpit, quam in Europa Latina aut in Aſia Slavonica: ita ut in ſingulis pene provinciis interpretes illius haberentur, quos *Naguatlatos* vocant. Ut autem Lector guſtum aliquem hujus idiomatis percipiat, paucula quædam hic inſeremus è vocabulario in civitate Mexico impreſſo. Partes corporis humani hiſce nominibus ab ipſis deſignantur.

Caput

Caput	*Tzontecontli*	Pectus	*Yelchiquiuhtli*	Jecur	*Yeltepachtli.*
Capilli	*Tzontli*	Humeri	*Ahcolli*	Cor	*Yollochtli*
Frons	*Ixcuaitl*	Brachia	*Matzotzopatli*	Pulmones	*Chichitl*
Oculi	*Ixtelolotli*	Manus	*Maytl*	Lien	*Taxixtecon*
Aures	*Nacazotli*	Digiti	*Mahpilli*	Renes	*Netloctetenca*
Maxillæ	*Camachalli*	Ungues	*Iztitl*	Genua	*Tlanguaitl*
Os	*Camactli*	Nervi	*Tlalhuyaotl*	Crura	*Metzquauhyotl*
Dentes	*Tlantli*	Venæ	*Tetzalhuyotl*	Pedes	*Icxitl*
Lingua	*Nenepilli*	Venter	*Xillantli*	Suræ	*Cotztli*
Collum	*Cocotl.*	Dorſum	*Cuitlapantli*	Tali	*Xoquochtlantli.*

Colorum varietates diſcernunt hoc modo:

Candidum	*Iztac*	Nigrum	*Tliltic*	Pardum	*Nextic*	Cæruleum	*Texutic.*
Luteum	*Coztic*	Viridem	*Quiltic*	Rubrum	*Chichiltic*		

Rerum naturalium nomina hæc obſervanda duximus.

Mons	*Quauhtla*	Cervus	*Maçatl*	Anſer	*Tlalalacatl*
Collis	*Tepetl*	Cuniculus	*Tuchtli*	Anas	*Canauhtli*
Vallis	*Ixtlahuatl*	Sus	*Pitzotl*	Palumbis	*Huilotl*
Arbor	*Quahuitl*	Leo	*Ocelotl*	Pavo	*Pelompatox*
Herba	*Xihuitl*	Lupus	*Cuetlachtli*	Scorpio	*Colotl*
Fons	*Ameyalli*	Vulpecula	*Coyotl*	Pediculus	*Atemitl*
Torrens	*Atlautitli*	Felis	*Miztli*	Aurum	*Coztic*
Fluvius	*Atoyatl*	Canis	*Chichi*	Argentum	*Teocuitlatl*
Pons	*Quauhpantli*	Equus	*Cahuyao*	Plumbum	*Temeztli*
Lacus	*Zahzacatla*	Taurus	*Quaquahne*	Ferrum	*Tepoztli*
Anguis	*Cohuatl*	Lacertus	*Acuetzpalin.*	Cœlum	*Ilhuicatl*
Formica	*Azcatl*	Pulex	*Tecpin*	Sol	*Tonatiuh*
Ignis	*Tletl*	Accipiter	*Cacalin*	Luna	*Metztli*
Cinis	*Nextli*	Aquila	*Cuauhtli*	Stella	*Citlalin*
Carbo	*Tecolli*	Corvus	*Acatlotli*	Nubes	*Mixtli*
Pluvia	*Quiahuiztli*	Pſittacus	*Tuznene*	Tonitru	*Tlatlatzinil*
Ventus	*Yeccatl*	Pica	*Hueytzanatl*	Fulgur	*Tlahuitequiliztli*
Gelu	*Zetl*	Coturnix	*Zulin*		

Perſonas ita diſtinguunt, *Nehuatl* ego, *Tehuatl*, tu, *Yehuatl*, ille.

Gradus ita: Pater *Tahtli* Mater *Nantli* Filius *Tepiltzin* Filia *Teuchpoch* Frater *Teoquichtuich*, Soror *Tehneltiuh*, Avus *Tecoltzin* Patruus *Tetlahtzin* Dominus *Teuthli* Servi *Tlacoti.*

Denique numerant in hunc modum. 1 *ce* aut *centetl*, 2 *ome*, 3 *yei*, 4 *nahuy*, 5 *macuilli*, 6 *chicuacen*, 7 *chicome*, 8 *chicuey*, 9 *Chicunahuni*, 10 *Matlactli*, 15 *Caxtolli*, 20 *zempohualli*, 40 *ompohualli*, 50 *ompohualli on Matlactli*, 60 *yepohualli*, 70 *yepohualli on matlactli*; 80 *Nauhpohualli*; 90 *Naupohualli on Matlactli.* 100 *macuilpohualli.* 1000 *ontzontli ipan macutlpohualli*, &c.

Porro Mexicani licet characteribus deſtituerentur, & ſcribendi artem ignorarent non minus quam cæteræ nationes Americæ, tamen picturis quibuſdam veluti hieroglyphicis notis mentem ſuam ſatis dextrè exprimebant, eiſdemque non modo rerum geſtarum memoriam conſervabant, ſed & liberorum inſtitutionem & alia quævis deſcribebant. Numeros quoque certis notis deſignabant; viginti quidem hac  & ejuſdem notæ multiplicatione uſque ad ducenta, ita ut  centum ſignificaret. Quadringenta rurſus hac nota indicabant  & ejuſdem repetitione ad quatuor millia. Denique octo millia operoſa hac nota ſignificabant:  quas notas in cenſuali tributorum paſſim videre eſt juxta res ipſas quæ tributi nomine pendebantur ruditer admodum depictas: minorum autem aut majorum numerorum notas non potui in illo libro obſervare.

Annum ut ſcribit *Gomara* dividebant in octodecim menſes, viginti dierum ſingulos, qui efficiunt dies trecentos ſexaginta, reliquos inter-

cala-

calabant, neque quicquam operis illis diebus, ut ſcribit *Acoſta* faciebant, tantum otiabantur & genio indulgebant, ne Sacerdotes quidem ſacris operabantur; contrarium ſcribit *Gomara*, & illos iſtis potiſſimum diebus, crudeliſſimis ſacrificiis operatos teſtatur. Menſium autem nomina hæc commemorat: I *Tlacaxipenaliztli*: II *Tozcactli*: III *Hueitozcuztli*: IV *Toxcalt* aut *Tepupochuiliztli*: V *Ezalioaliztli*: VI *Tecuilhuicintli*: VII *Hueitecuilhuitl*: VIII *Miccathuicintli*: IX *Veimiccailhuitl*: X *Vchpaniztli* vel *Tenavatiliztli*: XI *Pachtli* vel *Hecoztli*: XII *Hueipachtli*: XIII *Quecholli*: XIV *Panquecaliztli*: XV *Hatemuztli*: XVI *Tititl*: XVII *Izcalli*: XVIII *Coavitlevac*. Initium anni ipſis à noſtro Martio vel ut Acoſta obſervat à XXVI Februarii. Menſes autem non modo iſta nomina ſed & ſuos characteres habebant: plerumque à feſtis ſumtos, quæ in illos incidebant, aut ab anni tempeſtatibus.

Viginti quoque illi dies ſinguli ſua nomina & notas habebant, ut idem Gomara prodit, hoc modo: I *Cipactli* gladiolus: II *Hecatl* ſive *Yeceatl* ventus: III *Calli* caſa: IV *Cuetzpalin* ſive *Acuetzapalin* lacertus: V *Cohuatl* anguis: VI *Mizquintli* mors: VII *Mazatl* cervus: VIII *Tuchtli* cuniculus: IX *Atl* aqua: X *Izcuinhtli* canis: XI *Ozumatli* ſimia: XII *Malinalli* ſcopæ: XIII *Acatl* canna: XIV *Occlotl* Leo: XV *Cohautli* aquila: XVI *Cozcaquahuitli* bubo: XVII *Olin* templum: XVIII *Texpatl* cultellus: XIX *Quiavitl* pluvia: XX *Xuchitl* Roſa. Eoſdem dies in tredecim dierũ claſſes, ut ita dicam, diſtinguebant, & præſcripto exiguo circulo inſtar literæ o, & toties quoties opus erat multiplicato ordinem & numerum notabant. Annos quoque in ſimiles claſſes, atque ſecula diſtribuebant: conſtabatque ipſorum ſeculum, quatuor ejuſmodi claſſibus, id eſt, annis duobus ſupra quinquaginta: Nec tamen in annorum deſcriptione, pluribus quam quatuor figuris ſeu notis utebantur, caſæ, cuniculi, cannæ & cultelli: Annorum tredecim claſſem, prout ipſi pingebant, hic ſubjicimus.



Ultimo autem die ſeculi ſui LII annorum, omnia vaſa ſua confringebant, ignemque extinguebant: nam quum à majoribus ſuis accepiſſent, mundum ſeculari anno interiturum, id quinquageſimo ſecundo quoque anno operiebantur: itaque totam noctem pervigilabant metuentes ne haud denuo illuceſceret: Sole vero oriente, buccinis tibiiſque lætitiam ſuam teſtabantur & feſtum celebrabant, diis ſuis gratias agentes, quod novum adhuc ſeculum mundo prorogaſſent: nova ſibi vaſa atque aliam ſuppellectilem comparabant; novumque ignem à ſacerdotibus petebant.

Denique hoc quinquaginta duorum annorum ſeculum, ita ad memoriam diſtinguebant; circulo ducto, in centro pingebant ſolem, & ab eo ad circumferentiam ducebant lineas quatuor, orbem dividentes in quatuor partes æquales, ſuis coloribus diſtinctas, viridi, cæruleo, rubro & fuſco: quæ ſingulæ ad oram circumferentiæ diviſæ erant in tredecim intervalla & ſuis notis ut ſupra diſtinctæ: ad ſingulos annos extra circulum rudi pictura adumbrabant, quicquid memorabile accidiſſet, atque ita rerum geſtarum memoriam ad poſteros dimittebant.

Cap. XI.

Origines Mexicanorum, *eorumque Principes ſecundum* Gomaram.

Narrant Hiſtoriæ Mexicanæ (inquit *Gomara*) Chichimecas primum ad has terras veniſſe anno à Chriſto nato ſecundum noſtras rationes IↃ CXXI. Primus princeps quem produnt dicebatur *Totepeuch*, qui circiter anno centeſimo poſt eorum adventum deceſſit, ita ut hunc aut valde longævum fuiſſe neceſſe ſit aut antecedentium Principum memoriam temporis injuria intercidiſſe. Hoc mortuo convenerunt in *Tula*, ibidemque in parentis locum ſublegerunt *Topilem* viginti duorum annorum juvenem, qui circiter quinquaginta annis regna-

regnavit. Poſt illum centum & decem annorum intervallo Principum nomina exciderunt: Et quum advenæ hi peſſime cum indigenis, nec ſatis bene inter ſe convenirent, duos in *Tula* principes elegerunt, quorum unus *Demac* verſus unam plagam: alter *Nauhiocin* natione Chichimeca ſuos duxit verſus Lacum Mexicanum: hic ſexaginta annis tenuit principatum; eique ſucceſſit *Quauhtexpetatl*; dein *Decin*; Huic *Nonovalcalt*; Deinceps *Achitometl*; porro *Quauhtonal*; cujus principatus anno decimo *Chapultepec* ſunt ingreſſi. Huic ſucceſſit *Macazin*; dein *Queza*; deinceps *Chalcuitona*; porro *Quauhtlix*; atque inde *Iohuallatonac*; cui ſucceſſit *Cuithetl*, hujus anno tertio locum occuparunt ubi hodieque Civitas Mexicana cernitur. Poſt hunc memoratur *Xiuiltemoc*; dein *Cuxcux*; & porro *Acamapichtli* cujus anno ſexto *Achitometl* unus è magnatibus rebellavit, & Rege cum ſex liberis trucidato tenuit tyrannidem annis duodecim. *Illancuetl* regina vel ut alii volunt nutrix cum *Acamapichin* Regis filiolo ſe ſubduxit in *Covatlichan*. *Achitometl* autem poſtquam duodecim annis crudeliſſime in ſubditos fuiſſet debacchatus, exitium metuens profugit in montana, & civitas *Culhuacan* pene deſerta fuit, principatuſque inter Dominos *Azcapuzalco*, *Quauhanavac*, *Chalco*, *Covatlichan* & *Huexocinco* diviſus. *Acamapich* interim adoleverat, & ob generis ſplendorem in civitatem Mexicanam revocatus, in Regem omnium conſenſu eligitur. Is viginti nobiliſſimorum virorum gnatas accepit in uxores & procreavit quamplurimos filios, quos præcipuis provinciis præpoſuit; urbem *Culhuacan* reſtauravit, eique dedit præfectum filium ſuum *Nauhiocin*. Hoc Rege ſuperſtite res Mexicanæ plurimum creverunt, erat enim fortitudinis & prudentiæ ſingularis, tenuitque principatum annis ſex & quadraginta: decedens tres reliquit filios qui ſucceſſive poſt illum regnarunt; primùm quidem major natu *Vicilivitl* qui filiam Reguli *Quauhanavac* uxorem habuit: Secundo *Chimalpopoco*; Tertio denique *Yzcoua*; qui fuit Rex *Azcapuzalco*, *Quauhanavac*, *Chalco*, *Coautlichan* & *Huexcocinco*: Sed Regni veluti ſocios habuit *Necovalcoyocin* Dominum *Tezcuci* & *Tlacopan* Regulum: atque ita deinceps conjunctim regnatum fuit, ita tamen ut primas teneret Mexicanus, ſecundas Tezcucencis, tertias Tlacopanus. *Yzcovæ* ſucceſſit *Motezuma* filius *Vicilivitl*, nam conſuetudo obtinuerat, filios parentibus non ſuccedere quandiu patrui ſupereſſent, poſt illorum autem deceſſum, majoris natu fratris filius ſurrogabatur. Motezumæ huic ſucceſſit filia, quæ cognato nupta genuit tres filios, qui ad eumdem modum ſucceſſive regnarunt: & quidem primo *Axayaraca*; deinde *Ticozica* & tertio *Auhizo*. Quem denique ſecutus eſt *Mutezuma* II filius *Axayaracæ* anno à Chriſto nato clɔ Iɔ III, hunc à Corteſio in ſuo palatio captum Mexicani in tumultu ictu ſaxi vulnerarunt, è quo vulnere paulo poſt deceſſit. Mexicani autem pulſis è civitate Hiſpanis *Cuetlavacum* in imperio ſubrogarunt, fratrem Mutezumæ, ut Herrera ſcribit, aut conſobrinum ut Gomara, qui aliquot tantum menſibus ſuperfuit, morbo variolorum extinctus: ſucceſſit ei *Quautimoc* ſummus ſacerdos & Mutezumæ è fratre cognatus; ſub cujus imperio paulo poſt urbs à Corteſio fuit capta & regno Mexicano finis impoſitus.

Cap. XII.

Duces & Reges Mexicanorum *ſecundum* Acoſtam.

Paulo prolixius Mexicanorum originem & Regum ſucceſſiones, narrat Acoſta, nos tantum compendio hic referemus.

Primi (inquit) Novæ Hiſpaniæ incolæ fuerunt *Chichimecæ*, homines rudes, immanes omniſq; humanitatis pene vacui; (de quorum moribus alibi quoq; dicetur) atque *Otomies* his paulo cultiores: neutri tamen aut agros colere aut politicè vivere aſſueverant: Sed ſupervenerunt aliæ nationes è remotioribus ad ſeptentriones regionibus, quas uno nomine *Navatlacos* vocarunt, id eſt, homines qui diſtinctim animi ſui ſenſa poſſent proloqui: putantur autem antiquitus incoluiſſe regionem illam, quam nuper inventam Hiſpani Novam Mexicanam appellarunt. Septem populos fuiſſe ex pictis annalibus colligitur, in quibus origines ſuas ſeptem antris exprimunt. Non ſimul autem omnes hi populi ſeſe moverunt: Sed primi *Suchimilci* (id eſt populi qui flores colunt) qui Lacum hodie ad Meridiem accolunt in ſui nominis municipio.

Deinde

Deinde aliquo temporis intervallo *Chalcæ* (id eſt populus buccarum) juxta priores ſedes ſortiti, quorum memoriam adhuc Chalco ſervat: Tertiò *Tepanecæ* (id eſt gentes pontis) qui ad occidentalem Lacus oram ædificarunt, tantum brevi tempore augmentum ceperunt, ut oppidum ſuum *Azcapuzalco*, id eſt, formicarum antrum vocarent: Poſt illos advenerunt *Culvæ* & exſtruxerunt Tezcucum: atque ita Lacus ora undique cincta fuit, hiſce ad orientem, Tepanecis ad ſeptentriones tendentibus. Quinto advenerunt *Tlatluici* (quod nomen ſonat Montenſes, erant enim magis inconditi & barbari quam præcedentes) qui quum ripam lacus jam undique cinctam reperiſſent, ſuperatis montibus, regionem amplam & imprimis fertilem occuparunt & urbem *Quahunahuac* condiderunt, id eſt, locum ubi aquilæ vox auditur; quæ hodie ad Marchionatum pertinet & corrupte Cuernavaca appellatur. Sexto venerunt in hæc loca *Tlaſcaltecæ* (id eſt gens panum) qui montes nivales tranſgreſſi plures pagos & municipia condiderunt & imprimis caput gentis Tlaxcalam. Cæteri quidem *Chichimecis* nequaquam reluctantibus, ſedes ſortiti fuerant, his autem ingens certamen cum gigantibus fuit, quos tamen aſtu ſuperarunt, nam ad ſympoſium vocatis & jam ebrietate ſolutis, arma clam ſubduxerunt, atque ita inermes nullo pene negotio confecerunt: Nequis autem hoc de gigantibus fabuloſum opinetur, narrat Acoſta, anno cIↃ IↃ LXXXVI in certo Sociorum prædio, quod *Ieſus del monte* appellatur, ſceleton ejuſmodi gigantis effoſſum, cujus ipſe molarem dentem viderit pugni humani magnitudine. Poſt illa non modo Tlaſcaltecæ ſed & reliqui advenæ quiete cum indigenis & inter ſe egerunt, connubiis & aliis pacis firmamentis inter ſe devincti: ipſique *Chichimecæ* paulatim advenarum mores & cultum cæperunt imitari. Trecenti jam & duo anni præterierant, ex quo priores illi è finibus ſuis exierant, quum ſeptima natio, quam Mexicanam vocant, ex *Aztlan*, & Tuculhuacan profecta acceſſit, gens politica & bellandi gnara: Dæmonium *Vitzilipùtli*, quod adorabant, ingentibus promiſſis & ampliſſimarum regionum poſſeſſione imperioque in ſuperiores ſex nationes, illexerat illos ex antiquis ſedibus: præferebatur idolum illius in arca juncea à quatuor ſacerdotibus; quibus dæmon & ordinem itineris & leges atq; ritus ſacrificiorum exponebat: ubi quieſcendum erat, ante omnia in medio caſtrorum idolum in tugurio ſuper aram (Chriſtianorum altari ſimilem) collocabant, deinde alia munia obibant. Videtur (inquit *Acoſta*) Dæmon peregrinationem Iſraëlitarum ex Ægypto in terram promiſſionis imitari voluiſſe. Dux gentis erat *Mexi*, à quo urbi & populo nomen manſiſſe videtur. Lentis itineribus in hunc modum progreſſi in Mechuacanam provinciam pervenerunt, cujus amœnitate ob varios piſcoſos Lacus quum ſummopere caperentur, ibidem optabant ſubſiſtere, ſed vetuit Dæmon, & aliquot tantum hic mandavit manere, quos nudos, veſtibus inter natandum ſubductis, deſtituerunt; atque inde capitale odium inter populos utriuſque provinciæ perennaſſe volunt. Diſtat Mechuacan à Mexico circiter quinquaginta leucas, in illo intervallo *Malinalco* pagus occurrit, qui hac occaſione coli cæpit; Erat in exercitu præſtigiatrix quædam, quæ ſe Dæmonii germanam ferens à populo adorari volebat; hanc Mexicani cum ſua familia, Dæmonis monitu ſubſiſtere coëgerunt; unde hodieque hujus pagi incolæ præſtigiorum haud ignari judicantur. Mexicani porro longitudine itineris defatigati & ob plures colonias in itinere relictas, multum numero imminuti, in *Tula* paulum ſibi quieſcendum putarunt, & Dæmonis oraculo moniti, grandem fluvium objecta mole in planiciem vicinam derivarunt, ita ut reſtagnaret ut amœniſſimum montem *Coatepec* lacus in modum undique cingeret: allubuit multis tantopere loci amœnitas, ut Dæmoni poſt aliquot annos ut procederent imperanti, minime auſcultandum exiſtimarent: ille autem iratus primum Sacerdotibus mandavit, ut disjecta mole, fluvium alveo ſuo reſtituerent; dein noctu horrendo tumultu caſtra complevit, maneque omnes illi qui progredi detractarant, mortui & exenterati ſunt inventi: quæ crudelitas poſtilla in ipſarum immolationibus viguit. *Chapultepecum* deinde ventum, montem amœniſſimum & una tantum leuca ab urbe Mexicana diſſitum, inde poſt anceps cum Chalcis & Tepanecis prælium, in quo ducem ſuum *Vitziolivitli* amiſerunt, ſuperiores facti, *Atlacubayam* Culhuarum municipium, indigenis in feſto occupatis, intrarunt. Petitus deinde ad Domino *Culhuacan* ager, & impetratus in *Ticaapan* (quod

ſonat

ſonat aquas candidas) loco viperis & ſerpentibus, quos vicinus mons gignit, obnoxio, ut illic perirent; verum illi Dæmonis ſui conſilio, angues non modo ſuperarunt, ſed & in cibis uſurpare cæperunt. Ne tamen hunc quietis locum opinarentur, Dæmon ipſis alia certamina, aliamque migrationem prædixit, authorque fuit ut Duci ſuo filiam Regis Culhuacan in uxorem depoſcerent, qua facile impetrata, virginem connubiali nocte exenterarunt & juxta idolum ſuum in divam conſecrarunt; tam immani crudelitati additum ludibrium, invitatus Pater ut filiæ ſuæ jam divæ (*Tocci*, id eſt, aviam ſuam vocabant) litaret, qui cum advenisset cum plurimis donariis, in ſacrarium obſcurum introductus, ad incenſi ſplendorem filiæ ſuæ pellem agnovit, & Mexicanorum ſævitiam abominatus, in illos cum ſuis infeſtus erupit & magna clade affectos fugere compulit. Illi trepida fuga primum *Iztapalapan* atque inde *Acatzintlatan*, mox *Iztacalcum* & denique locum ubi nunc *S. Antonii* cœnobium & vicus *S. Pauli* cernitur, petiverunt. Hîc Dæmon ſuos conſolatus, tempus jam veniſſe edicit, quo quietis locum & diu promiſſam imperii ſedem ſortirentur; & noctu ſeniorem ſacerdotem monuit, ut quæreret Tunale è petra naſcens, & ſupra Tunale Aquilam quæ elegantibus aviculis paſceretur; hunc enim locum urbi condendæ deſtinatum, quæ vicinis gentibus longe lateque imperaret. Requiſitus diligenter locus, tandemque eſt inventus, ubi primo capellula idolo è ceſpite educta fuit: Dein urbis fundamenta jacta, quam *Tenoxtitlan* dixerunt, id eſt, Tunale ſuper petram, uti & inſignia urbis denotant. Deinceps urbs in quatuor regiones diſtributa, eæque rurſus in minores vicos, ſinguliſque ſui divi tutelares attributi, quos *Calpulteco* vocant: quin & areæ ſingulis familiis diviſæ. Diſplicuit ea diviſio multis, qui ſe à reliquo corpore ſeparantes, novas ſedes in *Tlatelulco* occuparunt, non ſine animorum diviſione, quæ diu manſit. Viſum deinde Regem eligere ut Rempublicam ſuam magis firmarent, petituſque à Culhuacanis *Acamapixtli* è nobili Mexicano & filia Regis Culhuacan prognatus; coronatuſque fuit ſolenniter mitra, ei, quam duces Veneti geſtant, non abſimili. Tepanecæ autem quorum terras Mexicani inſederant, grave illis tributum imperarunt, quod quum illi Dæmonis ſui auxilio præſtitiſſent, aliud longe gravius, & ſine divina ope impoſſibile poſtulatum, quod tamen & Dæmonis auxilio, ut fabulantur, ſuo tempore reddiderunt. Deceſſit poſt illa *Acamapixtli* poſtquam quadraginta annos imperaſſet, & urbem multis ædificiis publicis, privatiſque illuſtraſſet, libera ſucceſſorem eligendi poteſtate civibus ſuis relicta: qui tamen filium illius *Vitzilovitli* (nomen ſonat plumam divitem) ipſi ſurrogarunt, & eodem unguento, quo idolum ſuum perungere conſueverant, inunxerunt & coronarunt: Deinde *Ayanchigual* reguli Azcapuzalco filia in conjugem impetrata: quæ ipſi filium peperit cui ab avo *Chimalpopocæ* nomen inditum, quod ſonat parmam fumantem. Relaxatum deinde Mexicanis à Tepanecis tributum, Reginæ precibus, & duo tantum anſeres & aliquot piſces imperati, in ſuperioris Dominii agnitionem. Obiit paulo poſt Regina & Rex *Vitzilovitli* ætatis ſuæ anno trigeſimo, regni decimotertio, filium relinquens decennem, qui electione Magnatum parenti ſucceſſit. Penuriam aquæ dulcis patiebantur Mexicani, lacuſtris enim cænoſior eſt & potari inidonea, itaque Regulus *Azcapuzalco* rogatus, ut ipſis permitteret è *Chapultepec* aquam dulcem in urbem inducere, haud gravatim conceſſit; factuſque aquæ ductus è cannis & ceſpite, qui quum crebrius rumperetur, miſſi ad eundem Regem legati, qui rogarent ut Tepanecæ mitterent fabros qui lapide & cemento eundem communirent: Arrogantius Tepanecis hoc poſtulatum viſum, atque advenis atque adeo ſubditis indignum: itaque inconſulto Regulo, quem nepoti addictiorem verebantur, ſuis omni commercio cum Mexicanis, capitali pœna propoſita, interdicunt. Rex Azcapuzalco horum gnarus, magnates ſuos rogat, ut Chimalpopæ nepotis ſui incolumitati primum conſulerent, deinde de Mexicanis ſtatuerent, prout ipſis videretur; plurimis viſus eſt æquum poſtulare, ſed duo principes contradixerunt, qui illum materno tantum ſanguine ipſis devinctum, Mexicanis magis propitium rebantur, itaque denuo decretum ut Rex Mexicanus ante omnia è medio tolleretur; quod Rex ipſorum tam graviter accepit, ut ex animi mærore paulo poſt decederet. Tepanecæ interea intempeſta nocte profecti, palatium Regis Mexicani clam ingrediuntur & adoleſcentem aliquot vulneribus conficiunt. Mexicani mane Regem ſalutatum venientes, quum obtrun-

Acamapixtli R.

Vitzilovitli R.

Chimalpopoca R.

catum reperiſſent, urbem planctu replent, & iræ atque vindictæ ſtimulis concitati unanimiter corripiunt arma: jamque incondito agmine contra Tepanecas properabant, quum unus è Primatibus monuit, ne tam inconſulto nimis feſtinarent, ſed ante omnia Regi juſta perſolverent, eique darent ſucceſſorem: Vocatis itaque ad exſequiarum ſolemnia Tezcuci atque Culhuacan proceribus, crudele Tepanecarum facinus flebiliter exponunt, ſe tamen non auxiliares copias adverſus illos petere, tantum rogare ut commercia ſibi cum illorum ſubditis libera permanere ſinant, cætera ſibi curæ fore; quod quum impetraſſent, ut Electioni novi Regis intereſſent petierunt. Electus *Izcoatl*, Acamapictli è ſervâ genitus, cæterum fortitudinis & prudentiæ ſingularis; magno omnium applauſu, præcipue Tezcucanorum, quorum Rex germanam hujus in uxorem duxerat. Prima conſultatio de bello Tepanecis inferendo habita fuit, verum vulgus, hoſtium numerum atque arma (quibus ſuperiores eſſe illos noverant) metuens, Regi ſupplicari cœpit, ut pacem bello anteferret, malle ſe Tepanecis, ut ante, ſervire, eorumque coloniis aſſcribi, quam armis in certum exitium ruere. Rex vulgi precibus moveri viſus, Sacerdotes cum ſuo Idolo ad Regem Azcapucalco ſupplices procedere jubet, verum *Tlacaellel* regis conſobrinus, fortiſſimus adoleſcens, ſtitit agmen & magnifica oratione Regem & proceres eſt dehortatus ne tantum dedecus admitterent, atque eo uſque promovit, ut Regem incepti pœniteret, & conſilia magis ſalutaria Reipubl. caperet: functus quoque ipſe legatione ad Tepanecas, non ſine diſcrimine, qua denunciabatur Mexicanos pacem modò æquam quàm bellum malle, ipſi quod præferrent eligerent; & bello, ſiquidem id malle viderentur, denunciato incolumis & aliquot hoſtibus prius occiſis ad ſuos eſt reverſus. Omnibus autem ad bellum inferendum rite præparatis, convenit inter plebem quæ certamen detractabat & nobilitatem, ut ſi nobiles victoriam reportarent, plebs ipſis in perpetuum vectigalis fieret, ſin ſecus accidiſſet, nobiles ſe plebeis mactandos & immolandos traderent. Tlacaellel exercitum ducere juſſus, illum in duas partes diviſit, & tam fortiter rem geſſit ut Tepanecas magna clade percuſſos profligaret & oppidum illorum Azcapuzalco primo impetu caperet; & plurimos mortales hac illac palantes ſterneret: Urbs direpta & opima ſpolia capta & inter victores diviſa: ager denique hoſtilis viritim nobilibus diſtributus & plebs Mexicana prout convenerat nobilibus addicta. Impetus deinceps in *Cuyocanos* factus, qui Azcapuzalco excidio nihil territi, hoſtilia in Mexicanos non ſine ludibrio auſi fuerant, & ejuſdem Tlacaellelis virtute debellatum, *Cuyocan* urbs capta atque direpta, quique excidio ſuperfuerant in deditionem accepti & tributarii ſunt facti. Haud diſſimilis clades & *Suchimilcos* involvit, ſed mitius cum victis actum, oppidoque illis integro relicto, ſemitam ad urbem Mexicanam communire & ſilicibus ſternere juſſi ſunt, quo facilius commercia inter utroſque poſſent exerceri.

Izcoatl R.

Cuitlavacæ, oppidi in ipſo lacu ſiti, incolæ arte navigandi, qua pollebant, confiſi, Mexicanis ſe facile pares vel etiam ſuperiores opinantes hoſtilia meditabantur, quod quum Rex *Izcoatl* ſubodoratus eſſet, maximas copias adverſus illos mittere parabat, verum Tlacaellel tanto molimine nihil opus eſſe profeſſus cum ſola juventute Mexicana eos ita afflixit, ut ſe ſuaque ultro dederent. Perterruit hæc victoria & tot rerum proſpere geſtarum fama vicinos omnes & imprimis *Tezcucenſes*, quorum prudentia maxime celebratur: itaque miſſis legatis ſe Mexicano imperio ſubjecerunt. *Izcoatl* autem anno regni ſui duodecimo fatis conceſſit; ei ſurrogatus fuit *Mutezuma*, magna celebritate electus & majori quam antehac pompa coronatus. Inoleverat jam conſuetudo ut Rex electus certum captivorum numerum ex hoſtico raperet, qui feſto coronationis crudeliter Dæmoni immolarentur: rapti è provincia *Chalco*, nec tamen tum perdomita fuit provincia, cujus incolæ bellicoſiſſimi habebantur. Accidit autem paulo poſt res imprimis memorabilis, Chalcenſes ſiquidem Regis Mexicani fratrem in prælio captum, ſibi Regem conſtituere ſatagebant, ille vero annuere viſus, palum erigi & tabulatum ſuperſterni jubet, tanquam è ſublimi concionem ad ipſos habiturus, verum quum aſcendiſſet, brevi oratione ad ſuos habita de integra ſua in patriam atque fratrem fide, ſe præcipitem dedit, miſereque periit: Chalcenſes tam crudele

Mutezuma R.

facinus

facinus abominati, cæteros captivos immaniter dilaniarunt. Rex Mexicanus poſt hæc cum maximis copiis in *Chalcenſes* movit, iiſque debellatis, vicinas quoque gentes uſque ad utrumque mare perdomuit & virtute præcipuè Tlacaellelis Mexicano adjunxit imperio. *Tlaſcaltecas* intactos relinquere ſatius viſum, ne aut bellorum materies juventuti exercendæ deeſſet, aut unde hoſtias diis ſuis immolandas abriperent. Ita ut huic potiſſimum Regi & exercituum illius imperatori Tlacaelleli, imperii Mexicani amplitudo haud dubio debeatur. Hoc regnante celeberrimum *Vitziliputzli* templum, aliaque ædificia publica barbara magnificentia fuerunt conſtructa. Obiit denique *Motezuma* vigeſimo octavo imperii ſui anno; Quumque Electores unanimi conſenſu Tlacaellelem elegiſſent, ille conſtanter dignitatem recuſavit, & *Tizocic* licet admodum juvenem, neque tanto oneri parem, Parenti ſuo ſubrogari voluit: Verum Mexicani ignaviam hujus pertæſi, quarto imperii ſui anno veneno ſuſtulerunt. Succeſſit illi germanus *Axayaca*, imperio dignior: deceſſitque Tlacaellel jam provectior, cui à Rege & magnatibus atque univerſo populo magnificentiſſime, prout par erat, eſt parentatum. Rex autem nondum coronatus in Provinciam *Teguantepec*, pene ducentis ab urbe leucis, profectus, graviter cecidit hoſtes, urbem illorum expugnavit, atque regionem omnem uſque ad *Guatulcum* (notiſſimum jam ad mare Pacificum portum) pervaſtavit, ita ut cum maximo captivorum numero triumphabundus rediret & coronam regni cum ſumma ſolemnitate ſuſciperet.

Tizocic R.

Axayaca R.

Tlatellulci deinde incolas, licet ejuſdem gentis, ſed poſt primam illam ſeceſſionem ſemper diſcordes, Rege illorum in duello ſuperato, domuit, & multis præterea victoriis nobilitatus, deceſſit anno regni ſui undecimo. Electus magno omnium conſenſu in illius locum *Autzol*, qui in *Quauxutitlan* ditiſſimam provinciam & hodie quoque inter primas Novæ Hiſpaniæ, contendens, perduelles tam ingenti ſtrage perculit, ut cum maximo captivorum numero in urbem reverteretur & auſpicia regni caperet. Celebratur imprimis hujus Regis liberalitas & magnificentia; utpote cui plurima ædificia publica, & imprimis maxime neceſſarium aquæductum inde à Cuyocan derivatum, acceptum ferunt Annales Mexicani, quos rudibus picturis expreſſos in Bibliotheca Vaticana aſſervari ſcribit *Acoſta*.

Autzol R.


Obiit autem anno regni ſui undecimo; habuitq; ſucceſſorem *Mutezumam ſecundum* cujus regni anno quinto & decimo, à Chriſto autem nato CIƆ IƆ XVIII *Hernandus Corteſius* primum has regiones eſt ingreſſus. Breviter his defungimur, quæ curioſus Lector, prolixius poterit legere apud Acoſtam. Lib. VII. Hiſtoriæ Naturalis & Moralis.

Mutezuma R.

Cap. XIII.

Regum Mexicanorum ſeries ſecundum Annales ipſorum pictos.

SUperioribus annis diligentiſſimus rerum Indicarum illuſtrator *Samuel Purchaſius* Anglus in locuplete ſuo rerum peregrinarum Theſauro edidit Hiſtoriam Mexicanam à *Teuch* regulo ſive anno noſtro CIƆCCCXXII ad Mutezumæ poſterioris exitium, olim ab Hiſpanis ex pictis Mexicanorum Annalibus expreſſam & notis illuſtratam, ab ipſo vero in Anglicum ſermonem verſam; è qua compendio quoque annotare Regum Mexicanorum ſeriem; regni annos, & res geſtas, operæprecium viſum. licet multum diſcrepent à præcedentibus relationibus uti mox indicabimus. In hiſce autem Annalibus ad marginem picti ſunt anni per ſuas claſſes tredecim annorum, iis notis quas ante deſignavimus, in interiori ſpatio effigies primum Regis cum inſignibus quæ nomini illius reſpondent, deinde ante illum arma, parma, ſagittæque; poſtremo oppida ab ipſo domita cum ſuis inſignibus, quæ itidem cum nomine congruunt. Juxta autem annorum triſdecaterides ſemel atque iterum annus ſecularis, qui ipſis eſt quinquageſimus ſecundus quiſque, deſignatus ſpeciali hac nota uti ad annum vigeſimum octavum regni *Teuch* & ſeptimum regni *Huizilihuit*, & quintum *Mutezumæ* poſterioris; in cæteris omiſſam puto, licet author Hiſpanus qui Annales illuſtravit non videtur ignoraſſe quid nota illa ſibi vellet; nimirum hac deſignari annum ipſis formadibilem, quia à majoribus ſuis acceperant; hoc anno



ſeculari

ſeculari recurrente, ut plurimum ingens aliquod damnum, aut à diluviis tempeſtatibuſque, aut ab hoſtilibus incurſionibus ingruiſſe; aut denique quod ſupra annotavimus, hoc anno mundo exitium protendi.

Anno à C. N. cIↃ CCC XXII. Mexicani locum urbi condendæ ceperunt, quæ nunc Mexico appellatur, & quum à decem ducibus regerentur, *Teuch* elegerunt qui cæteris præeſſet; Hic quinquaginta & uno annis præfuit, & *Culhuacan* atque *Tenyaucam* regno ſuo adjecit.

cIↃ CCC LXXIII. Succeſſit *Acamapich*, regnavitque annis uno & viginti; hic ſubdidit imperio Mexicano *Quauhuanac*, *Mizquic*, *Cuitlavac* & *Xuchimilco*.

cIↃ CCCXCIV. *Huizilihuitl* filius Acamapich, patri ſuccedens regnavit annis uno & viginti; ſubjugavit *Toltitlan*, *Quauztitlan*, *Chalco*, *Tulancinco*, *Xaltocan*, *Otumpan*, *Acolmam*, *Tezcucum*.

cIↃ CCCCXV. *Chimalpupuca* Patri in imperio ſurrogatus, regnavit annis decem, ſubjecit oppidum *Tequixquiac* & Chalcenſes rebellantes compeſcuit.

cIↃ CCCCXXV. *Yzcoatci* filius *Acamapich* fratri ſuccedens, regnavit annis tredecim, & adjecit imperio Mexicano *Azcapuzalco*, *Coyvacan*, *Teocalhuyacan*, *Guaguacan*, *Tlacopan*, *Atlahuyacan*, *Mixcoac*, *Quauximalpan*, *Quauhtitlan*, *Tupan*; *Acolhuacam*, *Mizquic*, *Cuitlahuac*, *Xuocinvilcopu*, *Quautlatoare*, *Huicilapan*, *Quaunahuac*, *Cuecalan*, *Cagualpan*, *Iztepec*, *Xuchtepec*, *Yoalan* atque *Tepequanilco*; Dominum *Tlatelulco* tributarium fecit, & *Chalco* rebellionem parantem contudit.

cIↃ CCCCXXXVIII. *Guegue Motezuma* filius *Huizilihuitl* ſucceſſit, regnavitque annis novem & viginti: Subjugavit *Coyaxtlahuacan*, *Mamalhuaxtepec*, *Tenauco*, *Teteuchtepec*, *Chiconquiauhco*, *Xeutepec*, *Totolapan*, *Chalco*, *Quaunahuac*, *Atlatlanctia*, *Huaxtepec*, *Yauhtepec*, *Tepuztlan*, *Ttpatzcinco*, *Yacapichtlan*, *Yoaltepec*, *Tlachco*, *Tlalcocauhtitlan*, *Tepequacuilco*, *Quyanteopan*, *Chontalcoatlan*, *Huichipichtlan*, *Atotonilco*, *Axocopan*, *Tulan*, *Xilotepec*, *Yzquincuitlapilco*, *Tlapacoyan*, *Chapolixitlan*, *Tlalauchquitepec*, *Cuetlaxtlan*, & *Quauhtocheo*.

cIↃ CCCCLXVII. *Axayacaci* filius *Tecozomoeliqueto*, nepos *Yzcoatl* ſucceſſit, regnavitque annis duodecim & quamplures urbes ſubjecit Mexicanis; & *Moquihuix* Dominum *Tlatelulco* rebellantem ita coarctavit ut ſe è faſtigio templi præcipitem daret.

cIↃ CCCCLXXIX. *Ticocicatzi* parenti in imperio ſucceſſit, regnavitq; annis quinq;, hic imperio Mexicano adjunxit urbes quatuordecim, *Tonahymoquizayan*, *Toxico*, *Ecatepec*, *Zilan*, *Tecaxic*, *Tulucan*, *Yancuitlan*, *Tlapan*, *Atezcahuacan*, *Mazatlan*, *Xochiyetlan*, *Temapachco*, *Ecatlyquapocheo*, *Miquatlan*.

cIↃ CCCCLXXXIV. *Ahuczozin* fratri ſurrogatus regnavit annis ſedecim, & urbes quadraginta quinque imperio Mexicano acquiſivit, quas hic, ne barbarorum nominum frequentia Lectori faſtidium adferamus, omittimus.

cIↃ IↃ II. *Motezuma* filius *Axayacaci* ſucceſſit, & decimò octavo regni ſui anno periit, poſtquam ante Hiſpanorum adventum quadraginta quatuor oppida imperio ſuo adjeciſſet: decimo ſeptimo autem imperii ipſius anno Corteſius (inquit interpres) Novam Hiſpaniam adiit.

Atque hæc quidem ſecundum interpretationem Annalium pictorum, annorum autem calculum nonnihil correximus, qui ibidem perturbatiſſimus erat, nec cum regnorum annis qui unicuique Regi aſſcribuntur & appinguntur conveniebat; ac ne ſic quidem cum præcedentibus aliorum narrationibus conſentit. Conſtat ex hiſtoriis Hiſpanorum atque ipſiuſmet *Corteſii* Relatione, illum anno cIↃ IↃ XVIII primùm Novam Hiſpaniam adiiſſe, qui ſi fuerit decimus quintus Regni Mutezumæ junioris ut *Acoſta* tradit, initium illius regni inciderit in annum cIↃ IↃ III ut *Gomara* prodidit, nec multum à calculo hoc noſtro abludit, interiit autem anno cIↃ IↃ XX atque ita regnaverit annis octodecim: hæc ſatis bene inter omnes conveniunt. Sed inter regum Mexicanorum hiſtoriam quam *Acoſta* tradidit & *Herrera* in ſuis decadibus ſecutus eſt, & hanc è pictis Annalibus expreſſam, maxima eſt varietas, tum in genealogia Regum, tum annorum regni numero, denique in rerum geſtarum narratione:

tione: differentiam in annorum numero quibus ſinguli regnarunt, in tabella ſubjicere viſum.

Secundum Gomaram:		Acoſtam:		Annales pictos.	
Acamapich	XLVI.	*Acamapictli*	XL.	*Acamapich*	XXI.
Vicilivitl		*Vitzilovitli*	XIII	*Huizilihuitl*	XXI.
Chimalpopoca		*Chimalpopoca*	.	*Chimalpupuca*	X.
Izcoua		*Yzcoatl*	XII.	*Yzcoatci*	XIII:
Motezuma		*Guegue Motezuma*	XXVIII	*G. Motezuma*	XXIX.
Motezumæ filia		*Ticozic*	IV.	*Axayacaci*	XII.
Axayaca		*Axayaca*	XI.	*Ticocicatzi*	V.
Ticozica		*Autzol*	XI.	*Ahuizozin*	XVI.
Anhico		*Mutezuma*		*Mutezima.*	
Moteçuma.					

Atque hæc de rebus Mexicanis dicta ſufficiant, ad inſtitutum revertimur.

Cap. XIV.

Panucenſis provinciæ & oppidorum quæ ab Hiſpanis hodie in illa incoluntur deſcriptio.

PANUCO provincia ab urbe Mexicana ad Arctum ſita; olim Præfectura per ſe, nunc vero Diæceſi Archiepiſcopali conjuncta, patet in longitudinem quinquaginta leucas, totidemque fere in latitudinem: Solo qua parte Archiepiſcopatum contingit perquam fœcundo, & auri venarum haud experte; qua vero ad Floridam vergit, per quingentarum pene leucarum, ut ferunt, ſpacia triſti atque ſterili. Ab urbe Mexicana proficiſcentibus primum occurrit *Ayotuxtetlan* provincia, bellicoſiſſimis indigenis olim frequentiſſima, quam *Corteſius* anno cIↃ IↃ XXII ſubjugavit, incolis penè ad internecionem cæſis: Huic proxima eſt *Chila* quinque à mari leucis, quam idem ob incolarum robur & paludum multitudinem difficulter admodum perdomuit. In hiſce provinciis olim quamplurimi fuerunt barbarorum pagi, quorum nonnulli ab Hiſpanis recenſentur, *las Caxas*, *Yxicuyan*, *Nachapatan*, *Taquinitl*, *Tuzeteco*, quorum habitatores plurimos Hiſpanos qui cum *Franciſco Garayo* venerant, occiderunt: Is enim provinciam Panucenſem à Rege ſubjugandam acceperat, ſed à *Corteſio* præventus deſtitit. Hîc uti & in aliis Americæ provinciis, bitumen quoddam reperitur, quo navigia picis loco obduci poſſunt.

Hiſpani hodie in hac provincia Panucenſi tres tantum habent colonias; quarum primaria gentili nomine *Panuco*, ab Hiſpanis autem *Villa de San Stevan del puerto* appellatur, juxta Chilam, & ſupra Panuci fluminis in mare exitum: *Hernandi Corteſii* auſpiciis condita poſtquam indigenas maximam partem excidiſſet, & ipſorum pagos exuſſiſſet. Diſtat ab æquatore paulum ſupra viginti & tres gradus verſus Arctum: Sexaginta quinque leucas ab Vrbe Mexicana verſus boream, octo autem à mari, ad ripam prædicti fluminis, quod ipſi aditum ad portum aperit: Ex adverſo hujus oppidi ad ſeptentrionalem ripam fluminis (quod hic haud admodum latum eſt) habent Hiſpani ſalinas ſuas, uti & leucam unam ſupra oppidum; id enim præcipuum oppidanorum emolumentum.

Secunda colonia dicitur Hiſpanis *S. Iago de los Valles*, in mediterraneis ædificata, viginti & quinque leuc. à Panuco verſus occidentem.

Tertia eſt urbs *S. Ludovici de Tampice*, octo leucis à Panuco ſita verſus Aquilonem, ad oram maris quod vulgo *Golfo de Mexico*, id eſt, Fretum Mexicanum nominatur.

Quanquam autem toto hoc littoris tractu, multi amnes in oceanum egrediantur crebrique terræ receſſus multas ſtationes navibus aperiant, ad flumen *de las Palmas* uſque, tamen leviter tantum cognitæ ſunt, præter flumen Panucum, propter portum illius, opportunum quidem, ſed adverſus incerta ventorum nequaquam tutum.

Ut autem harum regionum ſitus, locaque & itinera magis eluceſcant, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi duorum Anglorum obſervationes hic insererem. Eorum primus *Milo Philippides*, quum cum aliis centum à Joanne Haukino Equite anno cIↃ IↃ LXVIII in terram fuiſſet expoſitus, per varia diſcrimina tandem Panucum à barbaris omnibus veſtibus ſpoliatus pervenit, atque captivus ab Hiſpanis ad Mexicanam metropolin eſt perductus: Is iter hoc nonaginta leucis definit: duorum quippe dierum itinere *Noheten* vicum venit *S. Mariæ* nomini ab Hiſpanis dicatum: deinde *Meſtitlan*, quatuordecim ab urbe leucis, à trecentis Hiſpanis habitatam; à qua *Puchucam* municipium unius diei itinere abeſſe teſtatur, & Puchucenſes argenti fodinas ſex à municipio leuc. verſus Corum.

Alter vero *Ioannes Chiltonus* iter ſuum in hunc modum deſcribit apud *Richardum Hackluytum:* Anno (inquit) cIↃ IↃ LXXII cum ſodali Hiſpano ab urbe Mexicana in Panucenſem provinciam diſceſſi: quum tridui iter proceſſiſſemus ad *Meſtitlan* oppidum pervenimus, à duodecim tantummodo Hiſpanis inhabitatum & circiter triginta millibus barbarorum, tam in oppido quam in vicino agro: oppidum hoc in edito monte ædificatum eſt, qui denſis lucis undique cingitur; extra hos plurimi jacent pagi, qui ſalubri gaudent cœlo, eorumque incolæ agrum colunt fertilem & crebris fontibus atque torrentibus riguum. Via regia frugiferis arboribus undique ſepta erat, peramæno proſpectu; incolæ autem quacunque incedebamus, gratis commeatu nos adjuvabant. Viginti circiter ab hoc leucis aliud oppidulum occurrit *Clanchinoltepec*, nobili cuidam Hiſpano attributum, ad quod circiter quadraginta millia barbarorum pertinent; hic aliquot monachi ordinis *S. Auguſtini* in cænobiolo degunt. Hinc profecti *Guaxutlan* adivimus, ubi duodecim Hiſpani cum aliquot monachis ejuſdem ordinis habitant.

Hinc *Guaſteca* provincia ſequitur nullis montibus aſpera; hic primò *Tanculabo* pagum inviſimus à certis barbaris habitatum qui cutem cæruleo colore inficiunt; & capillos ad genua uſque promittunt & inſtar fœminarum eleganter in nodos contorquent: cæterum nudi agunt, nec umquam abſque arcubus & ſagittis procedunt, quibus admodum dextre uti ſciunt: non auro aut argento, ſed ſale merces ſuas commutant, hunc maximi faciunt, uti neceſſarium adverſus vermiculos, qui ſub labiis illorum generantur, antipharmacum. Inde novem dierum itinere ad oppidum *Tampicen* progreſſi ſumus, quod portum habet ad mare & tum (quantum potui obſervare) à quadraginta Hiſpanis tenebatur, quorum quatuordecim dum in ſale colligendo occupantur à feris barbaris ſunt oppreſſi atque trucidati. Situm autem eſt oppidum ad ipſum Panuci oſtium, ampliſſimi fluminis & quod ad ſexaginta leucas oneraria quingentarum tonnarum aſcendi poſſet, niſi vada ipſi ori objecta prohiberent. Deinde quatuordecim milliarium iter emenſi Panucum venimus inſigne quondam oppidum & præfecti ſedem, nunc autem pene deſertum & vix à decem Chriſtianis & uno ſacerdote habitatum, ob continuas immaniſſimorum barbarorum incurſiones. Hic in morbum incidi ob aëris inſalubritatem, qui me quatuordecim dies afflixit, ita ut aqua & fructibus, ultra ſex leucas ob oppido quæſitis, vitam cogerer tolerare; itaque hinc mihi diſcedendum ratus, equum aſcendo & barbaro qui me ſuſtineret pone locato, cum aliquot ſodalibus iter ingredior: poſtero die flumen trajecimus; hic ſolus ſodales paulum præcedens aberro à via, & duo fere milliaria per ſilvarum avia vagatus, incido in barbaros, qui tuguriola quædam ſtraminea incolebant, & viginti numero arcubus & ſagittis inſtructi ad me accurrerunt, & de equo levatum ad Regulum ſuum deduxerunt: haud dubio devorandum niſi me ob maciem & ſqualorem corporis lue venerea laborare falſo fuiſſent ſuſpicati: quumque mihi frigidæ hauſtum, in vitro Veneto ad oram deaurato, obtuliſſent, & mirarer unde illud haberent, è Mexicana puella captiva quam mihi adjunxerant, intellexi; dynaſtam horum barbarorum haud ita pridem oppidulum *Skallapam*, triginta ab hoc loco leucis, in montanis ſitum, à paucis Chriſtianis & ordinis Sant Auguſtini monachis habitatum, intempeſta nocte captum diripuiſſe atque incendiſſe, & vitrum illud inter alia ſpolia reportaſſe. Quum jam horas aliquot inter hoſce barbaros non ſine magno metu hæſiſſem, rogatus à Regulo an iter meum perſequi vellem, ſtatim annui; & tres conductores ab illo accepi, qui nudi cum arcubus ſuis & ſagittis

ſagittis ante me ambularunt, trium circiter milliarium iter, & in rectam viam reduxerunt nutu ſignificantes me haud longe à Chriſtianorum oppido ab eſſe: id erat *S. Iago de los valles* in planitie ſitum & terreo vallo cinctum, quod à viginti quinque Hiſpanis tum tenebatur, quibus Rex Hiſpaniarum ampliſſima latifundia indulget, ut indigenas barbaros in officio contineant & limitem tueantur. Hæc regio robuſtiſſimos mulos nutrit, quos mercatores in varias Americæ partes deducunt. Hic ſodales meos repperi; oppidani autem ſupra modum mirabantur, quo pacto manus effugiſſem illorum barbarorum, qui nulli Hiſpanorum hactenus pepercerant, ſed gloriæ ducebant vel minimam cutis crinitæ particulam hoſti detractam pro monili geſtare: quum octodecim dies hic valetudini reſtaurandæ inſumſiſſem, advenit *Franciſcus de Page*, militum tribunus, à Vicerege *Henrico Manriquio* miſſus, ut novum iter inde à mari ad *Sacatecanas* argentifodinas aperiret (abſunt autem ab hoc loco centum & ſexaginta milliaria) quo merces compendioſius poſſent ſubvehere, relicto itinere jam uſitato ab urbe Mexicana, quod raro paucioribus quam ſex ſeptemve ſeptimanis abſolvitur. Hic, me cum ſodalibus meis & militibus circiter quadringentis, barbariſque ſagittariis quingentis, ex *Tanehipa* & *Tameclipa* pagis, aſſumtis, ad vaſtum flumen, quod vocatur *de las Palmas* & limitem inter Novam Hiſpaniam & ampliſſimas Floridæ provincias conſtituit, proceſſit; deinde ſecundum ripam auſtralem, tridui itinere aſcendens, quum vadum fruſtra quæſiviſſet, arbores cædere & rates conjungere aggreſſus eſt, quas barbari noſtri natando ad adverſam ripam cum militibus & impedimentis applicuerunt. Tridui deinde itinere per denſiſſima nemora & arduos atque aſperrimos montes eluctati, ad Sacatenſis provinciæ argenti metalla pervenimus, quæ opulentiſſima totius Americæ ſeptentrionalis cenſentur, & tum à trecentis Hiſpanis accolebantur. Sed de his ſuo loco, proxime ſequenti libro plura dicturi ſumus. Hæc jam ſufficiant ad Panucenſis provinciæ ſitum & conſtitutionem intelligendam; ad cæteras Novæ Hiſpaniæ partes tranſeamus.

TLASCALA.

Cap. XV.

Generalis provinciæ Tlaſcalenſis *deſcriptio.*

ANTEQUAM deſcriptionem Epiſcopatus Tlaſcalenſis, prout hodie ſe habet aggrediamur, operæ pretium fuerit, veterem hujus provinciæ ſtatum paulo altius repetere.

Provincia itaque Tlaſcalenſis quondam milliaria Hiſpanica quinquaginta patebat, civitas autem principalis, loco à natura egregie munito, condita erat, circiter viginti gradibus ab æquatore verſus Arctum, in præruptis montibus & arduis atque aſperis rupibus, unde & Tlaxcalæ nomen meruit, quod deinde in Tlaſcallan verſum volunt, quod locum panum ſignificat, ob maizii ubertatem, & commeatuum abundantiam, quam aprici colles & rigui valles ingenti copia ſubminiſtrant: indigenæ autem ſecuritatis gratia ut plurimum editos montes & loca frigidiora habitabant. A regione ſiquidem Civitatis, quam *Xicotencalt* vocabant, juga montium ſeſe inter ortum & occaſum longo dorſo exporrigunt, per quorum medium fluvius *Zahuatl* defluit, qui nonnumquam ripas ſuas ſupergrediens ſata, domoſque proluit: in convallibus autem *Ocotevilco* pagus ſitus erat, ubi Hiſpani primis illis temporibus ſedes ſuas collocaverant, ut à *Maxicatzin* illius regionis præfecto & ſummo ipſorum fautore commodius poſſent defendi: ſed mox quietem nacti, uti facilius indigenas religionis Chriſtianæ principiis imbuerent, ad ripas fluvii *Zahuatl* (quod nomen ſcabioſam aquam denotat, quia infantes illius undis abluti, plerumque ſcabie infeſtantur) deſcenderunt, ibidemque ædificia ad Hiſpaniæ normam cœperunt moliri.

Indigenæ olim ſparſim degebant, aut aliquot ædificiis conjunctis, anguſtis & flexuoſis ſemitis intercurrentibus; pleræque domus è ceſpitibus, quædam è materie, pauciſſimæ è lapidibus erant ſubſtructæ, humiles quidem, ſed vaſtis conclavibus & peregrinæ formæ: hodie Hiſpanorum architecturam æmulantur.

Regimen civitatis atque provinciæ Democraticum vel potius Ariſtocraticum erat: utebantur idiomate Mexicano necnon & Otomitico; Otomitarum populo, qui à Mexicanis defecerat, in clientelam recepto. *Otomitæ* hi ſive *Otomyes*, gens eſt laborum tolerantiſſima, idolorū cultui ſupra cæteros addicta, inculta, politicarum artium omnino rudis, quæque religione Chriſtiana difficulter admodum poteſt imbui, ſecus quam Mexicani qui ſumme dociles habentur. Licet harum regionum temperies ejuſmodi pene ſit, ut plerique indigenæ nudi incedant, & qui veſtiuntur nihil pene hyeme aut æſtate mutent; habet tamen & plagam paulo frigidiorem; quæ paulo magis ad Arctum declinat & licet non ſupra quatuor leuc. in latitudinem & decem in longitudinem pateat, tamen abundat omni frugum genere & fructibus ob inſignem ſoli ubertatem, ſufficitque non modo incolis ſed & vicinis. Ea extenditur ab ortu in occaſum, coliturq; quamplurimis pagis: ad arctum prætexunt altiſſima montium juga, continenter & quaſi de induſtria in ordinem expoſita, (Hiſpani vulgo vocant *Cordilleram*) quæ limites hujus provinciæ undiquaq; fere radunt, ſuntque editiſſima totius Novæ Hiſpaniæ, & quia finis illorum hactenus ignoratur, conſtans opinio eſt, perpetuis jugis pene totum hunc novum Orbem percurrere; patent in latitudinem multis locis pene octo leucas, tam aſperis clivis, ut plurimis locis habitari neutiquam poſſint, & tribus ſolummodo menſibus pluviis vacent, reliquis autem continuis nebulis & pluviis ſordeant, & ſolis radiis rariſſime tepefiant. Dividunt hi montes inter temperatas & fervidas regiones, nam illis ſuperatis ſenſim deſcenditur in ferventiſſimam planiciem, quæ ad mare pertingit, ſeu fretum Mexicanum. Porro montes hi variis arboribus undique veſtiuntur, multaſque nutriunt feras, leones, Tigres, Lupos, Adives (ita efferatos canes vocant) pecoribus admodum infeſtos, aliaſque feras noſtro orbi ignotas, ſerpentes & viperas majores minoreſque: inter quas agmen ducit, quam barbari vocant *Teuchtlacozauhquin*; *Fr. Ximenez* ita deſcribit; Eſt fera (inquit) atrociſſima, quam Hiſpani, quia morſus illius lethales ſunt, vocant viperam; quatuor & interdum plures palmos longa, & mediocriter craſſa, capite viperæ, ventre candido vergente ad fuſcum; latera illius tecta ſunt quibuſdam ſquamis albis, quæ nigris per intervalla lineis diſtinguuntur; dorſum pardum & pene nigrum, cum radiis quibuſdam fuſcis, qui in ſpinam deſinunt: plures autem illius ſunt ſpecies, quæ tantum coloribus differunt: ocyſſime ſe movet per rupes & præcipitia, (tardius in plano) unde Mexicani illi nomen à vento indiderunt, *Ocozoatl* appellantes: quot annos ætatis attigerit, tot ſonabula poſteriori parti caudæ annata deprehenduntur, quæ inſtar vertebrarum dorſi, ſibi invicem ſuccedunt; oculi ipſi ſunt modici & nigri, dentes bini in ſuperiori maxilla incurvi, quibus virus ſuum ſpargit, alii autem quini intra rictum ad utramque maxillam, qui ubi rictum deducit, facillime videntur; icti ab hoc ſerpente cum ſummo cruciatu intra viginti quatuor horas moriuntur, totum enim corpus ipſis finditur in rimas. Irritatus ſonabula illa violenter movet & valide tinnit. Longe maximos in Panucenſi provincia reperiri volunt quam modo deſcripſimus. Barbari autem & carnem illius in cibis uſurpant; & medici ipſorum quoque dentes & pinguedinem in medicina vel potius Chirurgia. In eiſdem montibus & volatilium infinita copia cernitur, quæ gregatim ſtatis tempeſtatibus Arctoas partes petunt. Non eſt dubium quin & argenti venas terra hîc abſcondat, quum aliorum metallorum vulgo hic reperiantur. Aluminis autem & Chalcanti magna copia eſt. Arbores quibus montes veſtiuntur ſunt pinus, quercus diverſorum generum, aliæque quæ Copal & Liquidambar exſudant: quibuſdam locis etiam manna colligitur, ſed inſuavis & ad purgandum inidonea. Mirabile autem in hiſce montibus reperiri permultos pagos peramœnos, & omnibus ad vitam humanam neceſſariis optime inſtructos. Montana autem Tlaſcalæ, quæ Hiſpani ob vaſtitatem & mirabilem temperiem *las Faldes azules* vocant, in ambitu cincta ſunt pulcherrimis jugis, quæ denſiſſima ſylva proceriſſimarum & craſſiſſimarum arborum teguntur ad faſtigium uſque quod ſolum patet, & eminus contuentibus, elegantiſſimo colore cæruleo tinctum videtur: à quo illi nomen ut ſupra ab Hiſpanis inditum; qui reliquos montes *la Sierra de Tlaſcala* appellant, quia hujus provinciæ limites maxima ex parte concludunt. Octodecim leucas ambitu complectuntur, multaſque nutriunt feras, atque etiam tauros & vaccas, quæ animalia primum ab

ab Hiſpanis invecta, ſucceſſu temporis hic efferantur. Ab hiſce montibus omnes torrentes paludes atque uliginoſa hujus provinciæ loca procedunt, uti & fontes ſaluberrimarum aquarum: pluvia autem tempeſtate, quæ ab initio Aprilis ad finem uſque Octobris hic durat, omnes nimbi atque venti ex hiſce montibus deſcendunt. Flumen autem *Zahuatl* piſcium minime eſt ferax, haud dubio ob pernicem undarum lapſum & crebros cataractas. Lacus vero juxta *Topoyanco* pagum, ſeſquileucam patens, nullos quidem piſces, ſed genus quoddam nigrorum lacertorum gignit, quorum majores palmi longitudinem non excedunt, edules gratique ſaporis, ita ut à barbaris maximi fiant. Lacus hic inſignis, à barbaris in ambitu accolitur, qui hic arva uberrima poſſident, multaſque fructiferas arbores & magnam Cochinillæ copiam: quo fit ut quotannis, valore ducentorum millium ducatorum in urbem Tlaſcalam inferant: nam præſtantiſſimam in hac provincia colligi jam ſupra monuimus. De moribus indigenarum dum adhuc gentiles eſſent, non eſt neceſſe hic multa dicere; niſi quod primo hoſtium ſuorum, quos idolis ſuis immolaverant, carnibus veſci ſueti, poſtea quoque à popularibus ſuis haud abſtinuerint, adeo ut humanæ carnes in publico macello venales proſtarent; quæ immanitas jam diu obſolevit.

Hujus denique Reipublicæ auxiliis fretus *Hernandus Corteſius*, imperium Mexicanum aggredi auſus fuit & tandem evertit: atque in hujus beneficii memoriam libertatem Tlaſcalenſibus ab Imperatore Carolo V. impetravit, ita ut indigenæ Hiſpanis in ſervitutem minime addicantur: Sed ſolummodo (ut *Ioannes Chiltonus* teſtatur) tributum Regi Hiſpaniarum ſingulis annis pendant, manipulum tritici unum in ſingula capita, quod quotannis tredecim millium Hanegarum (menſura eſt Hiſpanica modio æqualis) quantitatem excedat.

Cap. XVI.

Epiſcopatus Tlaſcalenſis limites, metropolis Puebla de los Angeles; *vetus Indigenarum Civitas Tlaſcala, locaque vicina.*

EPISCOPATVS Tlaſcalenſis inter Mexicanum Archiepiſcopatum & Epiſcopatũ Guaxacenſem medius, ſupra centum leucas ab uno mari ad alterum in longitudinem, octuaginta autem qua mare ſeptentrionale, octodecim vero qua Auſtrale attingit, in latitudinem dicitur patere: quibus limitibus præter Tlaſcalenſem provinciam proprie dictam, de qua ſuperiore capite potiſſimum egimus, complures aliæ continentur; uti *Tepeaca* octo tantum leuc. à veteri Tlaſcalenſium oppido diſtans, de qua mox dicemus: & *Zempoala*, ſatis ampla provincia & valde fœcunda maxima ſui parte plana & paſcuis læta, ab uno latere montibus tecta, nec ſupra duas leucas ab oceano remota: Indigenæ quum primũ Hiſpani hic appellerent, haud quaquam nudi, uti inſulares, agebant; multoque urbanioribus moribus imbuti, ſingulari obſequio Regulos ſuos colere didicerant: Præcipuum illorum oppidum, eodem cum provincia nomine, in planicie inter duos amnes erat extructum, ædificiis pro captu barbarorum ſatis ſplendidis: vicini & præſertim monticolæ olim *Totonaques* appellabantur, lingua moribuſque à cæteris nationibus hujus continentis diſcreti. De cæteris provinciis poſtea dicemus.

Primarium hujus diœceſeos oppidum ab Hiſpanis *Peubla de los Angeles*, id eſt, Angelorum civitas appellatur, diſtatque ab urbe Mexicana verſus orientem, nonnihil ad vulturnum deflectendo, leucas duas & viginti: familias numerare dicitur mille quingentas, in quatuor regiones (*Barrios* vocant Hiſpani) diſtributa: condidit illam *Sebaſtianus Ramirez* Præſes anno cIↄ Iↄ XXXI, ſecus viam quæ à mari per oppidum *Veræ Crucis* ad metropolim Mexicanam ducit, quinque à veteri Tlaſcalenſium civitate leucis, ad *Cholulæ* limites, in planicie *Cuetlaxcoapæ*, & juxta nobiliſſimæ vallis *Atliſco* exordium, & ad ripam amniculi qui è Vulcano profluit: in agro tritici, vitium, ſacchari cannarum, lini, atque adeo omnium fructuum Hiſpanienſium feraciſſimo: cœlo fruitur magis calido quam frigido, licet nonnunquam in vicinioribus urbi arvis ſata à gelu adurantur. *Robertus Thomſonus* Anglus qui hic anno cIↄ Iↄ LV & ſequentibus vixit, diſtantiam illius ab oppido *Veræ Crucis* definit

definit leucis tribus & quadraginta, & ſexcentis tantum familiis Hiſpanorum tum teſtatur fuiſſe habitatam.

Quinque autem ab oppido Angelorum leucis verſus Arctum, jacet Tlaſcala, vetus barbarorum ſedes & libera civitas uti jam diximus: hic uſque ad annum cIↃ IↃ L Cathedralis Eccleſia fuit, quæ tum ad Angelorum civitatem fuit traducta.

Haud procul à Tlaſcala fontes viſuntur fluvii qui primo tenuis, inter oppidum Angelorum & Cholulam jam amplior delabitur, & per Provinciam Mechoacanam juxta Zacatulam in mare Pacificum egreditur, piſcium quidem effætus, ſed ingentium crocodilorum ita fœcundus ut vicina ripis loca depopulentur & vaſtitatem inducant.

Ad has urbes refertur vallis *Atliſca* leucam tantum unam & dimidiam lata, ſed tam benigno cœlo ut ſata numquam à frigore corrumpantur, tantæque ubertatis ut quotannis ſupra centum millia hanegarum tritici hic cogantur, & Hiſpani ſupra mille, præter ſervitia, in opere ruſtico occupentur.

Ocumba. Septem quoque ab urbe leucis verſus orientem jacet *Ocumba* ſive *Otzumba* vallis, à diverſorio quod *del Pinar*, ad alterum quod *del Perote* vocant, viginti leucas ſeſe in longitudinem exporrigens, decem aut paulo pauciores leucas lata: *Napuluca* celebris pagus hic aditur, à Nigrita quodam Chriſtiano primum inchoatus, qui quum ſues in hac valle nutriret, vicinos monticolas ita ſenſim ad ſe pellexit, ut pagum mille incolis impleret: Armenta autem atque pecudes brevi tempore tantum in hac valle incrementum ceperunt, ut pecuariorum conventum (Hiſpanis *Conſeio de Meſta*) inſtituere & ſingulis annis in *Napuluca* pago celebrare neceſſe fuerit.

Popocatepec. Octo autem à civitate Tlaſcala leucis verſus occaſum, *Popocatepec* mons ſe vaſtis jugis attollit, cujus vertex jugiter fumat, quumque Hiſpani in civitate illa morarentur, atque etiam poſtea, ſolito majoribus flammis emicuit, magna indigenarum admiratione. Hiſpani hunc ob ſimilitudinem Æthnæ, Vulcanum vocant vulgò: in tantam altitudinem conſurgit, ut multarum leucarum intervallo conſpiciatur, & perpetuis nivibus albicet: agri tamen vicini totius Novæ Hiſpaniæ longe uberrimi cenſentur, & incolarum frequentia celeberrimi. Ad radicem hujus montis jacet

Guaxocingo. *Guaxocingo*, pagus longe amœniſſimus, fœcundiſſimus & populoſiſſimus. Decem annis hic Vulcanus fumum edere ſuperſederat, quum anno cIↃ IↃ XL derepente cum tanto fragore fumus flammaque erupit, ut accolas omnes in ambitu pene exanimaret, tantamque cinerum copiam eructavit, ut Guaxocingo, Quetlaxopan, Tepeacæ, Cholulæ atque ipſius Tlaſcalæ agros oppleret, & non modo herbas atque olera, ſed & fructiferas arbores adureret, indigenaſque in eum modum terreret, ut de regione deſerenda atque mutanda cogitarent. *Didacus de Ordas*, tribunus militum ſub *Corteſio*, primus Hiſpanorum, virili auſu hunc montem aſcendit uſque ad craterem, quem orbicularem & patentiſſimo ore obſervavit: Deinde anno cIↃ IↃ XXII *Montannus* & *Meſa* cum aliquot Hiſpanis atque barbaris magno cum diſcrimine idem aggreſſi, & à vehementia frigoris pene oppreſſi, ad verticem uſque ſubjerunt: primuſque Montannus fune in ipſum craterem demiſſus, ſex vicibus circiter octo arrobas ſulphuris egeſſit, & poſt hunc alter Hiſpanus totidem vicibus alias quatuor: quod ſulphur ad Corteſium detulerunt, excocto autem atque defæcato, decem arrobæ abſolutiſſimi ſulphuris remanſerunt, quod maximo illis uſui fuit ad pulverem tormentarium, cujus inopia tum laborabant, conficiendum; & potiſſimum ad urbem Mexicanam expugnandam momentum.

Antequam autem à Tlaſcalenſium civitate diſcedamus, nequaquam hic eſt prætereundum, Præſidem *Sebaſtianum Ramirez*, primis illis temporibus, omnem induſtriam atque diligentiam adhibuiſſe, ut Coccinilla in hiſce regionibus impenſius coleretur, quo factum eſt ut libera hæc Reſpublica mirum in modum eſfloreſceret; tantuſque è vicinis agris & finitimis provinciis ad Mercatum Tlaſcalenſem ſingulis ſeptimanis, non modum indigenarum ſed & Hiſpanorum concurſus fieret, ut pene incredibile videatur. Nam ut prætereeam frugum & omnis generis commeatuum abundantiam (quam quivis ex illo poterit æſtimare quod quatuordecim aut quindecim millia pecudum, quatuor millia armentorum, duo millia porcorum, ſingulis annis in publico macello veneant) incredibilis ſimplicium medicamentorum,

Liqui-

Liquidambaris & ſimilium reſinarum, Coccinillæ, Lanæ, aliarumque mercium copia ad hoc forum deportatur: multi in oppido argentarii, multi aurifabri, aliique opifices degunt: nec vina Hiſpanienſia, aliæque exoticæ merces hic deſiderantur, licet barbaris promiſcue vinum bibere interdictum ſit, nam ſi ipſis plenius indulgeretur, omnia Hiſpaniæ torcularia nequaquam hiſce regionibus ſufficerent.

In hoc Epiſcopatu denique (inquit *Antonius Herrera*) ducenti recenſentur Indorum pagi primarii, & minores vici ſupra mille, barbarorum qui tributum Hiſpanis pendunt ſupra centum & quinquaginta millia: Sunt autem hi pagi diviſi in claſſes ſex & triginta, quarum ſingulis ſacerdotes aliquot & clerici præſunt: triginta adhæc cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum & ordinis S. Auguſtini.

Cap. XVII.

Tepeaca provincia & oppidum Hiſpanorum Segura.

Quum Hernandus Corteſius anno cIↃ IↃ XIX, magna cum ſuorum & confœderatorum ſtrage, ex urbe Mexicana eſſet proturbatus; & Tlaſcalam cum ſumma difficultate reverſus, paulolum ſe ſuoſque refeciſſet, Reipublicæ illius conſilio atque rogatu, ad Tepeacam provinciam, quæ octo leucis ab ipſorum civitate aberat, ſubjugandam animum adjecit, & haud difficulter voti compos factus, anno proximo coloniam Hiſpanorum in illam deduxit & oppidum condidit *Seguram de la Frontera* (ut vocant) ad altitudinem octodecim graduum & quadraginta ſcrupulorum verſus Arctum: loco peridoneo, ductis latis plateis & elegantibus ædificiis ſubſtructis, quum indigenæ antea domicilia ſua in editis locis haberent, ubi hodieque nonnulli degunt.


Temperies hujus provinciæ, licet frigida regio à barbaris audiat, ejuſmodi eſt, ut alternatim ſudum cœlum æſtatem, pluvium autem aut nubilum hyemem faciat. Ager quidem ſuburbanus aridior eſt, quum urbs ſaxis & petris ſit ſuperſtructa: nec amne alluitur aut fontibus rigatur, ita ut oppidani fere pluviatili aqua uti cogantur (nam fons qui ſemileucam ab urbe ſcaturit acidior eſt, quales haud procul Almagro Caſtellæ oppido in Hiſpaniis hauriuntur) niſi quod jam à fluviolo, qui è Tlaſcalæ montibus profluit, per certos canales aquam in urbem derivarint. Pluviarum tempus hic quemadmodum in tota Nova Hiſpania, incipit Aprili menſe & deſinit Septembri, totoque hoc tempore Auſter tam vehementer perflat, ut valetudini moleſtus ſit:reliquis vero menſibus ſerenat,& flantibus aquilonibus æſtus ſolis ita ſufflaminatur ut modice hic interdum algeatur.

Ad diſtrictum hujus provinciæ pertinent *Temachalco*, *Tecalco*, *Chachutlac* atque *Arazinga* nominatiſſimi pagi. Quorum *Temachalco* ſitus eſt ad radicem montis qui fiſſura modica ab altiſſimis illis montibus dividitur, quos perpetuis jugis pene totum Temachalco.
hunc Novum orbem pervadere ſupra diximus. Licet autem hæc regio fontium atque amnium ſit indigens, nihilo tamen ſecius lætis abundat paſcuis, ob longe lateque patentem planiciem & raris modiciſque collibus erectam.

Indigenarum ingenia & mores fere uniusmodi ſunt; præterquam quod nobiles & magis comes ſint in ſermonibus & cultiores in veſtibus: lingua Mexicana ipſis communis, popularis paululum diverſa, *Popolucam* vocant vulgo; quin & Otomiticam callent plerique & gloriantur ſuam eſſe nativam. Porro in finibus *Temachalco* atque *Chacutlac* juxta *Alyoxucan* pagum, in ſummitate montis lacus cernitur, à ſummis ripis ad aquarum ſuperficiem quinquaginta orgyas depreſſus, in quem Indigenæ atque animalia per anguſtam ſemitam aquatum deſcendunt: nullos piſces aut aliud quodvis animal nutrit,nec hyberno,pluvioq; tēpore augetur nec æſtate minuitur,altitudinis eſt incompertæ, ita ut flumen ſubtus fluere opinentur, quod decem ab hoc leucis in planicie erumpat, *Aloazapan* vocant, nam aquæ hujus lacus cæruleo ſunt colore atque algidæ, quales & hujus fluminis undæ deprehenduntur, unde conjecturæ fides. In iiſdem finibus & tribus à jam dicto leucis, alter in planicie ſtagnat,qui *Tlachac* vulgo appellatur & undiquaq; ab hominibus atque jumentis poteſt adiri leucam unam ambitu comprehendens,atq; in abyſſum profundus hic piſculos quoſdam generat

generat albos & qui digiti longitudinem non excedunt, gratiſſimi ſaporis. Unam ab hoc leucam diſtat tertius lacus, qui planiciem duarum leucarum ambitu complectitur, *Alchichican* dictus, quod nomen ſonat aquas amaras, pecus tamen eaſdem potat & mirum in modum illarum hauſtu pingueſcit, altiſſimus eſt hic Lacus & limpidiſſimus, non tamen aut piſces aut aliud animal nutrit: vento vehementiori agitatus fluctus haud ſecus ac mare attollit, nec augetur nec minuitur ut prior: habetque planiciem adjunctam, quæ ad duodecim leucas extenditur, variis colliculis & paſcuis mira varietate diſtinctam, in qua quamplurimi greges paſcuntur. Innumeris arboribus ſylveſtribus abundat hæc regio ob nemorum & collium multitudinem; inter fructiferas autem ſunt ceraſi, Hiſpanienſibus non abſimiles, niſi quod fructus breviſſimis pediculis ramis quaſi adhæreant. *Fr. Ximenez* videtur hanc arborem vocare *Capolin*; quam ita deſcribit; eſt arbor mediocris, foliis amygdali aut ceraſi, minutim ſerratis; floribus racematim pendulis, è quibus naſcuntur fructus ceraſis noſtratibus omnino ſimiles, forma, mole & oſſibus, niſi quod ſapore magis accedant ad mora; floret primo vere, & fert fructus tota æſtate: qui palato quidem grati ſunt & à plurimis maximi fiunt, à medicis tamen minus laudantur utpote qui malum halitum concilient iis qui crebro uſurpant. Niſi forte hic potius intelligenda ſit alia arbor, quam vocant *Copalxocotl* quæ fert fructus ſimiles exiguis pomis qui deſtillant ſalivam quandam valde glutinoſam; quum arbor cætera ceraſis valde ſit ſimilis, unde & fructus illius ab Hiſpanis ceraſa gummoſa appellantur.

Triticum hic abunde provenit, præſertim in valle quæ *S. Pauli* dicitur, quæ à plurimis Hiſpanis incolitur, qui pro quadringentis hanegis quas quotannis ſerunt, ut plurimum octuaginta millia hanegarum meſſis tempore cogunt in horrea, monſtroſa ſoli (ſi Herreræ hic tuto creditur) ubertate: fert & hordeum & fabas, aliaque legumina, linum quoque & Cochinillam. Plurimi hic ovium greges atque porcorum; in montibus autem præſertim nivalibus, innumeræ vagantur feræ, tigres, leones pardi, lupi, adives, cervi, aliaque animalia. Inter volatilia merito laudatur, avicula longe minima, inſtar papilionis oblongo roſtro & incredibili plumarum ſubtilitate atque elegantia: (è quibus componuntur ſingulari induſtria imagines, haud ſecus quam ſi coloribus eſſent pictæ) rore tantum, qui floribus inſidet, inſtar apum victitans; Iconem hic adjicimus, quam à Clar. V. Car. Cluſio acceptam, nonnihil quoad roſtrum emendavimus, ſequuti exuvias hujus aviculæ quas commodum acceperamus. *Huitzitzil* appellari ſcribit *Fr. Ximenez*, & floribus marceſcentibus, arborum truncis roſtrum infigere, atque



ita immobilem inſtar mortuæ illis adhæreſcere per ſex menſes, donec pluviis redeuntibus Flora rurſus campos veſtiat. Gomara vocat *Vicicilin*; Oviedus paſſerem Moſquitum. Reperitur paſſim in omnibus pene Americæ regionibus inter utrumque Tropicum.

Sale & goſſypio caret hæc provincia; cæterum peropportuno loco ſita eſt, præſertim urbs, ad utramque viam, quæ à *Vera Cruce* ad urbem Mexicanam ducunt, muniendam: quarum una dicitur *Suchilchima*, qua Hiſpani Mexicanorum limites primum ſunt ingreſſi; altera *Ginochula*, quam hodie potiſſimum uſurpant, quæ à Tepeaca, leuca paulo amplius una divergit.

Cap. XVIII.

Oppidum Veræ Crucis & præcipuus Novæ Hiſpaniæ portus S. Ioan de Ulua.

Oppidum *Veræ Crucis* diſtat ab Æquatore circiter novemdecim gradus verſus arctum: à Metropoli Mexicana, pro ratione itineris, aut ſexaginta aut ſexaginta & quinque leucas: ab oceano vix quartam leucæ partem. A ducentis ferme Hiſpanorum familiis habitari tradunt, quorum plerique aut claſſiarii ſunt

inſtitores, qui merces ex Hiſpania advenientes excipiunt, & Americanas rurſus in claſſem imponunt. Urbs veræ Crucis valetudine habitantium infamis habetur, nam quum pluvia tempeſtate,ſive hyeme ipſorum,ſubſolano aut vulturno utplurimũ flante à veſpera ad mediam noctem largis imbribus ſolum humectetur,& à ſummo mane ad veſperam Sol admodum æſtuet; adhæc tenuiſſima arena, cui hoc oppidum ſuperſtructum eſt,largius humorẽ imbibat; iſq; à frigore nocturno in ſuperficie veluti conſtipetur, Sole exoriente humorem extrahi & in præfervidos vapores diſſolvi conſentaneum eſt, qui diſperſi nares ſubeunt, & graviſſime afficiunt cerebrum, generantq; febres acutas & plerumque lethales. Vapores autem hoſce plane virulentos eſſe ex eo putant liquere, quod in ipſa urbis area, ubi aquæ pluviarum tempore in ſtagnum confluunt, ſingulis diebus matutino tempore infiniti bufones parvuli generati conſpiciantur,qui ubi paulum adoleverint, noctu horrendum ſtridorem edunt: Accedit quod haud longe ab urbe amnis defluit, cujus aquæ licet potabiles ſint atque innoxiæ, tamen toto die admodum fervent; unde oppidani matutino tempore ad opera ſua facienda egreſſi earum hauſtu, non minus quam vaporibus illis langueſcunt, & variis infirmitatibus tentantur.Idque non tantum hic,ſed ad totam oram maritimam Novæ Hiſpaniæ,inde à flumine *Panuco* uſque ad *Guazacoalco* uſu venire conſtanter affirmant Hiſpani. Porro à menſe Novembri ad exitum Martii ne guttam quidem hic pluere dicunt, & ventus ab Arcto atque Aquilone flans ita temperat æſtum & exſiccat ſolum, ut toto hoc tempore cœlum hic tam ſalubre ſit quam in urbe Mexicana, & qui hiſce menſibus hic appellunt nihil ſentiunt incommodi; ſed periculum eſt ne à ſeptentrionalibus ventis in littus impellantur & naves frangant.Oppidani autem ut valetudini conſulant, poſtquam naves exoneraverint, rurſuſque oneraverint, in quo fere ab Aprili ad Auguſtum occupantur, aliò & longius à littore recedunt; fœminæ imprimis, poſtquam prægnantes factæ ſunt, ad mediterranea ſe conferunt, quia in oppido feliciter ſe parere poſſe deſperant: denique ad noxios vapores diſcutiendos, armenta magno numero, ſummo mane, per omnes oppidi ſemitas agunt.

Iter ab hoc oppido ad metropolim Mexicanam,inſtitui tradunt ad hunc modum:

A *Vera Cruce* ad *Xalapam* leuc. XVI.

A *Xalapa* ad *Perotam* VII. Eſt autem *Perota* vicus perexiguus pauculis tuguriis ſtramineis conſtans (*Ventas* vocant Hiſpani, id eſt, diverſoria) in pinorum & cedrorum ſylva, & agro frigidiuſculo ob vicinitatem montium nivalium.

A *Perota* ad fontes *Otzumbæ* IX. hi juxta viam regiam erumpunt è certis fiſſuris; hic quoque habentur diverſoria ad eundem modum.

Ab *Otzumbæ* fontibus ad civitatem *Angelorum* VIII.

A civitate Angelorum ad veterem *Tlaſcalam* V.

Ab hac denique ad Metropolim *Mexicanam* XIV.

Atque hæc quidem è relationibus eorum qui ante plures annos ſcripſerunt de rebus Novæ Hiſpaniæ, poſtilla autem oppidum alio tranſlatum eſt, & quum ante quinque leucis à portu abeſſet; juxta & è regione illius eſt collocatum, uti mox dicemus, ubi prius de Portu egerimus.

Portus Novæ Hiſpaniæ principalis & pene ſingularis ad Mare Septentrionale, vulgo appellatur *S. Iuan de Vllua*; ab Inſula exigua & fluctibus maris pene æquali, ita ut nonnumquam quum æſtus valide implevit, cooperiatur: ſcopulis atque vadis magna ſui parte exterius & verſus altum cincta; objacet continenti; freto tantum ducentas perticas ſive decempedas (*Varras* dicunt Hiſpani) lato, ab ora diviſa: interiori ſui parte Portum concludit, qua nimirum continenti obvertitur; atque hic murum habet è vivo ſaxo inde à fundamentis eductum,continentem in longitudine unà cum munimentis, ejuſmodi perticas centum nonaginta quinque; mare autem ad pedem muri altum eſt orgyas quatuor, ita ut onerariæ tam propinquæ conſtituantur, ut è prora in murum exſiliant: naves vero non modo anchoris in mari fixis, ſed & funibus atque ferreis catenis ad annulos deligatis retinentur, tanto enim interdum impetu venti ſeptentrionales incumbunt,ut revulſas in oppoſitũ littus impellant atq; comminuant. Ad utrumque muri angulum munimenta jam olim fuerunt exſtructa, & præſidium centum & quinquaginta militum à Rege impoſitum: Nigritæque com-

plures hic collocati ad opera quotidie collabentia reſtauranda. Continens è regione jacens, juxta littus quidem planiciem, ubi leucam inter rus proceſſeris, opacos lucos exhibet, in quibus magna ferarum agit copia. Super hanc quam dixi, planiciem Novum oppidum *Veræ Crucis* jam eſt conditum, continens in longitudine perticas mille ducentas. Nam ante quum oppidum, ut ſupra, quinque leucas à portu diſtaret, ut plurimum quatuor menſibus opus erat ad naves levandas rurſumque onerandas, quod hodie ſummo compendio fit: Locus in quo oppidum ſuperſtructum eſt, antea *Buytron* appellatum ferunt à monte qui illi ab occaſu imminet.

Ioannes Hawkinus celeberrimus inter Anglos claſſium Præfectus anno cIↄ Iↄ LXVIII ſub menſem Septembrem hunc portum ingreſſus, naves Hiſpanicas duodecim ditiſſimis mercibus onuſtas offendit, quæ abitum in Hiſpaniam parabant, nulloq; ipſis damno illato tantum commeatum claſſi ſuæ venalem petebat; quum poſtero die Claſſis ab Hiſpania advenit, novum Viceregem & opulentas merces Europæas tredecim navibus advehens, quam quum portu arcere cum certâ Hiſpanorum pernicie facile potuiſſet, tamen certas conditiones ſtipulatus, ſtatim admiſit: Verum haud tuto Hiſpanorum promiſſis credi, magno ſuo detrimento fuit expertus, navibus ipſius ex improviſo depreſſis & fortiſſimo quoque ſuorum in certamine deſiderato; ita ut cum duabus tantum navibus è portu ægre ſe proriperet, & poſtquam quatuordecim dies in freto Mexicano miſerè fuiſſet jactatus, annona in tantum navalium ſociorum numerum minime ſufficiente, centum ſuorum in continentem exponere cogeretur; quorum aliqui à barbaris cæſi, reliqui omnibus veſtibus exuti, poſt varia diſcrimina in Hiſpanorum manus inciderunt, qui illos primum *Panucum*, deinde ad urbem Mexicanam duxerunt, ubi partim morbis, partim variis ſuppliciis religionis ergo interierunt, pauci tantum raro Dei beneficio ſervati, poſt plurimos annos incolumes in patriam redierunt, & inter illos *Milo Philippides* de quo ſupra.

Cap. XIX.

Reliqua ora maritima Epiſcopatus Tlaſcalenſis.

EPISCOPATUS Tlaſcalenſis, ad oceanum ſeptentrionalem, qui hic vulgo *Golfo de Mexico* appellatur, dividitur ab Epiſcopatu Guaxacenſi (de quo ſtatim) flumine, quod hodieque à primi inventoris nomine *Rio de Alvarado* vocatur, Indigenæ autem olim ſuo idiomate dicebant *Papaloavam*. Huic ad occidentem ſecundum eandem oram proximus eſt fluvius quem vocant *de Banderas*, quia indigenæ velis quibuſdam candidis inſtar ſignorum militarium, Hiſpanos præternavigantes, ut exſcenderent, invitare viſi fuerant, prima *Ioannis Gryalvæ* in hanc Americæ partem navigatione. Hunc ultra objacet continenti Inſula, quam ab arenarum candore vulgo *Blancam* vocant, nec procul hinc altera, quatuor circiter à continenti leucis, quam *viridem* dicunt ab arborum læte virentium copia, itemq; tertia ſeſqui leucæ intervallo à continente diſcreta, quam *Gryalva* Sacrificiorum inſulam nominavit, quia in illam exſcendens, altare & homines nuper Dæmoni immolatos, apertis pectoribus, & brachiis cruribuſque detruncatis, parietes quoque templi recenti ſanguine aſperſos hic offenderat. Sunt qui tradant Hiſpanos primis illis temporibus hic exſcendere & merces ſuas exponere ſuetos, ſuperſtitione & terriculamentis quibuſdam nocturnis deterritos hanc inſulam deſeruiſſe: Sed magis veriſimile eſt metu naufragiorum, quia Aquilo hic valde infeſtus eſt, ſecuriorem ſtationem & portum alibi quæſiviſſe. Hanc Inſulam prætervectis verſus occidentem occurrit Inſula *Sant Ioannis*, de qua ſuperiore capite diximus. Ad continentem autem nihil memorabile toto hoc tractu deſignatur. Atque hactenus continentis littora ad occidentem pergunt, dehinc ad Arctum toto latere terra convertitur; ubi primum eſt obvius amnis Veræ Crucis illius veteris. A quo deinceps oram verſus Septentriones legentes, quatuor leucarum intervallo, accipit *Sempoala*, tenuis amnis nec majorum navigiorum patiens: Quem octo leucarum intervallo ſequitur fluvius *Almeriæ*; quem Indigenæ appellabant *Naothlan*; hic oritur in montibus *Totonaquiorum* atque *Micantle*, & inter objectos colles eluctatus,

ctatus, effundit ſe in oceanum modico admodum alveo. Ad hujus ripas olim *Medellinum* oppidum *Corteſii* auſpiciis fuerat conditum, in patriæ urbis memoriam, quod triennio poſtquam fuerat ſtructum, deductis colonis, anno cIↃ IↃ XXV, à miniſtris Regis Corteſio tum abſenti ſupra modum infenſis, in ſolitudinem fuit redactum.

Juxta autem flumen, campi Almeriæ à nauticis hominibus obſervantur, quos alii ad altitudinem viginti graduum, alii viginti graduum & triginta ſcrupulorum collocant. Sequitur porro ad eandem oram fluvius *S. Petri* & *Pauli*, qui ex iiſdem Totonaquiorum montibus profluit & ad altitudinem unius & XX grad. exit in oceanum: Huic proximus amnis *de los Cazones*, uti Hiſpanis vocatur, ubi continens grandem ſinum inflexo littoris gremio admittit, navigantibus infidum; Hic *Tuſpa* montes terminantur Africum atq; Aquilonem inter expanſi. *Tamiagua* deniq; hanc plagam claudit, haud longe à flumine Panuco. Ex quibus liquido patet *S. Ioannis de Vllua* portum ſingularem plane eſſe, quem Nova Hiſpania ad mare hoc ſeptentrionale poſſidet.

GVAXACA.

CAP. XX.

Epiſcopatus Guaxacenſis limites: Vallis Guaxaca deſcripta.

EPISCOPATVS hic, à provincia principali ſuæ Diœceſeos *Guaxacenſis*, ab urbe autem in qua cathedralis Eccleſia conſtituta eſt *Antequera* vulgo appellatur: Inter Epiſcopatum Tlaſcalenſem, quem modo deſcripſimus, & Epiſcopatus qui ad Guatemalenſem Præfecturam referuntur medius, patet in longitudinem ſecundum oræ maritimæ ductum, ad oceanum quidem meridionalem leucas centum, ad ſeptentrionalem vero quinquaginta: in latitudinem inter utrumque mare ſecus Tlaſcalenſis Diœceſeos limites centum viginti, ad orientem vero ſecundum Chiapæ provinciæ fines, tantum ſexaginta. Multas & perinſignes provincias complectitur, quarum facile princeps *Guaxaca* vallis, ſedecim leucas in longitudinem porrecta, quæ primo harum regionum Domitori Hernando Corteſio nomen Marchionis *del Valle* dedit. Orditur à *Cocolæ* montis radicibus, in finibus *Guaxolotitlan*, ad altitudinem octodecim graduum ſeptentrionalium (ut *Herrera* teſtatur) octuaginta leucarum intervallo ab urbe Mexicana verſus Auſtrum: licet autem paucos fontes, raroſq; amniculos habeat, non tamen aquarum in totum indiga eſt, atq; adeo ſupra modum eſt fertilis; Indigenæ *Zapotecarum* idiomate utuntur. Quamplurima hic metalla repeℓriuntur, auri, argenti, Criſtalli atque Chalcanti; & gemmæ quantivis precii, adverſus Nephriticos affectus & ſanguinis fluxum efficaciſſimæ. Fert præterea & triticum & mayzium quam uberrimè: *Cacao* maxima copia; Coccinillam quoq; & Caſſiam ſolutivam; arbor quæ hanc fert Mexicanis dicitur *Quauhayohuachtli*; trunco cinereo, foliis Lauri, floribus flavis, ſtellarum in modum racematim pendulis, è quibus fructus notiſſimi naſcuntur; ut ſcribit *Fr. Ximenez*. Nec oleam aut vitem refutaret ſolum, quum omnia peregrina ſemina frugum atque olerum haud maligne patiatur.


In toto Epiſcopatu vix ullus eſt amniculus, qui aurum non ferat, ita ut Indigenæ (quibus ne nunc quidem quicquam ad victum aut veſtitum deeſt) omnium rerum copia abundarent, niſi innata ſegnitie & laborum intolerantia præpedirentur.

Cœlum hic admodum ſerenum atque ſalubre. Hiſpani hic primum byſſum tractarunt, frequentia mororum, quas provincia alebat, allecti, è quarum interiori libro barbari papyrum facere conſueverant; nunc autem tantum numerum mororum Europæarum hic plantarunt, ut magnam byſſi copiam Indigenæ juxta atque Hiſpani hic colligant & ſi Barbari decimas illius ſolverent, quemadmodum Hiſpani tenentur, quinque aliis Epſcopatibus erigendis annui reditus ſufficerent.

Ut autem ea quæ ad Epiſcopatum in communi pertinent, abſolvamus: Trecenti & quinquaginta primarii Indigenarum pagi in eo numerantur; (præter trecentas villas ſive prædia ruſtica;) ſupra centum & quinquaginta barbarorum vectigalium millia; centum viginti monaſteria Dominicanorum, & plures clericorum ſcholæ; Tre-

decim dialecti multum inter ſe diverſi, omnibus tamen commune eſt idioma Mexicanorum.


Licet harum provinciarum ſolum (*Guaxaca* valle tantummodo excepta) montoſum ſit atque aſperum, tamen maxima ſui parte fertile eſt, & arbores fructiferas agreſteſque, herbas ſalutares atque etiam noxias ſponte ſua ubique producit; Inter venenatas autem, unam in valle Guaxaca reperiri tradunt, virtute mirabili; nam ſi quis alterum lento veneno intra annum tollere in animum inducat, ei hanc herbam jam annuo tempore decerptam exhibeat neceſſe eſt; ſin ſtatim, recentem. Perfamiliaris quoque huic provinciæ eſt arbuſcula, quam *Huitzpacotl* vocant barbari humi ſerpens, cujus folia in tria acumina deſinunt: fert flores rubros, minutos, & in extremis ramuſculorum junctos, è quibus enaſcuntur fructus, forma & mole ſimiles avellanis, cum tribus nucleis interius albis: floret & fert fructus pene omnibus anni menſibus. Quinque nuclei, aut ſi quis robuſtior ſit ſeptem, demto certo vellere quo teguntur, potenter dicuntur evacuare flegma & bilem, tam per vomitum quam per ſedes, tam ſecurè ut vel tantillo cibo ſumto, vis medicamenti ſtatim elangueat.



c.XLVII.

Dubito an hic ſit fructus cujus V. C. Car. Cluſius iconem dedit hanc ſub nomine Mehenbetene, quadrat enim non nihil cum hac *Fr. Ximenez* deſcriptione, quum tres nucleos uno putamine contineat. Monardes autem aliam ſpeciem avellanarum purgatricum videtur deſcribere, tenui putamine (quum priores ſint ligneo) coloris ſpadicei, triangulares, medulla interiori alba & dulci, qua Indi ſe familiariter purgabant. Idem Cluſius iconem adjecit quam hic adjicimus; qui plura deſiderat videat Dalemchampium.

lib. XVIII. cap. 24.



Crebris terræ motibus obnoxiæ erant hæ provinciæ, dum incolæ adhuc gentiles eſſent, nunc autem, ut ferunt, rarioribus, poſtquam religionem Chriſtianam amplexi ſunt, quod Hiſpani S. Martiali acceptum ferunt, quem Antequeræ templo patronum elegerunt.

Cap. XXI.

Miſteca provincia, Tutepeque, Zapoteca, Guazacoalco.

PROVINCIA *Miſteca* vulgo dicta in duas partes dividitur, quarum una à ſoli natura ſituque alta ſive ſuperior, altera baſſa, id eſt, inferior appellatur. Indigenæ autem idiomate multum diverſo utuntur. *Miſteca* ſuperior inter Mexicanam Diœceſin atque Guaxacam vallem interjecta, ab *Antequera* oppido quadraginta pene leucis, occidentem verſus divergit: Inferior magis ad oceanum meridionalem declinat. Plerique harum provinciarum amniculi atque torrentes ſunt auri feraces, itaque indigenæ cum uxoribus & liberis, annona in decem aut duodecim dies parata ſeſe ad proximos amnes ſive rivos applicant, & quandiu victus ſuppetit, auri ramenta ſtudioſe indagant & gallinarum pennis indunt: dein ad proximos mercatus ſe conferunt & aureum pulverem annona aut aliis rebus neceſſariis permutant, domumque reverſi dies nocteſque genio indulgent, nec agros colere aut aliud quid operis facere ſuſtinent, neque ante ad auri indaginem revertuntur, quam aut dira neceſſitas conſumto penu illos invitos adigat, aut deſidem atque inopem vitam diutius tolerare nequeant; id vitæ genus à majoribus acceptum, poſteris ſuis ſe tradere dicunt, neque ad alium laborem aut cultum facile poſſunt traduci. Radices quas officinæ vocant *Mechuacan*, hic ubertim proveniunt, præſertim juxta pagum *Cuattitlan*. Eadem provincia & copioſe fert arbores illas quæ exſudant *Carannam*, de qua ſupra. In eadem (uti & in Hiſpaniola & alibi) naſcuntur certæ arbores, admodum vulgares, quarum folia ſunt ſimilia minori filici; fructus ſimiles avellanis ſed paulo minores, minime edules; verum oſſiculo exſecto (quod continent

Fr. Ximenez.

nent rotundum, nigrum, magnitudine majoris piſi, aut globuli bombardici) carnem illius indunt aquæ calidæ, eaque abluunt veſtes, nam ſpumam edunt inſtar ſaponis, quæ non minus mundat & detergit. Officula Soli expoſita nigerrima evadunt, inſtar gagatæ lapidis, tornataque & perforata ſerviunt roſariis, ſunt enim læviſſima & numquam finduntur; Continent autem pulpam quandam valde amaram, ſapore nuclei mali perſici, quem artifices facile eximunt. Meminit hujus plantæ Monardes ſub nomine Sphærularum Saponariarum, & fruticem pene deſcribit ad eundem modum: uti & Oviedus Hiſtoriæ Indicæ lib. IX. cap. LXV.

In finibus *Cuertlavacæ* & *Tequiciſtepeques* municipiorum, viſitur antrum mirabile ſub præcelſo monte, à monacho Dominicano & aliquot barbaris olim luſtratum; deſcenſus in illud anguſtus, tantum ſingulos admittit, interius in quadratam aream quinquaginta pedum pateſcit, ubi aliquot putei ſunt cum ſuis gradibus; ab his via variis anfractibus & meandris, inſtar Labyrinthi tortuoſa ad patentiorem ducit aream, in cujus medio fons ſcaturit, ad latus autem oſtendit ſe amniculus: hoc iter horæ ſpacio emenſi, quum terminum nullum reperirent, fili beneficio quod ori ſpeluncæ affixerant, remearunt. In iiſdem finibus juga montium, quos vocant *S. Antonii*, à quibuſdam barbaris incoluntur, quibus putei & fiſſuræ petrarum pro domiciliis ſunt, in quibus cum uxoribus & liberis projecti cubant, nec ab vitæ hujus licet miſerrimæ conſuetudine, ullo pacto ſe dimoveri patiuntur. Et montium miracula hic commemorantur, bini montes altiſſimi verticibus ita contiguis, ut utrique cruribus divaricatis inſiſti poſſit, radicibus longiſſime à ſe invicem disjunctis.

Denique provincias haſce Coccinilla abundare & quidem præſtantiſſima, vel hoc arguerit, quod aliis omnibus, ne quidem *Tlaſcalenſi* excepta, ab inſtitoribus præferatur *Miſteca*.

Miſtecæ provinciæ pene junguntur, caſtellis Mexicanorum olim inſeſſa juga illa, quæ Hiſpani hodieque *Pennoles* nominant, numero ſex, inter Auſtrum atque Arctum certis intervallis diſiuncta; quorum unum, *Itzquitepec* vulgo dictum, ſex tantummodo leucis ab *Antequera*, valido præſidio cuſtodire conſueverant Reges Mexicani. Vicinæ rupes præter evidentiſſima auri indicia, plumbi venas aperiunt: Solum per ſe fert radices quæ ſaponis uſum dicuntur præbere. In *Totomachiapæ* municipii finibus, ingens ſpelunca viſitur, immani ore adverſus Auſtrum patens, nonnulli ad dimidiam leucam in illam deſcenderunt, ulterius procedere prohibent rivuli.

Auſtrali *Guaxacæ* vallis lateri, *Tutepeque* provincia jungitur, pagis frequens juxta littus maris Auſtralis, & pene ſexaginta leucas in longitudinem procurrens: Aquilonari vero lateri regio quam fluvius *Alvaradi* ut vocant, ſecat & paulo magis ad Arctum *Zapoteca*, quæ tota montenſis eſt & petroſa, amplitudine *Miſtecæ* provinciæ haud impar nec minori quam vicinæ provinciæ ſoli fœcunditate. Indigenæ olim immanes moribus, & continuis bellis cum vicinis monticolis, qui ſe *Mixes* dici volebant, exerciti; caput provinciæ quondam *Teozapotlan*, ubi Regulus ipſorum agebat; pellibus quondam cingebantur, nunc veſtibus indui, & capillos tondere & pileos geſtare edocti ſunt. *Mixes* autem lingua moribuſque diverſi, provinciæ *Tecoantepec* (montem Tigrum ſonat nomen) accenſebatur; quam provinciam *Ant. Herrera* collocat ad altitudinem ſedecim graduum ſeptentrionalium, ſexaginta leucis à Soconuſco, Liquidambaris imprimis feracem. Ab his diverſi ſunt *Miges* populi, de quibus mox dicemus.

Tutepeque.

Zapoteca.

Provinciæ *Guazacualco* atque *Ylutæ* nec non & *Cueztxatlæ* indigenæ, multas ceremonias Iudæorum uſurpabant, nam & circumcidebantur, more à majoribus (ut ferebant) accepto, quod alibi in hiſce regionibus ab Hiſpanis hactenus non fuit obſervatum.

Cap. XXII.

Civitates Hiſpanorum in Diœceſi Guaxacenſi, Antequera, aliæ: ora item maritima.

PRIMARIA hujus provinciæ Civitas & Epiſcopalis ſedes eſt *Antequera*, octuaginta leucarum intervallo diſſita ab urbe Mexicana verſus Eurum, ad viam quæ per Chiapam, ducit Guatemalam, in amœniſſima Guaxacæ valle. Amnis qui urbem alluit, ex ipſo ſolo erumpit è regione *Cimitlan*, & citus decurrit verſus montes *Coatlan*, duabus ab origine & totidem à Guaxaca leucis. Civitas magnifico cathedrali templo eſt ornata, in quo columnæ è ſolido marmore viſuntur altitudine & craſſitie admirabili: quadringentis Hiſpanorum familiis habitari prodit *Herrera*, verum *Chiltonus* Anglus qui anno cIↄ Iↄ LXX hac iter egit, vix quinquaginta Hiſpanorum familias, plures indigenarum hic agere teſtatur; omnes autem hujus provinciæ barbaros tributum ſuum goſſypinis togis & Coccinilla, quæ hic lætiſſime naſcitur, pendere.

Secunda hujus Diœceſeos urbs *S. Illifonſo de los Zapotecas* vulgo nominatur, diſtatque ab Antequera verſus aquilonem leuc. viginti; in provincia auri, goſſypii & maizii commerciis opulenta; in qua ſupra triginta millia barbarorum vectigalium cenſeri ſcribunt: Ipſa monti ſuperſtructa eſt in regione Barbarorum, quos vocant *Migas*: natio hæc admodum procera eſt, & quod in America rarum, barbata: lingua illorum rudis & craſſum quid ſonans inſtar Alemannorum; feroces & bellicoſi, & humanarum carnium appetentes; olim nudi agebant aut cervino tergore ſupra lumbos accincti; nec perdomari niſi canum venaticorum & moloſſorum opera potuerunt, ſaltibus & jugis montium ita defenſi, ut equis aditus minime pateret: Itaque hanc urbem olim haud ſupra triginta Hiſpanos incoluiſſe ferunt, donec canum metus ferocem hunc populum ad pacis conditiones accipiendas adegiſſet. Juxta hoc oppidum copioſe creſcit arbor *Ezquahuitl*, id eſt, arbor ſanguine manans, quia fundit ſanguinem Draconis, gummi jam vulgo notiſſimum; eſt autem (ut inquit *Fr. Ximenez*) arbor vaſta foliis verbaſci, latis & anguloſis.

Tertia urbs *S. Iacobi* nomine inſignis, & à vallis nomine in qua jacet, *Nexapa* vulgò, diſtat itidem viginti leucas ab *Antequera* verſus ortum, ſecus viam quæ Chiapam atque Guatemalam ducit. Chiltonus jam ante memoratus ſcribit, hanc arduo colli ſuperſtructam eſſe in provincia *Zapotecarum*, & vix à viginti Hiſpanis habitari, qui hic à Rege Hiſpaniarum veluti in præſidio collocati, adverſus feras & indomitas nationes, quæ jugum recuſant ferre, municipiis & pagis illorum in ſtipendiorum mercedem diſtributis.

Quartum oppidum appellatur *Villa del Eſpiritu Santo*, ſita in provincia *Guazacoalco* ad fines provinciæ *Tabaſcenſis*, nonaginta leucis ab Antequera; anno cIↄ Iↄ XXII condita à *Gonſalvo de Sandoval* ad ripam fluminis, tribus à mari leucis: Tenebant olim hanc provinciam bellicoſi & præferoces barbari, itaque Corteſius primis huius oppidi incolis, multos indigenarum pagos & imprimis *Guecollan*, *Cuiatlan* & *Quezaltepec* attribuit, à quibus hi populi ſenſim ita perdomiti fuerunt, ut jam jugum haud inviti ferant.

Ad mare ſeptentrionale quidem & ad orientem ora hujus Diæceſeos exordium ſumit à flumine *Alvaradi*, quod è montibus *Zapotecarum* ortum, per varias provincias, & imprimis *Chinantlam* defluit, & curſu paulum reflexo, per eoſdem montes, è quibus primum deſcenderat, inter flumen *Guazacoalco* & inſulam *Sant Ioannis de Vllua* deſcendit in oceanum ſeptentrionalem.

Guazacoalco autem ingens eſt flumen; *Corteſius* anno cIↄ Iↄ XX Tribunum militum *Didacum de Ordas* miſerat ut hoc flumen exploraret; qui oſtio illius tentato, in ipſo oſtio trium orgyarum altitudinem deprehendit, in progreſſu autem longe majorem, ita ut rei nauticæ periti tum indicarent, ad mare auſtrale uſque pertendere & quod tum anxiè quærebatur, utriuſque maris commerciis peridoneum eſſe: in quo licet fruſtra fuerint, tamen portus illius commerciis inſularum valde eſt opportunus: Solum illi adjacens paſcendo pecori aptiſſimum exiſtimatur.

Linſcho-

Linſchotanus noſter inter utraque hæc flumina intervallum conſtituit quinquaginta leucarum.

Ad eandem hanc oram deſcendit in mare fluvius, quem *Herrera* nonnumquam *Agualulco* alibi etiam *Aquiavilco* nominat, dimidia à mari leuca, centum & nonaginta paſſus latus, ita ut commodum navigiis portum præbere valeat.

Ad eandem oram *Roca partida* jacet, continentis Promontorium, à notiſſimis *S. Martini* montibus deſcendens, naufragiis plurimarum navium, quæ cæcis rupibus, quæ ſeriatim littori objacent, impactæ perierunt, infame: Hi montes à prænavigantibus ſtudioſe obſervantur ad curſus rectè inſtituendos: exporrigunt ſe inter corum & vulturnum, diſtantque ab æquatore ſeptemdecim gradus & quadraginta octo ſcrupula.

Ad oram vero maris meridionalis, habet hæc Diœceſis portum *Guatulco* (quem alii vocant *Aguatulco*) quindecim gradibus & triginta vel quadraginta ſcrupul. ab Æquatore verſus Arctum: Ampliſſimus eſt portus & qui plurimum frequentatur; omnes enim naves quæ merces Europæis & Novæ Hiſpaniæ, ſubvehunt Peruviæ, hinc ut plurimum ſolvunt. Fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus*, expeditione illa qua totum orbem circumnavigavit, hunc adiit anno CIƆ IƆ LXXVIII, oppidumque expugnavit & diripuit: Idem rurſus à *Thoma Candishio* anno CIƆ IƆ LXXXVII captum & direptum, templumque una cum teloneo regio exuſtum.

In eadem ora & *Tecoantepeque* recenſetur, modicus portus cum adjuncto municipio ſatis frequenti, quadraginta quinque leucis ab Antequera; ad quam ab hoc portu via uſitatiſſima pertinet per *Chontales*, *Nexapam*, & *Mexaltepeque*: jacent & complures alii pagi ſecundum Maris auſtralis littus, qui omnes Epiſcopatui *Guaxacenſi* ſubſunt. Habet & alium hic portum ſed modicum, quem barbari appellant *Tecuanapam*; per quem fluvius *Ometepec*, qui ſub montibus *Xicayan* è variis paludibus oritur (in quas plures torrentes à montibus *Cacatepec* defluunt) navigabili alveo in oceanum deſcendit. *Ometepec* autem quinque ſupra oſtium leucis, recipit in ſe ab una quidem plaga *Tlacolulam*, ab altera *Tlacomamam*: quorum hic è montibus *Atoyaque* & *Amuſgorum* jugis oritur quindecim ab ora maritima leuc. eſt ſtatim minorum navigiorum patiens per multos barbarorum pagos placidè deſcendit: ille vero juxta *Chilſiztlavacam* defluit, navigiorum impatiens, præterquam duabus ſupra confluentem leucis. Huic quidem *Tlapa*, *Tlacamamæ* vero adjacet provincia *Tututepec*. Atque hactenus de utraque ora Diœceſeos *Guaxacenſis*.

MECHOACANA.

CAP. XXIII.

Mechoacanæ provinciæ limites, cœli ſolique qualitates, arbores variæ atque plantæ.

MECHOACAN, idiomate Mexicano locum piſcoſum, ut volunt, denotans, ante Hiſpanorum adventum in haſce partes, principatus fuit, nulli alteri obnoxius; ab eo hodie nomen ſortitur Epiſcopatus, inter Archiepiſcopatum Mexicanum, & provincias novæ Galæciæ medius: patens in latitudinem ſecundum littorum ad mare Pacificum ductum quidem leucas octuaginta, in mediterraneis vero ſexaginta: longitudo illius incerta eſt: nam à mari auſtrali in fines barbarorum *Chichemecarum* penetrat longis quidem ſed incertis ſpaciis. Complectitur plures provincias, de quibus mox dicam.

Aëris temperies pro diverſitate provinciarum multum diverſa eſt, alibi frigidior, alibi temperatior, nonnuſquam quoque præfervida; ubique tamen jucunda atque ſalubris adeo ut ab aliis provinciis multi recuperandæ valetudinis gratia dicantur accurrere. Plurimi hic ſunt lacus & ſtagna, multi amnes, innumeri fontes aquarum dulcium & ſalubrium, quæque pecora mirum in modum ſaginent: nec non ſcaturigines calidæ & balnea ferventia juxta atque modicè tepentia.

Cœli clementiæ accedit eximia ſoli ubertas, quod nunc in planiciem & lætiſſima paſcua ſe ſternit, nunc aſſurgit in modicos colles, non raro quoque in excelſos

montes ſe attollit qui proceriſſimis arboribus veſtiuntur. Maxima hic eſt annonæ abundantia; nam triticum, hordeum, atque alia farris genera, tanto cum fœnore à tellure redduntur; ut memoriæ proditum reperiam, quatuor hanegas tritici ſatas, in meſſem ſexcentarum hanegarum exuberaſſe, & *Fr. Ximenez* teſtetur tritici Europæi ſpicas tres quatuorve alias ex ſe veluti parere. Sed operæpretium fuerit aliquot arbores & plantas quas nobiliſſima hæc provincia vulgo producit, paulo prolixius hic deſcribere. Inter arbores facile primum locum ſibi flagitat; *Xochicopalli* arbor mediocris, foliis menthæ Saracenicæ, licet non tam profunde diſſectis, quæ terna conjunctim ramis adhærent; truncum & corticem habet valde odoratum, qui exſudat liquorem coloris leonini, perfecte redolentem limones, qui eaſdem facultates obtinet quas reliquæ ſpecies *Copal*, ita ut ſpecies illius judicetur.

Fr. Ximenez.

Secundum locum meretur, ſpecies *Mizquitl* (de qua ſupra) quam hic vocant *Tzintzequam*, caret autem ſpinis, foliaque habet magis ſubtilia quam vulgaris *Mizquitl:* cæterum & caſſiam producens, atque gummi Arabicum.

Tertium *Quauhtepatli* Mexicanis, Mechoacanis *Chupire*, id eſt, planta ignea: arbor ſimilis lauro, pulchra & grata aſpectui, foliis paulo majoribus & latioribus quam ſunt Amygdali; floribus compoſitis in modum roſarum; ita ut videatur eſſe frutex ille quem Dioſcorides vocat Rhododendron, officinæ Leandrum, & Caſtellani Adelpham, ob ſingularem autem illius acrimoniam, proverbio uſurpari ſolet, de fœminis quæ in amore non reſpondent, Adelpham illis aquam infectare. Succus illius naturâ abradit, nihilo tamen ſecius affirmant barbari, in potu exhibitum quantitate duorum ſcrupulorum, commodiſſime evacuare humores pituitoſos in iis qui Cacohexia laborant, præſertim ſi malum oriatur è cauſa frigida: ſed mihi (inquit *Ximenez*) non fit veriſimile tam vehemens medicamentum per os ſumi poſſe ſine diſcrimine: itaque potius, quod & barbari fatentur, umbelico applicandum cenſeo, exigua quantitate, nam & ita corpus purgabit. Eſt quoque præſens remedium adverſus externos corporis morbos, impetigines, ſcabiem & ſimiles. *D. Fr. Hernandez* improvide ſuccum hujus arboris ſumens magnum vitæ periculum adiit; non deſunt qui plantam venenoſam & homini exitialem judicent; gaudet maxime locis humidis & riguis.

Quartum; *Copalxocolt* ſive ut ipſi vocant *Pompoqua*, arbor foliis ceraſi noſtratis, fructus ferens ſimiles exiguis pomis, dulces quidem ſed valide adſtringentes, quique exſudant ſalivam quandam valde viſcoſam, (unde ab Hiſpanis ceraſa gummoſa appellantur:) quæ applicata ſanat febres & ſanguinolentas dejectiones. Materies hujus arboris commodiſſima eſt ad imagines ſculpendas, nam præterquam quod facile ſecetur, numquam ſe findit aut facile ſentit cariem: accedit ad odorem & ſaporem Copal.

Inter Frutices memoratur *Maripenda*, quæ truncum habet circiter viginti palmos altum, ramos nigricantes, folia ſimilia ferro quo ſpicula aſperantur, lata & craſſa, ſuperiore parte viridia ſed ſubpurpuraſcentia, è rubro pediculo pendula: fert fructus racematim collectos, (longitudine ſex palmorum) inſtar uvarum, ſed rariores; qui primo ſunt virides, dein rubri, denique obſcurè purpurei. Barbari ſumunt ſtolones & ramulos hujus fruticis (nonnumquam & ſemina) & minutatim conciſos tantiſper ebulliunt in aqua, donec illa conſpiſſetur & Syrupi conſiſtentiam acquirat: Sanat mirabiliter vulnera etiam difficillima curatu, ſiſtitque ſanguinem in recentibus plagis.

Item *Chupiri* aut *Charapeti* frutex qui agit radicem groſſam & longam, extus colore inter luteum & candidum, intus nonnihil roſſo; è qua enaſcuntur aliquot trunci, & multi rami tenues, longi, colore obſcure viridi, quique inclinat ad cæruleum, teretes, glabri, pleni foliis inſtar aurantiæ, verum majoribus: floribus luteis & ſtellatis: non obtinet odorem aut ſaporem notabilem. Indigenæ autem maximi faciunt hanc plantam, feruntque cæteris omnibus longè præcellere ad mitigandos dolores è lue venerea ortos; curareque debilitates nervorum; ſanare ſcabiem & alia pertinacia corporis vitia, quæ aliis remediis tolli nequeunt: Utuntur radice hoc modo; unciam unam in ſedecim ſextariis aquæ ebulliunt tantiſper donec tertia pars conſumatur; hujus decocti ſumunt quotidie mediam libram, obſervantes eundem ordinem qui ſervatur in potione Guayacan: ſanat tumores, plagas & alia vitia

orta

orta è lue venerea; reſolvit tumores capitis, tam potum quam foris applicatum, ſiſtit dyſenteriam; excitat appetitum ciborum, & nutrit debiles.

Habetur hîc & ſpecies *Braſil*, frutex qui Taraſcis vocatur *Cuhuraqua*, Mexicanis *Quammochitl, Huitzquahuitl*, ſpinoſus, agens radices candidas & ſurculoſas, è quibus prodeunt caudices exterius vergentes ad colorem roſſum, interius ſature rubentes, contorti & pleni foliis pene figura cordis cum multis venulis, quæ diſcurrunt à medio foliorum ad oras. Reperiuntur hic & aliæ duæ illius ſpecies, quarum una vocatur *Pinguiqua*, altera *Iacua*; omnium materie tingitur color coccineus.

Herbarum tantum paucas & nobiliſſimas recenſebo: *Curutzeti* vel *Aphatſi, Puntzumeti* quam (inquit *Ximenez*) Aſarum Mechoacan poſſemus vocare: Folia habet mediocriter ſubtilia, & admodum ſimilia viti, plena ſinibus crenatis, ſuperiori parte viridia, inferiori aſpera: caules cubitum altos, læves, lentos, teretes atque tenues; flores ſubtiles, flavos, inſtar capillitii, quibus innaſcuntur ſemina nigra & valde minuta; radices multas, longas & tenues, inſtar Hellebori albi. Solæ radices uſurpantur in medicina, ſuntque ſapore acri & mordaci, ſuaviter olentes muſcum; calidæ & ſiccæ in tertio gradu & ſubtilium partium: pulvis illarum ſumtus cum vino, aut aqua bugloſſi, aut citrei, quantitate dragmæ, mitigat dolores Nephriticos, mundat renes ab omnibus excrementis ſuperfluis; corroborat ventriculum è cauſa frigida debilem; adjuvat concoctionem, aufert cruditates, aperit obſtructa, movet menſes, prodeſt utero, diſcutit flatus; Denique eſt egregium antidotum contra venena.

Acuitze huarira quam alii vocant *Chipa huatziz* & *Zozataquan*, Hiſpani autem ob ſingularem illius virtutem, *Inimicam Venenorum*: Eſt nobiliſſima planta, quæ folia obtinet Rumicis ab ipſa radice prodeuntia, caules teretes, ſeſquipalmum altos, teneroſque; in quorum faſtigio enaſcuntur flores minuti è candido rubeſcentes, in orbem accumulati, radicem rotundam ſimilem malo cotoneo minuto, intus candidam, foris auream; quæ potiſſimum in medicina uſurpatur; eſt enim temperatæ facultatis, vergentes nonnihil ad frigiditatem & humiditatem, ſaporis grati & dulcis; ſuccus aut aqua ex illa extracta, quavis quantitate hauſta, mitigat ardores febrium, corroborat cor & eſt efficax & ſecuriſſimum antidotum contra venena & venenatorum animalium morſus, ut ſcorpionum, &c. præſtatque officium nobiliſſimi alexipharmaci, præſertim ſi radix contuſa forma emplaſtri ſimul applicetur parti læſæ. mitigat dolores renum, temperat urinæ acrimoniam; excitat appetitum, diſſolvit tumores gutturis; lenit dolores pectoris; & virtute quadam occulta & admirabili, pene medetur omnibus morbis, quocunque modo adhibeatur.

Quibus accedit *Tlalamatl* (quam alii vocant *Tlalcimatl* ſive *Cimatl* humilem & Hiſpani herbam Joannis Infantis, quia per ipſum primo innotuit; Mechoacani *Yurintitaquaram* & alii *Cureci*) quæ producit folia quaſi rotunda, per ordinem terna, ſimilia herbæ quam Latini vocant Nummulariam; caules purpureos, humi ſerpentes; flores roſſos ad modum ſpicarum; ſemen exiguum & rotundum; radicem longam, tenuem & fibroſam. Eſt frigida & ſicca, aſtringenſque. Sanat plagas recentes & veteres; tumores quoque & abſceſſus dicitur maturare; ſiſtit vomitiones: Contuſa & quantitate duarum dragmarum pota mitigat & dolores è lue venerea natos, evacuatque quoſvis humores noxios: applicata oculis corrigit inflammationes: Denique necat pediculos. Hæc è *Fr. Ximenez*: meminit hujus plantæ Monardes apud cap. xvi. Cluſium in exoticis.

Pehuame vocatur Mechoacanis, planta illa (inquit *Ximenez*) quam Dioſcorides appellat Ariſtolochiam clematidem, quam numquam mihi contigit in Hiſpania videre, ne quidem pictam; quæ ſi nota eſſet, non tanti fierent aut Radix Chinæ aut Zarzaparilla, ſiquidem facultatibus longe utrique præſtat. Eſt autem herba volubilis, foliis figuram cordis referentibus, ſed minutis; floribus purpureis, qui cætera non abſimiles ſunt cæteris Ariſtolochiæ ſpeciebus: radice longa, craſſa & ſubrubenti cortice tecta; quæ præcipue in medicina uſurpatur: eſt acris, odorata, calida & ſicca in tertio gradu & tenuium partium: decoctum illius eadem methodo præparatum, qua radix Chinæ aut zarzæparillæ, ſervataque eadem victus ratione, mirifice ſanat quoſvis affectus è cauſa frigida natos, atque adeo luem Veneream; curat tuſſim inve-

inveteratam; diſcutit flatus; comminuit lapillos in renibus & veſica: movet menſes, accelerat partum, aperit obſtructa, &c. Barbari numerant hanc plantam inter præſtantiſſimas.

De Radice purgativa *Mechuacan*, quæ jam notiſſima eſt, operæpretium fuerit *Fr. Ximenem* audire. Radicem inquit purgatricem Mechoacani appellant *Tachuache*, Mexicani *Talantlaquacuitlapille*, & aliæ nationes *Puſquam*: tres illius reperiuntur ſpecies, quarum duæ ſunt mas & fœmina quæ forma & facultatibus conveniunt, habentque radicem longam & craſſam, è qua lacteus liquor emanat: ex hac procedunt caules tenues & volubiles, cum minutis foliis forma cordis, floribus longis & rubicundis; qui producunt fructum ſimilem peponi (ita verto *Pepino*, quod eſt in Hiſpanico, neſcio an rectè) figura & mole, candida cute tectum, plenum ſemine candido minuto & lato, cum certis filamentis inſtar goſſypii, quæ difficulter rumpuntur. Radix eſt calida & ſicca in quarto gradu & ſi ore guſtetur adurens, unde ſi hic aliorum mores imitari vellem, multum reprehenderem illos qui multa imprudenter & ignoranter de illa ſcripſerunt. Purgat omnes humores per inferiora, præcipue pituitoſos; ſumendo dragmam unam cum dimidia, aut ad ſummum duas ex aqua aut vino aut juſculo, vel cum ovo recenti, ſumitur enim hoc modo facile & ſine nauſea. Quidam ſucco illius expreſſo utuntur loco ſcammoneæ, ad cujus ſpecies arbitrantur pertinere, & conficiunt ex illo tabellas cum ſaccharo, quas mirificè ajunt operari: Solent alii radicem quantitate ſex dragmarum in pulverem redactam & in ſex unciis aquæ noctu maceratam mane exprimere & percolare, & aquam illam exhibere; ſoleo iſti aquæ miſcere unciam Syrupi de Matlatztic aut Zarzæparillæ aut foliorum ſenæ, atque ita purgat ſine omni moleſtia. Tertia ſpecies naſcitur potiſſimum in nigro ſolo locis petroſis, hujus radix eſt magis gracilis, è qua quantitate duarum dragmarum componitur electuarium purgans cum xx dragmis Sacchari, Tzautli ſive tragacanthæ, quo leniter evacuantur, cholera, flegmaque, nec puto in India reperiri medicamentum quod hocce ſuperet. Alii ex decocto illius conficiunt ſyrupum, qui quantitate trium unciarum ſumtus egregie prædictos humores purgat. Oportet ſiccari radicem & ſervari toto anno; ſed in colligendo vitanda eſt radix non admodum illi diſſimilis quæ præſentiſſimum eſt venenum. Quum *D. Franciſcus Hernandez* ſcriberet, quem hactenus ſequimur, nondum tam probe cognita erat hæc radix; poſtea enim plures illius ſpecies ſunt repertæ, magis lenes in operando, licet tres illæ ſpecies ab ipſo notatæ celeberrimæ ſint. Prima eſt quam Hiſpani vocant *Mechoacan* à loco ubi primum inventa fuit; cujus in illa provincia & in Guadalayara, duæ reperiuntur ſpecies; una venenoſa quam author noſter vitandam monuit, altera quæ moderatè purgat; utriuſque radix grandis eſt & craſſa; ſed nobilis eſt major. Alia eſt ſpecies eſt quæ *Matlaliztic* vocatur, multo minor præcedenti, quam quidam frigidam faciunt, haud intelligentes purgantium medicamentorum facultates quæ nullam frigiditatem admittunt. hæc remiſſius purgat quam præcedentes, atque omni ætatum & ſexuum generi exhibetur, etiam prægnantibus ſine noxa. Alia ſpecies appellatur *Xalapa*, hæc longe potentior eſt cæteris licet mole ſit minor, evacuat generatim omnes peccantes humores, ſed ſummà vigilantia opus eſt eo die quum ſumitur atque adeo ſequenti. Ex hac Syrupum conficiunt, admodum utilem iis qui variis morbis laborant: ejus compoſitio talis eſt. Recipe Radicum Xalapæ uncias quinque; Polipodii duas; Hermodactylor. unam: Florum cordialium & jujubarum ana pugnum unum; Cinnamomi, nucum muſcat. ana dragmas duas & ſemis, frangantur & macerentur in ſex quartillis aquæ per integram noctem: dein coquantur ſecundum artem donec medietas conſumatur; colaturæ addantur duæ libræ ſacchari & percoquatur donec ſyrupi ſpiſſitudinem acquirat; denique quum pene refriguit, miſceantur octo grana exquiſiti muſci. Monendi ſunt qui ſe purgant iſtis radicibus, ne poſtero die ſumant ſaccharum roſatum, aut aquam; ſed potius pectuſculum avis alicujus, aut carnem ovillam aſſam, nam alias facile recidivam purgandi patiuntur ægri non ſine diſcrimine. Omnes ſpecies copioſe reperiuntur in Nova Hiſpania; maximam radicem habet *Matlalitztic*, huic proximam *Mechoacan*, multo minorem venenoſa ſpecies: omnium minimam *Xalapa*, licet rotundiorem & longiorem. Omnes autem ſunt calidæ & ſiccæ in quarto gradu,

excepta

excepta, ſolum *Matlalitztic* quæ moderatè calet & leniſſime purgat, ideoque ſecurius uſurpatur. Ex quibus apparet quam parum fidei adhibendum ſit Monardæ & Alfonſo Inoioſo in iis quæ de his radicibus ſcripſerunt. Non differunt autem hæ plantæ in foliis, floribus aut fructibus, niſi ratione ſoli, quo fit ut alibi majores, alibi minores naſcantur; tantum flores nonnihil variant colore, qui fere ceruleus eſt, ſed aut obſcurior aut dilutior.

Cæterum vix ulla fructiferarum arborum, quas Europa fert, hic jam deſideratur: etiam uvæ ad maturitatem dicuntur pervenire. Moros præterea complures Hiſpani hic plantarunt, & bombyces nutrire cœperunt, unde præſtantis byſſi hic magnus eſt proventus. Dat præterea provincia non illaudatum glaſtum vulgo *Anil*: & fructum ceratiæ ſiliquæ (vulgo *Caroba*) non abſimilem qui Sumach ſive Rhoes coriariæ vicem implet, frondes autem ad vitra conflanda utiliter adhibentur. Deniq; & Coccinillam ferunt provinciæ quæ *Chichimecas* proxime attingunt ſed illaudatiorē.

Cap. XXIV.

De animantibus hujus provinciæ, & moribus Indigenarum.

ARMENTORUM pecorumque in hiſce provinciis ingens eſt numerus, uti Her. d.3.
& jumentorum, quibus indigenæ jam omnia onera ſubvehunt, humeris ſuis l.3.c.9.
parcentes: præterea caprarum & porcorum Hiſpanienſium tanta copia, ut maximis gregibus per ſylvas ſine certis dominis vagentur: Apri in montanis multi, aliæque feræ, ut lepores, cuniculieæ, quoque in quibus Bezoar invenitur; quæ ſunt certæ rupicapræ, quas hic vocant *Theotlalmazames*, mole mediocrium caprarum, aut paulo majores, villis coloris leonini, qui facile auferuntur, verum ad latera albis, cornua habent juxta originem lata, diviſa in paucos ramos, exiguos & teretes & præacutos. Reperitur & in aliis quas vocant *Mazatl chihiltic* ſive *Themamazame* quibus vaſtiſſima ſunt cornua.

Notandum autem in Nova Hiſpania quoque reperiri (ut ſcribit *Ximenez*) lapides illos foſſiles, (quos Arabes ſimiliter vocant *Bezoares*, quia pollent eadem virtute contra venena,) præſertim in fluvio *Detzhuatlan*, varii generis & formæ, qui ab undis deducuntur è montibus, qui abundant bolo armeniæ.

Non caret quoque Regio ferocibus & noxiis animalibus; nam & leones alit & lupos & *Adibes* pecori imprimis infeſtos: Tigres autem hominibus, de quibus poſtquam ſemel guſtarunt, in tantum efferantur, ut illos è tuguriis abreptos dilanient atque devorent: Verum Hiſpani jam bombardis ſuis quamplurimas necarunt. Sciuri tuguria irreparabili damno ſuffodiunt: Vulpeculæ vero urinæ ſuæ graviſſimo odore, quæcunque contigerint, ita inficiunt, ut vix quadraginta diebus fætor evaneſcat, veſtes vero penitus corrumpantur. Gallinæ, columbæ, palumbes in infinitum auctæ; nec perdices deſunt, phaſianæ atque turtures. Plurimæ hic ſunt *Auræ*, incertæ originis aves, gallinarum magnitudine, nigræ, caput & collum ſetis quibuſdam tectæ, tetro aſpectu, ſublime volant, cadaveribuſque quæ è longinquo odorantur, paſcuntur: (de quibus jam ante plenius) præterea innumeræ aliarum avium ſpecies, quæ ſtatis tempeſtatibus verſus Arctum abſcedunt, redeuntque; multæ denique quæ raptu vivunt: Serpentum & viperarum, venenatorumque inſectorum & reptilium nequaquam hic tanta, quanta in cæteris provinciis, copia.

Indigenæ olim quatuor potiſſimum idiomata uſurpabant, multum inter ſe diverſa, Chichimecarum, Otomitarum (nam hæc natiò hic quoque ſuas ſedes habuit) Mexicanum quod toti Novæ Hiſpaniæ commune fuiſſe jam ſupra monuimus, & denique Taraſcum, quod hujus gentis proprium erat & vulgare, conciſum atque elegans; id nomen huic idiomati inditum fuit ab Hiſpanis à *Taraſcue*, quo nomine barbari generos ſuos deſignabant; indigenæ enim, quum primum Hiſpani haſce provincias intrarent, ipſis gnatas ſuas hac voce *Taraſcue* ultro in conjuges offerebant. De amictu illorum, veteribuſque moribus & inſtitutis nihil attinet dicere; Omnes enim jam veſtiuntur tunicis è panno goſſypino & laneo, Hiſpanico more conſutis, & pileos geſtant: fœminæ quoque juxta ac mares promiſcue callent idioma Hiſpanicum: & ſiquidem induſtrii ſunt, plurimas artes mechanicas exacte didicerunt:

cerunt: nam quum Braſilium lignum, aliæque materies abunde ſuppetant, ciſtas, ſcriniaque atque alia fabrilia opera elegantiſſime abſolvunt; byſſum quoque & alias peregrinas fruges excolunt ſedulo; armenta, jumenta, pecudeſque nutriunt: canibus autem ſupra modum delectantur, quorum multi in montana diffugientes, ibidem ita efferantur ut pecori inſignem vaſtitatem adferant, ipſi vocant *Cimarrones*. Pingunt ſatis eleganter; ſartores & ſutores ſunt gnavi; denique ex ære, quo abundant, lebetes longe optimos, ligones, aliaque inſtrumenta concinnant ruſtica. Dum adhuc paganicis ſuperſtitionibus tenerentur, firmiori longe valetudine fruebantur quam hodie, parciori quippe victu contenti & à Regulis ſuis aſſiduo labore exerciti. Antiquiſſima illis conſuetudo frigidâ ſe abluendi, à qua necdum deterreri poſſunt, nam quoties à febri tentantur, nudi aquæ ſeſe immergunt, itaque & morbum augent, & nõ raro ſibi exitium maturant. Hiſpani Mechoacanam quum ante Regnum eſſet, in Epiſcopatum verterunt, in cujus Diœceſi ſupra centum quinquaginta municipia numerantur, quorum nonaginta ſuas habent ſcholas: parochiæ autem circiter quinquaginta jam dudum ſuos habuerunt ſacerdotes & clericos, qui omnes provincialium linguam callentes, indigenis concionantur, audiunt confitentes & populos ſuo quoque idiomate inſtituunt, præterquam Otomitico, ob inconcinnam illius brevitatem atque aſperitatem; plurima quoque ſunt monaſteria Dominicanorum & ordinis S. Auguſtini: Et vix ullum eſt municipium quod non habeat ſuum Noſocomium in quo ægri magna ſedulitate curantur. Denique plerique Indigenæ jam Chriſtianam religionem profitentur, & maxime Taraſci, qui urbaniores & maxime dociles prædicantur. Corollarii loco hic addam, quod ab *Acoſta* traditur: Elegantiſſimæ (inquit) plumariæ icones conficiuntur in Mechoacanæ provinciæ municipio *Paſcuaro*: ordo operis ejuſmodi eſt: exiguis admodum forcillis plumulas ſubtiliores ex avium exuviis detrahunt, & delicatiſſimo glutino, ad hunc uſum induſtrie præparato, apte conjungunt atque concinnant, mirabili juxta dexteritate & celeritate; utuntur autem potiſſimum plumis minutiſſimarum avicularum, quas in Peruvia *Tomineos* vocant (ſupra deſcripſimus ſub nomine *Huitzitzil*) aliarumque, quæ præter colorum varietatem mirum in modum reſplendent. Atque hæc de hujus Epiſcopatus provinciis in communi dicta ſunto.

Cap. XXV.

Particulares provinciæ quæ ſub hac Diœceſi comprehenduntur, & oppida quæ in ſingulis ab Hiſpanis habitantur.

Diœceſis Mechoacana, præter provinciam quæ proptie & peculiariter id nomen ſibi vendicat, complures alias comprehendit, de quibus paucis agemus.

Provincia quæ proprie jam olim *Mechoacan* appellabatur, principium ſumit à pago *Taximaroa*, triginta leucis ab urbe Mexicana verſus occidentem, ad quem Hiſpani, poſtquam Imperium Mexicanum evertiſſent, primum acceſſerunt; erat autem tum pagus hic palis ligneis undiquaque munitus adverſus Mexicanorum, cum quibus Mechoacani jugiter bellum gerebant, impreſſiones. Imperabat tum iſti Provinciæ Princeps, cujus nomen erat *Tangaivan Bimbicha* qui ultro venit ad Corteſium, eique ſe ſubjecit, anno cIↃ IↃ XXII unde à Mexicanis nomen meruit *Cazonzin*, quod calceum detritum ſonat: ſedes imperii erat *Zinzontza* ubi Hiſpani primam coloniam habuere. Narrat Herrera in hac provincia anno cIↃ IↃ XXV inventam fuiſſe longe opulentiſſimam Argentifodinam, verum quum Miniſtri Regales, qui tum Corteſio abſente, omnia pro libitu agebant, eam fiſco addicere niterentur, ſubito diſparuiſſe nec unquam poſt illa viſam. Porro Nonius de Guzman Præſes Conventus juridici Mexicani, miſerum hunc Regem, jam Chriſtianum, perduellionis, falsò, ut ipſi Hiſpani credunt, accuſatum inaudita crudelitate vivum concremavit.

Her. d.3. l.3.c.4.

d.3.l.8. c.ult.

Primaria hujus Diœceſeos civitas, in provincia Mechoacana, Hiſpanis dicitur *Vallodolid*, barbaris *Guayangareo*, ad quam demum, ſedes cathedralis fuit tranſlata: omnium

omnium enim primo fuerat in *Zintzontza*, primus autem Epiſcopus *Vaſcus de Quiroga* eandem deduxerat *Paſcuarum* aut *Fatztzam* diſtantem quidem à Mexico leucas ſeptem ſupra quadraginta, itinere plano & expedito ab æquatore (ut Herrera prodit) gradus novemdecim verſus Arctum, niſi forte in numero error eſt, nam ipſe alibi & fere omnes Tabulæ geographicæ hanc urbem ſubmovent ad gradum vigeſimum & aliquot ſcrupula: Denique cathedralis ſedes fuit tranſlata Valliſoletum anno cIↃ IↃ XLIV, quod oppidum diſtat à Paſcuaro leucas ſeptem verſus orientem: haud procul ab hoc oppido lacus viſitur, Mexicano ut ferunt longe major, & qui vel minima tempeſtate ingentes fluctus tollit; plurimis lintribus & ſcaphis navigatur, quia varii generis piſces hic capiuntur, præſertim minuti quidam, quos ad ſolem indurant, & magno emolumento in varias provincias venales tranſportant.

Secundum locum meretur oppidum *S. Michaëlis*, in eadem provincia ſitum, triginta & quinque leucis à *Paſcuaro* verſus aquilonem; quadraginta autem à civitate Mexicana verſus Favonium; in ſolo quidem plano, ſed nonnihil aſpero, ſecus viam quæ ducit ad Zacatecenſes argentifodinas: atque hæc via initio ſui quidem ſatis tuta eſt, verum ubi paulum progreſſus fueris, ob varios flexus atque reflexus, admodum periculoſa judicatur, ob feroces barbaros, qui montana incolunt, quæ Hiſpani appellant *del Vizocho*, hi enim ex improviſo, è latebris atque ſylvarum abditis, montibuſque erumpentes, adoriuntur itinerantes, eoſque ſpoliant & non raro occidunt. Cæterum oppidum incolis frequens eſt, & in illius agro plurima ſunt prædia ruſtica & paſcua imprimis læta.

Tertium poſcit urbs *S. Philippi*, diſtans ab oppido Vallodolid Mechoacanæ, quinquaginta leucis verſus Arctum, & à Metropoli Mexicana duabus & ſexaginta verſus Corum, in ſolo frigido atque effœto. Monaſterium habet ordinis S. Auguſtini. Utrumque hoc oppidum *S. Philippi* & *Michaëlis* conditum fuit à ViceRege Ludovico Velaſquio, ad ſecuritatem Taraſcorum & Otomitarum qui in illis regionibus degunt, & præſidium provinciæ *Xilotepeque*, adverſus barbarorum Chichimecarum latrocinia & rapinas, à quibus antea mirum in modum infeſtabantur. Licet autem vicinus ager cujuſvis animalium generi conveniat, tamen maxime idoneus judicatur armentis, quia hæc animalia, jam pene in infinitum aucta, ſiccis atque ſudis anni menſibus ſe in Tunarum ſilvulas recipere didicerunt, & pluviis rurſus in patentes campos pabuli gratia progredi.

Præterea urbs *Concepcion de Salaya*, à Vicerege Martino Enriquez demum anno cIↃ IↃ LXX condita fuit, itidem ad itinera magis tuta præſtanda adverſus barbarorum latrocinia diſtat ab oppido *S. Michaëlis* leucas tantum octo, à Mexico triginta & quinque, à Vallodolid denique ſeptemdecim.

Urbs *Leon* diſtat ab oppido Vallodolid leucas quatuor & viginti, à Metropoli Mexicana ſexaginta, in agro illius varia argenti metalla celebrantur.

Zamora denique diſtat à *Paſcuaro* tredecim leucas: *Villa de Lagos* triginta à Vallodolid.

Argentifodinæ *Guanaxuati* viginti & octo leucis à Vallodolid verſus Arctum, & provinciam Zacatecarum; juxta utraſque ut plurimum ſexcenti Hiſpani cum ſuis ſervitiis ſua habent ſtativa. *Talpuiagua* autem fodina abeſt viginti quatuor leuc. à Metropoli Mexicana. Atque hæc quidem oppida ad Mechoacanam proprie dictam pertinent.

Porro hujus limites contingunt ad Arctum, vaſtæ ſolitudines Chichimecarum, *Queritaro*, *Acanoaro*, *Yurirapandaro*, & *Sichu*, confines, circiter triginta leuc. ab urbe Mexico verſus occidentem, quæ ſe inter Auſtrum & Arctum longiſſime exporrigunt in immenſum terrarum ſpatium. Chichimecarum autem nomine deſignantur plurimæ nationes, linguis, ingenio atque inſtitutis plurimum diverſæ, *Panues*, *Capuzes*, *Samues*, *Zancæ*, *Maioliæ*, *Guamares*, *Guachichiles* alii, diviſi quidem inter ſe, ſed immanitate morum ſimillimi: Qui quantum terrarum ab Hiſpanis inde ab oppidis *S. Michaëlis* atque *Philippi* tam ad occidentem quam ſeptentriones hactenus exploratum, occupare dicuntur, quod non minus quam ducentas, ut volunt, leucas extenditur; inſigni ſoli ubertate & aëris temperie, magis calida quam frigida, ſicca quam

Chichimecæ.

 humida

humida, ideoque & ſalubri. In hiſce autem regionibus paſſim magnorum oppidorum & municipiorum veſtigia & rudera ab Hiſpanis obſervata produnt, indicio minime vano, & agros hic olim laborioſe cultos fuiſſe, & ædificia illa quondam à gentibus magis induſtriis & cultioribus fuiſſe ſtructa, quam ſint Chichimecæ qui hodie hic agunt: Nam Chichimecis hiſce ſub tectis degere aut ſementem facere inſolens, paucis illorum exceptis; Etenim ut breviter abſolvam; Hi barbari neque ullam religionem colunt, aut ullam reipublicæ formam norunt, ſed paſſim vagantur in ſylvis & ſolitudine in modum ferarum, omnibus limitaneis Novæ Hiſpaniæ provinciis adeo infeſti, & pecora abigere, ſata corrumpere, agris vaſtitatem, agricolis exitium adferre ſueti; ut ne nunc quidem Hiſpani ab illorum injuriis ſe ſuoſque vectigales commode queant tutari.

Ad auſtrum & quidem ipſum Oceanum Auſtralem (nam mare ſeptentrionale nuſquam hæc provincia attingit) habet hæc Diœceſis duas alias provincias *Zacatulam* atque *Colymam*.

Zacatulæ oppidum vulgo appellatur *Concepcion* atque etiam provinciæ nomine *Zacatula*, diſtans ab Æquatore gradus octodecim & aliquot ſcrupula; quadraginta leucas ab oppido *Vallodolid* verſus Africum, à Metropoli Mexicana circiter nonaginta, à mari Pacifico unam & dimidiam: Condiderunt Rodericus de Villa fuerte &
cap.xvi. Simon de Cuenca; ad ripam fluvii ſatis ampli (de cujus origine ſupra diximus,) qui infra oppidum duobus oſtiis in mare exit.

Colyma oppidum ejuſdem cum provincia nominis, jacet ad altitudinem octodecim graduum & aliquot ſcrupulorum (ut quidem *Herrera* tradit, verum ſi orarum ductum ſequamur & Tabulas Hydrographicas, ſuperat nonnihil altitudinem novemdecim graduum) ad confinia Novæ Galæciæ, quinquaginta leucas à Metropoli Mechoacanæ verſus Africum; in regione fœcunda, & Cacao, caſſiæ ſolutivæ, aliorumq; fructuum feraciſſima, & auri venis opulenta. Indigenæ à morum comitate imprimis laudantur ab Hiſpanis, licet olim cum *Ympilzingis* vicinæ provinciæ incolis, acerrime reſtiterint Hiſpanis, & vix tandem ſub jugum miſſi fuerint. Ædificata hæc urbs jam anno CIↃ IↃ XXII à *Gundiſalvo de Sandoval*, decem ab Oceano leucis, ad ortum à flammivomo quodam monte, qui in hiſce finibus viſitur.

Habet eadem provincia *Colyma* duos non ignobiles portus, cum ſuis municipiis haud procul à finibus Novæ Galæciæ, quorum unus ab Hiſpanis *Navidad*, alter *S. Iago de buena Eſperanca* appellatur; quorum ille à navigantibus ad Philippinas Inſulas plerumque aditur. *Thomas Fullerus* (*Thomæ Candishy* navis gubernator) *S. Iacobi* portum obſervavit ad altitudinem octodecim graduum & quinquaginta ſcrupulorum, ſeptem milliar. Anglica à Nativitate: ora ortum atque occaſum inter directè exporrecta: *Candiſhius* hic aliquandiu cum ſuis navibus in anchoris conſtitit, nautæque illius paucas uniones hic piſcando deprehenderunt; nam omnis hæc ora olim margaritifera oſtrea nutriviſſe dicitur, fortaſſis & hodie. Deinde Nativitatis portum adiens, ædificia ibidem omnia diripuit & exuſſit, cum duabus navibus ducentarum tonnarum quæ ibidem ſtruebantur. Atque hinc proceſſit ad tutiſſimam navium ſtationem milliari uno à Nativitate, (*Malaccam* videntur vocare Hiſpani;) à qua duorum milliarium itinere intra continentem diſtat *Acatlan* pagus triginta circiter domorum cum modico templo.

Tota autem adjacens Regio abundat æris metallis, partim ita mollis & ductilis ut indigenæ elegantiſſima vaſa ex illo conficiant, partim ita duri, ut inſtrumentis ruſticis ex eodem fabricatis tellurem haud ſecus proſcindant quam ferreis: ejus tamen uſum indigenæ ante Hiſpanorum adventum dicuntur ignoraſſe. In eadem & præſertim in finibus *Acatlan* naſcitur ſpecies quædam Chinæ, uti videtur; quam barbari vocant *Cozolmecatl* ſive *Olcacazan*; quæ planta radicem fert groſſam, quaſi rotundam, rubram, gravem & fibroſam; è qua prodeunt caules juxta radicem rubri, volubiles, tenues, nodoſi, pleni capreolis, quibus ad faſtigia arborum enititur; folia habet pene orbicularia, mediocria, tribus venis ſecundum longitudinem diſtincta; fructum qualem myrtus, plenum ſemine. Pollet pluribus virtutibus; nam folium impoſitum oculis ſanguine ſuffuſis, breviſſimo tempore illis medetur. Licet planta ſit modice temperata, tamen occulta quadam qualitate contraria eſt morbis calidis

juxta

juxta atque frigidis; ſumique poteſt quavis quantitate ſine noxa: auget vires corporis & reſtituit collapſas, vel contacta & manibus trita; excitat calorem nativum. Folia illius emplaſtri forma applicata ſanant mirifice dolores dentium, capitis & juncturarum: Notant barbari, folia parti affectæ aut dolenti applicata, de eventu morbi præjudicare: nam ſi firmiter ad hæreant, certum ſignum eſſe ægrum convaliturum; ſin decidant, contra. Sunt & inimiciſſima venenis; Denique nullum morbum eſſe ferunt cui hæc planta mederi non poſſit. *Fr. Ximenez.*

A portu *Zacatulæ* verſus ortum & nobilem *Acapulco* portum, littora primum jacent inter Corum atque Eurum, triginta leucarum ſpatio; deinde recta tendunt ad Orientem altiſſimis ripis, (interiora aſſurgunt nemoroſis montibus, ora autem lancinatur à variis ſinubus atque receſſibus) triginta leucas, ubi ingens Promontorium ſe in altum projicit, peninſulæ fere in modum, & valide à marinis fluctibus tunditur; ab hoc ad Acapulco portum numerantur octodecim leucæ. Ab eodem *Zacatulæ* portu verſus Occidentem, primo occurrit littus modicè elatum, quod nautici homines vocant *los Motines*; id terminatur terræ angulo, vulgo *Punta de Marvata:* excipit dein humilis & planior ora, quæ multis prædiis ruſticis obſidetur, vallem *de Maquile* vocant: Sequitur deinceps *Suchiſſi* cornu & duarum leucarum intervallo *Alimæ* fluvii oſtium, & ingens intra continentem Sinus, quem *las Peſcerias de Colyma* appellant; & ita porro *S. Iago*, *Salagua* & quatuor ab ea leucis *Navidad*, ſecundum nautica Hiſpanorum Itineraria.

Ad hanc Diœceſin pertinet & provincia *Tharimbaro*, quæ producit herbam purgatricem quam vocant *Montinente*, foliis exiguis, figura cordis, caulibus volubilibus & rubicundis, floribus itidem rubris, inſtar vaſculorum orbicularium, quibus ſemen continetur, radice fibroſa. Semen contuſum & quantitate unius dragmæ cum aqua hauſtum evacuat omnes noxios humores ſine noxa, aut angore.

Itemque *Xicalan* ſive *Xicayan*; & *Vruvapa* provinciæ, in quibus maxima copia naſcuntur arbores illæ quæ exſudant reſinam quandam auream, ſpeciem *Copal*, de qua jam ante diximus. Ad oram Maris Pacifici, quam longe Colyma & Zacatula provinciæ patent, paſſim naſcuntur arbores quæ ferunt Cocos nuces, quas Mexicani vocant *Coyolli*. Porro in Provincia *Vruvapa* ſive *Hurubapa* naſcitur *Enguamba*, **Enguamba.** arbor mediocris, foliis latis & concavis, quæ diſtinguuntur nervulis partim flavis partim rubris; floribus racematim pendulis & herbaceis, fructu nigro, pleno granis, è quo exprimitur oleum flavum, ſupra modum utile ad humores reſolvendos, & adverſus plagas.

Ad eandem pertinet & *Tanſitaro* provincia, quæ cœlo fruitur algentiori: uti & *Tacambaro* montuoſa & aſpera.

YUCATANA.

CAP. XXVI.

Yucatanæ *provinciæ limites, cœli ſolique qualitates.*

PROVINCIAM & Præfecturam *Yucatan* (id enim nomen anno cIↃ IↃ XVII ab *Hernando Corteſio* in prima illius expeditione accepit) primis illis temporibus inſulam eſſe credebant, quemadmodum & ipſi indigenæ qui illam idcirco appellabant *Peten*, id eſt, inſulam; ſed poſtea patuit Peninſulam eſſe, quæ pene tota mari incingitur: Complectitur ambitu ſuo ſupra ducentas quinquaginta leucas, forma pene triangulari, aut ficus viridis: patet quidem ad baſim, ubi latiſſima eſt, inter ortum & occaſum, pene centum, ut volunt, leucas, totidemque inter arctum atque Auſtrum, ab ora maritima quæ ſeptentriones adſpicit ad fines præfecturæ Guatemalenſis; ubi vix viginti quinque leucas patet inter ortum & occaſum. Claudunt illius limites, ad Auſtrum quidem fluvius *Taiza* atque *Lecandonum* montium juga; ad Africum vero provinciæ Chiapenſes; ad occidentem denique, provinciæ *Xicalango* atque *Tabaſco*; ubi oceanus duobus ſinubus in continentem irrumpit; quorum maximus, ore leucam & amplius lato, marinos fluctus tanta

copia admittit, ut interius ingentem lacum impleant, in quo quamplurimæ inſulæ ſparguntur, magno navigantium diſcrimine, qui arbores ſignare coguntur, ut ſe ex illo veluti labyrintho explicent. Inſulæ autem hæ uti & vicina continentis littora, infinitis variorum generum avibus, maxime littoralibus & lacuſtribus ad miraculum replentur, ita ut è vicinis atque adeo longinquioribus provinciis barbari huc aucupii cauſa advolare conſueverint. Nec minor hic ferarum, cuniculorum, aprorum & ſimiorum abundantia; longe autem maxima Yguanarum.

Aëris temperies hic præferuida eſt, præſertim in illa parte quæ pertinet ad Arctum, quæ longe maxima eſt, & licet in tota illa Peninſulæ parte nulli amnes aut torrentes conſpiciantur, nuſquam tamen aquarum penuria laboratur ob puteorum opportunitatem & multitudinem: infinitæ autem conchæ, teſtæque paſſim in mediterraneis ſub ſaxis petriſque effodiuntur, quæ res uti & littorum humilitas, & maris in toto ambitu vadoſitas, haud vanam ſuſpicionem præbet, olim magna ex parte ab oceano fuiſſe ſuperfuſam. Hyems hic initium ſumit ab Octobri, ſeu feſto S. Franciſci, quum venti à ſeptentrionibus flare incipiunt, frigidiuſculi ſua natura & valetudini indigenarum infeſti; nam quum caloribus aſſueti ſint & tantum tenuiter veſtiti, plerique tum catharris & febribus tentantur: durat hæc tempeſtas ad menſem Martium, niſi quod Januario & Februario nonnullum æſtum ſentiunt; & hiſce menſibus non pluit niſi ſub Novilunia.

Æſtate autem quæ à Calendis Aprilibus ad exitum Septembris durat, pene continuo pluit; tamen hoc tempore & ſerunt & metunt, magna ut plurimum abundantia, ob egregiam ſoli ubertatem. Frigus hyberno tempore vix ſentitur, niſi quum aquilonares venti valide perflant, idque præſertim ab indigenis ob cauſas jam memoratas. Abundat regio feris, uti cervis & apris & ſimilibus, unde & à barbaris olim *Vlunuluez Yetelzeh* appellata fuit, id eſt, Terra Pavonum & Cervorum ut interpretatur *Herrera*. Tellus neque triticum fert neque ullas Europæas fru-
d.3.l.3. c.4. ges: nullæ hic auri aut alterius metalli venæ hactenus repertæ fuerunt; unde liquido patet, inſigni errore à quibuſdam ſcriptoribus proditum fuiſſe, ab Hiſpanis quum primum hic appellerent, hic cruces fuiſſe repertas, factas ex aurichalco (quod latonum vulgo vocant) quum ejuſmodi metalli veſtigia neque in hac peninſula, neque in ullis Americæ regionibus umquam viſa fuerint.

Plurimi barbarorum narrant ſe à majoribus ſuis accepiſſe, Provinciam hanc primum cultam fuiſſe à gentibus quæ ab oriente poſt varios errores huc venerant, quæ numinis quod colebant auxilio aliarum gentium injurias evaſerant, & per mare apertis utrimque fluctibus tranſierant. Notandum ab Hiſpanis narrari, quod in hac ſolum provinciâ Baptiſmi quandam umbram invenerint, quam indigenæ ſuo idiomate ſecundam nativitatem appellarent: quem vix quiſquam illorum fruſtra negligeret, quum ſe ablutione illa, omnium virtutum ſeminio imbui & adverſus noxiorum Dæmonum dolos atque injurias præmuniri opinarentur. A tertio autem ætatis anno uſque ad duodecimum utplurimum abluebantur, nec matrimonia contrahebant niſi ante initiati. Diem ad id operiebantur auſpicatum, minimeque nefaſtum, parenteſque & triduo ante jejunabant & à fœminarum conſortio abſtinebant. Multa præterea de paganicis gentium harum ritibus, & inſtitutis ab Hiſpanis narrantur, quæ quia jam mutata ſunt omnia, referre ſuperſedeo. Idioma horum populorum unum erat, niſi quod limitanei & qui ad oram maris agebant, paulo cultius & expeditius loquerentur.

Tota autem Peninſula, videre eſt ædificia ingentia è ſaxis ſubſtructa, quod mirum, quum ferramentis atque adeo omni metallorum genere caruerint; quæ haud dubio templa & adoratoria fuerunt; nam privatorum ædes fere ligneæ erant & ſtramine tectæ. Hodie hic ingens reperitur armentorum juxta atque jumentorum Europæorum numerus; magna gallinarum copia: goſſypium quoque & herba è qua fit *Anil* paſſim hic colitur.

CAP.

Cap. XXVII.

Particulares aliquot hujus Peninſulæ provinciæ, & quomodo primum inventa fuerit.

Dividunt Peninſulam hanc per tranſverſum modici montes, qui à *Champoton* ad occidentalem illius oram, excurrunt ad oppidum *Salamancam* uſque, ad orientalem oram ſitum; partiunturque illam in duas partes, quarum illa quæ ab hiſce montibus ad Auſtrum vergit & *Lecandones* atque *Tayſam* attingit, ob aquarum penuriam deſerta & inculta permanſit; quæ vero ab iiſdem ad Arctum deſcendit, incolis eſt frequentiſſima, nam licet Sol inde ab ortu ſuo ad veſperam uſque admodum ferveat, non tamen deſunt auræ frigidiuſculæ quæ æſtum temperent, quas vocant *Briſas*, ab oriente potiſſimum perflantes, uti nec *Virazones* (ut vocant Hiſpani) auræ quæ ſub veſperam è mari ſeſe attollunt. Montana autem regio ſaluberrima eſt, ita ut incolæ maxime ſint longævi, adeo ut Franciſcanus quidam teſtatus fuerit, ſe quum montana illa peragraret ut barbaros principia religionis Chriſtianæ doceret, vidiſſe virum, quem, ſi rationes vicinorum atque ipſiuſmet non fallerent, ad minimum trecentos annos natum fuiſſe oportuerit; erat autem ita incurvus ut genua ore contingeret, & cute adeo dura, quum ſemper nudus egiſſet, adeoque ſcabra, ut ſquamis tectus videretur. Narrat *Herrera* & alterum à pluribus viſum, qui centeſimum & quadrageſimum ætatis annum attigerat, prout ex iis quæ accurate meminerat, erat colligere.

Adiit hanc inſulam inter primos *Franciſcus Hernandes de Corduba*; appulitque ad illud terræ cornu quod hodie vulgo *Cotoche* appellatur: cujus nominis ratio hæc traditur: Regulus illius tractus Hiſpanos alliciens ut in terram exſcenderent ſæpius uſurpabat *Conez Cotoché*, quod ipſius idiomate ſonabat, intrate ſub tectum meum; quare Hiſpani promontorio nomen *Cotoche* indiderunt. Verum quum Hiſpani in terram deſcendiſſent, non tantum hic, ſed & in altera parte, quam Indigenæ quidem *Quimpech* appellabant, Hiſpani hodie *Campeche*, à barbaris pene oppreſſi fuerunt, & ad Cubam Inſulam reverti coacti.

Poſt hunc attigit eandem regionem *Ioannes de Gryalva*, ea parte, qua *Cozumel* inſula (de qua mox) ipſi prætenditur; atque ibidem (ut narrant) templa aliquot ſive oratoria & cruces lapideas, ligneaſque invenit, nuſquam antea in America viſas. Narrant Hiſpani ab Indigenis acceptum, Vatem quendam inter ipſos vixiſſe *Chilam Cambel*, qui longe ante prædixerit, peregrinam gentem adventuram ab ortu ſolis, quæ Crucem eſſet erectura, qualem ipſis depingebat, quam numina ipſorum ſuperare nequirent; gentemque illam omnes has terras ſubjugaturam, idolorum cultum penitus exſtirpaturam, barbaroſque ad veri Dei cultum traducturam; atque alia ejuſdem generis: atque hinc factum ut tot cruces hic invenirentur, & populus indeſinenter Hiſpanos interrogaret num ab ortu ſolis advenirent. *Gryalva* deinde *Potonchan* acceſſit & ab indigenis hoſtilia multa paſſus, curſum flexit ad Tabaſcenſem provinciam, neque Peninſulam penitius luſtravit.

Illum ſecutus *Hernandus Corteſius*, inſulam quidem *Cozumel* adnavigavit, atque ibidem nactus eſt Hieronymum de Aquilar, qui barbarorum linguam didicerat & tantopere ipſi profuit in Nova Hiſpania ſubjuganda: verum aliò tendens peninſulam tum luſtrare nequaquam eſt aggreſſus.

Itaque non ante annum cIↄ Iↄ XXVII penitus & ex inſtituto luſtrari cœpit; quo *Franciſcus de Monteyo*, ampliſſimo diplomate ab Hiſpaniarum Rege impetrato, ad inſulam Cozumel & Yucatanam peninſulam ſubjugandam ſe accinxit: & primo quidem inſulam aggreſſus, mox ad continentem tranſiit; applicanti ad pagum *Xamanzal*, acre cum bellicoſiſſimis indigenis fuit certamen, nihilo tamen ſecius, ſecundum oram proceſſit ad *Conilem*: ubi *Chacuæ* provinciæ rectores ultro ad eum venerunt, è quibus didicit, principalem hujus tractus pagum appellari *Turoh*, & illius principes *Cheles*. Dein & provinciam *Aarrinchelen* quæ & *Yzamal* dicitur, eſt ingreſſus, incolis nequaquam reluctantibus: atque inde provinciam *Tutulxin* cujus caput

erat *Mini* (quatuordecim leuc. ab eo loco, quo nunc *Merida* jacet) cujus habitatores ipſum auxilium poſcebant adverſus *Cocomes*.

In eadem provincia & *Chetemal* provincia celebratur, in qua olim Villareal condita fuit, nunc autem Salamanca jacet. *Campeche* atque *Champoton* ubi hodieque urbs ab Hiſpanis incolitur. His accedit *Cochuaque* aſpera & montoſa provincia, cum municipio *Tulma*; & pago *Chable*, ubi Hiſpani ſe auri venas reperturos aliquandiu fruſtra ſperaverunt. Huic proxima eſt provincia *Guayamil*.

Denique *Chechinizam* provinciam incolebant *Yzaes*, quorum primarius pagus dicebatur *Mayapan*, ubi nunc Merida ſita eſt: *Zututam* tenebant *Cocomes*: *Canulem* advenæ quidem è Tabaſco, origine autem Mexicani.

Cap. XXVIII.

Oppida Hiſpanorum in Yucatana, Merida, Vallodolid, Campeche.

PRIMARIA hujus Provinciæ civitas eſt *Merida*, diſtans ab æquatore verſus Arctum viginti gradus ut teſtatur *Herrera*, & pene in meditullio hujus peninſulæ ſita, ſeptentrionali tamen illius littori propior, & haud ſupra duodecim leuc. à Mari: hoc loco quondam magnum barbarorum municipium *Mayapan* fuiſſe dicitur, multis & vaſtis ædificiis lapideis ornatum, quorum parietibus nudi homines erant inſculpti, ita ut non fruſtra ipſorum ſacraria fuiſſe judicaverint Hiſpani: hodie vocatur oppidum *Merida* ob ſimilitudinem cum Hiſpaniæ urbe. Præfectus totius provinciæ una cum reliquis Regiis miniſtris hic ut plurimum degit; ibidem & templum eſt Cathedrale; licet haud ſupra centum familias Hiſpanicas hic habitare, ab illis qui viderunt, proditum reperiam.

Secunda urbs *Vallodolid*, diſtat à Merida unam & triginta leucas verſus Eurum; hic ſumtuoſum admodum monaſterium cernitur Franciſcanorum: inque agro hujus urbis ſupra quinquaginta millia barbarorum numerantur qui Hiſpanis tributum pendunt.

Tertia urbs *Campeche*, S. Franciſci nomini dicata, diſtat ab Æquatore ut à diligentioribus menſoribus fuit obſervatum gradus novemdecim, quinquaginta pene leucas à Merida verſus occidentem aut potius Africum: jacet ad littus quod Novam Hiſpaniam reſpicit; portumque habet modicum ad patentem quidem, ſed vadoſiorem ſinum. Accepit ab hoc oppido nomen ligni quoddam genus, quo tinctores utuntur, quodque magna copia infertur Europæ, eſt autem ſpecies quædam Braſil, & forte *Cuhuraqua* frutex quem ſupra deſcripſimus. Cæterum oppidum hoc anno cIↄ Iↄ XCVI à *Wilhelmo Parkero* Anglo interceptum fuit, in hunc modum. Promontorium Cotoche prætervectus, atque inde littus Yucatanæ ſtringens uſque ad promontorium alterum quod vulgo vocant *Diſconocido*, onerariam quidem ſuam ſex ab oppido leucis in anchoris conſtituit, & quinquaginta ſex ſuorum, majori barbarorum cymbæ, quam *Pyraguam* vocant, impoſitis, recta contendit ad portum; ubi juxta monaſterium S. Franciſci in terram deſcendens hora tertia matutina, tam inopinatus oppidanis ſupervenit, ut præfectum oppidi atque prætorem interciperet & reliquis civibus, qui ſupra quingentos erant, inter tenebras elapſis, nullo negotio oppido potiretur. Verum quum ii qui effugerant, animum à nocturno pavore recollegiſſent, ſub horam decimam magnis copiis affuerunt, & impetu in Anglos ſpoliis legendis occupatos facto, primo congreſſu ſex illorum proſternunt, & ipſum ducem graviſſimo ſclopeti ictu ſub ſiniſtra mamilla vulnerant: Qui tamen in tanto diſcrimine minime ſe deſeruit, ſed ſuos tanto hoſtium numero impares cernens, novo ſtrategemate illorum impetum ſuſtinere & frangere eſt aggreſſus: nam captivos omnes brachiis inter ſe connexis pro vallo ſuis objiciens militari ordine ſe recepit ad portum. Stabat ibidem in anchoris liburnica, regio tributo, auro, argento, aliiſque pretioſis mercibus onuſta, quam in conſpectu hoſtium ceperunt atque una cum Pyragua ad onerariam ſuam deduxerunt. Pagum quoque, *Sebo* vulgo, qui è regione ſtationis ipſorum ſitus, à trecentis quadringentiſve barbaris habitabatur, nullo negotio ceperunt, atque tantum ligni *Campechiani*, mellis, ceræque abduxerunt,

xerunt, quantum navis illorum ferre poterat, & opimis ſpoliis onuſti receſſerunt.

Quarta denique urbs dicitur *Salamanca*, ſita in provincia *Bacalar* ſive *Chetemal* ſeptuaginta leucis ab oppido Merida verſus Auſtrum, totidemque pene à Vallodolid ſecus littus quod à Sinu Hondurenſi alluitur.

Cap. XXIX.

Ora maritima Yucatanæ, portus, inſulæ adjacentes.

MARE in hujus Peninſulæ ambitu admodum eſt vadoſum, ita ut majoribus onerariis haud propius quam quatuor quinqueve leucis tutus pateat acceſſus, neque ullum portum præterquam minoribus navigiis aperiat, longeque vehementius hic fluit atque refluit, quam uſquam in tota Nova Hiſpania: præterea littus omne adeo depreſſum eſt, ita humile, nulliſque collibus aut arenariis tumulis obſitum (præterquam inter *Campechem* & *Champoton* ubi nonnulli colles eminus ſeſe oſtentant, & mons unus ſatis altus quem vulgo vocant *Morro de los Diabolos*;) ut non ante ex alto à navigantibus conſpiciatur, quam ubi jam propius pene acceſſerint, quam tutum ſit. Præter hæc brevia atque vada longius à littore cum majoribus navigiis abſtinere cautio eſt; nec minus propter ſcopulos, qui littus undiquaque obſident, maximo ni prudenter caveas anchorarum & funium diſpendio, nec tamen ſi forte navis vado impingat, præſens exitium incurritur, ob fundi cænoſam mollitiem.

Porro hæc peninſula reſpicit ad Arctum Inſulam Cubam, ſeptuaginta ut obſervant leucarum intervallo, ad ortum autem Honduræ ut vocant provincias; interjacet hic ampliſſimus ſinus (quem *Ioannes Gryalva* quondam *Aſſcenſionis ſinum* appellaverat) qui jam Hondurenſis audit, multis inſulis refertus, (de quibus ſuo loco) & crebris naufragiis, eorum qui commercia inter utraſque provincias exercent infamis. Ad oram autem quæ Tabaſcenſem provinciam contingit, hi numerantur portus; *Cicla* atque *Telichaque*, item *Cical* atque flumen *Cauquil* quod duplici ore in oceanum egreditur: dehinc *Campeche* modicus portus, ea parte qua Novam Hiſpaniam intuetur. Denique promontorium quod vocant *Delgado*, ad ipſum littoris ſeſe verſus orientem reflectentis cubitum; Huic objacet Inſula aliquot leucarum intervallo, quam vulgo *Deſconoſcidam* appellant, tota vadis & ſcopulis in ambitu cincta, unde illi nomen. Et ab hac circiter octodecim leucis verſus occidentem Inſulæ *La Zarza* & *Triangulus*, tres exiguæ inſulæ, alteri paulo majori veluti connexæ, & crebris vadorum brevibus navigantibus inſidioſæ. Præterea ſedecim à dicto Promontorio leucis jacent inſulæ quas vocant *de Arenis*: atque *Vermeia* triginta leuc. verſus ſeptemtriones. A qua *Los Negrillos* tres inſulæ, vadis atque rupibus undiquaque ſeptæ, triginta leuc. verſus ortum diſparantur.

Denique famoſæ inſulæ, quas vocant *Los Alacranes*, abſunt ab ora Yucatanæ viginti leucas verſus Arctum; navigantibus omnino vitandæ, ob brevia & vicinos ſcopulos; quare ab extimo promontorio Inſulæ Cubæ, Novam Hiſpaniam petentes, pro tempeſtatum diverſitate, aut intra aut extra haſce inſulas curſus ſuos ſolent inſtituere: Sunt autem tres inſulæ parvulæ, quæ diſtant ab Æquatore circiter duos & viginti gradus ut *Oviedus* tradit; cæcis rupibus longe lateque in ambitu obſitæ, & multorum naufragiis, præſertim Licentiati *Suaſi*, infames; qui tamen cum ſuis mirabiliter ex illis evaſit, uti ab eodem Oviedo narratur. Nimirum hunc cum navigio quinque & quadraginta doliorum ſoluiſſe è portu Xagua, qui eſt in inſula Cuba, & ſuperato promontorio S. Antonii, quum Novam Hiſpaniam peterent, in Freto Mexicano aliquot diebus horrenda tempeſtate jactatos, demum navem fregiſſe ad ſcopulos & ſeptem aut octo ſupra quadraginta qua viros qua fœminas & pueros enataſſe, & exiguo lintre monoxulo evaſiſſe in inſulam minutam aut potius vadum è mari extans, ubi aliquot diebus vitam miſere traxerint teſtudinibus ibidem inventis; mox in aliam paulo majorem transfretaſſe, ubi avium copiam invenerint; & denique in tertiam itidem exiguam, in qua tandem non ſine miraculo ſcrobem effoderint & aquam potabilem invenerint, plurimis interim ſiti enectis: hic è fractæ navis tabulis

Alacranes.

lib. 20. cap. ult.

cymbam feciſſe, quam in Novam Hiſpaniam miſerint, unde advenit navis quæ cum ſummo diſcrimine Licentiatum hunc cum aliis ſedecim qui ex omni numero ſuperérant, incolumes duxit in Novam Hiſpaniam.

Sed ad oram Continentis jam revertamur. Promontorium *Delgado* verſus orientem prætervectos, excipit *Siſal*, Meridæ oppidi portus, cui ad arctum brevia quædam objacent, *los Baixos de Siſal* vocant nautæ, quæ diſtant ab Æquatore gradus unum & viginti & quadraginta ſcrupula, & ad tres leucas inter Eurum & Corum deſcendunt in altum. Orientalis autem hujus Peninſulæ angulus appellatur *Cotoche* ad altitudinem unius & viginti graduum & aliquot ſcrupulorum, ubi Indorum pagus cernitur cum ſuo templo; vocant *Igreia de Icao.*

Ab hoc promontorio ora ſtatim ad Auſtrum atque Africum revertitur, & ad ipſum pene oræ ſeſe reflectentis cubitum, inſulæ aliquot exiguæ, quas vocant *Mulierum* continenti pene cohærent. Haud longo deinde intervallo, inſula occurrit, à famoſo barbarorum Idolo *Cozumel* dicta, quam Indigenæ Yucatanæ quondam ex omnibus vicinis provinciis religionis ergo crebrius adibant: abeſt autem à continenti leucas quatuor; patetque in longitudinem quidem quindecim, in latitudinem vero quinque; deſtatque ab æquatore gradus circiter viginti verſus Septemtriones. Indigenæ eadem lingua, moribus atque inſtitutis utebantur, quibus reliqui Yucatani. Hanc Inſulam primus adiit *Franciſcus Hernandes* & poſt illum *Ioannes de Gryalva* anno cIɔ Iɔ XVIII & nomen *S. Crucis* eidem impoſuit, quod tamen hodie videtur obſoleviſſe. Sequentibus deinde oras quæ dextræ ſunt, in interiori freto *Hondurenſi* (ita enim ſinus ille, de quo ante, hodie appellatur) tres minores inſulæ obviæ fiunt admodum vadoſæ, quas à forma *Triangulum* vocant: è regione Lacus *Bacalal* qui in continenti jacet, triginta leucis ab altero Lacu qui *Chetemal* dicitur. Reliqua ora ad oppidum *Salamancam* uſque, ad eundem modum pluribus inſulis obtegitur; quarum una *Pantoia* dicitur, haud longe à brevibus, quæ naucleri haud vana monentes *Quitaſuenno*, id eſt vigila, nominant; altera *Zaratan:* tertia *Lamanay*; ultima denique *Ylbob* in interiori Sinus hujus gremio; quarum præter nomina vix quicquam innotuit. Atque hactenus ora Yucatanæ ad auſtrum ſive Africum pertinet.

TABASCO.

CAP. XXX.

Tabaſco provinciæ limites, cœli ſolique qualitates, Indigenæ, oppidum, aliaque.

PROVINCIA *Tabaſcenſis*, fines jungit ad ortum cum Yucatana, cujus & præfecturæ annumeratur, ad occidentem cum *Guazacoalco*; ad auſtrum dividitur montibus à *Chiapa* & *Vera pace*; ad arctum habet mare ſeptentrionale ſive Fretum Mexicanum. Patet ſecundum oræ maritimæ ductum in longitudinem circiter leucas quadraginta inter ortum & occaſum; in latitudinem vero totidem pene, ab ora ad montana Chiapenſis provinciæ.

Solum maxima parte planum eſt & uliginoſum, crebris paludibus & ſtagnis ubiq; pervium (in quibus varii piſces, etiam vaſtæ molis nutriuntur, imprimis manati & Teſtudines marinæ) nihilominus plurimis nemoribus & lucis opacum. Cœlo eſt perquam humido, ſiquidem fere novem menſibus continuis hic pluit, præfervidoque, unde quidem hic ingens moleſtiſſimarum culicum copia generatur. Cæterum ſolum hic uberrimum, non modo armentis pabulum abunde ſubminiſtrat, ſed & maizium & cacao (harum regionum divitias) reddit cum maximo fœnore. Indigenæ enim ab Hiſpanis edocti, jam dudum terram colere, ſementem facere, greges armentorum paſcere & peregrinas arbores atque fruges cæperunt colere; unde hic plurimæ hodie vites, ficus, aurantia mala, citreaque & ſimiles fructus reperiuntur: præterquam quod ſylvæ ipſorum ſponte ſua optimos fructus producant: inter quos

l.8.c.10. memorant *Mameyes* quem fructum *Oviedus* deſcribit inter fructus Inſulæ Hiſpaniolæ,

hoc modo, eſt optimus fructus, rotundus ut plurimum, pugni magnitudine, cortice aſpero, coloris leonini, habens oſſicula interdum bina interdum terna; in medio ſui tenui pellicula cooperta, coloris caſtaneæ, ſaporis amari inſtar fellis; ambit hæc oſſa caro colore fulvo, & ſapore mali perſicæ: arbor quæ hos fructus fert procera eſt, pulchra foliis nucis ſed longe majoribus. item *Zapotes*; Arbor quæ hos fructus fert dicitur in Nova Hiſpania *Cochiz Tzapotl*, hanc *Fr. Ximenez* ita deſcribit: eſt arbor grandis deformis, foliis Aurantiæ mali, raris & ternis per intervalla; trunco variegato notis quibuſdam albis; floribus exiguis & flavis; fructus illius refert figura malum cotoneum, & interdum eſt illius molis, Hiſpanis dicitur *Zapote blanco*: eſt edulis, grati ſaporis; verum non admodum ſalubris, oſſiculum illius eſt lethale venenum. Item *Aguacates* & *Guajabos* de quibus jam ante, alioſque & odoris ſuavitate & ſaporis gratia præcellentes. Sed unam imprimis habet arborem domeſticam, quantivis pretii, quam vocant *Xocoxochitl*; quæ eſt arbor grandis, foliis mali aurantiæ, fragrantiſſimis; floribus rubris inſtar granati, odore item aurantiorum, grato juxta ac ſuavi: fructibus rotundis & racematim pendulis, qui initio quidem ſunt virides, ſed poſtea ruffi, & ad extremum nigri; acris ſaporis & mordacis, bonique odoris; calidi & ſicci in tertio gradu, ita ut piperi ſubſtitui & pro carpobalſamo in officinis poſſit obtrudi. Hiſpani vulgo vocant Piper Tabaſcenſe. Corroborat Cor & Ventriculum; amicum eſt utero; diſcutit flatus; aperit obſtructa; movet urinam & menſes; ſuccurrit Cholicis & Nephriticis doloribus: conſumit humores craſſos & viſcoſos & fugat rigores febrium. Maizium hic bis quotannis, interdum & ter colligitur: Oryzam quoque & milium haud maligne fert tellus, uti & omnimoda olera. Abundat hæc provincia tigribus, leonibus, cervis, damis, apris, cuniculis, armadillis & ſimilibus animantibus. Maxima quoque hic avium copia & infinita varietas. Goſſypium licet paſſim hic naſcatur, tamen id minime curant Indigenæ, ſed veſtes & alia neceſſaria petunt ut plurimum è Yucatana; ipſi paſcendis vaccis atque porcis ſe occupant, & imprimis *Cacao* fructibus cuſtodiendis, quos ægerrime, quum matureſcere incipiunt, contra ſimiorum & ſciurorum furta, tueri poſſunt. Moſquiti hic tam frequentes tamque moleſti, ut ſomnum capere niſi ſub reticulatis tectoriis, vix liceat.

Fuit quondam hæc provincia longe frequentiſſima indigenis, qui jam magnam partem peſtilentia atque aliis morbis interierunt, & imprimis peſſima illa conſuetudine frigida ſe abluendi, quocunque tandem morbo tenentur; & quum Chriſtianis legibus plures uxores ducere prohibeantur, tantum hodie quantum olim incrementum ſumere nequeunt. Cibo quidem dum gentiles eſſent parco utebantur, potu vero largo admodum ſe ingurgitabant, præſertim illo quem è *Cacao* conficiebant admiſta pollenta; itemque altero è mayzio cocto, acidiuſculo & in magno æſtu potari pulcherrimo. Poſtquam autem Hiſpanorum moribus imbui cæperunt, & magis conjunctim in pagis degunt, & ſtatis horis cibum capiunt, bovillis & porcillis carnibus victitantes; & potu è maizio cocto & Cacao, variiſque aromatibus condito, quem vocant *Cocolaten*, utentes.

Denique tribus linguis vulgo utuntur; quarum prima appellatur *Chontal*, verborum copia inſignis, expedita & maxime communis: altera eſt quam *Zoques* uſurpant, qui montes incolunt, qui provinciam hanc dividunt à *Chiapa*; Tertia denique *Mexicana*, quam primum à præſidiariis *Mexicanis* acceperunt, quum duo munimenta *Zimatlan* & *Xicalango* in ipſorum finibus tenerent; quam hodie lubentiſſime uſurpant, partim quia cultior eſt & toti Novæ Hiſpaniæ communis, maxime autem, quia religioſi varias cantilenas hac lingua populo tradiderunt, quibus ſummopere delectantur.

Unicum in hac provincia oppidum incolitur ab Hiſpanis, quod gentili nomine quidem *Tabaſco*, ſæpius tamen *la Villa de nueſtra Sennora de la Vittoria* nominant, in memoriam prælii proſpere juxta hunc locum à Corteſio contra Indigenas pugnati, quum primam in Novam Hiſpaniam expeditionem ſuſciperet; & non raro ſimpliciter *Vittoriam*. Diſtat à *Cuidad Real* oppido provinciæ Chiapenſis ſeptuaginta leucas, ad quam provinciam primum adverſo flumine Gryalva ſubeunt leucas quadraginta, dein terreſtri itinere per aſperos & frigidiſſimos montes, triginta: ex hiſce montibus

multi

multi amnes deſcendunt in provinciam Tabaſcenſem. Idem diſtat à Metropoli Mexicana terreſtri itinere leucas centum & ſexaginta, maritima ad Veram Crucem & inde porro terreſtri centum & quadraginta: à Campeche mari quinquaginta.

Flumen *Gryalvæ* ampliſſimum eſt & intra fauces ſupra octo orgyas altum, in ipſo ore vadoſius & maris acceſſu cum pernici amnis decurſu colluctante, vorticoſum & aditu perdifficile. Deſcendunt in hoc quinque alii amnes, præter innumeros torrentes & lacuum emiſſaria. Exonerat autem ſe in altum duplici oſtio, quorum unum quartam milliaris partem latum, oram quæ hic inter ortum & occaſum jacet, dividit per tranſverſum, & devolvitur recta ab Auſtro in Arctum: alterum properat ab Africo ad Aquilonem.

Tribus autem à jam dicto oppido leucis, aliud flumen per duo æſtuaria oceano miſcetur; quorum unum *Gryalva* veluti è propinquo ſalutato, cubito ſe flectit, raditque pagum *Tabaſcillo* veteris municipii *Pontonchan*, quod Corteſio famoſam interpretem Marinam dedit, reliquias. E regione porro hujus pagi, torrens *Tacanis*, per Lacum quendam, pergit ad flumen *S. Petri* & *Pauli*, quod eſt alterum hujus provinciæ flumen ſatis validum; ſed anguſto oſtio, quod ad arctum patet, profundum & limpidiſſimum, optimoſque piſces magna copia nutriens: ripas illius tegunt vernantes ſylvæ, in quibus plurimæ feræ capiuntur. Per torrentem vero illum, Mexicani, olim quum provinciam hanc ſuis præſidiis tenerent, navigabant lintribus monoxulis ad arcem *Xicalango*; unde & lacui nomen ab Hiſpanis datum *El lago de Xicalango*. Ex hoc lacu fluvius *Yſtapa* egreditur verſus eurum, navigabili alveo, quem lintribus deſcendunt ad *Xonutlam* ii qui Yucatanam petunt.

Denique à menſe Septembri ad exitum Martii ora maritima hujus provinciæ valde infeſtatur à ventis qui ab Arcto, Coro atque Aquilone perflant; ita ut illis menſibus cum ſummo diſcrimine hic navigetur; reliquis autem menſibus hic regnant Subſolanus atque Vulturnus; raro Auſter, qui hic ſupra modum inſalubris & cerebro gravis.

DESCRIPTIO

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER SEXTUS.

NOVA GALÆCIA.

Cap. I.

Novæ Galæciæ *limites, provinciæ, Cœli ſolique qualitates, fructus.*

NOVA GALÆCIA, quæ & *Guadalaiara* à primaria urbe, & nonnumquam *Xaliſco* à principali provincia ab Hiſpanis appellatur, conventum juridicum per ſe hodie conſtituit ſecundum hodiernam Hiſpanorum partitionem: Fineſque habet ad ortum quidem & Aquilonem portum *Navidad* & *Chiapalam* paludem, quæ illam dividit à Nova Hiſpania; ad occaſum fretum *Californiæ*, licet & terras ad Favonium porro ſitas includat, ad Corum vero atque Arctum vaſtas & parum cognitas regiones, in quas indeterminatis limitibus pateſcit; quæque quoquomodo ab Hiſpanis cultæ paulo pluribus quam centum leucis in latitudinem dicuntur patere, & à portu Nativitatis ſecundum oræ maritimæ ductum circiter trecentis.

Hæc præfectura plurimas complectitur provincias particulares, quarum principales ſunt, *Guadalaiara, Xaliſco, los Zacatecas, Chiametla, Culuacan, Cinaloa*, *Nova Biſcaya*: limitaneæ autem *California, Cibola, Quivira, Nova Mexicana*: de quibus ſingulis ſuis locis atque ordine agetur.

In omnibus hiſce regionibus aër magis temperatus eſt quam frigidus: Junio Julio atque Auguſto crebri nimbi atque tonitrua accidunt: non rari quoque terræ motus, majoribus & firmioribus ædificiis potiſſimum metuendi. Cœlo alioquin gaudent ſereno, & rariſſimè, præterquam pluviis menſibus, nubilo; Solum hic ceſſantibus pluviis eſt aridius minimeque uliginoſum: venti hic ut plurimum valide perflant & maxime ab Auſtrali plaga; pluviæ plerumq; denſiores & nimborum in modum concitatæ. Ros matutinus liberalior; circa feſtum Nativitatis nonnumquam pruina & levi gelu tentantur: cæterum omnes hæ provinciæ admodum ſunt ſalubres, & valetudini incolarum ad provectam uſque ætatem amiciſſimæ, & peſtilentiæ quam minimum obnoxiæ. Habent tamen & peſtem ſuam, maximam Moſquitorum colluviem, & Cimicum copiam, tam grandium ut fabas dicantur æquare, & virulentis ſuis morſibus puſtulas excitare juglandum mole: nec à ſcorpionibus immunes ſunt, ſed ictus eorum minime læthales ſunt, ſiquidem exquiſito viginti quatuor horarum dolore expunguntur, aut cidoneorum ſucco curantur.

Her. d. 4. l. 9. c. 12.

Solum magis montoſum eſt quam planum; magna ſui parte arenoſum, nonnuſquam & argilloſum: petræ hic frequentes, nulla tamen marmora, aut lapides alicujus pretii hactenus hic reperta legimus: ædificiorum parietes plerumque luto aut limo concinnantur.

Quatuor ab urbe *Guadalaiara* leucis, ſecus viam quæ ad *Zacatecas* ducit, mons in ſummam aſſurgit altitudinem, ita ut aſcenſum illius atque deſcenſum leucæ ſpacio definiant, equis aut aliis jumentis inacceſſus: reliqui quoque montes in illis partibus admodum aſperi ſunt atque ſilvoſi, ubi ingentes pinus & proceriſſimæ quercus viſuntur, & magna luporum copia alitur.

Metallorum præſertim argenti atque æris magna hic reperitur copia; auri hactenus

ctenus nihil, & ferri aut chalybis perparum. Metallis autem omnibus, utplurimum admixtum reperitur plumbum, crebrique lapides quos vocant *Margaſitas* & *Chalcivitas*; etiam gemmæ quas Nephriticis affectibus mederi volunt.

Solum multis partibus nitroſum deprehenditur, unde hic ſalem è pluviatili aqua coquunt.

Maximus harum regionum fluvius eſt *Barrania*, qui è lacu Mechuacano ſe effundens, citus fertur verſus Corum, & quatuor ab urbe Guadalajara leucis de Cataracte decem orgyas alto ſe præcipitans, evolvitur in mare Auſtrale; nuſquam vado tranſitur, ſed ratibus quæ è cannis atque cucurbitis compinguntur, ut plurimum trajicitur, quibus homines cum impedimentis inſident, & equis juxta fluitantibus à barbaris natantibus ad adverſam ripam non ſine diſcrimine propelluntur.

In provincia *Ycatlan* lacus eſt ingens, viginti; aliuſque in *Zacualco* duodecim leucas ambiens; lætiſſimis paſcuis in ambitu & jumentorum copia uterque celebris.

cap. 3. In omnibus pene convallibus hic abunde creſcit arbor *Miſquitl*, quam ſuperiori libro deſcripſimus, ferens ſiliquas oblongas pendulas, haud diſſimiles carrobis: & ejuſdem generis planta quam vocant *Guamochen*; Vtriuſque fructus vulgo à barbaris in cibis uſurpantur. Inter arbores autem quæ hic frequentiſſimæ, magnitu-
l. 9. c. 11. dine præcellit *Zeybo*, Oviedo *Ceiba*, qui mira narrat de vaſtitate harum arborum; materies tamen illius ſpongioſa fere inutilis eſt, neque ad fabricas adhibetur: fructus fert inſtar ſiliquarum, rotundos, plenos ſubtili quadam lana, quæ ſiliquis præ maturitate dehiſcentibus in auras diſpergitur: Umbram quam facit hæc arbor, hominibus ſalubrem eſſe prædicant. Plurimæ quoque hic reperiuntur *Tunæ* quæ quidem exquiſitos fructus ferunt, ſed Coccinillam minus laudatam.

Porro cidonia mala, pyraque, ficus, perſica præcocia, & quæ Melocotones appellantur, aliique fructus Europæi hic tam ubertim proveniunt atque perfecte maturantur, ut Hiſpanienſes fructus longe præcellant: ceraſi vero ita ramis foliiſque luxuriant, ob terræ fœcunditatem atque humiditatem, ut rariores fructus ferant: nec oleæ hic ſuos ferunt fructus ob formicarum multitudinem, quæ radices illarum ſuffodiunt. Campeſtria loca pabulum omnis generis abunde animantibus ſubminiſtrant: ſponteque producunt tuberis ſubterranei quoddam genus, (quod Hiſpani vocant *Caſtanvelam*,) porcis ſaginandis haud ſecus utile quam glandes aut caſtaneæ. Triticum quoque clementer patitur ſolum & plerumque ſexaginta modios reddit pro uno; Mayzii etiam ducentos & interdum plures: Secale atque hordeum non magni faciunt Indigenæ, neque iis indigent, legumina vero atque olera Europæa & diligenter & cum magno colunt emolumento: Axi de quo alibi diximus, imprimis abundant: Cedavilla denique, qua equorum ſcabiem & ulcera curant.

Satorum in hiſce regionibus peſtis ſunt formicæ; nec non picæ, exiles quidem illæ nec paſſeribus multum majores, ſed tanto numero, ut integram ſegetem, ubi ſemel ariſtis incubuerint, proſternant atque conculcent, neque clamore aut aliis terriculamentis deterreantur.

Fluvii piſcibus abundant & ſylvæ feris, haud ſecus quam in Nova Hiſpania. Apum denique infinita hic copia, quæ aculeis deſtituuntur, & plurimum in concavis arborum truncis mellificant.

Cap. II.

Indigenarum ingenia, mores, inſtituta; Hiſpani incolæ.

INDIGENÆ harum provinciarum ingenio ſunt admodum verſatili, & levi de cauſa mutant domicilia; & non raro libertatis atque immunitatis à tributis cauſa, in ſilvas & ſolitudines ſe ſubducunt, ibidemque ad antiquos mores & immanes conſuetudines relabuntur: Induſtrii quidem ſunt & ſagaces, admodumque dociles etiam eorum quæ religionem ſpectant, verum ſegnes & laborum imprimis impatientes, ad quos vix ægre, & non niſi magna mercede ſe patiuntur traduci. Statura corporis paulo majores ſunt quam Mexicani: amiciunt ſe induſiis goſſypinis, &

palliis

palliis quadratis è *Maguey* gentilitio illorum more contextis, quæ duabus fibulis ſupra humeros connectunt. Storeas junceas uſurpant pro lectis, quas goſſypinis ſtragulis integunt: virides lapillos & conchylia quædam elegantia brachiis, cruribuſque, ornatus cauſa circumligant: Nulla re impenſius utuntur aut magis delectantur quam choreis, quibus totos dies ad inconditum & raucum lignei tympani ſonitum picti corpora & variis plumis ornati, cantillantes indulgent, & compotationibus ad ebrietatem uſque occupantur; nulla ipſis divitiarum cupiditas; perexigua terram colendi cura; Maguey tantum diligentius colunt, idque potus gratia: Fructibus cujuſdam arboris, quos *Tecomates* vocant (arbor eſt grandis & moro frondibus non abſimilis, quæ fructus fert inſtar cucurbitarum, varia forma & mole) pro vaſis utuntur, adeo interdum grandibus ut Azumbrem (menſura eſt Hiſpanica quæ, ut notat *Cluſius*, capit rerum liquidarum libras tres & uncias quatuor; reſpondetque binis ſextariis veterum, quorum ſex congium efficiebant, ſive libras decem) liquoris contineant: victitant ut plurimum carnibus, unde & gallinas alunt magno numero. Mayzio toſto vel etiam piſto, pro pane veſcuntur, Cacao autem tritum admiſta mayzii toſti portione pro obſonio uſurpant; liquorem Maguey aut apozema è Cacao & Mayzio pro vino. Ut plurimum quoque Cacao, Mayzium, Axi aliave aromata in pollinem trita, aqua miſcent, eamque ſorbillant; talemque pollinem, dum iter faciunt, in ſacculis coreaciis ſolent circumgeſtare. Goſſypio quidem abundant, ejuſque texendi haud ignari ſunt, ſed agnata inertia illud colere aut colligere negligunt. Olim quidem ligneis palis terram ſubigebant, nunc ligonibus ad Hiſpaniæ normam fodere didicerunt.

Pagatim quoque jam degunt, habentque, ſuos Regulos, judices, prætores atque apparitores, ſecundum conſuetudines Hiſpaniæ. Et Reguli quidem hæreditario jure ſuccedunt, reliqui miniſtri à Præfectis regiis conſtituuntur. Summa ipſis infamiæ nota, tonderi; nihilque magis ambiunt quam bellicæ fortitudinis gloriam. Ad annum Domini cIↃIↃLXXXII (ut ab idoneis authoribus obſervatum inveni) pauci *Meſtizi*, id eſt, ex Hiſpano & Inda, vel contra geniti, quos hybridas veteres vocabant, in hiſce provinciis reperiebantur: multi autem nigritæ, qui hic nati, induſtria & laborum tolerantia Africanos longe dicuntur ſuperare. Atque hæc quidem de gentibus hiſce in communi dicta ſunto.

Particulatim autem commemorantur *Cazcanes*, qui ad fines *Zacatecarum* degunt, lingua moribuſque à cæteris diverſi: *Guachachiles* itidem idiomate differentes; Denique *Guamaræ*, quorum idioma ſupra modum conciſum, difficillime (uti & cæterorum) addiſcitur; atque hæ quidem nationes, ubi pagatim degere aſſueverint, paulatim cicurantur; verum furtis & latrociniis adeo ſunt dediti, ut vagari malint & à conſortio Chriſtianorum abhorreant.

Hiſpani autem qui in hiſce provinciis degunt, mercaturam ut plurimum exercent & in metallicis occupantur; non pauci & paſcendo pecori & armentis nutriendis aut agris colendis vacant. Licet autem Sacchari cannæ uberrime hic proveniant, non tamen eaſdem excolunt, non magis quam *Tunas* licet hic integræ illarum ſilvæ reperiantur, & quidem una, ut ferunt, tam vaſta ut quinquaginta pene leucas complectatur, è quibus infinita Coccinillæ copia colligi poſſet, ſi cultura adhiberetur. Vehiculis & carris paſſim utuntur, atque junctis bobus, equis, muliſve ducunt. Menſuras atque pondera Hiſpanienſia uſurpant. Pagos adverſus ſilveſtres barbaros, qui ſoli hic metuendi, ligneis palis ſepiunt; corpora autem goſſypinis thoracibus (*Eſcaupiles* ipſi vocant) adverſus ſagittarum ictus muniunt. Nunc ſingulares provincias particulatim luſtremus.

GUADALAJARA.

Cap. III.

Guadalajara *Provincia, & oppida quæ Hiſpani in illa colunt.*

INTER provincias *Novæ Galaciæ* eminet, quam vulgo appellant *Guadalaiaram*, cœli temperie & ſoli ubertate nulli ſecunda; nam & triticum benigne patitur & Mayzium; redditque multas alias Europæas fruges inſigni fœcunditate, argenti denique ſupra modum eſt locuples. Fines habet ad ortum ex parte Mechoacanam, ex parte Mexicanam provincias; ad Occidentem Xaliſco; ad auſtrum provincias Mechoacanæ quæ mari pacifico alluuntur; ad Arctum Zacatecas. Oppida hic ab Hiſpanis incoluntur tria.

Primaria civitas *Guadalaiara*, quæ provinciæ nomen dedit, à *Nonnio Guzmano*, anno cIↃ IↃ XXXI condita, viginti gradibus & totidem ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, (uti ab *Herrera* proditum eſt, quum Tabulæ Geographicæ illam ad vigeſimum primum gradum & ſemiſſem collocent, quod & ſitus differentia ab urbe Mexicana videtur poſtulare) & ſub centeſimo & ſexto gradu cum dimidio longitudinis à Meridiano Toletano ſubductæ; nam à Toleto ſecundum rectam lineam mille ſeptingentis & octuaginta leucis diſtare hanc à curioſis eſt obſervatum. Abeſt autem à Metropoli Mexicana octuaginta & ſeptem leucis inter arctum atque Favonium, & ab extremis Novæ Hiſpaniæ finibus quadraginta: à *Culuacan* ducentas quinquaginta, ſi non fallitur hîc *Herrera:* ab argentifodinis Zacatecenſibus quadraginta, licet *Herrera* ſui immemor alibi longe minorem numerum prodat: à Xaliſco denique tantum duodecim. Pertinet autem hujus urbis diœceſis ad extremos fines provinciæ quam vulgo vocant *Franciſci de Ybarra*. Pomœrium hujus urbis olim à barbaris vocabatur *Molino*; planicies lata, haud longe à flumine, limpidiſſimis fontibus & torrentibus rigua; ideoque & gramine læta, & arvis ſatiſque dives; vicini autem montes materiem ſtruendis ædibus peridoneam abundè ſubminiſtrant. Aëris temperies hîc perjucunda, neque nimio æſtu torretur, neque frigore geluve alget, ſed ſalubris eſt & moleſtorum inſectorum quam minimum fæta. Solum denique Europæum triticum liberaliter cæteroſque fructus abundè producit. Iudices regii hic tribunal ſuum habent, reliquique Regis miniſtri & quæſtores ærarii ibidem habitant; uti & Epiſcopus qui inter Archiepiſcopi Mexicani ſuffraganeos annumeratur; Cathedralis enim Eccleſia quæ antea in urbe *Compoſtella* fuerat, anno Domini cIↃ IↃ LXX huc fuit tranſlata. Sunt præterea hîc Franciſcanorum & Auguſtinianorum cœnobia.

Altera urbs ab Hiſpanis *Villa del Eſpiritu Sancto* appellatur, ab eodem *Nonnio Guzmano* condita, in provincia quæ gentili nomine *Tepique* dicebatur, de qua præterea nihil hactenus obſervavimus.

Tertia deniq; dicitur *Sancta Maria de los Lagos* ab eodem *Guzmano* conſtructa, diſtans à metropoli Guadalajara triginta leucas verſus Eurum; præſidium eſt adverſus barbaros *Chichimecas*, qui inter Ortum atque Arctum paſſim in nemoribus atq; campis ferarum more vagantur, omnis humanitatis vacui; latitantque plerumque in cavernis & abdytis ſilvarum, humi ſub dio cubantes, & ferina atque agreſtibus fructibus miſere vitam tolerantes, partim nudi, partim ferarum exuviis leviter tecti, & arcubus atque ſagittis armati; vaſtis corporibus nec indecoris, cæterum helluones & bibones ſtrenui, potione quadam ex agreſtibus radicibus compoſita ſeſe inebriant: ſed de his alibi jam diximus; nec de hac urbe plura nobis comperta in Hiſpanorum Geographorum aut Hiſtoricorum commentariis.

XALISCO & CHIAMETLA.

CAP. IV.

Xaliſco & Chiametla *Provinciæ, oppidaque in eiſdem ab Hiſpanis habitata.*

SECUNDA hujus Præfecturæ provincia appellatur *Xaliſco*, Mayzii quidem egregie fæcunda, ſed pecorum atque jumentorum pene indiga. Scribit *Nicolaus Monardes* apud *Cluſium* in Exoticis. *Geliſco* Novæ Hiſpaniæ provinciâ (quam hanc eſſe opinor) oleum ſeu liquor quidam adfertur, cui Hiſpani, oleum ficus infernalis, nomen indiderunt, eo quod ex arbore cùm fructu, tum foliis ſimili Ricino (ſed in majorem altitudinem ob ſoli ubertatem excreſcente) elicitur. Eadem vero ratione hoc oleum Indi eliciunt, quam docuit Dioſcorides lib. 1. cap. 30. hoc eſt, contuſo ſemine, deinde in aqua cocto, poſtremum oleo innatante cochlearibus excepto. Hæc eliciendorum oleorum ratio ex ſeminibus & fructibus, Indis admodum familiaris eſt, quippe qui nullam expreſſionem nôrint: ſed etiam hoc oleum iſto modo quam expreſſione facilius elicitur. Magnis viribus pollet illud oleum, veluti experientia & multo ejus uſu comprobatum eſt, cum in India, tum in hiſce regionibus. Omnes morbos ab humoribus frigidis provenientes ſanat, omnes tumores diſſolvit, flatuſque diſcutit, præſertim ventris, eamque ob cauſam non modo in Anaſarca utile, ſed in omnibus Hydropiſis generibus, ſi ventre illo inuncto, aliquot guttæ vino aut alio liquore commodo exceptæ ſorbeantur: Etenim aquas evacuat; quod etiam minore noxa facit, clyſteribus injectum. Ventriculum frigidis humoribus & flatibus liberat: & coli doloribus utile, ſi partes affectæ eo inungantur; & aliquot guttulæ ſumantur. Efficacius ſubvenit Ilii doloribus, ut experientia didicimus. Articulorum morbis, à cauſa non admodum calida natis, auxiliatur, humorem evacuando, ſi aliquot hujus olei guttæ, pingui jure gallinæ diſſolutæ ſumantur. Contractos artus, ſi eo inungantur, curat, nervos molliter diſtendendo. Stomachum, uterum & lienem obſtructionibus liberat inunctione. Alvum puerorum emollit, illito toto ventre: atque ventris animalia pellit, maxime ſi ejus una aut altera gutta è lacte aut jure pingui propinentur. Ad pſoras & ulcera capitis manantia valet: confert aurium doloribus & ſurditati; omnibus præterea cutis vitiis, præſertim faciei; varoſque mulieribus plerumque infeſtos illitu expurgat. Calidum eſt initio tertii gradus, humidum ſecundo. Addit *Cluſius*, qui & iconem fructuum adjicit, fructus ab Indis appellari *curcas*: ſed fructus illi videntur eidem eſſe cum illis quos ſupra deſcripſimus ſub nomine *pinnones de Braſil*, de quo tamen ambigo: Nominis autem *Curcas* nuſquam veſtigium inveni apud diligentiſſimum plantarum Americanarum deſcriptorem *Fr. Ximenem*; qui neque olei ficus infernalis meminit, quod miror, ſcripſit enim diu poſt *Monardem*. Præcipua & forte unica hujus provinciæ urbs dicitur *Compoſtella*, haud longe à littore ſita, ad altitudinem unius & viginti graduum (uti ab Anglis obſervatum inveni) quum pleræque tabulæ Geographicæ hactenus editæ, ad eandem cum *Guadalajara*, quædam etiam pene ad vigeſimum ſecundum gradum ſeptentrionalem collocent: Diſtat autem à *Guadalaiara* tres ſupra triginta leucas verſus occaſum. Condidit illam *Nonnius Guzmanus* anno cIↃ IↃ XXXI in planicie juxta fluminis ripam, ubi nec paſcua pecoribus in ambitu ſuppetunt, nec ſolum ubertate ſatis reſpondet: Equis quoque gramen deficit; Uti & materies ædibus ſtruendis. Denique quia urbs vicina eſt mari, aër hic imprimis fervet, multaque generat inſecta & noxia animalcula; idem & humidiſſimus eſt, crebriſque tempeſtatibus obnoxius; ut non dubium ſit hanc urbem, conditoris imperitia, incommodiſſimo loco collocatam fuiſſe.

cap. IV.

l. v. c.

Ad oram præterea Maris pacifici, exiguo intervallo à portu Nativitatis; pagum habet, quem vocant *La Purificacion*, in ipſis finibus hujus provinciæ, loco calidiſſimo atque valde inſalubri.

Xaliſco confinis eſt *Chiametla* provincia ad oram maris Auſtralis ſita viginti leucas longa totidemque lata, ut ab *Herrera* proditur: Inſignis quidem illa & quondam

incolis frequentiſſima, qui arcubus & ſagittis, parmis atque clavis ſimul armati, prœlia ciebant: Parmæ conſtabant è bacillis, quos funiculis quibuſdam arcte inter ſe contexebant; has ſub axillis fune ligatas geſtabant: atque ubi opus erat, ſolvebant; eiſque corpus pene totum contegebant, humi interdum ſtrati ad equitum ictus eludendos; (nam validam admodum lanceam eſſe oportebat, quæ illas penetraret, ob materiei duritiem.) Fœminæ hujus provinciæ formoſæ erant, totumque corpus veſtimentis tectæ; maribus erant breves tunicæ & calcei è cervicis tergoribus conſuti: Onera omnia baculis ſupra humeros elevabant, ſub axillis geſtare imprimis indecorum opinantes; ubi bellandi occaſio deeſt, venationibus omne tempus terunt. Idola olim venerabantur, nec ab humanis abhorrebant carnibus; plurimiſque vitiis ſe dedebant; nunc poſtquam Evangelii lux affulſit, immanes illos mores cœperunt exuere.

Solum hujus provinciæ fertile;plurimaque hic reperiuntur argenti metalla; ceræ item & mellis non contemnenda copia.

Franciſcus de Ybarra Tribunus militum, primus Coloniam Hiſpanorum deduxit in hanc provinciam anno cIↃ IↃ LIV, *S. Sebaſtiani* nomine impoſito, duobus ſupra viginti gradibus ab Æquatore verſus Arctum. Poſt illa aliquot opulenta argenti metalla in hac provincia reperta fuerunt, & ſtativa aliquot foſſoribus conſtituta cum ſuis machinis & molendinis; ita ut hodie hæc provincia (quæ vulgo *de Ybarra* audit) inter argenti divites meritò numeretur.

CULUACAN.

CAP. V.

Provinciæ Culuacan *deſcriptio & quomodo primùm à* Nonnio Guzmano *fuerit luſtrata.*

CHIAMETLÆ provinciæ ad eundem oræ maritimæ ductum contigua eſt illa quam hodie vocant *Culuacan*, quamque *Nonnius Guzmanus* primus luſtravit atque perdomuit anno cIↃ IↃ XXXI. De cujus itinere atque expeditione

d.4.l.9. c.9.

hæc accepimus ab *Herrera*.

Guzmanus poſtquam oppidum *del Eſpiritu Santo*, quod hodie appellatur *Compoſtella*, condidiſſet, *Chiametla* cum exercitu diſcedens, primo *Piatzalam* provinciam eſt ingreſſus, eamque funditus deſtruxit, pagis omnibus concrematis;indeque tranſiit in provinciam *Zapuatan*, in qua longe plures fœminas offendit quam mares, quæ res fabulæ originem dedit, ab Amazonibus habitatam fuiſſe: E qua copiis in diverſas partes dimiſſis, progreſſus, tandem pervenit ad vaſtum flumen, frequentibuſque ad ripas accolis nobile, cui *Rio de la Sal* nomen indidit. Solum hic planum erat, & in modum convallis à montibus circumquaque ſeptum. Caſtra locata in *Piaſtla* juxta fluvium ejuſdem nominis, unius diei itinere à mari;poſtquam rationibus ſubductis centum & quinquaginta leucarum iter ſecundùm littus maris fuiſſent progreſſi. Domicilia barbarorum qui hanc provinciam incolebant à vicinorum atq; adeo aliorum Americanorum fabrica multum diverſa erant, in quorum angulis atque adytis angues complures reperti, peregrinum in modum conglobati, capitibus ſupra & infra exſertis, terribili rictu, ſi quis propius acceſſiſſet, cæterum innocui; quos barbari vel maxime venerabantur, quod diabolus ipſis hac forma apparere conſueſſet: eoſdem tamen & manibus contrectabant & nonnumquam iis veſcebantur. Fœminæ forma erant eleganti; utrique autem tam mares quam fœminæ ob goſſypii abundantiam, veſtibus ſe amiciebant. Hæc quoque provincia amœna & bene culta miſerum in modum à militibus pervaſtata.

Piatzala. Zapuatā. Piaſtla.

Hinc digreſſi, non ſine crebris certaminibus cum bellicoſis barbaris, pervenerunt ad *Baylam*; & octo dierum iter emenſi per plurimos pagos ab incolis deſertos, offenderunt grande flumen, quod *Rio de los Mugeres* nominarunt, ob magnum numerum fœminarum, quem ibidem viderant. Tota hæc regio qua ripam fluminis contingit, denſiſſimis ſylvis pene invia eſt, ubi aliquoties cum barbaris certatum: populoſa

Bayla.

populoſa enim erat & bene culta. Ad oram maris redire conſilium erat, ſed quum nullum iter commodum reperirent, adverſo flumine *Mulierum* aſcenderunt, & pervenerunt ad montana ibique non ſine certamine ingreſſi ſunt pagum *Quinolam*, (incolis cum ſuppellectile ſua ſe in ſylvarum avia properè ſubducentibus,) eumque funditus concremarunt. Quinola.

Hinc per montium devia ægrè eluctati, ad alium pagum deſcenderunt, (quem amœniſſimus amnis ſecabat) in quatuor regiones diviſum, quem propterea *Quatrobarrios* dixerunt; & mox ad alterum, quem *el Leon* appellarunt à leone ibidem invento. Regio hæc fertiliſſima erat & crebris pagis culta, quibus Hiſpani miſeram vaſtitatem intulerunt, agris depopulatis & indigenis aut cæſis aut fugatis. Ulterius progreſſos opacum nemus excepit, quamplurimis barbarorum pagis interius cultum, quod non ſine ſuorum clade penetrarunt, quumque jam annonæ penuria laborare cæpiſſent, & nullum exitum invenirent, poſt longos errores, ad provinciam *Culvacan* divertere ſunt coacti.

Porro provincia hæc, quæ jam proprium habet Præfectum ſita eſt ad oram Maris Auſtralis, vel potius intra Fretum Californiæ, à Chiametla verſus occidentem; ubertate ſoli, & annonæ abundantia nulli ſecunda, nec argenti metallorum expers. Solum enim omne quod duo flumina Piaſtlan & Culuacan interjacet, frugibus, & diverſis arboribus fructiferis abundat: Caſæ Indigenarum ſtramentis artificioſe tectæ erant & ſuperiora portarum limina variis picturis ornata, in quibus obſcænæ marium cum fœminis conſuetudines viſebantur, nec non (ut produnt Hiſpani) Sodomiticarum abominationum manifeſta veſtigia. Fora publica celebrabant Incolæ; auri nulla ipſis cognitio; pauca argentea monilia turcinis lapillis interſtincta ibidem reperta. Hiſpani ſuperioribus annis hic argentifodinas aperuerunt.

Oppidum unicum in hac provincia, conditum invenio à *Nonnio Guzmanno*, *Sancti Michaëlis* nomine, juxta flumen Mulierum, (cujus ſupra memini) quinque & viginti gradibus ab Æquatore verſus Arctum: verum oppidum illud poſteà fuit deſertum, & incolæ aliquot ab hoc leucis traducti, ad novum ejuſdem nominis oppidum in valle *Horaba* ſtructum, duabus à littore leucis, ob arvorum & paſcuorum opportunitatem & fructuum abundantiam. Abeſt à Compoſtella leucas octuaginta, à *Guadalaiara* tres ſupra centum.

CINALOA.

Cap. VI.

Nonnii Guzmani *expeditio in* Cinaloam, *ejuſque Provinciæ deſcriptio.*

POSTREMA & maxime ad Arctum ſubmota ſecundum littus maris, Novæ Galæciæ provincia, appellatur *Cinaloa*, diſtans à *Culvacan*, quam ſequitur, leucas duas & quadraginta; à *Guadalaiara* centum & quinquaginta verſus ſeptentriones, à *Chiametla* centum, ut *Herrera* prodidit. Operæprecium autem fuerit hic adſcribere, quomodo primum à *Nonnio Guzmano* fuerit inventa, & quatenus iter per illam habuerit.

Guzmanus anno cIↄ Iↄ XXXII è *Culvacan* cum exercitu movens, quinquaginta leucarum itinere pervenit ad fluvium *Petatlan*; id nomen fluvio atque provinciæ impoſitum à *Petat*, quod nomen barbarorum lingua ſtoreas denotat, quibus indigenarum tuguria tecta erant; rari in illa incolæ & pauperrimi mortalium; fœminæ tantum pudenda tectæ, cætera nudæ agebant; mares cervorum tergoribus ſe amiciebant, conſutis & ſub axillas rejectis; Solem venerabantur, nec tamen ullis ſacrificiis colebant; Anthropophagi, ceterum membris bene compoſitis, colore fuſco; præliabantur primum ſagittis, atque iis defuncti clavas expediebant, è duriſſima Guajacan materie, gladiorum in modum. d.5.l.1. cap.7. Petatlan.

Viginti ab hoc leucas progreſſis *Tamochala* fluvius occurrit; interjacet autem denſiſſimum nemus (arborum, quarum materies Braſiliani ligni colorem atque duritiem æmulatur) & mera ſolitudo; pauci indigenarum pagi ad ripam fluminis jacebant Tamochala.

ad

ad Petlatanorum modum. Ab extremis *Tamochalæ* provinciæ finibus ad littus maris ſex leucarum iter eſt, quarum quinque habitantur.

A *Tamochala* triginta leucas profecti, *Cinaloam* intrarunt, in qua ſupra viginti quinque pagos offenderunt, incolis frequentes. hic ob continuas pluvias quadraginta & duos dies ſubſiſtere coacti, pene toto illo tempore copioſa ferina & volatilibus à barbaris ſunt alti, donec tandem barbari advenarum pertæſi in vicinos montes & ſylvas profugerunt. Hiſpani trajecto flumine, triginta leucas procedunt verſus auſtrum, per terras deſertas & ſitientes, in quibus neque fontes neque rivuli reperiuntur, quia planæ ſunt & æſtui expoſitæ, ita ut aqua pluviatili è quibuſdam lacunis ſitim cogerentur reſtinguere; Donec alterum fluvium offenderunt, non tam frequentem accolis, quam *Cinaloa*, qui tamen lingua, moribus atque amictu nihil à *Cinaloenſibus* differebant.

Poſtquam hoc flumen ratibus ſuperaſſent, certiores fiunt octidui ab hoc itinere, multas & bellicoſiſſimas nationes degere, quarum armis minime pares ſint futuri: nihil tamen morati, duces itinerum ſibi aſciſcunt, & ſeptiduum per loca inculta profecti, tandem ad *Yaquimum* flumen pervenerunt; tanta autem aquarum penuria in deſertis illis locis laboratum, ut multi barbarorum mancipiorum deficerent, & haud dubio omnes interiiſſent, niſi carduorum quoddam genus, Tunis haud abſimile repeririſſent, quorum caules gladiis detruncati, liquorem quendam effundebant, inſigni in tam ſiticuloſa regione levamento. Poſtquam flumen nullo prohibente tranſiviſſent, pagum ab incolis deſertum inveniunt, & ſemitam deorſum ducentem; quam ſequentes, quamplurimos barbaros armatos obvios habuerunt, quos poſt breve certamen, (nam planicies favebat Hiſpanorum equitatui,) in fugam conjecerunt. Hujus fluminis ripis adjacent plurimi pagi, quorum incolæ ſunt validi, & eiſdem moribus & lingua cum præcedentibus. Supra ripas ſeriatim diſcurrunt continua montium juga, quæ à principali illo montium tractu, cujus jàm ſæpius meminimus orta, hic aliquot millia paſſuum, promontorii in modum in altum ſe projiciunt; inter hoc autem promontorium & *Xaliſco* provinciæ angulum, littus veluti in cubitum arcuatur, ducentarum leucarum ſpacio. Quum tantam annonæ inopiam ubique offenderent, & hi montes in ulteriora tendere prohiberent, ora denique maritima denſis nemoribus eſſet obſita, conſultius ipſis viſum ad *Culuacan* provinciam remeare.

Porro barbari qui inter *Petatlan* & *Yaquimum* flumina incolunt fere uniuſmodi ſunt; fructus habent perpaucos, nullas batatas ſimileſve radices: tantùm melonum quandam ſpeciem, mayzium, phaſeolos & far quoddam minutum è quo panes ſuos coquunt: non norunt *Maguey*; ſed potum ſuum conficiunt è carrobis quibuſdam parvulis, (quas *Miſquitl* arborem ferre diximus) confuſis & aqua dilutis. Pugnaces ſunt, nec tamen quod cæteris barbaris ſuetum, dum præliantur ululatum edunt; patientiſſimi quoque ſunt laborum atque continuis venationibus exerciti; fœminæ nonnullæ faciem inſtar nigritarum cauteriis inurunt; viri autem notulis quibuſdam incidunt punguntque. Solum ut plurimum planum & aridum; aër ſalubris: montium juga circiter triginta & quatuor leucas diſcedunt à littore maris; amnes admodum ſunt piſcoſi; Denique juxta *Yaquimi* fluminis ripas tauri vaccæque & prægrandes cervi paſcuntur.

Hiſpani jam olim coloniam in hanc provinciam deduxerant, condito oppido
d.8.l.10. *S. Ioannis de Cinaloa*; verum ægre illud tutari potuerunt, licet *Franciſcus de Ybarra*,
c.24. novo Colonorum numero & largo commeatu è provincia *Culvacana* ſubvecto, illud conatus fuerit reſtaurare & ſtabilire, anno cIↃ IↃ LIV.

Non abs re fuerit *Martini Pereſii* è ſocietate Jeſu, judicium de hac provincia uſque ad annum cIↃ IↃ XCI hic adjicere: *Cinaloa* (inquit) provincia divergit trecentas leucas ab urbe Mexicana, verſus Arctum; à dextera præaltis illis atque aſperrimis montibus tegitur, quos *Tepecſuan* vocant; à ſiniſtra alluitur *Californiæ* freto: ad occidentem clauditur *Cibolæ* & *Californiæ* provinciis; ad ſeptentriones Nova Mexicana, à qua extremum hujus provinciæ flumen tantum bidui itinere abeſſe dicitur: fluminibus rigatur atque dividitur, ad quorum ripas indigenæ ob piſcandi opportunitatem vicatim habitant; cælum hic ſudum & ſaluberrimum. Solum pingue & feraciſſimum, atque cujuſvis generis frugum facile patiens; mayzii, phaſeolorum & ſimilium frugum

gum atque leguminum ingens copia; magna goſſypii abundantia, quo viri pariter atque fœminæ veſtiuntur, Mexicanorum pene more: utrique capillum alunt, viri autem colligunt in nodum: procero ſunt corpore & Hiſpanos fere palmum excedunt; robuſti atque bellicoſi: arma illorum ſunt arcus & ſagittæ veneno illitæ, clavæque è duriſſima materie, & sariſſæ è rubro ligno; difficulter admodum Hiſpanorum jugum acceperunt.

Idem meminit oppiduli *S. Philippi* & *Iacobi* ad ripam fluminis, duarum & quadraginta leucarum itinere ab oppido *Culuacan*; de quo me alibi non memini quicquam obſervaſſe. Hactenus maritimæ Novæ Galæciæ provinciæ ita ſe habent.

UXITIPA.

Cap. VII.

Provinciæ quam Uxitipam *vocant deſcriptio.*

HACTENUS provincias *Novæ Galæciæ* quæ ſecundum Mare Meridionale & Fretum *Californiæ* jacent, particulatim ſuo ordine deſcripſimus, nunc ad interiores & mediterraneas nos convertemus; facto initio à provincia quæ Præfecturam Panucenſem proxime contingit, atque adeo earum quæ ſub Nova Galæcia hodie comprehenduntur verſus Aquilonem ultimâ. d.4.l.9. c.12.

Quum *Nonnius Guzmannus* anno cIↄIↄxxix ſeſe pararet ad expeditionem in provincias illas quas modo deſcripſimus; in præfectura Panucenſi, quam ab Imperatore *Carolo V* ſpeciali diplomate obtinuerat, ſibi Legatum ſubſtituit *Lupum de Mendoza* illique imperavit ut prima occaſione vicinam regionem luſtraret, atque in *Vxitipam* provinciam, cujus jam fama aliqua ad ipſum pervenerat, ſi cœli ſolique qualitates votis reſponderent, coloniam Hiſpanorum deduceret. *Mendoza* Præfecti ſui mandato haud ſegniter obſequutus, poſtquam diligenter regionum illarum ſitum, ſoli, cœlique qualitates & Indigenarum mores exploraſſet, in vallem *Vxitipam* prout juſſus erat coloniam deduxit: conditum oppidum *S. Ludovici* nomine, diſtans ab oppido Panucenſi viginti leucas ut prodit *Herrera.*

Eſt itaque mediterranea hæc provincia, declinans verſus provinciam *Xaliſco*, à qua centum & viginti leucas abeſſe dicitur; olim quidem appendix Præfecturæ Panucenſis quandiu illa proprium præfectum habuit, nunc vero hac ad Mexicanam provinciam adjunctâ, Uxitipenſis provincia ad Præfecturam Novæ Galæciæ acceſſit.

Indigenæ hujus provinciæ habitu corporis, moribus, atque inſtitutis, à Mexicanis nihil differunt, licet multum diverſo idiomate utantur: templa illorum edita erant, cum ſuis gradibus è ceſpite aggeſta: palliis utuntur ad modum Mexicanorum: Uſurpant multas potionum ſpecies, variis modis compoſitas; quibus feſtivis diebus belluinum in modum quondam conſueverant ſeſe inebriare, multaque enormia perpetrare: nunc autem Hiſpanorum conſuetudine, & à monachis edocti, gravioribus vitiis modum cœperunt ponere.

Provincia hæc ſupra modum abundat omnis generis fructibus: Saltus omnes pleni cervis aliiſque feris: campeſtria loca coturnicibus, perdicibus, turturibus, aliiſque volucribus; ingens quoque hodie hic gallinarum reperitur numerus; ita ut abunde vitæ humanæ neceſſitati non modo ſit proſpectum, ſed & voluptati: Solum tamen multis locis inæquale & aſperum, cœlumq; paulo fervidius. Flumen denique quod Panucum oppidum præterlabitur & paulum infra illud deſcendit in Novæ Hiſpaniæ fretum, huic provinciæ ſuam debet originem, eamque rigat. De amplitudine hujus provinciæ nihil mihi compertum, nec plura quam quæ hactenus diximus obſervata.

LOS ZACATECAS.

Cap. VIII.

Provincia de los Zacatecas, *illius metalla, oppidaque.*

SUPERIORI provinciæ modico intervallo inter occidentem & arctum proxima eſt illa quam vocant *de los Zacatecas*, argenti quidem metallis opulentiſſima, ſed aquarum, tritici atque mayzii, omniſque annonæ pene indiga. Oppida tria hodie ab Hiſpanis hic habitantur, præter quatuor quinqueve municipia cum ſuis argentifodinis; quarum præcipua peculiaretur *de los Zacatecas*, provinciæ nomine appellatur, quadraginta leucis ab urbe *Guadalaiara* verſus ſeptentriones, octuaginta autem à Metropoli Mexicana; hic ut plurimum quingenti Hiſpani cum totidem mancipiis, & centum qua equis qua mulis, degunt; habentque monaſterium Franciſcanorum & miniſtrum regium è Præfectura *Guadalaiaræ*.

Avinno. d.8.l.10. c.23. S. Martin. S.Lucæ. Erena.

Proximum locum ſortiuntur illæ quas vocant *de Avinno*, anno primum cIↃ IↃLIV, auſpiciis Proregis *Ludovici de Velaſco*, à *Franciſco de Ybarra* inventæ; qui cum militibus aliquot, multiſque ſervitiis, & largo commeatu & apparatu bellico ab argentifodinis Zacatenſibus profectus, primum aperuit metalla *S. Martini*, ut jam vulgo appellantur, quæ diſtant à Zacatenſibus, itinere ſeptem & viginti leucarum verſus Corum, ubi circiter quadringenti Hiſpani degere dicuntur: Secundo metalla *S. Lucæ*; & tertio hæc *de Avinno*, atque alia plura in eodem tractu, quæ plurimum argenti dederunt. Idem & metalla, quæ *del Somberiete* vocant, invenit in finibus *S. Martini*; juxta quæ nnnc *Erena* oppidulum cernitur, viginti quinque leucarum intervallo diſſitum à Zacatenſibus verſus Corum. Denique metalla *de los Ranchos* & *de los Chalchuites* atque *de las Nieves*, è quibus quidem magna vis argenti educitur, ſed longe major eliquaretur, ſi hydrargyri copia viliori precio hic haberi poſſet. Hiſce inventis imperatum à Vicerege ut colonis deductis municipia ibidem conderentur, uti facilius ſe tutarentur contra feroces barbaros qui ibidem & in vicino incolunt.

Freſnillo.

Poſt illa & ditiſſima illa argenti metalla inventa, quæ *del Freſnillo* appellantur è quibus hodieque maxima argenti copia hauriri dicitur.

Poſtquam autem colonia Hiſpanorum ad *S. Martini* argentifodinas eſſet deducta & indigenæ ad quietem & pacem ſe componere cæpiſſent, Religioſi aliquot à Prorege miſſi, ut ulteriores regiones explorarent, & indigenas principiis Religionis Chriſtianæ imbuerent; Verum *Franciſcus de Ybarra* nimis periculoſum ratus hoſce monachos ſolos ad barbaras & feroces nationes dimittere, armatis militibus ipſos comitari voluit. Tum primum vallis *S. Ioannis* & flumen *de las Nacas* adiri cœpit; barbariſque limitaneis qui rebellaverant, blandis ſermonibus ad obſequium reductis, oppidulum *Nombre de Dios* conditum, octo & ſexaginta leucas ab oppido *Guadalaiara*, decem autem ab argentifodinis *S. Martini* verſus Arctum, in ſolo perfœcundo & tritici atque mayzii feraci, nec non argenti venis opulento. *Franciſcus de Ybarra* poſtquam præfecturam harum regionum primum ab ipſo luſtratarum à Rege Hiſpaniarum obtinuiſſet; ut oppidum hoc augeret atque ornaret, argentifodinas aliquot, in Avinnenſi tractu à ſe emtas, tam indigenis quam Hiſpanis gratis indulſit; quo factum eſt ut magna hominum multitudo ad hoc oppidum conflueret & Regis reditus, quos *Quintos* vocant, in immenſum augerentur.

Nomb. de Dios.

Durãgo.

Superioribus tam feliciter perfunctus *Ybarra*, per Tribunum militum *Alfonſum Pachecum* coloniam deduxit in vallem *Guadianam*, nomen *Durango* municipio impoſitum, in finibus fodinarum *S. Martini* & vallis *S. Salvatoris*, & octo leucarum intervallo ab oppido *Nombre de Dios*. Aër hic ſalubris eſſe dicitur, ſolum multis amnibus atque torrentibus riguum; & tritici, mayzii & aliarum frugum feraciſſimum; nec procul à municipio abſunt argentifodinæ *S. Lucæ* & percommodæ ſalinæ. Hiſpani coloni hic multas villas ædificarunt, in quibus pecuariam exercent; ita ut vicini barbari jam urbanius agere cæperint, & indigenæ ad civilitatem & mo-

res

res Europæos ſe componere, veſtibus ſe tegere & Chriſtianam religionem amplecti.

Eſt & aliud in hac provincia oppidum, quod *Xeres de la Frontera* nominatur ab Hiſpanis, diſtans ab oppido *Guadalajara* triginta leucas verſus ſeptentriones & ab argentifodinis Zacatenſibus decem ſecundùm viam quæ ad illas ducit. Xeres de la Frontera.

Diu multumque cum barbaris harum regionum incolis bellatum fuit; & *Chichimecæ* atque *Guachachiles* itinera inter *Guadalajaram* & *Zacatecas* graviſſime latrociniis ſuis infeſtarunt; donec tandem *Marchione de villa Manrique* Novam Hiſpaniam Prorege obtinente debellatum fuit; reſque eò perducta ut jam indigenæ barbari in centum & quatuor tribus (*Repartiementos* vocant Hiſpani) diſtributi, colonis & oppidanis Hiſpanis ſervitutem ſerviant.

Superiori libro quum de *Panuco* ageremus, meminimus novi itineris à Mexicana civitate ad argentifodinas Zacatenſes: conſuetum alioquin iter ab hiſce argentifodinis agitur, primùm per oppidum S. Michaëlis, deinde per municipium ut vocant Novum, & denique per provinciam Mechoacanam, & ita porro ad Metropolin Mexicanam, longo & difficili itinere, ut Chiltonus prodidit: Quanquam ſuſpicor Chiltonum nomine *Zacatecas*, potius Novæ Vizcaiæ fodinas intellexiſſe, aut ſaltem remotiſſimas hujus provinciæ de qua agimus; nam quum illæ fodinæ quæ per excellentiam Zacatecas dicuntur, tantum quadraginta leucas à Guadalajara & octuaginta à Mexicana civitate dicantur abeſſe, non capio quomodo compendium itineris fieri poſſit per Panucum, quod oppidum diſtat à Mexico ſexaginta & paulo plures leucas, & à fodinis quas Chiltonus petebat centum & ſexaginta.

NOVA VIZCAYA.

Cap. IX.

Provincia quæ hodie Nova Vizcaya *dicitur, & metallorum quæ in illa reperiuntur deſcriptio.*

PROVINCIÆ *de los Zacatecas*, verſus Corum proxima eſt, licet longo & pene quinquaginta leucarum intervallo, provincia illa quam *Novam Vizcayam* ſive *Biſcayam*, id eſt, Cantabriam nominant, annonâ, omnibuſque ad vitam humanam neceſſariis affluens & opulentis argenti venis imprimis nobilis: ſub qua & altera provincia comprehenditur vulgo *Topia* appellata. Utramque autem primus adiit atque luſtravit *Franciſcus de Ybarra*, cujus expeditiones *Antonius de Herrera* in ſuis decadibus ad annum à Chriſto nato cIↄ Iↄ LIV in hunc modum deſcribit.

Franciſcus de Ybarra poſtquam oppidum *Durango*, commeatu & militari præſidio abundè inſtruxiſſet, cum cohorte centum & triginta militum, ad vicinas & ulteriores regiones perluſtrandas animum adjecit, & aliquot leucas progreſſus primò invenit metalla illa argenti quæ poſtea *Ende* & *S. Ioannis* nomen meruerunt. Deinde hyeme jam ingrediente, copias quidem in hiberna dimiſit, ipſe vero cum triginta tantum militibus ulterius proceſſit, ut loca aliquot in montanis ſita, quæ à numeroſo populo inhabitari famâ acceperat, è vicino ſpecularetur: Hîc graviſſimum diſcrimen adiit, & ſitim atque extremam eſuriem perpeſſus, ita ut equos ſuos mactare & illorum carnibus victitare cogerentur, per aſperrimos atque arduos montes in *Topiam* provinciam tandem penetravit. Unde ſtatim regreſſus, *Rodericum del Rio* tribunum militum, miſit *Enden* ut locum communiret & colonos eò deduceret; ubi poſtilla ditiſſimæ argentifodinæ fuerunt apertæ. Alios ad eundem modum deduxit ad *S. Ioannis* & *S. Barbaræ* argentifodinas; quæ ambæ ſitæ ſunt in provincia *Novæ Cantabriæ*, trium circiter leucarum intervallo à ſe invicem diſſitæ: ab his autem abſunt *Endes* fodinæ leuc. viginti, quæ omnium quæ hactenus ab Hiſpanis in illo tractu excoluntur, extimæ cenſentur: Opulentiſſimæ autem hîc ſunt argenti venæ; aliæque haud longè hinc plumbi, ad argenti metalla eliquanda & repurganda ſummopere utilis & neceſſarii; quare longe maximum emolumentum ex harum regionum luſtratione

(Margin notes: d. 8. l. 10. c. 24. — Ende. — Topia.)

non

non modo Novæ Galæciæ, ſed & Novæ Hiſpaniæ quaqua patet acceſſit, commerciaque cum Europæis ſupra modum aucta.

Ybarra ad vallem *S. Ioannis* in hiberna concedens, domum ſatis amplam conſtruxerat & communiverat, in quam commeatum omnem congeſſit, providâ ſane induſtriâ, nam indigenæ (mutabilia enim ſunt Barbarorum ingenia) advenarum pertæſi ſtatim rebellarunt, & quadringentos, qua equos, qua mulos ex inſidiis interimerunt. Quibus incommodis Præfectus nequaquam fractus, hyeme vix exeunte, denuo in provinciam *Topiam* movit, facto itinere per aſperrimos & ita invios montes, ut manibus arborum ramos amoliri, ferroque ſibi viam aperire adigerentur, & per inacceſſas rupes reptando eniti: conflictabantur itidem cum altis nivibus & intenſiſſimo atque acerrimo gelu, quod quadraginta equos ipſis abſtulit, qui partim à frigoris vehementia ſtimulati, in pyras (quas ingentes ſtruere cogebantur) inſilientes miſere perierunt; partim ita ſubito obriguerunt, ut cadavera illorum inſtar ſtatuarum in mediis campis longo tempore incorrupta conſiſtere viſa fuerint. Hiſce miſeriis defunctus tandem *Topiam* eſt ingreſſus, cujus indigenæ primum fortiter ipſi reſtiterunt, ſed poſtea Ducis induſtria atque humanitate placati conquieverunt. Inde ſe recipiens tranſiit in *Cinaloam* provinciam (de qua ſupra) ne rurſus cum montani itineris difficultatibus conflictaretur.

Porro Argentifodinæ *S. Barbaræ*, hujus provinciæ facilè principes, abſunt à Zacatecenſibus leucas centum, ut tradit *Herrera*; à metropoli autem Mexicana centum & ſexaginta, uti *Ioannes Gonzalez* teſtatur in deſcriptione Chinæ. Qui & hoc porro addit, ſeptuaginta leucis ab his fodinis verſus ſeptentriones jacere prægrandia illa oppida, quæ ab Hiſpanis appellantur *las quatro Cienagas*. Nec plura nobis hactenus de Novæ Cantabriæ provinciis & oppidis comperta.

Cap. X.

Ora maritima Novæ Galæciæ, promontoria, ſinus, Flumina atque Portus.

Antequam ad limitaneas Conventus hujus juridici provincias procedamus, litus nobis legendum, oraque maritima Novæ Galæciæ luſtranda. Superiori libro quum de provincia Mechoacana ageremus, quæ Novæ Hiſpaniæ ad occaſum extrema cenſetur, littora ad portum uſque *Malacca* perſtrinximus; huic ad eandem plagam proximus eſt portus quem *Fullerus* Candiſchii nauclerus *Chacallam* vocat. Ab hoc littora legentibus in occaſum octodecim leucarum intervallo, occurrit nobile Promontorium, quod vulgo *Cabo de Corientes* dicitur, ad altitudinem viginti graduum & triginta ſcrupulorum ultra æquatorem verſus Arctum: à quo ad alium terræ angulum, vulgo *Punta de Tintoque*, decem numerantur leucæ, ora ſeſe in Arctum reflectente & in cubitum obliquata, qua ſinum admittit, cui vallis *de Banderas*, ut vocant, adjacet, quæ à modico amne ſecatur, ad cujus ripas utrimque plures horti & *Cacao* arboreta à Civibus Compoſtellanis excoluntur.

Tintoque.

A *Tintoque* tres leucas verſus Aquilonem provectis exiguus portus *Chacala* ſeſe aperit, diſtans circiter octo leucas ab oppido *Compoſtella*. Huic portui adjacet vallis *de Chila* quæ montibus *S. Crucis* ad ſeptentriones obtegitur, qui modico angulo in altum prominentes promontoriolum ſui nominis efficiunt; pone quod portus aditur, *Mantachal* hodie nautis dictus; *Nonnius* autem *Guzmanus* in ſuis commentariis videtur *Mutochel* appellare: à quo trium leucarum intervallo verſus Boream intra continentem pagus *Metatlan* jacet.

Chacala. Mantachal. Metatlã.

Statimque ad eandem oram ſequuntur altiſſima hujus provinciæ montium juga, quæ vulgo *la Sierra de Xaliſco* nominantur. Hæc prætervectos fluvius excipit, qui *Eſquitlan* à nautis dicitur, atque idem omnino videtur, quem in *Guadalaiaræ* deſcriprione *Barraniam* dici ſupra oſtendimus. Huic tantum leucæ ſpacio proximus eſt fluvius *S. Andreæ*, cui novem pene leucarum intercapedine verſus occaſum objacet Inſula *S. Andreæ* ad altitudinem duorum & viginti graduum ſeptentrionalium; exigua quidem & denſo arborum luco opaca, cæterum volucribus atque Iguanis referta: ſub

ſub latere illius quod Corum adſpicit, commode anchoræ jaci poſſunt, mari ibidem alto orgyas ſeptendecim.

Ab hoc *S. Andreæ* fluvio littus continentis ſubſidet, & ad ipſam oram veſtitur multis arboribus, quæ *Mangles* dicuntur; (de quibus arboribus alibi ſumus dicturi) interior autem regio incolitur multis pagis, Provinciam *Singuiquipaquen* vulgo indigetant: Credo eandem eſſe cum ea, quam gentili nomine *Centliquipac*, *Nonnius Guzmanus*, majorem Hiſpaniam quondam appellaverat, ut *Antonius de Herrera* teſtatur. Singuiquipaque. d 4.l.9. c.11.

Porro ſedecim à portu *Mantachal* leucis verſus Arctum provectis, alius terræ angulus fit obvius, *de Matarem* nautis appellatus, à vaſtis montium jugis deſcendens, quæ *Guainamota* vulgo appellantur. Ab hoc angulo littus ſe rurſus erigit & attollitur in juga; interior autem provincia appellatur *Acaponeta* & *Chiametla*. Matare.

Sequuntur deinceps duæ perexiguæ inſulæ, quas de *Mazatlan* vocant nautæ, pone quas portus eſt ejuſdem nominis, ſub ipſo *Cancri Tropico* ut à diligentioribus naucleris eſt obſervatum: Sinus eſt modicus & admodum piſcoſus, in quem amnis deſcendit, ſed ob vada ori illius objecta, navigiorum neutiquam patiens; ab hoc oppidum *S. Sebaſtiani* octo leucarum itinere intra Continentem abeſſe dicunt. Mazatlã.

Ab hiſce Inſulis *de Mazatlan* littus reflectitur verſus Corum leucas quatuor & triginta; In quo intervallo primum obvius eſt amnis, quem nautæ *Rio de Navito* vocant & nos ſupra ut opinor *Piaſtlam* diximus appellari; deinde octo leucarum itinere *Barra de Dato*, modicus amnis & non niſi minoribus onerariis & celocibus navigabilis; an idem ſit cum fluvio *Mulierum*, cujus jam ante meminimus, ambigo. de Navito. de Dato.

Novem ab hoc leucas ſecundum eundem oræ maritimæ ductum provectos, majus flumen excipit quod *de Quameto* vocant Nautæ, (*Herrera* alicubi *Paſcuam* appellat.) Tria autem hæc flumina *Culvacanam* provinciam dicunt interſecare, unde interdum communi nomine *Culvacana* flumina à nautis nominantur. Nos ſupra in deſcriptione Provinciæ trium meminimus *Piaſtlæ*, *Rio de Mugeres* & *Culvacan*. Quameto.

A poſteriori autem flumine Culvacanæ ad promontorium *Cinaloæ* viginti leucarum iter eſt, in quo limitem provinciarum pacifice in hoc tractu ab Hiſpanis poſſeſſarum conſtituunt vulgo.

Denique huic oræ Novæ Galæciæ ad altitudinem unius & viginti graduum ſeptentrionalium, viginti circiter leucarum intervallo à Promontorio *de Corrientes* verſus Corum, totidemque pene à continente Novæ Galæciæ verſus occidentem, objacent tres Inſulæ, quæ vulgo, *tres Mariæ* appellantur, quarum alibi quoque mentionem faciemus: ſicuti & reliquorum quæ de hac ora dicenda ſuperſunt; nunc ad limitaneas hujus Conventus Juridici & Præfecturæ Novæ Galæciæ provincias nos convertemus; quarum aliæ freto interluente à Nova Galæcia ſunt diviſæ, uti *California*; aliæ ad eandem Continentem tantum montibus, ſilvis aut fluminibus diſtinctæ, utræque autem nondum ſatis cognitæ aut penitus luſtratæ.

CALIFORNIA.

CAP. XI.

Californiæ *limites, Corteſiique navales expeditiones in Mari Auſtrali.*

CALIFORNIA communiter dicitur quicquid terrarum Novæ Hiſpaniæ atque Galæciæ ad occidentem objicitur; quæ ſane latiſſime patent & ad extremos Americæ ſeptentrionalis terminos & Fretum quod vulgo *Anian* vocant, pertinent: Utrum vero Continenti Americæ ſeptentrionalis continuæ, in aliquo Freto ab illa diviſæ ſint, incertum eſt hactenus: nam & veteres Geographicæ & Hydrographicæ Tabulæ viſuntur, quæ Californiam inſulam faciant, & freto quidem initio ſui ſatis lato, in progreſſu autem anguſtiori ab America dividant: in hodiernis vero Tabulis ut plurimum cum continenti connectitur: utut ſit, vaſtæ ſunt regiones & juxta littora tantum, minimaque ſui parte leviter cognitæ. Proprie autem & peculiariter dicitur *California*, angulus ille terræ, qui inter Corum atque Eurum,

ab

ab interiori Freti Californiani, ut ita dicam, gremio, ad promontorium *S. Crucis*, aut vigeſimum ſecundum gradum latitudinis ſeptentrionalis porrigitur & provinciis *Nova Galaciæ, Xaliſco, Chiametlæ, Culvacanæ* & *Cinaloæ* ex adverſo objacet. Multi & intra & extra dictum Fretum portus, ſtationes, ſinus, fluminaque commemorantur, ſolis nominibus vix leviter nota. E regione autem & ad latus Fretum ingredientibus dexterum, ab antiquioribus inſula deſcribitur oblonga, exiguo freto à Continenti Novæ Hiſpaniæ diviſa, quam *Guayaval* vocant, & à flumine *de Nueſtra Sennora*, alias *Sebaſtiani de Bora*, & ad flumen *Paſcuam* in provincia *Culvacana* ſeſe extendere ſcribunt; quæ inſula hodie in tabulis Geographicis non comparet; neque nautica itineraria illam agnoſcunt. Ut autem verus harum regionum ſitus, oræque maritimæ ductus, aliaque quæ huc pertinent, commodius intelligantur, Navigationes aliquot Hiſpanorum, quarum deſcriptio ad nos pervenit, hic inſerere operæprecium judicavimus.

Guayaval.

Hernandus Corteſius poſtquam jam pleraſque Novæ Hiſpaniæ provincias perdomuiſſet, ad Oceanum Auſtralem penitius luſtrandum, omnes animi cogitationes convertit, annoque à C. N. cIɔ Iɔ XXXIV duas onerarias inſtruxit, quæ è *S. Iacobi* portu provinciæ *Colymæ*, ſolverunt: major quidem & Ammiralia, ut vulgo vocant, ab altera valida tempeſtate ſeparata curſum tenere haud potuit, ſed ad ſinum *S. Crucis* fuit abrepta: Ubi quum in terram exſcendiſſent, maxima nautarum parte à barbaris cæſa, quum pauci qui ſupererant navi gubernandæ impares eſſent, illam apud littus Novæ Hiſpaniæ ultro fregerunt: Altera autem (cui *S. Lazari* nomen erat) quum primo curſum verſus Africum inſtituiſſet uſque ad altitudinem tredecim graduum & triginta ſcrupulorum ſeptentrionalium; atque inde vela vertiſſet verſus Corum uſque ad gradum decimum ſextum ejuſdem latitudinis, & mox verſus Traſciam uſque ad gradum decimum ſextum cum ſemiſſe; rurſuſque mutato curſu verſus Vulturnum ad eundem gradum decimum ſextum: obvertit denique proram Traſciæ atque Coro, in eoque curſu pertendit uſque ad tertium & vigeſimum gradum & triginta ſcrupula latitudinis arctoæ; atque inde ultro citroque velificando Inſulam attigerunt, ad latitudinem (uti obſervabant) viginti graduum & totidem ſcrupulorum, cui *S. Thomæ* nomen impoſuerunt. Viſa hæc quinque & viginti leucas ambitu complecti, vernantibus arboribus læta; ad auſtralem plagam in altum montem attollitur, ſub quo commoda navibus ſtatio, in patenti mari & viginti quinque orgyas alto; cætera littus inſulæ undiquaque præruptum erat; nulla in ea aqua præter pluviam, eaque ob vicinitatem maris ſubamara.

S. Thomæ I.

Ab hac inſula ad Novam Hiſpaniam redire ſatagentes, curſum ad Cæciam atque Aquilonem inſtituunt, à latitudine viginti graduum perparum declinantes, atque ita quidem primo haud longe à Novæ Hiſpaniæ Continente, ad latitudinem viginti graduum & totidem ſcrupulorum, prope *Ciguatlan* anchoras jecerunt, ſub orientali inſulæ cujuſdam latere, quæ perexiguo freto à continente diviſa erat; & mox portum *Xuclutan* ſubjerunt, ſex ſupra *Ciguatlan*, ut annotant, leucis. Dein littus quod hic præceps eſt, & in juga ſilvoſa longe lateque aſſurgens, legentes verſus Eurum, primo quidem *Zacatulam* mox vero *Acapulco* portum tenuerunt.

Corteſius de ſucceſſu harum navium certior factus, majori conatu rurſus alias tres inſtruit, & fortunam tentare ſeque ipſum pelago committere certus, è portu apud quem prior navis fracta fuerat, ſolvit, & poſt aliquot dierum navigationem appulit ad Californiæ littus, quod in altiſſima juga conſurgit, quæ ille *S. Philippi* nomine inſignivit, & mox ad Inſulam trium leucarum intervallo à Continenti disjunctam, cui *S. Iacobi* nomen impoſuit. Menſe deinde Mayo, feſtoque *S. Crucis* portum illum eſt ingreſſus, in quo ſuperiori anno milites illius atque nautæ à barbaris indigenis fuerant trucidati, cui tum primum nomen *S. Crucis* inditum, quod hactenus manet. Eſt autem commodiſſimus portus & adverſus incerta ventorum egregiè præmunitus, aditu quidem peranguſto, ſed ſinu intus lato; diſtans ab æquatore (ut ipſi tum obſervabant) tres & viginti gradus & triginta ſcrupula verſus Arctum.

S. Petri & Pauli fl.

Hinc Fretum Californiæ trajicere conatus, ſed adverſa tempeſtate rejectus, minima navi qua ipſe vehebatur, ad oſtium fluminis *S. Petri & Pauli* pervenit. Hic

aliquot

aliquot dies ſubſiſtens in ſummam incidit annonæ difficultatem & penuriam, neque enim à barbaris quicquam auxilii erat adipiſci, qui in illo tractu neque tecta ulla ſubire, neque terram colere ſueti, agreſtibus fructibus & ferina vitam tolerabant; plurimum quoque piſcibus, quos ratibus inſidentes (quas ex quinque trabibus, quarum media latiſſima eſt, compingunt) in flumine atque ipſo mari capiunt. Quumque hinc ſolvens adverſam Novæ Hiſpaniæ oram adnavigaſſet, tantiſper littus ſtrinxit, donec ſe inter ſcopulos & vada pene concluſum animadverteret; Atque hic alteram ſuam navem, duabus ab hoc loco leucis, in anchoris ſtantem conſpicatus, & à gubernatore ejuſdem, qui commodum ſubſidio veniebat, adjutus navem paulatim ſubduxit, nec tamen ita extra diſcrimen collocare potuit, quin jam continenti propiorem vadis ita impingeret, ut dehiſceret & frangeretur, hominibus atque impedimentis ægre ſervatis; locus hic *Guayabal* ab ipſo vocatur, octodecim leucas diſtans ab urbe *S. Michaëlis*, in provincia *Culvacana*. Hic reliquis navibus parumper refectis, rurſus ſolvit, & poſtquam Inſulam *S. Iacobi* pene ambiviſſet, Sinum *S. Crucis* denuo ingreditur, & aliquot ſuorum ſub Præfecto *Franciſco de Vlloa*, cum commeatu qui annum ſufficeret hic relinquens, ad Novam Hiſpaniam eſt reverſus.

Aliquot deinde annis intermiſſa fuit hæc navigatio, nec ante repetita, quam *Corteſius* ex Hiſpania in Americam rediiſſet, tunc enim *Franciſcus de Vlloa* ab eodem miſſus ut Mare Auſtrale & terras adjacentes porro luſtraret, de cujus navigatione jam porro agemus.

Cap. XII.

Franciſci de Ulloa *Navigatio in Freto Californiano.*

FRanciſcus de Vlloa cum una navi atque liburnica ſolvit è celebri Maris auſtralis portu *Acapulco* Anno à C. N. cIↃ IↃ xxxix octavo Julii, atque oram maritimam *Zacatulæ* & *Motin* nemorum viridantium amœnitate atque amnium frequentia ſpectabilem prætervectus, ad portum *S. Iacobi* in provincia Colymæ, vigeſimo tertio ejuſdem menſis divertit. Ibidemque ſeptem & viginti dies moratus, vigeſimo demum tertio Auguſti rurſus vela explicavit, & graviſſima tempeſtate aliquandiu hac illac jactatus, tandem flumen *Guayaval* (ut vocat) provinciæ *Culvacan* eſt ingreſſus; quia autem liburnica (cui *S. Thomæ* nomen erat) ab ipſo aberraverat, ad *S. Crucis* portum ſibi trajiciendum exiſtimavit, apud quem convenire jam ante decreverant. Subſtitit in hoc portu ad dies quinque & aquatione abſoluta, quum liburnica non compareret, inde rurſus ſolvit duodecimo Septembris, & vicinam oram legens, tres quidem inſulas conſpexit, ſed eaſdem præteriit, haud operæpretium ratus illas luſtrare. Bidui itinere inde provectus, flumen *S. Petri* & *Pauli* adiit; Hujus ori exigua inſula objacet, quatuor aut quinque leucis à continenti disjuncta; utrique autem fluminis ripæ vaſta planicies accumbit, amœniſſimis arborum lucis diſtincta; in mediterraneis attollunt ſe in ſummam altitudinem vaſti & nemoroſi montes, peramœno proſpectu. Hinc quatuor leucarum iter emenſus, quum ſolum ubique planum, & haud procul ab ora intra continentem varios lacus proſpiceret qui ſe in fretum Californiæ per emiſſaria exonerant, lembo expoſito oram propius explorare & portus tentare conſultum exiſtimavit; verum oram vadoſam, & ora emiſſariorum illorum haud ſatis alta deprehendit; Solum autem fertile & amœnum viſum; quin & barbari aliquot hic conſpecti & crebri paſſim ignes.

Haud procul hinc duo fluvii exeunt (duarum leucarum intervallo diſcreti) & tanto impetu perrumpunt fluctus, ut tribus à continenti leucis in ipſo freto alveum ſervent; è lacubus autem illis prodire haud dubium eſt. Poſtero die leucas ſedecim ſecundum oram navigarunt, in quarum medio ſinus ſe aperit quatuor aut quinque leucas patens. Hic noctu in anchoris morati, & ſummo mane iter proſequentes verſus Arctum, tria rurſus emiſſaria lacuum ſive ſtagnorum præternavigant; & mox anchoris jactis, (nam mare haud ſupra duas orgyas altum erat dimidiâ à continenti leucâ) lembum dimittunt ut oſtiorum altitudinem periclitaretur. Hic aliquot barbari viſi, herbæque virentes, ab iis quas Nova Hiſpania fert, nonnihil diverſæ; ſolum juxta littus quidem humile, ſed interius in colles atque montes aſſurgens. Hinc ſolventes,

ventes, curſum verſus Corum dirigunt, ſecundum depreſſiorem illam oram; ſex autem leucas provectos, excepit Sinus circiter quinque leucas ambiens, à qua ora magis magiſque ad Corum divergit, plana quidem illa, ſed nequaquam tam amœna quam antecedens: eodemque curſu ventum fuit ad Promontorium quoddam arenoſum, quod *Cabo Roxo* dixerunt, ad altitudinem viginti novem graduum & quadraginta quinque ſcrupulorum verſus Arctum: littus hîc humile eſt & arenoſum: in interiori regione paucæ atque humiles arbores & modici colles conſpiciuntur; tres quatuorve citra hoc promontorium leucas, fluvius effluit è lacu, navigiorum haudquaquam patiens ob brevia ori illius objecta: hinc jam recta ad ſeptentriones navigantes, valida tempeſtate ingruente, portum adierunt haud incommodum, ſolo in ambitu illius depreſſo aut in modicos tumulos erecto.

C.Roxo.

Tribus ab hoc portu leucis, inſula occurrit circiter leucam ambiens, atq; ex adverſo illius alius portus, duplici oſtio mare admittens, quem per ſeptentrionalius os ingreſſi, decem aut duodecim orgyas in ipſo aditu altum deprehenderunt, in receſſu quinque, ubi plurimi viſuntur ſinus & portus, atque ingens piſcium copia capi poteſt. Hîc Præfectus anchoris jactis, in continentem exſcendit, fixitque crucem & conſuetis ceremoniis Regionem hanc Regi Hiſpaniarum habendam poſſidendamq; vindicavit. Piſcatoria retia hic ab ipſis reperta & fragmenta quædam teſtarum induſtriè & more Hiſpanico efformatarum ex argilla: Solum in ambitu herbidum læto gramine, ſed nonnihil à Novæ Hiſpaniæ diverſo; haud procul hinc colles & nemoroſi montes conſpiciuntur. Hunc portum egreſſis, curſumque verſus Corum ſequentibus, littus in editos montes ſenſim aſſurgere viſum;& ingens multitudo avium conſpecta in concavitatibus petrarum nidulantium: Poſtero die à dextera lævaque terram cernere cœperunt, ad ſiniſtram autem ſive occidentalem plagam varias inſulas atque arduos ſcopulos, utrimq; vero altiſſimos montes, Continente ad lævam magis magiſq; ſe aperiente. Haud leve hic certamen inter ipſos fuit exortum, aliis terram omnem quam inde à portu *S. Crucis* ad lævam ſtrinxerant, Inſulam eſſe contendentibus, aliis vero Continentem & Novæ Hiſpaniæ partem opinantibus. Atque ita ora utrimque conſpicua, ad promontorium quoddam deventum, quod *Cabo de las Plaias* vocarunt, quia littus omne in tumulos aſſurgit, nullis arbuſtis, herbiſve veſtitos. Hinc provectos Fretum excepit ad Corum divergens, in ipſis faucibus duodecim leucas, uti videbatur, latum; duabuſque inſulis, quatuor leucarum intervallo à ſe invicem diviſis, veluti concluſum; ora ad ortum jacens depreſſa aut tumulis quibuſdam mediocriter edita erat; planiciemq; dividebant lacus & ſtagna: ad occaſum vero elatior & nudis montibus prætexta; ingens denique ipſius freti altitudo, atq; incomperta. Poſtero die xv leucas ad Arctum enavigarunt, ſinumque offenderunt ingentem, qui ſupra ſex leucas intra continentem per varios angulos & receſſus irrumpit: proximo autem die decem leucas ſecundum littus præruptum & in altiſſima juga erectum: Hinc quindecim leucas verſus corum littus raſerunt, quod quidem planum erat & arenoſum, interior vero regio montoſa & tumulis atq; arenoſis collibus modicè elata, raris arboribus veſtita: ipſo meridie ſcopulos aliquot, quatuor à continenti leucis, deprehenderunt, ubi terra procurrens angulum facit, hunc pone anchoræ jactæ; tota illa nocte valde pluit: ſequenti die decem leucas provecti, ad dexteram quidem raros colles ſine arboribus conſpicantur, ad ſiniſtram vero, quantum viſu diſcernere licebat, frequentes atque arduos. Hic jam fluctuum color mutari cæpit, calcis inſtar candicans, ita ut admiratione percellerentur, haud ſegnius tamen verſus Corum vela faciunt, & octo leucarum itinere confecto, alia Continentis pars viſa fuit in Corum obverſa & in altiſſimos montes aſſurgens; hanc legentes, quum tranſitum inter utrumque littus anxie ſcrutarentur, mare jam minus atque minus profundum, turbidum atque cænoſum animadvertunt, donec ad quinque orgyarum altitudinem ventum: hic autem fluctus magno impetu continentem invadebant, & reciproco æſtu ſingulis ſex horis refluebant. Navarchus cum gubernatore è ſummo malo proſpicientes, ſolum undiquaq; arenoſum, & in ambitu concluſum animadvertunt, littuſque adeo depreſſum atque humile ut vix è propinquo diſcerni poſſet.

C.de las Plaias.

Quum itaque ulterius tendere negaretur, nulloſq; mortales hic incolentes deprehenderent, vela vertere conſultius judicarunt, & æſtu relabente ad adverſam plagam refe-

referuntur, ab uno latere Continentem, ab altero plurimas inſulas intuentes. Hinc jam curſum ad Africũ dirigunt, licet parum admodum promoverent ob nimiam malaciam; ad dexteram altiſſimi & nudi montes, ad ſiniſtram planicies, & crebri ignes noctu viſebantur. Poſtero die eundem tenentes curſum, ampliſſimum portum aperiunt, atque inſulam anguſto freto à continenti diviſam, è qua denſa fumorum nebula aſcendebat, è puteis quibuſdam exhalans, ſolo omni in circuitu ambuſto: frequentabant hanc multi lupi marini. Atque hic barbarum quendam, qui cum pluribus aliis piſcabatur, è fuga retraxerunt, prorſus nudum & *Chichimecarum* genti haud abſimilem.

Hinc oram ſtringentes, inſulamq; excelſam prætervecti, portũ quendam ſubeunt, atque in terram exſcendunt: hic humiles aliquot caſas ſtramine tectas invenerunt, ſolum autem ſterile & arenoſum atq; aquarum indigum; portui huic *S. Andreæ* nomen inditum, & regio in poſſeſſionem Marchionis Vallenſis ſub Auſpiciis Regis Hiſpaniarum vindicata. Portus S. Andreæ. Hic quoq; duo barbari viſi ſtatura paulò majori. Anglica verſio conſtituit hunc portum ad altitudinem duorum ſupra triginta graduum verſus Arctum. Ab hoc portu inter continentem & immenſam inſulam (quam circiter octuaginta leucas in longitudinem patere judicabant) curſum inſtituunt; die Dominico autem duodecimo menſis Octobris ad partem Continentis applicuerunt, multo amœniorem & gratiorem aſpectu quam præcedens fuerat; hic aliquot tuguriola barbarorum viſa, qui lintre è cannis elegãter compacto, ſummo mane propius ad naves acceſſerunt, verum quum ab Hiſpanis minime intelligerentur, ſtatim receſſerunt: mox & alii quinq; cum lintribus ſuis intra lapidis jactum venerunt, ſed ut propius accederent nullatenus potuerunt induci, itaq; Hiſpani ſcapha celeriter expoſita fugientes inſequuti, lembum quidem unum ceperunt, veruntamen barbarus exſiliit & natando atque urinando ſe ſubduxit. Aliquot deinde dies hinc provecti rurſus ad terram applicuerunt longe adhuc amœniorem & gratiorem aſpectu, è qua crebri amnes in mare exibant, ubi & veſtigia hominum & fructiferæ arbores obſervatæ, neque ultra quæſitum. Decimo ſeptimo Octobris editiſſimum Promontorium ſuperarunt & poſtero die ad portum *S. Crucis* redierunt, atque ibidem octiduum aquandi & lignandi gratia ſubſtiterunt. Atque hic quidem aliquot barbari ab ipſis viſi, qui quum Hiſpani in terram exſcenderent, ſtatim fuga ſe in vicinum nemus receperunt.

Cap. XIII.

Navigatio ejuſdem Franciſci de Ulloa *ſecundùm Californiæ littus, quod ab Auſtrali Oceano pulſatur.*

SUPERIORI capite *Franciſcum de Vlloa* fretum Californiæ luſtrantem ſequuti ſumus, eumque ad portum *S. Crucis* reduximus; nunc navigationem ejuſdem ſecundum exterius Californiæ littus perſequemur quod ab Oceano Meridionali pulſatur.

Vigeſimo itaque nono Octobris è portu *S. Crucis* ſolverunt, ſed vento minus favente, ingens diſcrimen adierunt, altera navi cui *S. Trinitatis* nomen erat, vadis hærente & cum ſumma difficultate ægre ſervata; Hinc valida & tenebroſa tempeſtate cum nimbis & fulguribus incumbente, vix octiduo Promontorium ſuperarunt, non ſine ingenti diſcrimine ob littoris vicinitatem: Septimo demum menſis Novembris tempeſtas remiſit & ſecus oram continentis navigantibus amœniſſimæ terræ ſeſe aperuerunt: vernantes nimirum planicies & raræ ſilvæ; crebri quoque ignes noctu conſpecti, ex quibus terram hanc habitatam eſſe liquido conſtabat; Decimo autem ejuſdem menſis, terræ facie nihil adhuc mutante, ſe jam quinquaginta leucas à Promontorio Californiæ provectos ſubductis rationibus compererunt; nec dubium erat hanc quoque terram habitatam eſſe; ſed oræ præruptæ & fervens mare, & littus ob vehementem æſtus reciprocationem periculoſum, licet mari haud procul à littore quinquaginta orgyas alto, exſcenſionem prohibebant.

Ab undecimo Novembris ad decimum & quintum, vento vehementer adverſante vix decem leucas promoverunt, navi Trinitatis totum triduum deſiderata, rurſuſq; inventa. Decimo ſexto ejuſdem menſis aparctias è directo ipſis contrarius navigationem ſtitit; terra autem quam eminus conſpiciebant, plana erat atq; campeſtris, quam

nocturni ignes incolis haud infrequentem arguebant,& barbarus unus cum ſuo lintre è longinquo illos aſpectans,propius accedere detrectabat: LXX jam leucas à Californiæ promontorio proceſſerant, ſed aquilone vela explicare prohibente magnum frigus patiebantur. Hinc angulum terræ conſpicati, & pone eundem anchoras figere & aquatum deſcendere parantes, ab aquilone valide perflante rejiciuntur in altum, & XX demum ejuſdem menſis ad continentem reverſi, ſub altiſſimis montibus à venti vehementia defenſi,anchoras jaciunt.Hic *Caſtellonus* navarchus cum ſex ſociis in terram deſcendit,ibidemq;offendit IV barbaros vaſtis corporibus,qui ad primum Hiſpanorum conſpectum perniciſſimo curſu ſe ſubduxerunt. Aquatum deinde ſecundo Decembris, terraque luſtrata fuit, quæ montoſa erat & crebris ſcopulis cavernisque aſpera & impedita. Poſt meridiem barbari magno numero in illos incubuerunt, tam inopinatò ut excubitores fallerent, pugnatum acriter, barbaris ingentem ſagittarum & ſaxorum nimbum in Hiſpanos effundentibus, ita ut dux & duo milites ſauciarentur; præcipuum auxilium in duobus moloſſis fuit, qui barbaros ita perterruerunt, ut Hiſpanis acriter in illos procurrentibus,tandem terga verterent & ad ſuos ſeſe reciperent; poſt illa barbari ingentibus pyris accenſis paululum quieverunt, intempeſta autem nocte ardentibus titionibus è pyris arreptis in diverſa abierunt,Hiſpanis itidem ad naves ſuas remeantibus. Poſtero die ſine ullo impedimento aquatio fuit abſoluta; luſtratuſque intra continentem à Navarcho ingens lacus, qui ad minimum triginta leucas ambitu ſuo videbatur complecti, emiſſarium habens ſupra leucam latum, & tres & nonnuſquam decem orgyas altum: juxta hunc tugurium barbarorum conſpicientes, quum propius accedere pararent, tanta exſiliit barbarorum multitudo, ut retro cedere & propere ad ſcapham ſe recipere cogerentur.

Portus S. Abad. Dehinc ventum paulo faventiorem nacti, & decem leucas provecti, portum adierunt *S. Abad*, longe commodiſſimum & valde amœno ſolo incinctum; atque inde porro ad nonum uſque Decembris oram legentes, terram jucundo & vernanti aſpectu, nonnunquam montes & rurſus campos, pluresque amnes in mare deſcendentes offenderunt: poſtilla primum gelu & mox tanta tempeſtas inopinantes oppreſſit ut ruptis velis, & duabus anchoris amiſſis ad portum *S. Abad* ſe cogerentur recipere.

Aquatum hic deſcenderunt,ſed barbaris prohibentibus, nihil iſta veſpera actum fuit: poſtero mane munuſculis quibuſdam barbaros deliniunt,verum quum aquatione jam abſoluta, ad naves reverterentur, barbari primum ingenti clamore & tumultu plura poſcere,& quum non obtinerent,mox ſagittas in remiges ejaculari, Hiſpani vero duo tormenta è navibus in illos ejaculari, quæ res barbaros tantopere deterruit ut terga vertentes quam celerrime in vicinas ſylvas ſe abderent. Notandum autem hoſce barbaros, idioma alterius barbari quem Hiſpani inde à Promontorio Californiæ ſecum duxerant ut illo interprete uterentur, neutiquam potuiſſe intelligere.

Promōt. S. Trinitatis. Hinc profecti Promontorium *S. Trinitatis* ſuperarunt,& triduum ab adverſis ventis detenti,aura rurſus obſecundante vela explicarunt, ad Calendas uſq; Januarias anni CIↃ IↃ XL littus legentes humile & peramœnum, ſolo interiori ſeſe in colles & ſylvoſos montes,jucundiſſimo proſpectu, ſenſim attollente; atque ita ad quintum uſque Januarii navigantes ad altitudinem triginta graduum ſeptentrionalium profecerunt, ubi acerrimum frigus experti,hyemem haud ſecus quam in Hiſpania ſuam vicem implere deprehenderunt.Decimo tertio ejuſdē menſis aquandi gratia deſcenſum in terram,ſed adeo aſperam & confragoſam ut mirarentur illam ab hominibus,uti è veſtigiis apparebat, habitari poſſe: ad ulteriora tendentibus, decimo octavo ejuſdem menſis, ſpecioſior terra occurrit, multiq; lintres barbarorum, qui naves cum ſumma admiratione intuebantur;ſed Coro validius inſurgēte ad Inſulam *Cedrorum* ſunt rejecti;(hanc Anglica verſio ad altitudinem octo & viginti graduum & quindecim ſcrupulorū collocat) Aquæ autem penuria preſſi,ad Continentem vela vertunt,& exſcenſione facta, indigenis nequicquam aquationem impedire conantibus, quos moloſſi facile in fugam agebant,omnia dolia impleta. Vix anchoras refixerant, quum ventus ab Arcto inſurgens ipſis non modo adverſus, ſed & frigore ſuo infenſus,ad Inſulam Cedrorum coëgit reverti; ubi ad octavum Februarii ſubſtiterunt. Aqua & ligno abundat hæc inſula,nec non piſcibus, habetque ſtationem adverſus incerta ventorum ſatis munitam.

Inſula de Cedros.

Crebris

Crebris deinde tempeſtatibus exagitati & ingentibus periculis defuncti, ad vigeſimum quartum uſque Martii perdurarunt, verum tunc quum naves pene dehiſcerent, navales ſocii cæperunt tumultuari, & à præfecto ſuo *Franciſco de Vlloa* importune flagitare ut ad Novam Hiſpaniam reverteretur, verum ille propoſiti tenax, navi ſua nonnihil refecta altum repetiit, nec quid illi poſtea acciderit hactenus eſt compertum, fluctibus hauſtum aut alio infortunio exſtinctum conſtans opinio eſt; altera autem navis non ſine ſummo diſcrimine tandem incolumis ad Novam Hiſpaniam applicuit.

CAP. XIV.

Fratris Marci de Niza *iter ad Cibolam provinciam.*

NUNC è mari ad Continentem revertemur, & famoſum *Marci de Niza* Franciſcani iter commemorabimus, cujus ſane relationem præterire potuiſſem, utpote falſi in multis paulo poſt manifeſto convictam, niſi ſequentibus expeditionibus & navigationibus occaſionem dediſſet, neque piguiſſet *Antonium Herreram* atque alios ſuis commentariis illam inſerere.

Marcus itaque *de Niza* cum ſocienno ſuo & Nigrita *Eſtevanico* (qui cum paucis Hiſpanis è tertia illa Hiſpanorum, duce *Pamphilo Narvezio*, in Floridæ provincias expeditione evaſerat (uti ſupra retulimus) & barbaris aliquot qui Hiſpanicum idioma jam callebant, Anno à Ch. Nato clↃ IↃ XXIX ab oppido *S. Michaëlis* provinciæ *Culvacan* egreſſus, primo movit verſus *Petatlan*, locum ſexaginta, ut ipſe numerat, leucarum intervallo à dicto oppido diſſitum, & ab indigenis ubique hoſpitaliter fuit exceptus. Hic ſociennum ſuum ægrum relinquens, cum reliquis proceſſit, & licet indigenæ, per quorum fines ipſi iter erat, ſumma annonæ penuria laborarent, utpote qui integro triennio parce admodum ſementem fecerant, nihil tamen ipſi defuit. Triginta porro leucarum itinere nihil memorabile ab ipſo obſervatum fuit, præterquam quod Inſulares quidam barbari ad ipſum venerunt ab Inſula jam ante à Marchione Vallenſi viſa & luſtrata, itemque ex altera paulo remotiore, qui fragmenta quædam concharum Margaritiferarum circa cervicem geſtabant, & Margaritarum copiam apud Inſulam ſuam reperiri teſtabantur (licet nullas ipſi exhiberent) pluresque minores inſulas juxta ſitas eſſe, quæ vili atque inopi popello incolerentur.

Hinc per deſertum quatridui itinere cum plurimis barbaris, qui illum ſponte comitabantur, profectus, alios rurſus barbaros obvios habuit, qui non tantum ad Europæorum habitum, quos numquam antea viderant, ſtupebant, ſed & barbaros tanta ſolitudinis intercapedine ſibi prorſus incognitos admirabantur. Hic cũ ſumma veneratione fuit exceptus, indigenis barbaris non tantum large commeatum præbentibus, ſed & veſtimenta illius ſuperſtitioſe contrectantibus, ipſumq; *Hayotam*, id eſt, divinum virum appellantibus. Ipſe Veri Dei & Cæſaris cognitionen ipſis per interpretes prædicabat: illi autem viciſſim narrabant, quatridui à ſuis finibus itinere verſus mediterranea, latiſſimam planiciem habitari ab indigenis, qui & veſtibus induerentur & aures atque nares lapillis quibuſdam viridi colore ornarent; illo denique metalli genere abundarent, quod ipſis oſtenderat (id autem erat aurum) ita ut & vaſis aureis uterentur & templorum ſuorum parietes aureis laminis incruſtarent; veruntamen quia juſſus erat haud longe à mari intra continentem divergere, iter ad illam provinciam diſtulit. Dehinc quatridui itinere per eorundem populorum fines confecto, venit *Vacapam*, circiter quadraginta leucas diſtantem à mari, ubi feſto paſchatis ſubſtitit Vacapa.
& Americanos quidem qui illum comitabantur tribus diverſis itineribus dimiſit ad mare, Nigritam autem recta ad ſeptentriones, mandans ut ſimul ac quid magni aut memorabilis offendiſſet, ſeſe per nuncios certiorem faceret. Vix quatriduo præceſſerat Nigrita, quum nuncius ab ipſo advenit obnixe flagitans ut ſequi properaret, famam enim ampliſſimæ provinciæ, quæ *Cibola* vocaretur, ad aures ipſius accidiſſe, nec longius illam quam triginta dierum itinere abeſſe; illic ſeptem ingentia atq; incolis frequẽtiſſima oppida uni Principi parere, oppidanos veſtibus uti, domos è lapidibus & cæmẽto affabre conſtructas & conjunctim diſpoſitas eſſe, ſuperliminaria portarũ cyaneis gemmis, (Turcoides vocant) ornata, Americanus qui à Nigrita venerat, narrabat.

Eodem tempore qui ad mare requirendum miſſi fuerant, reverſi retulerunt triginta quatuor inſulas à ſe viſas, & inſulares aliquot adduxerunt, qui parmas aliquot bovillo corio obductas, quibus totum corpus tegebant, Monacho obtulerunt. Venêre & tres barbari ab orientali plaga, pectus atque brachia picti, (unde illos *Pintados* appellavit) qui ſe ſeptem illorum oppidorum vicinos ferebant. Atque his aſſumtis iter quod Nigrita indicaverat perſequi cœpit, & mox alios atque alios nuntios obvios habuit, qui rogabant ut properaret, famam enim *Cibolæ* & trium regnorum *Maratæ, Acus* & *Tonteac* in dies increbeſcere & confirmari; quod & major crux quam Nigrita fixerat indicabat: majoribus itaque itineribus profectus, quum jam bidui itinere abeſſet à deſerto, ad cujus exordium Nigrita ſe præſtolaturum promiſerat, incidit in locum peramænum, arvis ſatiſque undique cinctum, quæ foſſis rigabantur: incolæ autem ipſi obviam proceſſerunt goſſypino panno & taurinis tergoribus amicti; Reguluſque illorum goſſypina tunica indutus & cyaneis gemmis ornatus, varia monacho munera obtulit, quæ refutavit. Veſtimento autem illius contrectato narrabant barbari, ejuſcemodi pannos maxima copia in regno *Tonteac* texi è villis beſtiarum, quæ canum venaticorum, quales Nigritam ſecum ducere viderant, molem non excederent.

Hinc deſertum quatridui itinere emenſus, vallem frequentiſſimam incolis intravit, qui ad eundem modum veſtiti erant & cervicem, auriculas atque nares eiſdem gemmis ornati, quique *Cibolam* haud ſecus noverant, quam Novæ Hiſpaniæ incolæ urbem *Mexico*, nec pannos *Tonteacenſes* ignorabant. Quumque hactenus littus maris recta ad Arctum vergere obſervaſſet, illud luſtrare voluit & ad altitudinem ſex & triginta graduum in occaſum ſe flectere deprehendit. Deinceps per eandem vallem iter quinque diebus proſecutus, in *Cibolæ* civem incidit; qui Præfectum, quem dominus ſeptem oppidorum ibidem conſtituerat fugiebat: Erat autem is ingenio minime barbaro, monachumque comitari avebat; ut illius interceſſione veniam à Præfecto impetraret: Urbis illius ſitum uti & vicinarum diſertè explicabat, metropolim appellari *Abacum*; ad occaſum *Maratæ* regnum ſitum eſſe, olim quidem incolis frequentiſſimum, nunc autem bellorum injuria multum imminutum: *Tonteac* huic proximum eſſe, regnum opulentum cujus indigenæ pannis uterentur. In hac valle denique tergus dono accepit, taurino duplo majus, animali longis villis tecto, colore damæ, detractum; quod animal ut ipſi narrabant, cornu incurvum in fronte geſtaret, è quo alterum enaſceretur rectum, præcipuum hujus feræ robur. Itaque vallis hujuſce poſſeſſione Regi Hiſpaniarum vindicata, poſtquam triduum hic incolarum rogatu fuiſſet commoratus, cum magno barbarorum comitatu, largoque commeatu, ſolitudinem quam quindecim dierum itinere hanc vallem à *Cibolæ* provincia dividere cognoverat, ingreditur nono May, latam tritamque ſemitam inveniens, & crebra pyrarum veſtigia, quas viatores hic conſtruere ſolent: Duodecimo autem die unus Nigritæ comitum ad ipſum venit, triſtis atque trepidus, qui animo paulum confirmato narrabat, *Eſtævanicum* quum jam *Cibolæ* finibus appropinquaſſet, cucurbitam ſuam tintinabulis quibuſdam & candida rubraque pluma ornatam, per nuncios ad Præfectum urbis præmiſiſſe adventus ſui indicem; verum Præfectum conſpecta cucurbita tantopere excanduiſſe ut illam projiceret in terram & nuncios faceſſere & ipſorum Dominum quantocius è finibus ſuis excedere juberet, ni facerent, omnes ad internecionem ſe deleturum: Nigritam vero illo nuncio haudquaquam territum proceſſiſſe, verum non modo aditu urbis prohibitum fuiſſe, ſed & omnibus impedimentis, cyaneis gemmis, aliiſque exutum, profugere coactum: ſe quidem ſiti pene exanimatum ad vicinum fluvium ſe ſubduxiſſe, quo & Nigritam fugere, & ſocios illius ab indigenis miſere trucidatos obſervaverit. Hæc narratio barbaros qui Monachum comitabantur, ſupra modum conſternavit, itaque illos confirmare & nuntio fidem derogare nequicquam conatus, precibus ante conceptis, ſarcinas omnes reſerat, & inter primarios dividit, orans atque obteſtans ut ſe porro ſequerentur: Quum ergo proceſſiſſent & jam unius tantum diei itinere à *Cibola* abeſſent, alii duo è Nigritæ comitibus occurrerunt pene exanimati, & multis vulneribus ſaucii, qui præcedenti relationi conſentanea retulerunt, & ultra trecentos ſuorum cęſos, ipſumq; Nigritam haud dubio trucidatum eſſe, barbaroſq; ita denuo per-

perterruerunt, ut monachus anxius & quid porro ageret incertus paulum ſecederet è turba, & precibus conceptis ad comites regreſſus, blanditiis atque munuſculis illos placare niteretur, verum nihil proficiens & à Mexicano quodam monitus, barbaros ob ſuorum ſtragem, quam ipſi & Nigritæ imputabant, efferatos extrema ipſi minari, monere barbaros cæpit nequid ſecius in ipſum admitterent, exiguum enim ipſis in ſua cæde ſolatium fore, neque impune laturos, Chriſtianos enim haud dubiò vindices adfuturos. Quum his atque ſimilibus dictis barbaros nonnihil commoviſſet ſuadere inſtitit ut aliquot ſuorum dimitterent exploratum, ut certiora de ſuorum & Nigritæ cæde cognoſcerent, verum quum non perſuaderet, ipſe cum paucis proceſſit, donec in conſpectum *Cibolæ* ventum fuit, quam dicit ad radicem montis in planicie ſitam eſſe, Mexico paulo majorem, & lapideis ædificiis atque tectis affabrè conſtructam: ut propius accederet aut urbem ingrederetur inconſultum ipſi viſum, ne ſi quid humanitus ipſi accidiſſet, tam nobilis oppidi notitia Hiſpanos penitus lateret; itaque ſaxis aliquot in cumulum coacervatis & cruce impoſita, provinciæque dominio Regi Hiſpaniarum vindicato, via qua venerat eſt regreſſus, & deſerta rurſus emenſus, planicieque quam ante prætererat obiter ſalutata, primo ad oppidum *S. Michaëlis* & mox *Compoſtellam* repedavit, atque itineris ſui deſcriptionem ad Novæ Hiſpaniæ Proregem miſit.

Hactenus Fratris *Marci de Niza* relationem compendio proſequuti ſumus, è qua liquido conſtare poterit, quam fluxa ſit ejuſmodi fraterculorum fides, qui non raro à barbaris ſibi narrata & plerumque minus intellecta, ut viſa referunt, atque ita fallunt eos, qui ipſorum dictis fidem adhibentes, longinqua itinera ſuſcipiunt, uti *Franciſco Cornado* atque adeo ipſi Proregi accidiſſe jam narraturi ſumus.

Cap. XV.

Franciſci Vaſquii de Cornado *expeditio in* Cibolam *&* *vicinas provincias.*

A*Ntonius de Mendoza* Novæ Hiſpaniæ Prorex, ſuperiori illa Monachi relatione in ingentem ſpem erectus, *Franciſco Vaſquio de Cornado* Novæ Galæciæ præfecto mandat ut primo quoque tempore in illas regiones expeditionem ſuſciperet: Ille coactis centum & quinquaginta equitibus quorum multi binos equos ducebant, & ducentis peditibus bene armatis, cum campeſtribus aliquot machinis, magno belli apparatu, pecorum atq; porcorum grege, largo deniq; commeatu, menſe Aprili anni cIↃ IↃ XL è *Culvacan* profectus, quatuor dierum itinere ad flumen *Petatlan*, & deinceps triduo ad *Cinaloam* pervenit, ut *Herrera* ſcriptum reliquit: Unde d.6.l.9. c.11.
deinceps iter ſuum inſtituit, quemadmodum ipſe narrat in hunc modum.

Triginta (inquit) leucis ab eo loco quem Pater provincialis tantopere in ſua relatione prædicaverat, *Melchiorem Diazium* cum quindecim equitibus præcedere jubeo, & quam maximis itineribus ad provinciam contendere, illamque penitius perluſtrare: hic quatriduum per aſperrimos montes eluctatus, neq; annonam neque ulla oppida ſe reperiſſe præter duos treſve inopes pagos viginti aut triginta humilium caſarum, quorum incolæ narrabant ulterius nihil reſtare præter fragoſos & incultos montes & meram ſolitudinem, uti ad exercitum reverſus retulit, qui prima hac ſpe tam inſigniter fraudatus haud modice conturbabatur; Veruntamen non hujus potiſſimum regionis luſtrandæ gratia hoc iter ſuſceptum eſſe, apud ipſos concionatus, aliam laborum metam in ditiſſimis illis provinciis ſubjugandis proponi, tandem perſuaſi ut procederent. Hic rurſus impeditiſſimum iter & nonnunquam præruptum experti, fidem monachi obteſtari cœperunt, qui plana omnia & expeditiſſima promiſerat, multoſque montes præter paucos colles obſtare qui vix dimidiam leucam occuparent: Contraria autem omnia accidebant ita ut ne animalia quidem & pecora aſperitatem montium ferrent, ſed pleraque præ laſſitudine deficerent. Tandem vigeſimo & ſexto May ad vallem *de Corazones* ventum (*Arroya de Corazones* vocat *Herrera*) cæteris provinciis quas hactenus tranſierant longe frequentiorem.

Hic largam quidem ſementem, ſed Mayzii maturi perexiguum penu invenimus: itaque eundem *Diazium* ad vicinam vallem *de Sennora*, ut jam à noſtris vocatur, mitto

mitto ut permutatione quarundam mercium Mayzium ab incolis compararet;atque ita barbaris noſtris & tenuioribus militibus opportune ſubventum, qui jam annonæ penuria laborabant.

Hanc vallem quinque dierum itinere à mari occiduo abeſſe intellexi, & barbaris qui maritima accolunt accerſitis, haud longe à littore ſeptem aut octo inſulas habitari à gente bruta & annonæ indiga, nuperque hic navem grandem conſpectam fuiſſe, accepi.

Quatriduum in hac valle moratus,caſtra movi,quumq; me magis magiſq; ad mare Chichilticale. acceſſurum opinarer, longius ab illo receſſi, adeo ut quum jam *Chichilticalen* attigiſſem, quindecim dierum itinere à mari me abeſſe deprehenderem, licet Monachus tantum quinque leucarum diſtantiam prodidiſſet, ſeque mare è longinquo vidiſſe fuiſſet mentitus: quæ res nos peſſimè habuit. *Chichilticalæ* tantum biduum ſubſtiti, ob pabuli inopiam, licet equorum laſſitudo longiorem moram flagitaret, & ſolitudinem ingredior vigilia *S. Ioannis*, in qua nulla equis pabula, ſed viam longè difficiliorem reperi, ita ut multi equi deficerent nec non aliquot Americani & Nigritæ atque unus Hiſpanus. Dein præfectum caſtrorum cum quindecim equitibus ſpeculatum præmitto, qui dextre officio ſuo functus iter exercitui expeditius reddidit. Triginta denique leucarum itinere per invios ſaltus & aſperrimos montes confecto, regionem ingredimur multis amnibus riguam & pabulo abundantem ab Europæo haud multum diverſo, multis moris, juglandibus (ſed frondibus à noſtratibus nonnihil diverſis) refertam; jamque unius diei iter eramus emenſi, quum quatuor barbari inermes obviam venerunt, qui ſe præmiſſos dicebant ut nobis adventum felicem gratularentur, poſtero die plures cum annona adfuturos: quibus auditis, rogavi ut oppidanos bono animo eſſe juberent, neque oppidum deſerere, me enim Regis mei mandato adveniſſe ut ipſos adverſus hoſtes ipſorum defenderem: Simulque præfectum Caſtrorum præmiſi ut aditus omnes exploraret & ſiquem difficiliorem reperiſſet, eundem occuparet ne à barbaris præriperetur: repperit autem unum longe impeditiſſimum, quem ſi barbari inſediſſent, magnum utique impedimentum potuiſſent objicere; commodum autem à præfecto præreptus fuerat,quum barbari ſub noctem accederent, qui quum in vigiles noſtros incidiſſent, ſtatim retroceſſerunt. Poſtero mane caſtra movi & annonæ penuria cogente celeri paſſu ad oppidum admovi & ne quid intentatum relinquerem religioſos aliquot præmiſi qui oppidanis perſuaderent me nequaquam veniſſe ut aliquid damni ipſis adferrem, ſed ut ipſos adverſus omnes hoſtes tuerer, modo religionem noſtram amplecterentur & ſe vaſallos Regis Hiſpaniarum agnoſcerent; Verum illi paucitatem noſtrorum vilipendentes tanto animoſius arma corripiunt & nos ultro aggrediuntur; repreſſi tamen adhuc meos, mandati tui & Marchionis memor, donec audacia barbaris in tantum crevit ut pene turmis noſtris miſcerentur & ſaxa atque jacula pedibus equorum noſtrorum acciderent; tunc non ultra cunctandum ratus, religioſis idem cenſentibus, in barbaros invehor & primo impetu conjicio in fugam: pars in oppidum recepti, reliqui per agros palantes diſperſi, pauci interfecti, nam quantocius ad oppidum copias admovere fames ſuadebat; itaque baliſtarios & ſclopetarios primum vallo ſuccedere imperavi, ut defenſores propellerent atque dejicerent; verum parum profecit hic conatus, nervis arcuum fatiſcentibus & ſclopetariis præ laſſitudine ſtatim remittentibus; barbari interim ſaxis & jaculis noſtros petebant è vallo, ubi ipſe magnum diſcrimen adii, bis ſaxo ictus & humi proſtratus, vulneratuſque ita ut pugna excedere ſim coactus; nihilominus barbaris ſenſim cedentibus, tribunorum & militum noſtrorum virtute oppidum cepi & in eo tantam Mayzii copiam repperi, ut neceſſitati noſtræ abunde ſufficeret. Hactenus è commentariis ipſius *Franciſci Vaſquii de Cornado* hanc expeditionem compendio retuli, nunc reliqua ex *Herreræ* decadibus ſubjungam.

Quinque (inquit) dierum itinere à *Cibola* verſus Aquilonem adierunt provin-
Tuyacã. ciam *Tucayan*, in qua ſeptem ſunt municipia ſatis frequentia, quæ ſeptem illæ civitates videntur quarum frater *Marcus de Niza* meminit. Ad *Cibolam* uſque omnes torrentes atque amnes verſus occaſum labuntur & haud dubio in mare Auſtrale, ulteriores ad oceanum ſeptentrionalem deſcendunt.

A *Tu-*

Huex fl. Cicuicuique fl.

A *Tucayan* ad flumen *Huex* ventum, cujus ripis viginti leucarum ſpacio quindecim municipia adſident, domiciliis inter ſe junctis & affabre conſtructis, in quibus & tepidaria quæ vulgo *Stuvas* appellamus, ſub terra conſtructa adverſus hyemis vehementiam. Hoc flumen à Coro ad Eurum devolvitur, ita ut omni dubio procul in ſeptentrionalem Oceanum exeat. Septem ab hoc dierum itinere verſus boream *Cicuicuique* flumen attigerunt, & aliorum quinque campeſtria ſunt ingreſſi in quibus tauri & vaccæ gibboſæ paſcuntur: Indigenæ tuguriola ſua longuriis in conum deſuper connexis componunt, & taurinis tergoribus adverſus aëris injurias muniunt; neque ullas præter hæc armenta divitias noverunt; his veſcuntur, horum exuviis amiciuntur, his deniq; omnia ad vitam humanam neceſſaria explent; canes præterea habent grandiuſculos, quibus pro jumētis utuntur, quoties ſedes mutant. Americanus interea qui viam monſtrabat, ſua ne malitia an alieno impulſu incertum, in uliginoſa loca & riguos campos à recto tramite Hiſpanos abduxerat, futurum ſperans ut annona omni adeſa in ſolitudine fame perirent: jamq; octiduum proceſſerant quum ab altero barbaro fraudis hujus atq; periculi admonentur, nec tamen ante ſubſtiterunt quam (vigeſimo tandem die) ad alterum pagum ventum eſſet, cujus Regulus ætate gravis & jam cæcus, ſe quatuor Chriſtianos ante aliquot annos vidiſſe meminerat.

Haräe.

Hic *Vaſquio* conſultius viſum cum viginti novem equitibus ulteriora luſtrare, & reliquas copias ad priora ſtativa remittere. Progreditur itaque triginta diebus recta verſus Arctum, ſed haud magnis itineribus, per aquoſa loca & eiſdem gibboſis animalibus plena, donec ad flumen pervenit cui *S. Petri* & *Pauli* nomen indidit: hoc tranſmiſſo ſecus ripam deſcendentes verſus aquilonem, tertio demum die inciderunt in barbaros venationi intentos, à quibus tam hujus quam remotioris provinciæ *Haräe* ſtatum edocti, *Quiviram* uſque proceſſerunt, atque ibidem majus quidem flumen, pagos vero barbarorum pene unius modi repererunt. Salutato denique Regulo qui vir erat procero & bene compoſito corpore, quum nihil tanto conatu dignum reperiſſent, & Auguſto jam inclinante, ne à nivibus & fluviorum inundationibus interciperentur, metuerent; mature de receptu cogitandum exiſtimarunt. *Vaſquium* denique ad exercitum jam reverſum caſus afflixit, itaque pleraſque copias primo ad *Culvacan*, deinde in præfecturam ſuam reduxit.

Cap. XVI.

Cibolæ *provinciæ ſitus, cœli ſolique qualitates à* Franciſco Vaſquio de Cornadô *obſervatæ.*

SUPERIORI capite *Franciſci Vaſquii* iter deſcripſimus, nunc ejuſdem literas ad Proregem adjungemus, è quibus regionum ſitus & qualitates clarius eluceſcent. Reſtat jam (inquit) ut Nobilitati tuæ perſcribam, ſeptem illorum oppidorum ſitum & regnorum illorum ſtatum, de quibus Provincialis tam magnifica narravit.

Primo ſerio affirmare poſſum, Monachum illum omnia pene præter rei veritatem retuliſſe, neque quicquam veri narraſſe præter oppidorum nomina & ædium ſtructuram; licet enim nequaquam cyaneis gemmis ſint ornata aut è lateribus & cæmento coagmentata, tamen perpulchra ſunt & tribus quatuorve contignationibus ſubſtructa, multis atriis & cubiculis diſtincta, & caveis ſubterraneis adverſus hyemis inclementiam inſtructa. Septem autem illa oppida ſunt totidem exigua municipia, quatuor ad ſummum leucarum intervallo à ſe invicem diſtantia, quæ conjunctim Regnum *Cibolæ*, ſingula vero propriis nominibus appellantur. Municipium in quo jam moramur, quod ob ſimilitudinem & ad tui memoriam *Granadam* appellavi, circiter ducentis conſtat domiciliis præter alia hac illac per agrum ſparſa pene trecenta. Huic vicinum eſt oppidulum paulo majus circiter quingentarum caſarum: tertium primo æquale: reliqua quatuor paulo minora; ſingula in membrana quam hic repperi, depicta mitto. Indigenæ harum regionum ſtatura ſunt juſta, & pro captu barbarorum ſatis ingenioſi, non tamen ea videntur induſtriâ, ut ejuſmodi ædificia ſtruxiſſe veriſimile ſit: nam fere nudi agunt aut pudenda leviter tecti, &

varie-

variegata pictaque pallia geſtant, qualia mitto. Goſſypium hæc tellus nequaquam fert ob frigoris vehementiam, nihilo tamen minus hic illius copiam reperi. Capillos capitis in Mexicanorum modum componunt: Cyanearum gemmarum magnum numerum videntur poſſidere, verum illas ante noſtrum adventum cum reliqua ſupellectile, penu tantum excepto, alio ſubduxerant: neque in oppido ullas fœminas aut infantes offendimus, ne ſenes quidem præter paucos, qui cæteris regendis relicti videbantur. Inter ſpolia fragmenta quædam ſmaragdorum, cryſtalli, aliarumque viliorum gemmarum capta, quæ miniſtri mei negligentia perierunt. Gallopavorum hic magna eſt copia, quibus tamen ſe in cibis uti pernegant indigenæ, & plumarum tantum gratia alere perhibent: quod mihi non ſit veriſimile, ſunt enim Mexicanis longe majores & meliores.

Temperies aëris æſtate à Mexicano cœlo non multum differt, nam interdum hic æſtuat, interdum pluit, licet ſemel tantum hic pluviam viderim eamque vehementiorem & nimbo ſimilem. Nives altas, geluque acerrimum hic hybernis menſibus tolerari, indigenæ fatentur, & clyma arguit, ipſaque ædium ſtructura indicat; nec non pelles, aliaque quæ indigenæ adverſus frigus parata habent.

Nullæ hic arbores ſunt quæ fructus ferant; ſolum ipſum humile & pene æquale, nonnuſquam tamen raris montibus, eiſque aſperrimis impeditum. Pauciſſimæ hic volucres & raræ ſylvæ; una tamen quæ circiter quatuor leucis ab oppido diſtat, humilioribus cedris conſita, materiem foco abunde ſubminiſtrans. Paſcua haud longe abſunt, quæ & lætum gramen, & fœnum equis noſtris peropportune præbent, quos macies & laſſitudo mirum in modum afflixerat.

Frumentum indigenarum eſt Mayzium, quo abundant; uti & piſis perexiguis & candidis; ferina quoque, qua tamen ſe veſci negant, licet multa cervorum tergora hic invenerimus, uti & pelles leporum atque cuniculorum. Longe optima liba coquunt è Mayzio; quod tanta induſtria hic molere & conterere noverunt, ut una fœmina hic plus operis conficiat, quam in urbe Mexicana quatuor. Salem uſurpant præſtantiſſimum; quem colligunt ad ripas lacus qui unius diei itinere abeſt. Cæterum neque Septentrionalem neque occiduum Oceanum noverunt, utri autem viciniores haud facile dixerim, licet multæ rationes ſuadere videantur, occiduo propiores eſſe, à quo tamen haud minus centum quinquaginta leucas abſunt, ſed ab Arcto haud dubio longe plures: è quo colligere promtum eſt quanta ſit hujus Continentis amplitudo.

Feræ hic variæ repeririuntur, urſi, tigrides, leones, herinacei, & oves quædam equorum magnitudine, brevi cauda, cornibus ingentibus, quarum aliquot vidi ad miraculum vaſtas: capræ præterea ſilveſtres, apri, denique maximi cervi. Indigenæ octo dierum itinere ad campeſtria proficiſcuntur verſus arctoam plagam, indeque reportant taurina tergora bene præparata, eleganterque picta.

Tõteac. Regnum *Tonteac* vel *Totonteac*, quod Provincialis noſter tantopere celebrat, tantum lacum eſſe calidum narrant indigenæ, cujus ripis olim quidem plura tuguria aſſidebant, nunc vero tantum paucula & injuria bellorum valde infrequentia.

Marate. *Maratæ* regnum hic penitus ignotum eſt. *Acus* eſt exiguum oppidulum, ubi perparum goſſypii naſcitur, quod hi barbari nominant *Acucu*. Ulterius tendentibus aliquot pagi occurrunt ad ripam fluminis ſiti, quorum aliquot vidi, alios ex barbarorum relatione accepi. Hactenus *Franciſcus Vaſquius*, uti oculatus teſtis, haud dubio veram harum regionum faciem deſcripſit.


Cap. XVII.

Quiviræ *Provinciæ ſitus*, *indigenæ*, *animalia*, *aliaque è* Gomara.

Q*Viviræ* regionem deſcribit *Gomara* in hunc modum: Regio omnis quæ à *Cicuic* ad *Quiviram* uſque extenditur, planiſſima eſt, nullis arboribus veſtita, nullis ſaxis aſpera: rari atque exigui pagi & incolarum ſumma infre-

infrequentia: mares taurino corio non tantum pedes ſed & reliquum corpus muniunt: fœminæ autem, quibus capillos quam longiſſimos alere ſummum decus eſt, iiſdem non modo capita ſed & pudenda velant: Deſtituuntur prorſus omnis generis farre, veſcunturque carnibus, ut plurimum crudis, ſive ita aſſuevere ſeu lignorum inopia; adipem è viſceribus recenter extractum avidiſſime devorant: Sanguinem hauriunt & calentem ſine noxa (licet antiqui id fieri poſſe negaverint) & frigidum atque aqua dilutum: quumque ollis deſtituantur, carnes interdum aſſant vel potius ad flammam, quam ex arido fimo eliciunt, torrent: eaſque diglutiunt potius, quam maſticant aut dentibus conterunt: dentibus quippe apprehenſas, præacutis ſilicibus dividunt, atque brutorum in modum dilaniant. Gregatim quidem degunt, ſed nullas fixas habent ſedes, Scytarum more crebro migrant, prout aut anni tempeſtas cogit, aut pabuli copia invitat.

Armenta illorum tauris Europæis magnitudine & colore haud abſimilia, cornuum magnitudine ſuperantur, ſunt enim ipſis parva, fere recta & præacuta: in eo maxime differunt quod gibbum habeant inter ſcapulas, & pilos laneos, anteriori quidem parte corporis longiores quam poſteriori: & ſupra collum atque ſpinam dorſi jubarum inſtar criſpantes: Pilos quotannis mutant, qui fere nigri ſunt, & raro albis quibuſdam maculis diſtincti: crura brevia inde à genibus longis villis tecta ſunt, qui & frontem inter cornua obvelant, ſub jugulo autem ita propendent ut barbam hircinam æmulentur: mares caudam habent oblongam, & ad extremitatem villoſam; ita ut quædam cum Leone, quædam cum Camelo communia habeant. Cornu feriunt, & ſiquando rabies illos cœpit, aut ſi irritetur etiam equos trucidant. Animal denique deforme eſt, torvum tetrumq; aſpectu, ita ut equi occurſum illius horreant, ob deformitatem, an novitatem, incertum. Præter hæc animalia nullas præterea divitias noverunt barbari; hæc ipſis cibum potumque ſubminiſtrant; (caro autem optimi eſt ſaporis) tergoribus illorum corpora ſua pariter atque caſulas muniunt; è laciniis eorum funes contorquent; oſſa illis ſtilos; nervi villique funes; cornua buccinas; veſicæ utres; fimus denique ſiccus fomites præbet. Effigiem hujus animalis exhibuit *Gomara*, quam hic apponimus.



Sunt & alia hic animalia equorum magnitudine, quæ quia lanigera & cornuta ſunt, à noſtris appellantur Oves; cornua interdum libras quinquaginta dicuntur pendere. Itemque ingentes moloſſi, quos & tauris committunt, illiſque quum aut venandi aut domicilia mutandi gratia iter faciunt, onus quinquaginta librarum imponunt.

Quiviram porro tam *Gomara* quam *Antonius Herrera* ad altitudinem quadraginta graduum ſeptentrionalium conſtituunt; temperiem aëris, aquarum bonitatem, camporum amœnitatem ſatis laudant; ceraſos, moros, nuces, vites denique & melones tribuunt.

Operæpretium autem fuerit *Gomaram* hic audire, qui *Cibolæ* provinciam ad altitudinem ſeptem & triginta graduum & triginta ſcrupulorum collocans (ita habet verſio Gallica, cum in Hiſpanico exemplari diſerte triginta gradus & ſemiſſis ponantur) *Franciſci Vaſquii de Cornado* iter ita porro deſcribit. Milites *Vaſquii* (inquit) quum regiones haſce tam infrequentes incolis, & tam inopes deprehenderent, monacho ſupra modum indignabantur, qui tam magnifica de hiſce terris prædicaverat: itaque ne inopes & nullo operæ pretio facto, in Novam Hiſpaniam reverterentur, ulteriora luſtrare in animum inducunt, præſertim quia barbari longe meliores terras haud procul inde jacere teſtabantur: *Acuco* munitiſſimo & edito loco copiæ admotæ: *Garſias Lopez de Cardenas* cum turma equitum miſſus ut mare requireret:

Ipſe

Tiguez. Ipſe *Vaſquius* cum reliquis copiis movit verſus *Tiguez* ad magnum fluvium ſitum. Hic Axæ & Quiviræ fama auribus illorum accidit, narrantibus barbaris *Quiviræ* dominari regem *Tatarax*, virum barbatum, colore candido & opibus affluentem, qui in capella crucem & reginam cælorum adoraret. Hæc divitiarum fama facile milites pellexit ut procederent, licet non pauci falſa hæc & monachorum commenta haud fruſtra ſuſpicarentur. Barbari interim qui Hiſpanos hactenus ſequuti fuerant, una nocte omnes in diverſa aufugerunt, quæ res exercitum haud modice perturbavit. Promota tamen caſtra, & municipium in itinere captum, direptum atque concrematum: deinceps in alterum impetus factus, aliquot milites deſiderati, & quinquaginta equi vulnerati, *Franciſcus* quoque *Obandius* captus & intra oppidum abreptus, incertum an idolis ab ipſis immolandus, an ut plenius de advenarum ſtatu cognoſcerent; atque hoc magis credibile viſum, neque enim hactenus in hiſce regionibus obſervatum fuit barbaros humanis hoſtiis numina ſua placare. municipium itaque corona cinctum, ſed vix quinto & quadrageſimo die potuit expugnari. Oppidani quum de ſe actum animadverterent, primum pallia ſua, cyaneas gemmas, & quicquid alicujus pretii poſſidebant conjiciunt in ingentem pyram, dein fœminis & pueris in medium agmen acceptis, magno impetu erumpunt; ſed pauci admodum evaſerunt, reliqui aut ferri acie fuerunt conſumti, aut ab equis conculcati aut vicino fluvio hauſti: Hiſpanis quoque haud incruenta victoria fuit, ſeptem militibus cæſis, octuaginta vulneratis, & plurimis equis deſideratis: pauci denique barbari intra oppidum rejecti, tantiſper fortiter reſtiterunt, donec Hiſpani ignem in ædes injicerent, & flamma obvia quæque depaſceretur. Hyems erat, & fluvius tam valida glacie aſtringebatur, ut equos ferret. Nives hic admodum altæ, & pene ſemeſtres: æſtate tamen hic præſtantes melones naſci, atque etiam goſſypium produnt authores, è quo indigenæ pallia ſua texunt.

A *Tiguez* quatridui itinere ventum *Cicuic* exiguum municipium, à quo circiter duodecim leucas digreſſi, novam ſpeciem vaccarum offenderunt, quarum octuaginta mactarunt, inſigni exercitus levamento. Porro à *Cicuic* ad *Quiviram* nongenta milliaria numerant: iter agitur per vaſtam & infœcundam planiciem, in qua neque ſaxa, neque arbores, atque adeo nec herbæ reperiuntur; itaque itinera & ſtationes, ſtercore illarum vaccarum in cumulos aggeſto, ſignare cogebantur, ne in reditu à recto tramite aberrarent: & jam farre omni deſtitutis pereundum hic fuiſſet, niſi vaccæ cibum præbuiſſent, quæ per hos campos ingenti numero vagantur. Ventum denique *Quiviram*, & *Tatarax* inventus, vir quidem candido colore, prorſus nudus, cuique nihil prorſus divitiarum erat, præter unam lamellam æneam, quæ à collo illius ad pectus dependebat. Hiſpani tam inſigniter ſpe ſua fruſtrati, quantocius ad *Tiguez* revertuntur, ne veſtigio quidem ullo Chriſtianæ religionis apud Quivirenſem deprehenſo. Et demum anno cIↃ IↃ XLII redierunt in Novam Hiſpaniam.

(Margin: Cicuic.)

Quivira. Pleræque hodie Tabulæ Geographicæ hanc provinciam *Quiviram* ſubmovent ad extremum pene angulum *Californiæ* verſus occidentem: Quam tamen *Herrera* diſerte teſtatur ducentas leucas à *Cibola* verſus ortum divergere; quod & itinerum ratio, quæ modo deſcripſimus, poſtulat, & Luſitani cujuſdam à *Quivira* per *Chichimecarum* terras in *Panuci* provinciam reditus omnino videtur exigere. Inſignem itaq; hic errorem in Tabulis admiſſum eſſe facile ſuſpicatus ſum, neque tamen me extricare potui; præſertim quum veterem tabulam unam in pergameno eleganter deſcriptam vidiſſem, quæ *Californiam* in ingentis Inſulæ modum à continente ſeptentrionalis Americæ divideret: opinabar autem huic errori forte occaſionem dediſſe, quod à *Gomara* narratur, Hiſpanos illo tempore naves quaſdam juxta littora vidiſſe variis mercibus onuſtas, quarum proræ avibus deauratis erant ornatæ, quas è Catayo aut Sinarum regno venire ſuſpicabantur. Sed nuper admodum vidi relationem quandam *Alfonſi de Benavides* Franciſcani, de qua mox plura dicam, in qua duæ provinciæ *Quiviræ* commemorantur, quarum una à Nova Mexicana diſcedat ad occidentem, altera ad orientem: quicquid ſit de priore illa verſus occidentem (nam fides hujus Franciſcani apud me levior eſt) poſteriorem hanc ad orientem, omnino veram eſſe *Quiviram* mihi perſuadeo. Nam *Gomara*, ut ſupra, narrat poſt irritam illam *Fran-*

ciſci Vaſquii expeditionem, Fratrem *Ioannem de Padilla* cum altero Franciſcano & duodecim barbaris Mechuacanis, itemque *Andrea de Ocampo* Luſitano in provincia *Tiguez* aliquandiu ſubſtitiſſe, & ſecundo inde ad *Quiviram* profectum; monachoſque ab indigenis trucidatos, Luſitanum autem cum paucis Mechuacanis evaſiſſe & poſt decem menſium captivitatem & longos errores tandem per *Chichimecarum* terras *Panucum* rediiſſe. *Benavidius* denique hanc *Quiviram* collocat ad trigeſimum ſeptimum gradum ab Æquatore verſus Arctum; ſcribitque hanc provinciam (cujus incolas vocat *Aixaoros*) argenti atque auri metallis abundare, & haud longe abeſſe à finibus earum provinciarum, quas jam Angli & Belgæ coloniis occuparunt; quos à barbaris iſtis multum auri atque argenti accipere narrat, quàm falſo, Angli atque noſtrates poſſunt teſtari.

Cap. XVIII.

Hernandi de Alarcon *navigatio in Freto Californiano.*

Antonius de Mendoza Novæ Hiſpaniæ Prorex, ſimulac *Franciſcum Vaſquium de Cornado* terreſtri itinere dimiſerat ad *Cibolæ* provincias luſtrandas, etiam *Hernandum de Alarcon* cum duabus navibus ablegavit, ut oram maritimam Freti Californiani inviſeret: Hic quum ad vadorum brevia perveniſſet, à quibus *Franciſcus de Vlloa* vela retro vorterat, non ſine ſummo periculo ad intimum ſinus illius gremium penetravit: ubi flumen offendit ita rapide decurrens, ut naves plenis velis ſubeuntes remoraretur: itaque majores naves in anchoris hic conſtituens, cum duabus cymbis quibus viginti milites nautæque vehebantur, flumen aſcendere aggreditur; primo die, qui erat ſextus & vigeſimus Auguſti, ægre ſex leucas provectus, poſtero die aliquot tuguria barbarorum conſpexit, qui poſtquam res ſuas in vicinos montes abdidiſſent, ad ripam reverſi, Hiſpanos minitabundi terra prohibere ſatagebant; verum *Alarconius* promiſſis atque munuſculis barbaros ita delinivit ut mox ultro in terram exſcendere juberent, & commeatum liberaliter conferrent. Hi populi nudi agebant, & cutem variis coloribus picti; capita galeis quibuſdam muniebant, quas è cervino corio conſutas elegantiſſimis plumis ornant: arma ipſis ſunt arcus, ſagittæque & lignei gladii; corpora vaſta & validi lacerti: perforant nares, & brachia notulis quibuſdam perſignant: capillitium ſupra frontem raſum, ab occipitio ad lumbos uſque promiſſum: fœminæ pudenda ante & retro plumis tegunt, cætera nudæ & eodem quo mares modo capillatæ. Ingens autem hominum multitudo quotidie accurrebat, quos Hiſpanus, dum ſe à ſole, quem hi barbari unice venerantur, miſſum jactat, ita delinivit, & muniſculis exigui pretii, puta ligneis & papyraceis crucibus (quas res cœleſtes eſſe prædicabat) in tantum ſibi conciliavit, ut funibus arreptis, magna contentione cymbas illius adverſo flumine ſubducere aggrederentur. Invenerunt & aliquem qui ipſorum interpretem nonnihil videbatur intelligere: Hunc multa variaque quærentem, quum viciſſim de *Cibola* & *Tonteac* provinciarum ſitu & ſtatu interrogaſſent, ille nihil ſibi de iſtis conſtare reſpondit. Venit deinde ad eos *Naguachatus* barbarorum horum regulus, qui & præfectum humaniter ſalutavit & placentis aliquot è Mayzio coctis atque cucurbitulis donavit; itaque hîc crux ab Hiſpanis erecta & barbari à monachis edocti quomodo illam venerarentur. Adverſam autem fluminis ripam non minor hominum multitudo obtinebat, qui ſimili munificentia annonam offerebant, quare & ibi crux fixa. Regulum deinceps ſerio interrogantes cognoſcunt ſupra viginti tres populos ripas hujus fluminis accolere, omnes idiomate inter ſe diverſos, nec tamen defuturos aliquos, qui interpretes Hiſpanorum aliquo modo ſint intellecturi. Supra hoſce autem nationem quandam degere quæ ædes lapideas inhabitet, ferarumque exuviis induatur, & annonæ comparandæ gratia quotannis ad ipſos deſcendat.

Hinc ergo provectus in aliam gentem incidit, quæ obſcuram quandam *Cibolæ* notitiam habebat, eamque menſis itinere abeſſe teſtabatur: & mox in alium populum cujus Regulus teſtabatur, *Cibolæ* dominum Nigritam quendam ſuperioribus annis obtruncaſſe, eique virides patinas & canem Hiſpanienſem eripuiſſe. Huic proximi agebant barbari, qui magnam quidem goſſypii copiam poſſidebant, ſed

uſum illius penitus ignorabant, gliſcente jam magis atque magis *Cibolæ* fama, hi namque decem dierum itinere per ſolitudinem abſoluto, haud longè abfuturam profitebantur: repertus denique unus qui Cibolæ ſe fuiſſe, & Chriſtianos, eorumq; ingentes belluas ibidem vidiſſe diceret. Præfectus quum *Franciſcum Vaſquium de Cornado*, illiuſque equos deſignari ſatis intelligeret, nuncios ad illum mittere ſummopere deſiderabat, ſed nemini perſuadere poterat, ut iter illud ſuſciperet. Biduo deinde deſcendit ad naves ſuas, quum vix quindecim diebus aſcendiſſet: Quumque ibidem ſalva omnia reperiſſet, flumini quidem *Rio de bona guia* nomen impoſuit, provinciæ autem *Campanna de bona Guia*; & poſtquam ſuis imperaſſet capellam hic ædificare *Nueſtra Sennora de bona Guia*, denuo cum pluribus cymbis flumen aſcendere aggreditur: & paucorum dierum itinere pervenit ad provinciam *Coano* ſive *Cumanam* vel etiam *Quuamam* (nam tria hæc nomina apud ſcriptores invenio, ſive una eademq; ſit provincia, ſive plures & diverſæ) ubi humaniter ab incolis fuit exceptus; quumque circiter leucas octuaginta flumen aſcendiſſet, nec quod quærebat inveniſſet, voti irritus ad naves ſuas remeavit. Sublatis deinde anchoris, poſtquam oras freti Californiani obiter luſtraſſet, naves ad Novam Hiſpaniam incolumes reduxit.

Coano.

Cap. XIX.

Expeditio navalis Joannis Roderici Cabrilli *ſecus littus auſtrale Californiæ in mari Pacifico.*

PROREX *Mendoza* inceptis gnaviter inſiſtendum ratus, binas iterum naves inſtruxit, iiſque præpoſuit *Ioannem Roderici Cabrillum* Luſitanum: qui è portu *Nativitatis* ſolvens vigeſimo & ſeptimo Junii anni CIↃIↃXLII, poſtero die Promontorium *de Corrientes* prætervehitur, & trigeſimo ejuſdem menſis poſtquam littora legiſſet, deſcendit ad altitudinem viginti duorum graduum & viginti ſcrupulorum. Secundo autem Julii portum Marchionis Vallenſis, ad *Californiæ* continentem ſitum (quem vocant *de la Cruz*) prætervectus, octavo ejuſdem ſuperavit Promontorium *Trinitatis* ad altitudinem quinque & viginti graduum: & decimo nono ejuſdem ſubiit portum *de la Madalena* ad altitudinem ſeptem & viginti graduum ſitum & adverſus incerta ventorum egregie munitum; ubi aquavit. Hinc provectus, vigeſimo Auguſti Promontorium *del Enganno* adiit ad altitudinem unius & triginta graduum: & demum XIV Septembris, anchoris jactis ſubſtitit, tribus & triginta gradibus ab Æquatore verſus Arctum, ſub prærupto Promontorio, quod *de la Cruz* appellavit: Veliſque rurſus explicatis, X Octobris quendam barbarorum pagum adiit, ad altitudinem quinq; & XXX graduum atq; XX ſcrupulorum, quem à lemborum multitudine *Pueblo de las Canoas* appellavit. Aliquot diebus ob malaciam hîc detentus, XVIII ejuſdẽ menſis die pervenit ad altitudinem VI & XXX grad. & XXX ſcrupul. Continens hîc anguſto collo in altum exiens Promontorium facit, quod à figura *Cabo de la Galera* dixerunt.

1542.

Deinceps Cori frigus vitare ſatagens, relicto littore altum petiit, & decem leucarum intervallo à dicto promontorio, duas invenit Inſulas, quarum una octo leucas inter ortum & occaſum, altera quatuor patebat, *S. Lucæ* nomine hodie ſignatæ; apud harum alteram, modicum quidem, ſed ſatis tutum portum ingreſſus eſt, quem *de la Poſſeſſion* nominavit. Habitatur utraque inſula à barbaris, qui (quemadmodum & illi qui in Continenti degunt) nudi agunt, genas quadratis quibuſdam notis ſignati: & piſcatu vitam tolerantes. Ex hoc portu vigeſimo quinto ejuſdem menſis, Africo leniter afflante profectus, poſtero die haud leve diſcrimen adiit ab auſtri violentia in oram importuoſam, vorticoſamque pene impulſus; & quatriduum crebra ventorum mutatione, nimbis & nebuloſo cœlo exercitus, primoque Novembris ab impetuoſo Coro, adverſaque tempeſtate ad Promontorium *de la Galera* rejectus, pone illud naves ſubduxit. Poſtero die portum *de Sardinas* adiit. Hîc Continens habitatoribus frequens videtur, quorum multi è vicinia ad Hiſpanos venerunt, & ad tympani murmur ſaltarunt & in navibus pernoctaverunt: dum Hiſpani quietè aquam & ligna in naves ſubvehunt. Habitabant hi barbari in ſpatioſis domiciliis ad ripam fluminis; & nudi fere, glandibus, nucibus & piſcibus victitabant; ſepulcra eorum aſſeribus undiquaque erant ſepta. Hanc provinciam Hiſpani *Seyo* appellarunt.

Seyo.

Undecimo Novembris, aura ipſis ſecunda ab Euro afflante, hinc abſolverunt, curſum

curſum ſecundum orarum ductum inſtituentes: & quum flumen *de Noſtra Sennora*, ut vocant, aliquandiu fruſtra inveſtigaſſent; occurrerunt illis ad altitudinem ſeptem ſupra triginta graduum & triginta ſcrupulorum, continua altiſſimorum montium juga, quæ hodie *S. Martini* audiunt: Ea autem ad altitudinem octo & triginta graduum vaſtum promontorium in altum exporrigunt, ejuſdem nominis. Hîc nocte intempeſta, vehemens ab Africo procella cum nimbo & nebula ipſis incubuit, ita ut curſum tenere non poſſent, & ob fluctuum impetum dividerentur, ſuperioraque armamenta in mare projicerent: itaque decimo tertio ejuſdem menſis terram verſus vela vortunt, ut ſociam navim quærerent.

C. de Pinos.

Porro quadraginta gradibus & aliquot ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, promontorium eminet, proceris pinis obſitum, à quibus & nomen accepit; à quo ora Continentis verſus corum ad aliquot leucas procedit, altiſſimis & præruptis ripis.

Decimo quinto quum corus valide perflaret, & ſecus littus navigantes frigoris acrimoniam vix ferrent, juga montium niuibus candentia conſpexerunt, & ſociâ navi inventâ quæ ob fluctuum, quos hauſerat, copiam periclitabatur, decimo ſexto Sinum *de Pinos* intrarunt. Decimo octavo hinc ſolventes ut commodiorem portum quærerent, juga montium ad eundem modum nivibus tecta offenderunt, quibus Promontorium in altum deſcendit, vulgo *Cabo de Nieves*, octo & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Continens omnis hîc pene ejuſdem eſt temperaturæ, nam Coro flante cœlum hic ſudum, nulliſque nubilis tectum. Ora autem à gradu trigeſimo ſeptimo ad quadrageſimum, extenditur inter Corum atque Eurum.

C. de Nieves.

Quum nullum portum in hoc tractu repeririſſent, ad portum *Poſſeſſionis* ſub inſulis *S. Lucæ* redire ſtatuunt; hîc Africo pertinaciter flante, cum ſummo frigore, nivibus & impetuoſis etiam intra portum fluctibus, miſerè colluctati uſque ad exitum Decembris, Oceano denuo ſe committunt, & decimo nono demum Januarii anni cIↃ IↃ XLIII cum ſummo diſcrimine ſecundò portum *de Sardinas* ingrediuntur. Atque iterum decimo quarto Februarii hinc egreſſi, vigeſimo ſexto ejuſdem, Promontorium *Fortunæ* conſpiciunt ad altitudinem unius & quadraginta graduum: atque ita porro ad calendas Martias cum validis tempeſtatibus & obſcuriſſimis nebulis, atque intolerabili frigore conflictati uſque ad quartum & quadrageſimum gradum latitudinis ſeptentrionalis pervenerunt. Veruntamen frigoris vehementiæ haud longius pares, primo ad Promontorium *de Pinos*, & mox, jam tertiò, ad portum Poſſeſſionis remearunt; quem quum ob fluctuum vehementiam ingredi nequirent, minor navis ſub inſulam *S. Sebaſtiani* tandem ſe recepit, quinque diebus pene ducentas leucas, ut ferunt, emenſa. Summa jam annonæ penuria laborare cæperant, itaque ad Novam Hiſpaniam reverti conſultius judicarunt; & ſocia navi vigeſimo ſexto ejuſdem menſis ſub inſula *de Cedros* inventa, decimo quarto Aprilis ad portum *Nativitatis* redierunt, *Ioanne Roderici Cabrillo* paulo ante in itinere defuncto.

C. de Fortunas.

NOVA ALBION.

CAP. XX.

Nova Albion *ex commentariis* Franciſci Draci *deſcripta, &* *Californiæ reliqua.*

ANTEQUAM ab hiſce regionibus maritimis ad interiores Continentis Americæ Septentrionalis provincias revertamur, non abs re fuerit ejus provinciæ meminiſſe, quam fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus* in memorabili illa expeditione, qua univerſum terræ globum circumnavigavit, primus luſtravit. Is itaq; *Freto Magallanico* enavigato, totaq; Americæ meridionalis, & Novæ Hiſpaniæ ora luſtrata, per orientalis Indiæ inſulas in Angliam remeare deſiderans, curſum ſuum inſtituit verſus Corum, & vaſtum illum Oceanum Auſtralem ad quadrageſimum uſque gradum ſeptentrionalis latitudinis emenſus, quinto Junii, quum ſocii illius frigus haud amplius ferrent, deflexit ad Continentem Americæ ſeptentrionalis, & ad

 trigeſi-

trigeſimum octavum ejuſdem latitudinis gradum reverſus, patentem & peropportunum ſinum intravit, & XVII ejuſdem ibidem anchoras fixit. Barbari qui oram maris accolebant, magno numero ſtatim accurrerunt & munuſcula quædam è plumis & reticulato opere confecta Præfecto obtulerunt; à quo & perbenigne excepti & viciſſim Europæis quibuſdam mercibus donati, tantopere Anglos eorumque dona admirati fuerunt, ut Deos crederent neque aliter ſibi paterentur perſuaderi. Poſtero die, quum ad jugum montis veniſſent, ſub quo Angli tentoria fixerant, ſeſeque communiverant, aliquandiu ſubſtiterunt, & poſtquam unus illorum longa oratione ſe fatigaſſet, cæterique arcus & alia arma depoſuiſſent, ad caſtra cum muneribus deſcenderunt: Fœminæ interea quæ in ſummo clivo remanſerant, miſerè ſeſe affligebant, genas ſuas unguibus lacerantes, ſacrificio alicui, uti videbatur, intentæ: Viri vero poſtquam Chriſtiana ſacra (nam precibus Angli tum commodùm vacabant) cum ſumma attentione & ſtupore ſpectaſſent, quæcunq; pridie ab Anglis dono acceperant, reſtituerunt. Gliſcente interim fama adventus peregrinorum, Regulus barbarorum excitus, binos legatos præmiſit, qui quum dimidiam pene horã nequicquam peroraſſent, nutu ſignificarunt ſe petere, ut munus aliquod Regulo ſuo deſtinaretur, quo cognoſceret tutò ipſi ad caſtra licere deſcendere; quo impetrato, ad Dominum ſuum revertuntur. Ille vero regia pompa proceſſit magno ſatellitum agmine ſeptus, quorum unus ſceptrum præferebat, cum duabus coronis, quæ è variis plumis eleganter erant contextæ, tribuſq; oblongis catenulis quorumdam oſſiculorum, ejuſdem forte generis & formæ cum *Eſurgny* quo Canadenſes uti ſupra diximus. Erat autem Regulus procero corpore & geſtu minime inurbano, cuniculorum & aliarum ferarum pellibus amictus: pone ipſum ſequebatur promiſcua turba cum ſuis muneribus, prorſus nuda & variis coloribus picta. Anglis autem turmatim & militari ordine obviam egreſſis & ſalutatione eminus peracta, magnum aliquandiu ſilentium fuit: Deinde qui Regulo ſceptrum præferebat, alio inſuſurrante longam orationem habuit, cui quum à multitudine eſſet acclamatum, Regulus cum viris & fœminis (nam pueros in vertice montis ſubſiſtere juſſerat) cæpit deſcendere: jamque pene vallo Caſtrorum ſucceſſerat, quum ſceptrigerulus cantilenam canere & ad modulos illius ſubſilire cæpit, Regulo & ſatellitibus illius ſuccinentibus & choreas ducentibus: idem & reliqua turba imitabatur, præter fœminas quæ tacitæ ſaltabant: Atque ita intra vallum admiſſi diu multumque canendo & tripudiando ſe fagitarunt: Denique à Præfecto Anglorum ſupplices petiverunt, ut provinciam ipſorum in tutelam ſuam ſuſciperet, & regni habenas moderaretur; quumque annuiſſet, coronam capiti illius cantillantes atque ſubſilientes impoſuerunt, & catenulas collo illius circumdederunt, *Hioh* ipſum nominantes.

Provincia hæc univerſa abundat infinita copia cuniculorum, qui capite quidem ab Europæis nihil differunt, pedibus autem talpas magis referunt & cauda glires; habentque ab utroque latere veluti ſacculum, in quem poſtquam ſaturati fuerint, reliquias ſuas recondunt: Carnibus illorum indigenæ veſcuntur, pelles autem maximi faciunt, nam & Reguli veſtis ex eis conſuta erat. Tuguria horum barbarorum è ceſpite congeſta, viminibus eleganter in orbem confertis ad faſtigium uſque tecta atque ita munita ut frigus facile arceant; in quibus juxta focum ſuper juncos humi projecti cubant. Mares nudi, fœminæ autem ſtoreis quibuſdam (quos è juncis induſtriè contexunt) pudenda tectæ, & ferino tergore humeris circumjecto palliatæ incedunt: Viris ſuis ſupra modum obſequentes. *Dracus* jam diſceſſurus *Novæ Albionis* nomen indidit, tum propter candicantes clivos qui littus occupant, tum ad patriæ ſuæ memoriam, quæ quondam Albion audiit. Et columna erecta Angliæ regni inſignia affixit, Reginæque nomen & ſuum inſcripſit. Denique diſcedens ingens ſui deſiderium barbaris hiſce reliquit.

Ne quid autem Geographiæ ſtudioſi hic deſiderent, auſtrale *Californiæ* atque extimum littus obiter luſtrabimus: Promontorium illius orientale à nonnullis *S. Claræ* dicitur, è regione Novæ Galæciæ: ab hoc haud longo intervallo diſtat alterum quod Promontorium *S. Lucæ* vocant, viginti duobus gradibus ab Æquatore verſus Arctum, ut *Franciſcus Gualleus* Hiſpanus obſervavit: ad hoc naves quæ ab Inſulis *Philippinis*

ab Si-

& Sinarum regno ad Novam Hiſpaniam revertuntur, curſum ſuum inſtituunt, inde à Promontorio *Mendocino* ad altitudinem unius & quadraginta graduum ſito: inter quæ duo Promontoria quingentarum leucarum intervallum rei nauticæ periti ſtatuunt. Juxta hoc *S. Lucæ* Promontorium *Candiſchius* opulentiſſimam illam navem anno cIↃ IↃ LXXXVII eripuit Hiſpanis: Pone autem hoc patentiſſimus ſinus ſe aperit (quem Hiſpani ob aquandi opportunitatem *Aguadam Seguram* vocant,) in quem fluvius deſcendit, cujus ripas plures barbari accolunt. Quæ ad Continentem porro ſequuntur Promontoria, ſinus, portus, flumina, eorum aliquot jam ante commemoravi; cæterum tam crebro pro navigantium arbitrio nomina mutarunt, & Tabulæ Hydrographicæ tantum inter ſe diſcrepant, ut ſi ſingula recenſerem, lectoris tædium demereri velle meritò viderer. Denique inter utrumque Promontorium *S. Lucæ* & *Mendocinum* plures inſulæ in mari Auſtrali ſparſæ continenti objacent, quarum duæ peculiariter à navigantibus obſervantur, *S. Auguſtini* una, ad altitudinem triginta graduum & quadraginta ſcrupulorum, altera *de Cedros* ad altitudinem octo & viginti graduum & quindecim ſcrupulorum, ut ab eodem *Gualleo* obſervatum.

C. Mendocino.

NOVA MEXICANA.

CAP. XXI.

Provinciarum quas hodie Novo Mexico *vocant prima inventio.*

ANTEQUAM ab hiſce Provinciis diſcedamus, non abs re fuerit hic attexere quo pacto provinciæ ampliſſimæ, quæ jam *Novæ Mexicanæ* nomine deſignantur ab Hiſpanis primum fuerint inventæ, prout à fratre *Ioanne Gonſalez de Mendoça* narratur in Relatione de Sinarum Regno anno cIↃ IↃ LXXXIX *Madriti* impreſſa.

Auguſtinus Ruyz (inquit) religioſus ordinis *Sant Franciſci*, vallis *S. Bartholomæi* incola, quum anno cIↃ IↃ LXXX è barbaris qui *Conchi* vocantur & cum vicinis Paſſuagatibus commercia exercent, cognoviſſet, verſus Arctum quamplures provincias atque oppida habitari à diverſis nationibus, ad quas Hiſpani hactenus non penetraſſent, pio zelo animas illorum populorum Chriſto lucrandi motus, à Comite Corunnæ qui tum Novæ Hiſpaniæ pro Rege præerat & à Provinciali ordinis ſui licentiam petiit, gentes illas adeundi, earumque idioma addiſcendi ut facilius Chriſtianam religionem ipſis perſuaderet: qua haud difficulter impetrata, cum duobus ſui ordinis monachis, & octo militibus qui ultro ipſum comitabantur, itineri ſe accinxit: & poſt aliquot dierum peregrinationem intravit provinciam *Tiguarum*, quæ ducentas & quinquaginta leucas ab argentifodinis *S. Barbaræ* verſus ſeptentriones abeſſe credebatur. Atque hic, ob cauſas quæ non produntur, unus monachorum ab indigenis fuit occiſus; milites qui ab hiſce initiis graviora merito metuerent, & tam exiguo numero tantam barbarorum multitudinem nequaquam coërceri poſſe perpenderent, fruſtraque tam longe à provinciis Hiſpanorum auxilium ullum expectari, tutius judicarunt quantocius ad argentifodinas *S. Barbaræ* pedem referre. Monachi vero qui ſupererant militum conſilio reprobato, cum tribus adoleſcentibus Americanis & uno Meſtizo hic ſubſtiterunt, humanitati barbarorum, uti videtur, nimium confiſi.

Tiguæ.

Milites ad ſuos reverſi, rem omnem prout geſta erat, ad Proregem perſcribunt; Franciſcani autem de ſuorum ſalute anxii & deteriora metuentes, quorundam militum animos ſollicitare cœperunt, ut cum *Bernardino Beltramo* ſui ordinis monacho ad *Tiguarum* provinciam properarent, & fratres ſuos præſenti diſcrimini eriperent. Commodum acciderat ut eo tempore *Antonius de Eſpero* Cordubæ in Hiſpania natus, civis autem Mexicanus, negotiandi cauſa huc adveniret; Vir opulentus, magni animi atque induſtriæ, & imprimis ad obſequium Regis ſui promtus; qui quum Monachi propoſitum & rei dignitatem ſerio perpendiſſet, res ſuas vitamque una periclitari in animum induxit, modo licentia ipſi ab aliquo regio miniſtro concederetur;

quæ monachorum interceſſione & precibus, ipſi & omnibus qui ipſum comitari vellent haud gravate fuit indulta à *Ioanne de Ontiveros*, oppidi quod quatuor *Cienagas* vocant in provincia *Novæ Biſcayæ*, ſeptuaginta leucis ab Argentifodinis *S. Barbaræ*, prætore Urbano.

Antonius itaque *de Eſpeio*, omnibus ad hanc expeditionem neceſſariis mature comparatis, decimo Novembris anni cIↃ IↃ LXXXII è valle *S. Bartolomæi* movit cum centum quinquaginta, qua equis qua mulis, magno armorum numero, atq; apparatu bellico, largo commeatu, multiſque ſervitiis; & recta verſus Arctum biduo progreſſus, incidit in multos barbaros *Conchos* qui humiles caſas vicatim habitabant & itineris illius gnari obviam proceſſerant ut adventum gratularentur. *Conchi* autem hi, reliquique barbari qui vaſtas haſce regiones incolunt, ferina ut plurimum victitant, (nam ingens hîc cuniculorum, leporum atque cervorum eſt copia) item Mayzio, cucurbitulis atque melonibus, quibus abundant: amnes omnes multimodo piſcium genere ſunt fœcundi. Indigenæ fere nudi incedunt; arma ipſis ſunt arcus atque ſagittæ; parent variis regulis, quos & *Caſiques* vocant uti Mexicani: nulla ipſis idola, aut quicquam præcipua veneratione, quare facilius cruces figi à Chriſtianis patiebantur, poſtquam ab interpretibus quid ſibi vellent, leviter didiciſſent. Hinc *Conchis* ducentibus viginti quatuor leucarum iter factum per eorumdem provinciam ſine diſcrimine aut maleficio, Regulis paſſim officii gratia occurrentibus; ventumque ad *Paſſuaguates*, qui eiſdem moribus vivunt, & Hiſpanos benignè acceptos per provinciam ſuam deduxerunt; multæ hîc argenti venæ, indicio peritorum, juxta viam inventæ. *Paſſuaguates* excipiunt *Toboſi*, diverſa gens, qui Hiſpanorum adventum nequaquam ſibi operiendum rati, ſe ſuaque omnia in vicinos montes ſubduxerant, quia milites quidam Hiſpani (uti poſtea patuit) ſuperioribus annis hanc provinciam metallorum indagandorum gratia ingreſſi multos incolarum invitos in ſervitutem abripuerant. Præfectus ergo aliquot ſuorum ad ipſos miſit, blandis verbis & ingentibus promiſſis rogatum ut redirent ad penates, tuta enim fore omnia neque ſe maleficii cauſa adveniſſe; his perſuaſi quamplurimi ſunt reverſi, & cruces erigi paſſi, uſumque illarum edocti, Hiſpanos ad eundem modum duodecim leucarum itinere per fines ſuos deduxerunt: barbari hi fere nudi agunt, & arcubus atque ſagittis armantur.

Conchi. Paſſaguates. Toboſi.

Cap. XXII.

Expeditionis Antonii de Eſpeio *in* Novam Mexicanam *progreſſus*.

Patarabuyes.

A *Toboſis* deducti ſunt Hiſpani ad *Iumanos* ſive *Patarabuyes*, qui frequentiſſimam provinciam vicatim incolunt, domus poſſident lapideas cum ſuis tectis eleganter conſtructas; mares juxta atque fœminæ facies atque artus lineis quibuſdam perſignant; robuſto corpore & moribus longe urbanioribus quam præcedentes. annona his copioſa, ob opportunitatem venationis & aucupii; Crebri & piſcoſi amnes, qui ab Arcto deſcendunt, atque illorum unus vaſto alveo, in Oceanum Septentrionalem exire creditus: multi quoque hic lacus ſalſi, quorum aquæ æſtate in optimum ſalem coagulantur: barbari denique hi valde bellicoſi ſunt, nam prima nocte, qua Hiſpani caſtra ſua communiverant, tantum ſagittarum nimbum in illos effuderunt, ut quinque equos exanimarent, totidemque graviſſime ſauciarent, nec ullum intactum reliquiſſent, niſi ab excubitoribus fuiſſent prohibiti. Hiſce in hunc modum perpetratis, pago ſuo deſerto, in montana ſe proripuerunt; verum Præfectus cum quinque militibus & interprete ſuo, atque aliquot provincialibus illos aſſequutus, blando alloquio ita permovit ut ad lares ſuos redirent & vicinis ſuis per nuncios ſignificarent; Hiſpanos innoxium iter per provincias agere & ab indigenarum corporibus vim & bonis illorum rapaces manus continere: Itaque Regulo prius munuſculis quibuſdam delinito, cæteris haud difficulter perſuaſum fuit, ut magno numero Hiſpanos aliquot dierum itinere comitarentur. Secundum ripam magni illius fluminis inceſſum, per varios pagos eorumdem populorum, duodecim diebus: barbari autem à vicinis admoniti, inermes in via occurrebant, & annonam aliaque neceſſaria gratis ſubminiſtrabant; inter quæ rupicaprarum tergora eminebant tam induſtriè præparata ut cum Belgicis certarent. Veſtibus hæc natio utebatur, & levem

vem religionis cognitionem videbatur habere, nam cœlum intuentes, quod ſua lingua *Apalito* dicebant, numen deſignabant & dominum univerſi, vitæque & omnium bonorum munificum largitorem profitebantur: Fœminæ ipſorum atque liberi, Religioſum qui in exercitu erat, accedebant ut ab illo benedictionem impetrarent; quumque interrogarentur à quibus hanc Dei cognitionem accepiſſent, reſponderunt à tribus Chriſtianis & uno Nigrita, qui hac iter habuerant, & aliquo tempore lib.3.c.4. hic fuerant commorati: *Cabecam de Vacca*, *Dorantium*, *Caſtillum* & Nigritam illorum deſignari ex pleriſque indiciis conſtitit, de quibus ſupra egimus. Hiſpanos hinc digredientes, plurimi indigenarum multos dies officioſe ſunt comitati, dum fluminis ripas proſequuntur. Paucorum dein dierum itinere ad alium Indorum pagum ventum; qui vicinorum fama exciti Hiſpanis ultro obviam venerunt, cum multis plumariis ornamentis, quæ mira colorum varietate contexta erant, & tunicis goſſypinis, quæ cæruleo atque albo colore diſtinctæ erant Sinenſium in modum.

Tam viri autem quam fœminæ, tergoribus ferarum optimè præparatis induti erant: Nomen horum barbarorum ob defectum interpretis cognoſci non potuit, lapides deinde aliquot ipſis exhibiti quibus dites metallorum venæ permixtæ erant, quæſitumque an ſolum ipſorum ejuſcemodi alicubi abſconderet: reſponſumque ab ipſis per ſigna, tales lapides maxima copia reperiri in Provincia quæ quinque dierum itinere abeſſet verſus occaſum. Comitati porro Hiſpanos viginti & duas leucas per ſuam provinciam, ad proximam conduxerunt, incolis multo adhuc frequentiorem, & ad ejuſdem fluminis ripas ſitam. Hîc Hiſpani ab Indigenis perhumaniter accepti & munuſculis quibuſdam donati, annona quoque, & optimis imprimis piſcibus quos vicinus lacus nutrit, triduum ſubſtiterunt; barbaris interim ſuo more choreas ducentibus; provinciæ nomen intelligere haud potuerunt, cæterum ampliſſima viſa & ſoli ubertate, cœli bonitate, atque adeo metallorum copia nulli ſecunda. Inventus hic unus è *Conchorum* gente, qui ſignis quibuſdam indicabat, quindecim dierum itinere verſus Occidentem ingentem Lacum abeſſe, multis barbarorum oppidulis in ambitu cinctum, qui & veſtibus uterentur & annona abundarent & ampliſſimas ædes incolerent; ſeſeque ducem offerebat; verum quum iter monachorum liberandorum cauſa ſuſceptum ad Arctum pertineret, ad occaſum in præſens omittere viſum. Quindecim inde diebus per inculta loca & vaſtas ſylvas, quæ pinis abundabant, ab Europæis nihil diverſis, iter actum, & octuaginta circiter leucas, uti putabant, progreſſi, ad exiguum & infrequentem pagum pervenerunt, in quorum mapalibus, quæ è ſtramentis leviter contexta erant, multa cervorum tergora repererunt & ſalis candidi & optimi copiam. Hi barbari Hiſpanos non modo humaniter exceperunt, ſed & duodecim diebus ſecus ripas fluminis *del Norte* conduxerunt ad provinciam quæ hodie *Nova Mexicana* appellatur. Utramque fluminis ripam populea ſylva tegebat, nonnuſquam quatuor leucas lata, plurimæ quoque nuces & vites hic viſæ, biduum per haſce ſylvas profecti, in decem pagos inciderunt utrique ripæ appoſitos, in quibus ſupra decem millia hominum agere viſa. Perhumaniter hic accepti & in pagos deducti, ædes ipſorum vaſtas & quatuor contignationibus in altum ſubſtructas repererunt, cum multis atriis, conclavibus & tepidariis adverſus frigus: tam mares quam fœminæ goſſypinis tunicis & ferarum exuviis veſtiebantur ad Mexicanorum normam, & quod inſolens barbaris, ideoque Hiſpanis novum viſum, utebantur calceis atque ocreis quæ è ferarum tergoribus & taurino corio conſuta erant. Fœminis capillus bene pexus & eleganter erat diſpoſitus, nec ullo præterea velamine caput tegebāt. Singulis pagis ſui Reguli erant, qui per præcones ſuos edicta populo denuntiabant. Quamplurima paſſim idola viſa quæ venerabātur, & in ſingulis pene ædibus Sacraria Dæmonis cultui dicata, & quemadmodū Chriſtiani ſecus vias cruces fixas habent, ita hi capellulas quaſdam pictas atq; ornatas, in quibus Dæmonem pernoctare & genio indulgere credunt, quum ab uno pago ad alterum movet. Studioſe colunt agros & in ſingulis arvis quatuor palos figunt, eiſque tectum deſuper imponunt, ut agricolæ ſub ipſis cibum capiant & meridie conquieſcant: Solum fere montoſum & pinorum lucis obſitum. Arma ſunt validi arcus & ſagittæ acutis ſilicibus aſperatæ, oblongi lignei gladii & multis acutis ſilicibus utrimque muniti, ita ut hominum corpora valido ictu dividere apti ſint, parmæ denique crudis taurorum tergoribus obductæ.

Cap. XXIII.

Provinciæ de los Tiguas, de los Quires, Cumanes, Ameyes, Acoma, Zuny, *quorum provincia ab Hiſpanis* Cibola *dicitur, luſtratæ.*

Tigues. Poala. POST quatridui in ſuperiori provincia moram, ad proximam *Tiguarum* tranſierunt, quæ ſedecim pagis incolitur; in quorum uno *Poala* Franciſcum Lopezium & Auguſtinum Ruizium cum ſuis trucidatos cognoverunt. Indigenæ autem viciniqui hujus facinoris ſibi conſcii & Hiſpanos vindices metuentes, laribus deſertis propera fuga in montana ſe receperunt, neque ullis blandiciis potuerunt reduci. In tuguriis illorum magna annonæ copia reperta, multæ gallinæ, aliaque; numerus incolarum certo cognoſci haud potuit. Quum itaque monachos trudicatos comperiſſent, deliberatum inter illos, in novam Vizcayam ne redire an ulterius progredi conſultius foret, hæſitatumque aliquandiu, donec grandium & opulentarum provinciarum verſus ortum fama gliſcente, *Bernardino Beltramo* haud abnuente, porro luſtrare viſum, ut certiora ad Regem referrent, nec tamen exercitum totũ periclitari; ſed præfectum tantũ cum binis militibus hoc iter ſuſcipere. Is biduo à caſtris progreſſus aliam provinciam intrat, undecim pagis cultam, & ita frequentem ut quadraginta millia animarum hic reperiri judicarent; Ager fœcundus erat & bene cultus, *Cibolæ* fines quam proximè contingens; tauris vacciſque ita abundans, ut tergoribus indigenæ ſe veſtiant; qui moribus & inſtitutis à vicinis nihil diſcrepant; hic multa metalla eſſe veriſimile eſt & non pauca in tuguriis viſa: Indigenæ varia colunt idola; cæterum amicè ſuſceperunt Hiſpanos. Hiſce obſervatis ad caſtra reditum, ad quæ interea alterius provinciæ fama pervenerat, quam vocant *de los Quires*, quæ ſecundum ripas fluminis *del Norte* ſex leucas aberat; ad quam contendentes, quum jam unius tantum leucæ intervallo abeſſent, ab indigenis qui magno numero obviam venerant, amicè ſunt invitati: quinque tantum pagi hic viſi, qui à quindecim millibus tenebantur, idololatris quemadmodum præcedentes. Hic picam cavea concluſam viderunt ut ſolent in Hiſpania; itemque umbracula (vulgo *Tirazoles)* quibus Sinenſes utuntur Solis, Lunæ, & Stellarum imaginibus eleganter picta. Hic poli altitudinem dimenſi, ad ſeptimum & trigeſimum gradum cum ſemiſſe ſe perveniſſe obſervarunt.

(Margin notes beside the paragraph above: Cibolæ. — Quires.)

Cunames. Quatuordecim leucas verſus eandem plagam progreſſi, aliam provinciam ingrediuntur, *de los Cunames*, in qua quinque municipia offenderunt, quorum maximum dicebatur *Cia*, adeo vaſtum ut octo fora rerum venalium complecteretur; domus calce illitæ erant, variiſque coloribus pictæ; incolæ quantum æſtimare licebat, ſupra viginti mille: elegantiſſima hic pallia dono accepta, cibique & mundè parati & bene cocti propoſiti; ut liquido appareret barbaros hoſce urbanitate & cultis moribus reliquos longe anteire: nec ditiorum metallorum indigi erant, monteſque quibus illa tegebantur ultro oſtentabant.

Ameyes. Huic provinciæ verſus Corum proxima erat circiter ſex leucarum intervallo, provincia *de los Ameyes*, in qua ſeptem municipia numerantur & circiter triginta millia incolarum, qui à vicinorum moribus nihil differunt.

Acoma. Quindecim hinc leucis verſus occaſum occurrit *Acoma* vaſtum municipium, excelſæ & præruptæ petræ impoſitum, quod nonniſi gradibus è ſaxo exciſis, uno atq; anguſto aſcenſu aditur: Proceres ultro ad Hiſpanos deſcenderunt, annonaque & multis muneribus donarunt: Sata illorum duarum leucarum intervallo aberant, quæ foſſis è vicino flumine deductis rigabant, ad cujus ripas roſeta viſa Europæis ſimilia: Metallis abundare videtur provincia, ſed ob multitudinem & ferociam barbarorum non auſi fuerunt Hiſpani penitus illa ſcrutari.

Viginti quatuor deinde leucas ad occidentem profecti provinciam attigerunt, indigenis quidem *Zuny*, Hiſpanis vero *Cibolam* dictam; hanc *Franciſcus Vaſquius* olim fuerat ingreſſus, plureſque cruces hic fixerat; quarum nonnullæ etiamnum hic videbantur; repertique tres Chriſtiani qui ab illo tempore ibidem morati, patrii idiomatis pene erant obliti, è quibus tamen cognitum; ſexaginta dierum itinere ingentem lacum aut forte mare abeſſe, cujus ripæ plura & grandiora municipia aſſiderent; incolæque multo auro abundarent, *Franciſcum Vaſquium* hujus gnarum eo iter ſuſcepiſſe,

piſſe, ſed duodecim dierum iter progreſſum aquarum inopia redire coactum, nec poſtea repetiſſe uti conſtituerat morte præventum.

Cap. XXIV.

Antonii de Eſpeio *itineris reliqua*, Zaguato *municipium*, Hubatum *provincia*, *atque* Tamorum.

A*Ntonius de Eſpeio* ſuperiori relatione in novam ſpem erectus, ad opulentam illam provinciam cum exercitu proficiſci unice deſiderabat, verum frater *Bernardinus* & longe major militum pars reluctabatur; tempus jam eſſe dicentes ut domum redirent & ſingula prout geſta erant, Proregi exponerent: itaque Duce ſuo cum novem aliis deſtituto, rectâ iter in provinciam unde egreſſi fuerant indicunt. Dux vero nihil cunctatus cum paucis ad occidentem contendit, & poſt viginti octo leucarum iter attigit provinciam, quam quinquaginta millia barbarorum incolere videbantur, qui adventus Hiſpanorum gnari, obviam ſuos miſerunt, ut finibus ſuis illos prohiberent, excidium ſi contra niterentur comminati: Verum Eſpeius qua blanditiis, qua muneribus, primò nuntios, dein & reliquam turbam ita placavit ut ipſum cum centum quinquaginta Cibolenſibus haud inviti admitterent. Quumque primario municipio *Zaguato* jam appropinquaſ- Zaguato.
ſent, circiter duo millia barbarorum cum plurima annona obviam venerunt, qui munuſcula Hiſpanorum licet vilia maximi faciebant; quos Reguli ſubſequuti, tanto cum gaudio Hiſpanos exceperunt, ut farinam equorum pedibus objicerent, & hoſpitio intra municipium exceptos ſatis laute pro barbarorum conſuetudine alerent.

Multi quoque mortales è vicinia accurrerunt, Regulis Hiſpanorum innocentiam atque humanitatem paſſim promulgantibus. Simplicitati deinde barbarorum præfectus illudens, monuit equos ſuos priori nuncio offenſos, quo Hiſpanos finibus ſuis abſtinere juſſerant, grave ipſis damnum minari, cui ut prævortatur, domum lapideam ipſis conſtruendam, qua equi coërceantur; quibus illi credentes ſtatim ejuſmodi domum ædificarunt: diſceſſuro autem quadraginta millia palliorum goſſypinorum aliaque plura à barbaris donata; inter quæ & metalla erant, & dites argenti, uti videbatur, venæ. Barbari hi conſentientia præcedentibus de ingenti illo Lacu loquebantur. Dux autem humanitati atque liberalitati hujus gentis confidens, quinque milites & Cibolenſes omnes cum impedimentis *Cibolam* remiſit: ipſe cum quatuor tantum militibus & aliquot itineris ducibus, ad argenti metalla, quorum fama ad ipſum pervenerat, deflexit, eaque poſt quadraginta & quinque leucarum iter, invenit. Erat autem opulentiſſima & latiſſima argenti vena in vertice montis ſita, qui nullo negotio aſcendebatur: in ambitu plurimi barbari vicatim agebant, qui Hiſpanos humaniter exceperunt & cum crucibus in amicitiæ ſignificationem occurrerunt. Duo modici amnes hic viſi, quorum ripas multæ vites tegebant, optimas uvas ferentes; & nucum nemora: linique Europæo non abſimilis magna copia. Barbari autem ſignis quibuſdam innuebant, haud longe abeſſe vaſtum flumen, & circiter octo leucas latum quod in Oceanum Septentrionalem exiret: Veruntamen Hiſpani longius abeſſe rati, illud adire neglexerunt; & compendioſiori itinere in *Zuny* provinciam regreſſi, monachum cum reliquo exercitu, & quos præmiſerant, ibidem repererunt.

Bernardinus paulo poſt cum exercitu diſceſſit verſus Novam Vizcayam: *Antonius* autem cum octo militibus aſcendit ſecundum ripas fluminis *del Norte*; & poſtquam ſexaginta leucarum itinere ad *Quirium* provinciam perveniſſet; duodecim Quires.
poſt illa leucarum itinere ad Ortum facto tranſiit in fines *Hubatum* ubi benigniſſime ſuſceptus & annona adjutus, ditiſſima invenit metalla. Viginti quinque millia Hubates.
barbarorum hic incolere viſa, qui goſſypinis palliis, eleganter pictis amiciebantur, uti & rupicaprarum pellibus bene præparatis. Cæterum montoſa eſt regio, crebris pinis cedriſque obſita; Domus Indigenarum vaſtæ & quatuor contignationibus in altum ſubſtructæ.

Tamorum

Tamorum provincia unius tantum diei itinere aberat, qui quum Hiſpanos ultro admittere recuſarent, recipere ſe & domum reverti ſatius viſum. Calendis itaque Juliis anni cIↃ IↃ LXXXIII barbaro quodam ducente, alia via quam venerant ſecundum ripam fluminis deſcenderunt, quod ab armentorum copia, *Rio de las Vacas* dixerunt, & centum viginti leucas progreſſi ad Conchorum flumen repedarunt & mox ad vallem *S. Bartholomæi* unde primum digreſſi fuerant. Unde Dux omnem rerum geſtarum ſeriem ad Proregem atque Hiſpaniarum Regem perſcripſit. Hactenus è *Ioanne Gonſalio.*

CAP. XXV.

Expeditio D. Joannis de Onnate, *Acoma capta & diruta, oppidum S. Ioannis conditum, Lacus Conibas obiter luſtratus.*

ANTEQUAM ab hiſce mediterraneis & parum cognitis regionibus ad notiores revertar, unam adhuc Hiſpanorum expeditionem compendio hic ſubjiciam, cujus deſcriptionem *Ludovicus Tribaldus* Toletus ad *Richardum Hackluytum* anno cIↃ IↃ CV miſit. *D. Ioannes de Onnate* anno cIↃ IↃ XCIX ex urbe Mexicana movens cum exercitu quinque millium, omnis ſexus atque ætatis, largo commeatu, multo pecore, capris, armentis, jumentiſque & cæteris ad talem expeditionem neceſſariis; perque varias provincias quingentarum pene leucarum iter agens, plures gentes adiit, quæ oppida bene munita, eleganterque conſtructa incolebant, cum quibus fœdus atque amicitiam confirmavit, eaſque Regi Hiſpaniarum obnoxias fecit.
Acoma. Donec ad oppidum ventum à natura atque opere egregie munitum & editæ rupi impoſitum, cujus incolæ perbenigne quidem illum exceperunt & annonâ inpræſens juverunt, copioſiorem in futurum pollicentes; verum quum cognatum ſuum cum paucis militibus in urbem miſiſſet ad promiſſa repetenda, multitudinem pene omnem in foro rerum venalium coactam offenderunt, quæ ex improviſo in ipſos jam rebus neceſſariis comparandis intentos coorta, cognatum ducis cum ſenis militibus trucidavit, reliqui ſaucii vix ægre evaſerunt. Quæ ubi Dux accepit, fortiſſimum quemque militum ad oppidum admovet & poſt aliquot dierum obſidionem crebroſque impetus, tandem irrumpit & multos mortales trucidat, paucos capit, oppidumque à fundamentis diruit. *Acoma* vocabatur hoc oppidum ad altitudinem duorum & triginta graduum & quadraginta ſcrupulorum.

Hinc rurſus ſine maleficio per provinciam profectus ad aliud longe maximum oppidum venit, cujus incolas haud invitos (terrebat nimirum Acomenſium excidium) in Regis Hiſpaniarum fidem tranſire coëgit. Mox & aliud grande oppidum ſine certamine in poteſtatem accepit, & aliquot ſuorum militum tauros Cibolenſes quæſitum dimiſit, qui *Franciſci Vaſquii* expeditione innotuerant: illi autem plurimos quidem viderunt, pauciſſimos vero, ea eſt animalis ferocia atque velocitas, potuerunt capere, qui ab exercitu cum ſumma admiratione ſpectati.

S. Ioannis oppidum. Deinde parta ſibi tuenda ratus, urbem condidit quam *S. Ioanni* dedicavit, & fœdere cum vicinis confirmato, ditiſſima argenti metalla aperuit, omnemque operam convertit ad barbaros ad Chriſtianam religionem traducendos.

Anno deinceps cIↃ IↃ CII aliud iter ad famoſum flumen *del Norte* ſuſcepit & ab accolis peramicè eſt habitus: atque inde ad ingentem illum Lacum *Conibas* tranſiit,
Conibas lacus. cujus ripis ingens oppidum adſidet, ſeptem leucas in longitudinem, duas in latitudinem patere viſum, magnificis ædificiis inſtructum, quæ lucis, hortis & nonnuſquam foſſis à ſe invicem diſtinguuntur: Nulli barbari viſi, quare Dux hanc ſolitudinem ſuſpectam habens, copiaſque ſuas tanto molimini haudquaquam pares ſentiens, paucos equites ſpeculatum præmittit; qui oppidum ingreſſi, per latiſſimas plateas obequitarunt, nemine obvio, donec ad forum rerum venalium ventum fuit, ubi ingens hominum multitudo ſe communiverat. Quibus ad Ducem relatis, conſultius viſum reverti domum, & oppidi hujus expugnationem in aliud tempus differre. Hæc Tribaldus.

Poſt illa plures expeditiones in Novam Mexicanam, uti videtur, ſuſceptæ, quibus factum ut regiones illæ tandem in provinciam redigerentur; uti ſatis apparet ex iis quæ

quæ à Benavidio narrantur, cujus relationis jam ante mentionem feci; hic autem ut deſcriptionem hujus partis concludam, ſubjiciam recentiſſimam Novæ Mexicanæ deſcriptionem ab ipſo proditam, è qua limites & qualitates illius melius eluceſcent, & quæ oppida ab Hiſpanis ibidem hodie habitentur liquidò pateſcet.

Cap. XXVI.

Recentiſſima Novæ Mexicanæ *deſcriptio, è commentariis* Alfonſi de Benavides *Franciſcani.*

Nova Mexicana aut ſaltem illius metropolis *S. Fidei* ſita eſt ad trigeſimum ſeptimum gradum ab Æquatore verſus Arctum; ad eam iter eſt ab argentifodinis *S. Barbaræ*, per Conchorum provinciam, quæ flumine quod hujus gentis nomine ſignatur, à Nova Hiſpania dividitur. Inter *Sanctam Barbaram* autem & Flumen *de Norte*, centum leucæ interſunt, quæ magno diſcrimine tranſeuntur per *Toboſos*, *Tarrahumares*, *Tepoanes*, *Tomites*, *Sumas*, *Hanos*, aliaſque gentes barbaras & præferoces; hi nudi agunt, inter ſe diſcordes & mutuis cædibus infeſti, arma ipſorum ſunt arcus & ſagittæ, quibus hactenus ex inſidiis præſertim, gravia damna Hiſpanis intulerunt. A flumine *del Norte* itidem centum leucæ numerantur ad Novam Mexicanam; in quibus primo degunt barbari quos vocant *Manſos* & *Gorretas*; mares penitus nudi agunt, fœminæ ab umbelico cervorum tergoribus pudenda velant; habitant in tuguriis, quæ è ramis arborum componunt, nullam ſementem faciunt, ſed crudis carnibus vitam tolerant, neque ab immundis animalium viſceribus abhorrent; jam autem ad fidem Chriſtianam ſe componere cœperunt: Deinceps *Apaches* populoſiſſima natio, de qua paulo poſt plura dicam. Ab his ſecundo venitur ad flumen *del Norte*, à quo Nova Mexicana exordium capit, centum leucas in longitudinem patens verſus Arctum; A *Sancto Antonio de Senecu* primo *Birorum* pago, ad pagum *S. Hieronymi* in provincia *Taorum*; complectitur autem plures barbarorum gentes quæ hoc ordine jacent. A flumine *del Norte* incipiunt *Piri* qui veſtibus amicti & bene culti, domos incolunt è luto & ceſpitibus aggeſtas, & Capitaneis ſuis parent, civiliterque agunt: magna ipſis Mayzii copia & leguminum, etiam goſſypii; ſolum quippe eorum fœcundum, aër ſalubris & temperatus; amnes piſcoſi, ſylvæ multas fructiferas arbores, nuces, quercus, & præſertim pulcherrimas pinus nutriunt. Principale oppidum, (uti & tota provincia) hodie *Socorro* dicitur ab Hiſpanis, quia hic primum poſt longum & moleſtum iter, largo commeatu famem enecaverant. Hic anno cIↄ Iↄ cxxvi primum fidei Chriſtianæ ſementis facta, & tria templa extructa in municipiis *Senecu*, *Pilabo*, & *Sevilletta*. Ingentem hic auri & argenti copiam, ad quinquaginta pene leucas terræ venis occultari produnt, omniaque ad metalla lavanda & eliquanda in vicino opportune ſuppetere, ſolum operas & induſtriam metallicorum deſiderari. *Piros* excipiunt *Tebæ* cum xv pagis & duobus templis affabre ſtructis, nam & hi jam Chriſtianiſmum amplectuntur. *Tebas* porro *Queres*, quibus vii ſunt pagi & tria templa. Ab his atque à flumine x leuc. verſus ortum, *Tompires* degunt, quibus xv ſunt pagi, præcipuus *Chilili*, & ſex templa; provincia hæc infœcundior eſt & cœlum frigidius, ſalinas tamen obtinet maximas, x leuc. à metallis *Socorro*. Rurſus ad Arctum converſis x leuc. occurrunt *Tani*, cum quinque pagis, quibus unicum eſt templum. Succedunt verſus eandem plagam *Peici* cum unico pago, ſed longe frequentiſſimo & ſumtuoſo templo. Solum frigidum & infœcundum. Ab his vii leuc. ad occaſum jacet oppidum *S. Fidei*, regni hujus metropolis, ubi Gubernator provinciæ & circiter ccl Hiſpani habitant: licet autem adeo pauci ſint & illorum vix quinquaginta armis bene inſtructi, tamen ob inſolita barbaris arma & crudeliſſima ſupplicia quæ in perduelles crebro irrogant, indigenis tanto ſunt terrori, ut multa ipſorum millia facile coërceant. Ad eandem plagam & verſus flumen *del Norte*, à quo paulo receſſeramus, habitant *Teoæ*, in octo pagis, omnium primi fidem amplexi, ideoque Hiſpanis ſupra modum obnoxii; tria habent templa; & ſolum haud infœcundum. Ab his quidem ad occaſum & trans flumen degunt *Hemes*, quibus duo ſunt templa; ad arctum autem & ſecus ripam fluminis *Picuries* & vii leuc. ulterius *Taoſii*. A *Querum* rurſus provincia & extimo illorum pago *S. Anna* ad occaſum,

Piri. Tebæ. Queres. Tompires. Tani. Peici. S. Fidei urbs. Teoæ. Hemes. Picuries. Taoſii.

Acoma

Acoma. *Acoma* jacet, munitiſſimus locus, ſuper editam & undique præruptam petram, difficillimus aditu; cujus Incolæ multos Hiſpanos & plures barbaros ſuperioribus annis neci dederunt; anno demum cIↄ Iↄ c xxix pacem cœperunt amplecti: xxx leuc. magis ad occidentem habitant *Zumi* in xii pagis, quibus ſolum eſt fertile & annona copioſa; & totidem rurſus leuc. *Moqui*. Atque hi quidem omnes aut Chriſtianiſmum jam amplexi ſunt, aut quotidie amplectuntur: & quum adhuc gentiles eſſent, decorè ſe uterque ſexus amiciebat goſſypinis tunicis & tergoribus ferarum; & certis monilibus aures & cervices ornabant, nam turqueſias gemmas hic reperiri ſatis conſtat. Solum maximam partem fœcundum eſt, & ingenti fœnore reddit maizium, triticum & legumina: etiam crocum fert: arbores hic fructiferæ variæ, ceraſi, pruni præcoces, tunæ, mali cydoneæ, nuces, quercus glandiferæ, mori, aliæque; pinus quoque ab Europæis nonnihil diverſæ quæ magnam copiam pinearum nucum ferunt. Multi amnes piſcoſi & lacus, inter fluvios excellit flumen *del Norte*, quod optimas trutas & anguillas alioſque piſces nutrit. Ferarum ingens numerus, cervorum ingentium, quos ita cicurant, ut currus ducant; leporum, cuniculorum, vulpium, luporum, leonum & pardorum, felum ſilveſtrium & rupicaprarum inſigni agilitate & velocitate. Armenta quoque è Nova Hiſpania huc traducta ingens incrementum capiunt. Uti & pecudes. Æſtate hic ſupra modum æſtuat, hyeme autem acriter friget, ipſaque maxima flumina glacie concreſcunt ita ut currus equoſque ferant.

Zumi. Moqui. fl. del Norte.

Tota hæc regio, quam *Novam Mexicanam* vocant, ab omnibus pene lateribus ambitur ab *Apachibus*, numeroſiſſima gente & imprimis bellicoſa; differunt ab aliis barbaris idiomate & pronunciandi modo, tarde verba ponderantes, quum cæteri velociſſime ea profundant: ſine certis laribus, in tentoriis degunt crebro loca mutantes; cervinis tergoribus amiciuntur tam fœminæ quam mares; fœminas plures alunt pro libitu; adulteria hic crudeliter puniuntur, deprehenſis aures & nares truncando; ſuperioribus parent; & juventutem ſedulo inſtituunt & caſtigant quod aliis barbaris inſolitum; Solem denique & Lunam plerique pro numinibus venerantur. Horũ lingua pro diverſitate provinciarum dialectis nonnihil variat. Iidem ab Hiſpanis certis agnominibus diſtinguuntur, *Piris* finitimi *Apaches del Perillo*; his contermini *de Xila*; ad Arctum porro *de Navaio* (hi vaſtum terrarum ſpatium ad occidentem occupant & ad fretum *Anian* pertingere creduntur; à Nova Mexicana verſus ortum *Apaches Vaqueros*, ab armentis illis gibboſis, (hæc alibi deſcripſimus) quæ maximo numero poſſident. Per hoſce ad eandem plagam orientalem tranſitur cxii leuc. itinere ad *Xumanas*, *Iapies*, & *Xabotaos*; quibus finitimi ſunt ad ortum *Aixai* & provincia *Quivira*; à qua ad Sinum *Spiritus Sancti*, (qui jacet inter promontorium *Apalaches* & *Tampicen* Arctoum Novæ Hiſpaniæ terminum, viginti novem gradib. ad Æquatore) tantum centum leucas produnt Hiſpani. Atque hæc compendio decerpſi è relatione *Alfonſi de Benavides Franciſcani*, Madriti typis expreſſa anno cIↄ Iↄ cxxx.

Apaches.

DESCRIPTIO

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER SEPTIMUS.

GVATIMALA.

Cap. I.

Deſcriptio hujus Provinciæ ſive Conventus Juridici in Communi, & quando & à quibus ſingulæ provinciæ primùm fuerint inventæ.

NOVÆ HISPANIÆ, quemadmodum hodie ab Hiſpanis accipitur pro Conventu Juridico peculiari, contermina eſt Provincia ſeu Conventus Juridicus *Guatimalæ*, ab urbe & provincia principali ita agnominatus, poſtquam Iudices regii fixas ſedes in civitate *S. Iacobi de Guatimala* poſuiſſent; ante enim *Audiencia de los Confines* dicebatur, & longe anguſtioribus limitibus continebatur; quippe non niſi Nicaraguæ & Guatimalæ provincias comprehendens. Hodie autem quicquid terrarum inter extremos *Tecoantepeces* fines & extimos *Coſtæ Ricæ* limites verſus ortum interjacet, hujus Conventus Juridici tribunali ſubjicitur. Ita ut ſecundum orarum quidem ductum ad Mare Pacificum ſive meridionale, ſupra trecentas leucas inter Eurum & Corum in longitudinem ſe extendat, ſecundum rectam verò lineam inter ortum & occaſum haud ſupra ducentas & quadraginta: nimirum ab octuageſimo quarto longitudinis gradu ad nonageſimum octavum, facto initio à Meridiano Toletano, ut fere numerat *Herrera.* Latitudo illius valde inæqualis eſt, ubi autem latiſſima eſt hæc provincia, patet centum & octuaginta leucas, niſi forte *Herreram* ratio hic fefellerit. Atque ita ſumta provincia & intra hos limites, complectitur tredecim provincias particulares; Chiapam, Soconuſcum, Suchitepecum, Guatimalam propriè dictam, Veram Pacem, Yzalcos, S. Salvatoris & S. Michaëlis provincias, Honduras, Chulutecam, Nicaraguam, Taguzgalpam & Coſtam Ricam. In quibus provinciis omnibus indigenæ barbari jam olim quam plurimis & diverſiſſimis linguis utebantur, quod inter Satanæ ſtratagemata à religioſis Hiſpanis refertur, quaſi hac infinita linguarum diverſitate, continuas diſſenſiones & ſæviſſima bella inter vicinas gentes aluerit.

Porro hæ provinciæ diverſis temporibus & à diverſis primum fuerunt inventæ; Nam *Gil Gonzalez Davila* primus anno CIↃ IↃ XXII adiit *Nicoyam* cujus indigenæ Her. d. 3. l. 4. c. 5. ſtatim fidem Chriſtianam amplexi, idola aurea quæ poſſidebant, præfecto ultro tradiderunt. Deinde & *Nicaraguam* eſt ingreſſus, & ejuſdem Regulum permovit ut cum aulicis ſuis fidem Chriſtianam amplecteretur: mira autem narrant Hiſpani de hoc Regulo, quæ ſi vera ſunt, longe majores reliquias luminis illius naturalis, & cognitionis divinæ ipſum habuiſſe neceſſe eſſet, quam fere uſquam hactenus apud barbaros fuerint inventa: Quærebat enim ex Hiſpanis, utrum Chriſtiani quicquam accepiſſent de diluvio, & an aliquando alterum eſſet futurum? utrum terra aliquando verteretur, an vero cœlum eſt ruiturum? quando & quomodo Sol & Luna ſplendorem ſuum & curſum eſſent amiſſuri? Quis illa luminaria contineret & moveret: Quis honor Chriſtianorum Deo qui condidit cœlum & terram deberetur? Et quandoquidem animæ eſſent immortales, ubi à corpore ſeparatæ futuræ eſſent &

quid acturæ? Utrum Vicarius Chriſti quem commendabant ipſi, & Imperator Rex Caſtellæ mortales eſſent? Denique cur tam pauci mortales tantum auri ſitirent?

Honduras primus quidem viderat Columbus; ſed hæc provincia, ut fere reliquæ, auſpiciis *Hernandi Corteſii* à variis tribunis militum fuerunt luſtratæ; quædam etiam maximam partem ab ipſomet Corteſio; nam ut Tribunorum Chriſtophori de Olid, & Petri de Alvarado expeditiones jam prætercam, quorum ille Honduras ex parte luſtravit, hic Guatimalam domuit; ipſius Corteſii ab anno cIↃ IↃ XXIV, uſque ad Aprilem anni cIↃ IↃ XXVI memorabilem expeditionem haud poſſum ſilere. Corteſius itaque cum centum & quinquaginta equitibus & totidem delectis peditibus, & tribus millibus barbarorum è metropoli Mexicana profectus menſe Octobri, primò pervenit ad *Guazacoalco*, atque inde cum ſummis annonæ difficultatibus conflictatus, attigit *Aquiavilco*, atque deinceps *Copilco* caput illius provinciæ, & per *Anavaxacam*, trajecto flumine *Quitzatlapan* ſive *Gryalvæ*, penetravit in provinciam Tabaſcenſem. Tranſiit deinde ad *Chilapan*, *Tamaztepec*, & *Yztapan* atque *Tanytlatan* & denique *Huatecpan*; Unde primo per aſperrimos montes, dein & per uliginoſa loca cum ſummo diſcrimine petiit provinciam *Acalan*, & iter faciens per *Tizatpetlan*, *Titacat*, tandem pervenit ad *Yzcancanac* municipium populoſum & illius provinciæ caput. Hic paucos dies moratus perrexit ad *Mazatlan*; & per *Tiac* tranſiit ad provinciam *Taycam* cujus principale municipium in exigua inſula ſitum erat, parens Regulo cuidam cui nomen erat *Canec*. Ventum inde per impeditiſſimam viam ad *Tlecan*, unde promoventes per aſperrimos montes cum tanta fame ſunt conflictati, ut nec (horrendum dictu) à mortuorum ſociorum carnibus abſtinerent, donec attingerent *Teucix*, atque *Azuzulin*, & tandem *Nito*, ubi Gil. Gonzales jam coloniam Hiſpanorum collocaverat; diſtabat hic locus viginti leucas à *Naco*. Itinerumque ratione ſubductâ, patuit Corteſium cum exercitu inde à Mexico ad Nito ſupra quadringentas leucas abſolviſſe. Hinc jam per nota itinera ad ſinum *S. Andreæ* pervenit, ibidemque municipium collocavit, *la Natividad de noſtra Sennora*; & demum in *Truxillo* conquievit. Atque hæc compendio de Hiſpanorum expeditionibus in has provincias dicta ſunto.

d.3.l.6. c.10.

CAP. II.

De Cacao *fructu hiſce provinciis pene peculiari, & de* Chocolate.

LIBRO quinto quum de Nova Hiſpania ageremus, præcipuas arbores fructiferas & agreſtes deſcripſimus, quæ hiſce quoque provinciis, de quibus nunc nobis ſermo eſt, communes ſunt; itaque tantum agemus de una arbore quæ fert famoſiſſimum illum in toto hoc Americæ Septentrionalis tractu fructum, qui vulgo appellatur *Cacao*; cujus fructus Iconem hîc ad vivum expreſſam adjungimus.



De hoc fructu ita *Acoſta*. *Cacao* fructus minor eſt amygdala, ſed compactior, totuſque non ingrati ſaporis; tanti non modo à barbaris ſed & ab Hiſpanis fit, ut inter ditiſſima commercia in Nova Hiſpania meritò annumeretur; nam quum ſiccior ſit fructus, diu conſervatur nec facile corrumpitur, & majores aliquot naves hiſce fructibus onuſtæ è provinciis *Guatimalæ* ſingulis annis ſolvunt; & ſuperiori anno pyrata quidam Anglus in portu Novæ Hiſpaniæ *Guatulco* ſupra centum mille cargas exuſſit (loquitur de anno cIↃ IↃ LXXXVIII quo *Thomas Candiſius* dictum portum inopinato ingreſſus quadringentos ſaccos ſe combuſſiſſe prodidit.) Hiſce autem fructibus in hiſce provinciis paſſim utuntur pro nummis; una quippe tres quinque, alia triginta, alia centum cacais venundatur; eoſdem & pauperibus in Eleemoſynam erogant. Sed principalis uſus eſt in potu quem ex illis conficiunt, *Chocolaten* vocant, inſanum in modum ab incolis harum regionum dilectum, & in ſummo precio habitum; quum iis qui non aſſueverunt, ſpuma ſupernatans & fecum inſtar ebulliens merito nauſeam

nauſeam moveat: hoc potu indigenæ hoſpites ſuos, etiam magnates, excipiunt; hunc Hiſpani, ſed magis Hiſpanæ, ita depereunt ut poſtquam ſemel illi aſſueverunt, ſe ſine ullo vivere poſſe negent. Hunc potum variis modis ita miſcent, ut unus calidior, alter frigidior, tertius denique inter utrumque medius ſit; nam & aromata admiſcent varia & præſertim multum piperis ſive Axi; etiam paſtam quandam ex iis componunt, quam pectoris & ſtomachi vitiis, atque catharris mederi volunt, licet apud eos quibus hæc opinio non eſt veluti agnata, difficulter inveniat fidem. Paſſim integros harum arborum lucos colunt, uti in Hiſpania Vineta aut Oliveta, maxime autem illis abundat *Guatimala*. Hæc ille.

Sed antequam pleniorem hujus arboris deſcriptionem proſequamur, à *Fr. Ximenez* jam ſæpius à nobis nominato, acceptam operæprecium fuerit, ramum arboris cum integro fructu hic apponere.



Indigenæ harum regionum (inquit *Ximenez*) ante Hiſpanorum adventum, *Cacao* fructibus loco numiſmatum utebantur, hodieq; multis locis uſurpant. Ex iiſdem potum ſuum conficiebant, vini ignari, licet non paucis locis vites, ſed ſilveſtres, naſcantur: Eſt autem *Cacahuaquahuitl* arbor magnitudine & foliis aurantiæ, ſed majoribus (*Herrera* comparat Caſtaneæ frondibus;) fructus illius eſt longus & ſimilis peponi, verum ſtryatus & rufus, qui dicitur *Cacahuacintli*, plenus illis *Cacao* nucibus (quas ſupra exhibuimus) quæ diviſæ ſunt in duas partes æquales & bene compoſitas atque conjunctas; teneri ſunt nutrimenti, ſaporis inter dulcem & amarũ medii, temperie nonnihil frigida & humida. Quatuor, quantum potui obſervare; hujus arboris reperiuntur ſpecies. Prima vocatur *Cacahuaquahuitl* quæ omnium maxima eſt & copioſiſſimos fert fructus. Secunda ejuſdem nominis, mediocris magnitudinis, frondes & fructus ferens longe minores. Tertia appellatur *Xuchicacahuaquahuitl*, adhuc minor, cujus fructus exteriori parte magis rubet, interiori cæteris ſimilis. Quarta omnium minima: ideoque *Tlalcacahuaquahuitl* dicitur, id eſt, humilis ſive pumila *cacao* arbor, quæ fructum fert omnium minimum, licet colore nihil differat à cæteris. Omnes autem hi fructus eaſdem obtinent qualitates & eoſdem habent uſus, licet poſtremus fructus potiſſimum in potionibus uſurpetur, cæteri commerciis magis ſunt apti. Ad has ſpecies quoque referri poteſt arbor quæ vocatur *Quauhzapatlatli*, verum longe major eſt arbor & majoribus foliis, fructuſque illius qui durior eſt cæteris loco amygdalarum ſumi poteſt, & prius toſtus utilis eſt ad tragemata, ad potiones planè eſt inidoneus. Naſcitur in regionibus mediocriter calidis, locis riguis & aquoſis; ſolent ex illius fructibus per ſe, ſine aliorum mixtione, potionem conficere & exhibere iis qui acutis morbis laborant, valde enim utilis eſt ad calorem mitigandum; itemque iis qui calida intemperie hepatis laborant. Quatuor hujus *cacao* nucibus cum gummi *Olle* ſive *Vlle* (de quo alibi diximus) mixtis & hauſtis, mirifice ſiſtuntur ſanguinolentæ dejectiones; lib. v. (poſſunt autem tam nuces illæ, quam gummi iſtud, primo nonnihil torreri;) quia fructus illi adeo pingues ſunt ut facile oleum ex illis poſſit exprimi, & gummi admodum tenax eſt & glutinoſum. Immodicus uſus potionis è *cacao* confectæ, plurimarum infirmitatum & morborum cauſa eſt; quia generat obſtructiones,

corrumpit colorem, & inducit Cacochymiam & ſimiles pravos affectus. Fiunt autem ex hiſce fructibus variæ potiones, prout variæ res ipſis admiſcentur, quas operæprecium erit hic deſcribere. Prima potio appellatur *Atextli* (quaſi dicas potionem humectantem) ea fit è centum aut circiter fructibus *cacao*, crudis vel toſtis, ſed probe comminutis, mixtiſque cum totidem granis Mayzii (ſive *Tlaolli* ut vocant Mexicani:) aut ſi potionẽ hanc magis compoſitam velint, addunt & alios fructus ſive *Mecaxuchitl* ſive *Tlilxochitl* ſive *Xochinacaztli*: de quibus jam ſupra egimus: mittuntq; in vas grande, & transfundunt eouſq; donec ſpuma ſe attollat & partes magis pingues & oleoſæ ſupernatent, atq; ita demum hauriunt magis liquidum: at ſeparatim bibi poteſt cũ majori guſtu & voluptate. Simplex enim potio refrigerat & nutrit inſigniter. Cõficitur & altera potio, ſumendo xxv fructus *Cacahuapatli* & totidem *Cacahuaquahuitl*, & pugnum Mayzii, cui nihil calidorum fructuum aut aromatum ſolent adjicere, hæc quoq; probe nutrit & refrigerat. Tertia eſt illa quæ appellatur *Chocolate*, jam ſatis omnibus nota, quæ variis modis componitur pro cujuſq; appetitu, de qua hoc tantum dicemus quod præclare nutriat: verum ſi nimis crebro & immoderate ſumatur, debilitat & alia præterea adfert detrimenta, de quibus jam ante diximus. Non explicabimus cõponendi modum, quia nimis variat, tantum notabimus quo pacto uſurpetur: aqua limpida in vaſe admovetur igni donec ebulliat, deinde ſumitur *Chocolates* quantũ lubet, inditurq; vaſi argillaceo, & ſuperinfuſa aqua illa fervente, tantiſper ligneo inſtrumento, quod vocant molinillo, agitatur, donec reſolvatur penitus & partes pingues & oleoſæ ſupernatent, quas deſpumatas ſeponunt; dein cum reliquo liquore miſcent *Atole* (cujus componendi modum ſtatim explicabimus,) & poſtquam defervuerit, addita denuo illa pinguedine, hauriunt è Tecomate (quod eſt vas è Coci nuce aut fructu illo quem alibi deſcripſimus efformatum.) Eſt & aliud potionis genus quod vocant *Tzene*, ea componitur ex æqualibus Mayzii & Cacao portionibus, prius toſtis, & coquitur cum pauxillo Mayzii ebulliti, donec potui ſit apta.

lib. v.

Solent denique juxta arbores *Cacaoferas* collocare aliam arborem, quam vocant *Atlynam*, ut illas inumbret, & à ferventibus ſolis radiis defendat, nam ad nihil præterea utilis eſt quod ſciam. Hactenus *Ximenes*.

Cap. III.

Digreſſio de Mayzio & illius facultatibus & multiplici uſu.

MAYZII jam ſæpe meminimus & porro ſæpiſſime illius mentionem facere erit neceſſe, quare hic potiſſimum poſt *Cacao*, de illius qualitatibus & multiplici uſu agere non incongruum putavi. Iconem hujus plantæ & deſcriptionem ſiquidem notiſſima eſt, prætermitto. Differentiæ illius (ſequor hic *Fr. Ximenem*) ſumuntur fere à ſpicarum (quas vulgo *Mazorcas* vocant) colore, qui multum variat; nam aliæ ſunt colore candido, aliæ rubro; aliæ pene nigro, aliæ purpureo, aliæ cæruleo, aliæ multis coloribus variegatæ; (de exteriori granorum cortice intellige, nam polenta candidiſſima eſt.) Seritur menſe Martio hoc modo; terra prius bene ſubacta, fiunt ſcrobes paſſus unius intervallo, quibus induntur IV aut V grana: cogitur autem menſe Novembri aut Decembri, longe minore labore quam triticum: pro ſoli autem cœlique varietate, alibi quatuor, alibi tribus menſibus, nonnuſquam & quinquaginta diebus matureſcit. Porro ſi ullum far à Deo conditum, temperatæ facultatis & eximii nutrimenti, id haud dubio erit Mayzium (Mexicanis *Tlaolli*, Europæis far Indicum,) neque enim calidum eſt neque frigidum, ſed inter utrumque medium: item nec humidum neque ſiccum, ſed temperatiſſimum inter utrumque, multo minus eſt ſubſtantia groſſa aut viſcida: quare falluntur illi qui craſſo & viſcoſo nutrimento eſſe judicaverunt & obſtructiones gignere opinantur. nam in barbaris qui perpetuò illo utuntur, contrarium deprehendimus, nunquam enim laborant obſtructionibus aut pravo ſunt colore. ſed contra teſtantur facile digeri & appetitum cibi acuere; quinimo ante Hiſpanorum adventum Nephritis hic ignorabatur: denique nullum præſtantius remedium inter barbaros reperitur adverſus morbos acutos. Quod & experientia abunde teſtatur: nam Mayzium in aqua coctum nutrit corpus ſufficienter, & concoquitur ſine ulla difficultate aut noxa; lenit pectus, mitigat calores febrium, & præcipue pulvis radicũ aqua maceratus & veſpertino frigori expoſitus, & poſtea hauſtus. Hippo-

Hippocrates prioribus capitibus de victus ratione in morbis acutis, ſupra modum commendat Phtiſanam, quæ eſt potio ſive pulticula cocta ex hordeo, quam ægris utiliſſimam eſſe demonſtrat, quia facillime digeritur, neque generat flatus, mundat corpus, eſtque nutrimentum humidum & frigidum, exiens cum ſumma facilitate è ventriculo & ſponte ſe ſpargens per venas & alias partes corporis. Verum ſi ex Hippocrate fuiſſet quæſitum, an Phtiſana illa omnibus morbis & ſingulis hominum complexionibus, ætatibus, adeoque omnium ventriculis conveniret; haud dubio reſponſurus fuiſſet, non omnibus congruere.

Quanto itaque major laus debetur noſtro *Atole*, ſiquidem non modo laudabilis & ſalubris eſt cibus, ſed etiam ſecurè exhibetur ſanis juxta atq; ægris, adoleſcentibus & ſenibus, maribus & fœminis, cujuſcunque complexionis; denique in omnibus omnino morbis ſine ulla noxa aut moleſtia. Præterea dicitur urinam movere & mundare meatus. Quandoquidem ergo Mayzium, ſi ut convenit ſumatur, mille adfert commoda, nullum detrimentum (niſi dicatur ſanguinem nimis augere & bilem) nequaquam audiendi ſunt illi, qui affirmant calidius eſſe tritico, & difficilius concoqui atque obſtructiones generare; ſed potius ſequendi Medici Mexicani qui abdicata Phtiſana uti ægris ingrata, Atolen introduxerunt, de cujus variis generibus & modis quibus fiant, jam breviter dicturi ſumus.

Atole Indorum eſt Mayzium molitum, & aqua ſubactum & in eadem diſſolutum & ebullitum ad modum pulticulæ tenuis, vel potius amyli. In conficiendo autem hæc eſt diverſitas; quod alii ſumant Mayzium crudum & tantummodo molitum: alii prius coctum cum calce, hoc modo; ſumunt aquæ partes octo, Mayzii ſex, calcis unam; quæ ſimul in vaſe argillaceo bene cooperto imponuntur prunis, donec grana molleſcant; tum ab igne arceantur & obturantur panno, ne vapor exeat; denique moluntur ſuper lapidem, quem vocant *Metatl*, & rurſus admoventur igni in eadem olla, donec denſentur ad modum ſupradictum, vocant *Yztac Atole*, id eſt, candidum. Utraque autem ſpecies Atoles, non mixta cum alia aliqua re calida aut frigida, eſt temperatæ qualitatis uti ipſum Mayzium, moderateque refrigerat & humectat corpora quæ aliquam intemperiem calidam aut ſiccam patiuntur: lenit pectus, nutrit eximiè, corroborat & ſaginat corpus debile & extenuatum, reſtaurat vires & nonnihil abſtergit; & utiliſſime præbetur infirmis atque adeo phyſicis; ſupplet vicem Phtiſanæ & addit vigorem iis qui è gravibus & diuturnis morbis convaleſcunt. Solent quidem Atolæ addere pauxillum *Chilles* (ſed non convenit niſi ſanis aut qui frigidis affectibus laborant) atq; ita gratiſſimus eſt cibus, atq; excitat appetitus venereos. Utuntur hoc cibo Hiſpani juxta atq; Indi per totum diem, tam valentes quam ægrotantes, ſed præſertim mane. Etiam aliam ſpeciem Atoles uſurpant quæ quidem fit ad eundē modū, ſed jam factę inſpargitur paululum *Chilles* viridis & tomates, ut vocant, & nonnihil ſalis; quas tres res alii quidem prius diſſolvunt in aqua, alii per ſe admiſcent ipſi *Atolæ*. Atole.

Solent & aliam ſpeciem *Atoles* componere, quam Mexicani vocant *Xoco-atole* id eſt acidam, quæ fit una libra fermenti & duabus libris Mayzii cocti & fracti eo modo quo diximus, ſimul mixtis. Fit autem fermentum hoc modo; ſumunt Mayzium nigrum, & cogunt in maſſam, & ſervant IV aut V diebus donec aceſcat, & tunc miſcent cum *Atole* ut hauriat acrorem palato gratum, & poſtquam transfuderint in aliud vas, adjiciunt ſalem & *Chillen*. Hæc ſpecies datur jejunis ad corpus mundandum, promovet enim urinam & ſolvit alvum. Idem fermentum aqua frigida dilutum & hauſtum, egregie reficit corpus, quando aut valide æſtuat, aut defatigatum eſt, aut alioquin ab itinere aut labore nimis calefactum: Infantibus quoque datur quum æſtuant, aut urina illorum ita inflammata eſt ut *Cuticulam* adurat aut abradat.

Chillatole fit ex *Chille* & *Atole* mixtis ad eundem modum; niſi quod Mayzio jam dimidia pene parte cocto demum tantum *Chilles* aquâ dilutæ admiſcetur, quantum qui hauſturus eſt palato ſuo gratum judicat; ſumitur mane adverſus frigoris aſperitatem; corroborat ventriculum expellendo pituitam quæ illi ſolet adhæreſcere; purgat renes, & expellit quæcunque impedimenta. Admiſcent ad eundem modum *Chillen* & mel, vocantque *Nochil-Atolen*; intendit calorem naturalem, & excitat venerem.

Yzquiatole eſt alia ſpecies, quæ fit ex phaſeolis coctis cum *Chillatole* & herba

Epazotl. quam vocant *Epazotl* (quæ vulgaris eſt in hiſce regionibus) foliis oblongis & in ambitu ſerratis, odoratis & calidis in tertio gradu, quorum decoctum uſurpant ad pectus corroborandum in Aſtmaticis; aperit enim obſtructa & dat utile nutrimentum: Solent quoque herbam crudam, atque coctam cibis admiſcere lococondimenti: nutrit egregie, mundat ſanguinem & expellit noxios humores.

Chian. *Chiantole* fit è ſemine *Chian* moderatè toſto in *Olla*, dein contuſo; quod toto anno ſervant ad hunc uſum;herba quæ hoc ſemen fert vocatur *Chiantzotzolli*,foliis hederæ caulibus quadrangularibus, ſeſquipalmum altis, floribus candidis & tenellis, vaſculo quodam coopertis, in quibus generatur ſemen album inſtar lentis, quod eſt frigidum aut moderate calidum, & ſalſum; è quo præparato cum Saccharo fiunt cupediæ; & potiones commodæ ad refrigerandum, quibus ſolent addi amygdalæ purgatæ, & ſemina melonum, aliaque. Miſcetur idem ſemen in pollinem redactum, cum mayzio toſto ac fracto, & diu incorruptum ſervatur; quando autem neceſſitas exigit, potum ex illo conficiunt; & interdum illi addunt ſuccum *Maguey* coctum, (qui nihil fere diſtat à noſtro melle) & pauxillum Chilles.

Tlamiz. Fit itidem potio, quam vocant *Tlamiz*, ex exigua parte mayzii & majore Chilles ſiccæ, ſimul fractis & mixtis, addito pauxillo herbæ *Epazotl:* admoventur tantiſper igni donec herba percoquatur, quod brevi fit: potio hæc haurienda eſt calida ut efficacius operetur; excitat venerem, movet urinam & menſes, additque calorem & robur toti corpori.

Yolatole componitur ex ipſa mayzii ſpica, (poſtquam grana jam demta ſunt,) ambuſta & in cineres redacta; horum uni parti, addunt tres partes ipſius farris, & molunt ſimul coquuntque; & ubi in aliud vas transfuſa fuerint, addunt *Chilcoztli* (quæ eſt ſpecies Chilli ſive piperis Americani, croceum colorem fundens) hæc potio prodeſt iis qui nimio ſanguine abundant.

Xocoatl. Solent quoque parare potionem, quam vocant *Xocoatl*, quaſi dicas aquam acidam. Sumunt Maizium coctum & in maſſam coactum, & aquæ inditum relinquunt noctu ſub dio, & exprimunt mane: hujus expreſſæ decem unciæ aut circiter aliquot diebus jejuno ventriculo hauſtæ, temperant mirificè ardorem urinæ, & refrigerant quodvis genus caloris.

Deinceps conſideremus quam facile & quam celeriter è mayzio panis fiat: nam triticum prius molendum, cribrandum, in maſſam redigendum, fermentandum, in furno idoneo coquendum; horum nihil neceſſe eſt fieri in Mayzio: molitur ſupra lapidem, & ſupra eundem cogitur in maſſam & fit panis; nihil opus eſt ſale aut ullo fermento ſed ſolummodo aqua; & ſtatim torretur in patina argillacea, & panis ita calidus editur cum ſingulari voluptate; atque hæc omnia tam brevi tempore perficiuntur, ut convivæ ſæpe menſæ accumbere incipiant & panis adhuc coquendus nullam ipſis moram adferat, Modus hujuſcemodi eſt: Macerant primum grana ut molleſcant, deinde inter palmas utriuſque manus terendo frangunt, & formant placentulas rotundas, teneras & mediocris magnitudinis; tum patinæ argillaceæ grandi & patulæ impoſitas admovent igni, aut prunis ardentibus ſuperponunt; atque hic uſitatiſſimus eſt modus. Alii eaſdem placentas longe majores formant & orbiculares ad modum pilarum, & in olla coquendas igni admovent, addentes iis phaſeolos ut teneriores evadant; has placentas vocant *Tamales*. Quin etiam è maizii polline percolata componunt in uſum potentiorum placentulas ita teneras ut pelluceant inſtar pergameni: & ad eundem modum pilas, quæ licet craſſiores ſint, tamen pellucere videntur.

Atque hæc quidem de farre abſoluto & maturo:Etiam ſpica quum primum germinare incepit in ſcirpulo foliorum, quod vocant *Xilotl*; & granum quum formari incipit & in ſuo veluti lacte eſt, & poſtquam collectum fuerit victui ſervit & voluptati, ebullitum aut aſſum; ita ut etiam in hoc reliquis frugibus præſtet, quæ nullius ſunt uſus antequam plene maturuerint, quum hoc far etiam informe, & antequam maizii nomen mereatur, utiliſſimum deprehendatur. Non ſolum autem ſpicæ mayzii, ſed & cannæ utiles ſunt, nam è viridibus conficiunt mel nigrum præſtantiſſimum: eædem uſtæ & in pulverem redactæ, mixtæque cum Terebinthina, mirabiliter curant capitis infirmitatem, quam veteres vocant Opiaſin. Ne ſpica quidem

quam

quam planta in ſummitate ſui exerit, uſu vacat (*Miahiu* vocant barbari) nam in ſumma neceſſitate panem ex illa coquunt. Folia denique illius præſtantiſſimum pabulum equis ſubminiſtrant.

Neque prætereundum eſt genus panis, quod *Chichimecæ* barbari in furno ſubterraneo coquunt; ſolent hi quum ferinam carnem coquere volunt, ſcrobem effodere & lecto è lapidibus ſtrato, lignis implere, eaque accendere, dein extincta flamma, ipſis prunis aut candentibus lapidibus carnem imponere, maſſa è mayzio coactâ tectam; cooperiunt deinde aliis lapidibus candentibus & ſcrobem occludentes, relinquunt quandiu ipſis videtur neceſſarium ut percoquantur; denique tam carnem quam maſſam exemtas commedunt cum ſumma voluptate. Quem carnem ſub terra aſſandi modum jam Hiſpani qui in Nova Hiſpania degunt, cœperunt imitari.

Sed jam in viam redeamus, & ſingulas hujus Præfecturæ provincias perluſtremus.

CHIAPA.

Cap. IV.

Deſcriptio provinciæ Chiapæ *in communi.*

Episcopatus & Provincia *Chiapæ*, in mediterraneis ſita eſt, & ad Auſtrum *Soconuſco*, quæ provincia ad Mare Meridionale ſive Pacificum jacet, clauditur, ad occaſum extremis Novæ Hiſpaniæ finibus, ad ortum Solis & Septentriones *Tabaſco* & provincia *Veræ* pacis: patetque in longitudinem inter ortum atque occaſum leucas quadraginta, & paulo pauciores in latitudinem. Incoluerunt illam olim quatuor nationes, linguis plurimum inter ſe diverſæ, *Chiapanenſes, Zoques, Zeltales* atque *Quelenes.*

Regio hæc proceras admodum fert pinus & Hiſpanienſibus omnino ſimiles, niſi quod rariores fructus ferant: præterea cupreſſos, cedros, quercus ſuaviorum glandium feraces: Lentiſcos grandiores, myrtos minores Hiſpanienſibus, ſed fructibus grandiuſculis: Juglandes frequentiſſimæ opacis ſilvis veſtiunt montana, quarum materies ad plurimos uſus adhibetur, ſed nuces ſunt Europæis longe minores: Vites hic ſilveſtres multæ, ſed uvæ acerbiores, utpote incultæ. De quibus audiendus *Franc. Ximenez.* Naſcuntur (inquit) multis locis Novæ Hiſpaniæ Labruſcæ ſive vites ſylveſtres, (*Mexicani* vocant *Totolotli* & *Hualchichiltic*) verum ad noſtra uſque tempora gentes iſtæ illas colere neglexerunt, uvarum uſum ignorantes, licet aliis vinis atque adeo noſtrate avidiſſime ſe ingurgitent. Fructus eſt nonnihil craſſus & ſubrubens: pulpa illius, licet ſilveſtris, tamen ſuavis eſt & grati ſaporis; unde mihi videtur ſi coleretur, longe ſuavior & blandior evaderet: cæterum hæ plantæ ſunt ſimiles noſtris vitibus, quoad folia & pampinos: quidam vocant *Xocomecatl*, id eſt, funem acidum tam ratione ſaporis, quam ſarmentorum & capreolorum quibus arbores amplectuntur: In Florida tot tantæque occurrunt ut integras ſilvas occupent & vix ulla reperiatur arbor, quam non ſcandant; Sæpe guſtavi fructum, qui parum concedit uvis.

Arbores quæ reſinas & liquores aromaticos fundunt hic plurimæ & præſtantiſſimæ paſſim reperiuntur, quarum illæ quæ *Liquidambar* fundunt proceræ & vaſtæ, quæ *Tacamahacam* minores, nec unius generis, aliæ enim albam, aliæ ſubfuſcam inſtar thuris, aliæ reſinam quandam mollem inſtar ceræ, aliæ *Copal* edunt. Omnes lib. v.
haſce arbores & illarum reſinas atque liquores jam ſupra deſcripſimus. Præterea reperitur in hac provincia arbor procera & admodum ramoſa quæ fructum fert inſtar piperis (ſunt qui *Malaguetam* Africanorum ſuſpicentur, ſed plurimum falluntur) cujus & ſaporem refert, niſi quod nonnihil ad Cariophyllorum ſaporem accedat. Hanc arborem ſupra deſcripſimus quum de *Tabaſcenſi* provincia ageremus, cui hæc arbor perfamiliaris. Arbores item quæ *Cacao* ferunt hic admodum frequentes, uti & quæ caſſiam ſolutivam producunt. *Guajaci* denique præſtantiſſimi ingentes hic viſuntur luci.

In *Copanavaztla*, hujus provinciæ regione, arbuſcula reperitur floribus rubris,

cujus folia ſiccatā & in pulverem trita, vulnera quamvis vetera & multum exulcerata ſanant. Ibidem & Palmarum quædam ſpecies abunde creſcit, quæ fructus fert orbiculares & ubi maturuerint nigricantes, edules & palato non ingratos: Veræ autem palmæ ex Hiſpania huc traductæ, octennio poſtquam ſatæ fuerunt, optimos dactylos dediſſe fuit obſervatum: Sunt & hic arbores quædam quæ reſinam fundunt inſtar Styracis: ſed colore multum elegantiore, & ferunt flores inſtar *Azahar* (ita vocant Hiſpani flores aurantiæ mali) optimi odoris, quos potui *Cacao* admiſcent & ventriculo plurimum prodeſſe autumant. In *Chicomuzelo* autem altera hujus provinciæ regione etiam arbores inveniuntur quæ fundunt balſamum.

Omnia olera ex Hiſpania huc allata uberrimè proveniunt: fabæ ſemel ſatæ, multos hic annos durant, florentque pene omnibus menſibus: braſſicæ ſilveſtres, (quas Hiſpani vocant *Llantas*) ad eundem modum hic perennant, & adoleſcunt ad modum fruticis, (ita ut aves in iis nidulentur,) quarum cymis incolæ veſcuntur. Habent & herbas quaſdam peculiares, quarum una fert flores candidos, radicem croceam & edulem; altera radicem habet candidam quæ leniter purgat; In *Quelenum* autem agris ſponte provenit radix Mechoacan. Et floribus hic ſuus honos, præſertim Caryophylleis, qui toto anno florent; ut & aliis.

Aves rapaces hic variæ, atque inter eas quæ unum pedem anſeri, alterum accipitri ſimilem habent; obambulant juxta fluminum ripas, piſcium capturæ, quibus victitant, intenti; de quibus audiendus *Fr. Ximenez:* Non poſſum (inquit) præterire monſtroſam avem; mole grandioris gallinæ, & pene ejuſdem formæ, plumis albis cum quibuſdam notulis pardis; roſtro Accipitris, ſed acutiori: rapinas agit tam in mari quam terra; pedem ſiniſtrum habet ſimilem anſeri, eoque natat in aquis; dextrum ſimilem Falconi, quo rapta comprehendit, tam in fluctibus quam in aëre; præterea Aquilæ aut nigræ aut ſubfuſcæ, earumque maximæ etiam coronatæ: coturnices quoque, palumbeſque Hiſpanienſibus paulo minores, turtures, anſeres, anates, aliæque complures. In ſumma autem olim indigenis veneratione habita (ita ut illam occidere capitale eſſet) *Totoqueſtal* avis, palumbe paulo minor, plumis inſtar Heliotropii virentibus, cauda oblonga: hujus plumis in principalibus feſtis ſe ornabant: De Pſittacis & Guacamaiis, quæ plumas habent eleganter rubentes atque cæruleas, quarum ingens hic ubique copia, nihil addam: de quadrupedibus pauca; & quidem primò de advenis: Taurorum, vaccarum, ovium, caprarum, ſuum ingens hic numerus; Equorum tamen generoſorum propagine imprimis laudatur hæc provincia, quare ab urbe Mexicana, (licet pene ducentarum leucarum intervallo diſtet) hinc pullos ſolent petere. Sunt & hic tigres & leones, pardi; feles ſylveſtres mire variegati; canes feroces inſtar luporum; Vulpeculæ albo, nigro & cinereo colore eleganter diſtinctæ, ſed graviſſime olentes: de quibus ita ſcribit *Fr. Ximenez;* Animalculum *Yzquiepatli* ſimillimum eſt Vulpeculæ quoad aſtutiam; duos palmos longum, rictu anguſto, exiguis auribus, pelle nigra & piloſa; cauda autem (quæ longa ipſi) pilo è nigro & candido mixto veſtitur; curvis ungulis; vivit in cavernis inter petras; victitat ſcarabeis & vermibus; ubi autem datur, etiam gallinarum & aliarum avium, quas rapit, capitibus: urina illius & ſtercus fœtet horrendum in modum, ut quæcunque contigerint penitus corrumpant; etiam flatus, quos fugiendo è ventre edunt, intolerabilem fætorem edunt, ita ut his potiſſimum armis ſe adverſus venatores defendant. Præterea reperiuntur hîc apri ejuſdem generis cum cæteris Americanis; armadilli, ſciuri, & *Tlaquatzin* de quibus ſupra diximus. lib. v. Aliaque animalcula cuniculorum magnitudine, ſed glirium forma, quæ catulos ſuos (quos tres quatuorve gignunt ſimul) dum minores ſunt dorſo geſtant, quum cibum quærendi cauſa procurrunt.

Multos quoque angues, aliaque venenata animantia nutrit hæc provincia, quorum quædam virus tam violentum de ſe fundunt, ut vel bacillo contingentes vitæ diſcrimen adeant, niſi ſtatim cæſorum ſanguine illinantur; neque tamen licet præſens exitium evadant, minus diu languent. Quidam Angues in maximam molem excreſcunt, nonnumquam viginti pedes longi viſi: quidam exquiſitè rubent, nigra fimbria & albis maculis interſtincti; barbari vocant matres formicarum, & collo circumferunt ſine noxa. Denique juxta Ecatepeque Quelenum pagum duo colliculi viſuntur,

viſuntur, omnimodo ſerpentum genere ita referti, ut indigenæ ſupra modum formident propius accedere.

Cap. V.

Particularis Provinciæ Chiapæ *deſcriptio; Vrbs* Cuidad Real; *Indigenarum ingenia, mores, alia.*

PROVINCIAM hanc à quatuor diverſis nationibus ſive populis inhabitatam jam olim fuiſſe ſupra diximus; Inter hos Chiapenſes, non modo inter hos populos primi cenſentur, ſed & reliquis Novæ Hiſpaniæ populis ingenio & moribus præſtant: nam & generoſos atque optimos equos alunt, domantque; in muſica atque pictura cæteriſque Mechanicis artibus excellunt: humaniſſimi ſunt & urbanioribus moribus, proceresſque ſingulari obſequio venerantur. E Nicaragua, ut ferunt, provincia oriundi, huc jam olim tranſmigrarunt, ſedesque poſuerunt juxta petroſum collem, haud longe ab eo loco quem hodieque tenent.

Hiſpani poſtquam harum regionum ſunt potiti, hic percommodum locum ſibi elegerunt, in convalle rotunda, undique montibus circumvallata, plana, & quatuor ſemitis opportune diviſa; in cujus medio mons eminet, ad cujus radices, qua orientem ſpectat, urbem condiderunt, quam vocant *Cuidad Real*; ſeptuaginta leucis ab oppido *S. Iacobi de Guatimala* verſus Corum; & totidem pene ab urbe *Nueſtra Sennora de la Vittoria* provinciæ Tabaſco; à qua ad urbem Chiapenſem iter eſt, primum adverſo flumine *Gryalva* leuc. quadraginta; deinde per altiſſimos & aſperos montes, & valles multis amnibus riguas, quæ utramque provinciam dirimunt. Hæc urbs *Cuidad Real* ſingulari Regis Hiſpaniarum privilegio regitur à magiſtratibus urbanis, quos vocant *Alcaldes.* Eccleſiam habet Cathedralem, & monaſterium; ambiunt illam multi Indorum pagi & imprimis *Chiapa* à qua non modo reliqua vallis; ſed & provincia nomen ſortitur. Vallis autem hæc inter utrumque mare pene media cenſetur, ab utroque circiter ſexaginta leucas diſſita, octodecim gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum ſecundum *Herreram:* (quem tamen hic falli manifeſtum eſt, nam ſitus loci & cæteræ circumſtantiæ repugnant) frigida eſt & ſicca, ſalubrique quidem aëre, ſed ſubtiliori, ideoque neque limonum neque aurantiorum ferax; ſed pomorum, pirorum, cotoneorum, perſicorum, cæterorumque fructuum qui in frigidioribus regionibus naſcuntur, Tritici denique & Mayzii longe feraciſſima, ob fimentorum ad agros ſtercorandos copiam. *Cuidad Real.*

Secundi populi ſunt *Zoques* ſive *Zoaques*, horum provincia viginti quinque pagis ſive municipiis hodie habitatur, quorum præcipuum *Tecpatlan*, ubi Dominicani monaſterium collocarunt: hæc provincia calida eſt atque humida ob imbrium frequentiam, & amnium atque torrentium multitudinem pene invia, piſciumque propterea optimorum copia dives. *Zoques: Tecpatlan.*

Tertii *Zeltales* tredecim pagos incolunt, popularis regiminis in modum; ſolum hic uberrimum eſt & Mayzii feraciſſimum, unde multi hic porcorum greges aluntur: abundant melle atque gallinis; Coccinilla quoque qua ædes ſuas pingunt & goſſypium ſuum inficiunt, nullo præterea emolumento; denique *Cacao.* Multi hic quoque amnes labuntur, ſed modici: montes autem ſunt altiſſimi, qui ipſos à *Lecandonibus, Zoquibus* & *Yucatana* provincia ſeparant. *Lecandones* iſti nudi agunt, juxta paludes, inter prærupta & confragoſa montium juga ad limites Yucatanæ, aſperi moribus & indomiti, Hiſpaniſque (ut Chiltonus Anglus teſtatur qui hac iter egit) ſupra modum infeſti. *Zeltales.*

Quarti *Quelenes* viginti & quinque pagos incolunt, quorum principalis *Copanavaztla* ubi Dominicani cœnobium habent; aër hic temperie eſt calida atque ſicca, ſolum tritici & aliarum frugum Europæarum ferax: armenta hic multa, quare & optimos caſeos premunt: Ad hanc denique provinciam pertinet *Quebrada Rica*, ſic dicta ab Hiſpanis, quod olim magnam vim auri hic eruerint: ab una parte Soconuſco, ab altera ſolitudini Lecandonum contermina eſt hæc *Quelenum* provincia. *Quelenes. Quebrada Rica.*

Princi-

Principalis Chiapæ fluvius deſcendit verſus Arctum, & *Quelenum* provinciam ſecans juxta *Copanavaztlan*, multis ſubinde amnibus acceptis, exonerat ſe in mare per Tabaſcum: Quidam illum juxta pagum *Oztutan* terra abſorberi volunt. Hic fluvius animalia quædam nutrit, quæ nuſquam præterea reperiuntur, ſimilia ſimiis, cauda oblonga & pelle maculoſa inſtar tigrum; latent ut plurimum ſub undis, raroque emergunt, barbaros dum flumen tranant, cauda cruribus circumdata, ſubmergere ſueta: neque equis abſtinent; enectos tamen devorare nondum à quoquam obſervatum: Indigenæ hujus periculi gnari ſecuriculas ſecum portant ut caudis amputatis ſe expediant.

Alter hujus provinciæ amnis, quem *Rio blanco* vocant Hiſpani, injecta ligna lapidea cruſta ſenſim obducit, cæterum limpidus & potari innoxius.

Fontes mirabiles. Inter Chiapenſis provinciæ decora, maxime illuſtria ſunt diverſorum fontium miracula; In pago *Cazacualpa* ſeſqui leucâ ab urbe primaria, fons viſitur limpidus, qui eodem quo Oceanus modo ſingulis ſex horis creſcit & decreſcit, quod illi à mari, à quo longiſſime abeſt, accidere minus veriſimile eſt. In *Taſixa* agro fons triennio integro, licet parce admodum pluat, abunde ſcaturit, proximo verò triennio, licet vel maxime pluat, areſcit. Quinque autem ab urbe leucis fons viſitur qui æſtivis menſibus exundat, hibernis plane deficit. Haud longe à pago *Cinacatan* fons eſt exilis, cujus aquæ affectibus qui cauſtica remedia flagitant, medetur; potæ vero aves, aliaque animantia enecant.

Juxta pagum *S. Bartholomæi* in provincia Quelenum, terra hiatum quendam inſtar putei aperit, in quem ſi lapidem vel minutum dejicias, ingens tumultus cietur, ſtatimque licet ſereno & tranquillo die tanta & tonitrui ſimilis procella emicat, ut procul audiatur & vix ferri poſſit. Quod & de ſpecu in Dalmatia prodidit Plinius.

l.2. c.24. Denique ut alia omittam in *Chicomuzelo* pago caverna jacet, aditu anguſto, intus vero ampliſſima, planicie peramœna & lacu ad unum latus ita limpido ut intuentium oculos fallat, immobili præterea & juxta ripam duas orgyas alto.

Porro provincia hæc Chiapenſis olim valde floruit, ob auri quod eruebatur copiam: neque hodie deſunt auri venæ, ſed mancipia deſiderantur quæ effodiant. quamplurima quoque occultat argenti, ſtanni, plumbi, hydrargyri, æriſque metalla, Sacatlan. hactenus neglecta. *Chiltonus* Anglus, cujus paulo ante memini, prodit in ſuis commentariis, principalem hujus provinciæ urbem appellari gentili nomine *Sacatlan*, ibique Epiſcopum & circiter centum Hiſpanos habitare; magnum hic eſſe goſſypii proventum, è quo indigenæ pannos texant, quos ipſi pro tributo Hiſpanis pendunt, Hiſpanique divite commercio ad Novam Hiſpaniam traducunt. Quatuordecim ab hac leucis alterum jacere oppidum *Chiapæ* nomine, generoſorum equorum propagine & educatione celebre.

Ab hoc ad Novam Hiſpaniam tendentibus, iter eſt per editiſſima montium juga, uſque ad extremos hujus provinciæ terminos, ubi *Ecatepec* (quod nomen barbarorum lingua ſonat Venti montem) in tam vaſtam altitudinem ſe attollit, ut utrumque Oceanum è ſummo vertice conſpici poſſe affirment: hunc pene novem milliarium itinere aſcendi, idque potiſſimum noctu, quia ſole Oriente tam validæ procellæ ut plurimum incumbunt, ut in jugis illius conſiſtere aut iter agere impoſſibile videatur; à radicibus deniq; illius ad Tecoantepec primum Novæ Hiſpaniæ oppidulum leucas numerantur quindecim. Atque hæc de provincia Chiapa dicta ſunto.

SOCONUSCO & SUCHITEPEC.

CAP. VI.

Provinciarum Soconuſco *&* Suchitepec *deſcriptio, cœli ſolique qualitates, oppidum, reliqua.*

CHIAPÆ provinciæ proxima eſt verſus Eurum & Auſtrum provincia illa quæ barbaris dicitur *Soconuſco*, ſecundum Oceani Meridionalis oras, circiter quinque & triginta leucas in longitudinem porrecta, & haud multò pauciores

ciores in latitudine patens. Limites habet ad ortum quidem Guatimalam proprie dictam, ad Septentriones Veram pacem, ad occaſum Tecoantepec ultimum Novæ Hiſpaniæ terminum.

Solum omne feraciſſimum eſt earum arborum quæ ferunt *Cacao*, atque hæ præcipuæ illius provinciæ divitiæ, quas ob maris vicinitatem facili admodum commercio, cum opulentioribus Novæ Hiſpaniæ provinciis permutant: nec eorum quæ ſeruntur impatiens eſt regio, præterquam tritici.

Unicum oppidũ ab Hiſpanis habitatur, quod gentili nomine à barbaris juxta atq; Hiſpanis appellatur *Guevetlan*, olim à *Petro de Alvarado*, dum harum provinciarum præfecturam obtineret, conditum. Cæterum ipſa provincia quemadmodum à *Chiltono* accepimus qui illam anno cIↄ Iↄ LXX peragravit, habitatoribus valde eſt infrequens, pauciſſimi enim Hiſpani hic habitant nec plures viginti; Indigenæ autem opum ſuarum fiducia, quas ex *Cacao* commerciis hauriunt, ſupra modum ſunt arrogantes & feroces. Regi tamen Hiſpaniarum tributum pendunt, videlicet *Cacao* in ſingulos annos ad minimum quadringentas cargas (unaquæque autem carga capit quatuor & viginti millia *Cacao* amygdalarum, & in civitate Mexicana ut plurimum æſtimatur triginta regalibus argenteis.) Guevetlan.

A menſe autem Aprili ad Septembrem aſſiduis procellis atque imbribus obnoxia eſt regio, tantaque torrentium & rivulorum vis de montium jugis in convalles & planiciem devolvitur, ut itinera omnia inundentur, & aqua reſtagnante invia fiant. Unde illi qui è Nicaragua aliiſq; orientalioribus provinciis verſus Novam Hiſpaniam iter agunt, hiſce menſibus aliò deflectere coguntur, quum reliquis menſibus per hanc provinciam longe expeditius & compendioſius iter habeant.

Soconuſco ad Orientem proximæ jacent *Suchitepec* & *Guaſacapan*, duæ modicæ provinciæ & incolis admodum infrequentes; maximus quippe illarum pagus, haud ſupra ducentos indigenas numerat; præcipue illorum divitiæ & merces ſunt *Cacao* fructus, quorum tellus feraciſſima cenſetur.

Ora maritima harum provinciarum *Soconuſco, Suchitepec* & *Guaſacapan* ſecundum Oceanum Meridionalem ſive Pacificum, initium ſumit, ſeptem leucas ab *Amitla* flumine verſus occidentem, atque ad *Tecoantepec* & Novæ Hiſpaniæ fines producitur; quo intervallo varios habet amnes, qui in hunc Oceanum deſcendunt: qui quidem hoc ordine jacent, primo *Coatlan*, deinde *Capanarcalte*, mox *Colatl*, *Hazatlan*, atque *Amatituc*, ſolis tantum nominibus noti, cætera hujus oræ nobis incomperta.

VERAPAZ.

CAP. VII.

Provinciæ Verapaz *deſcriptio & locorum quæ hodie ab Hiſpanis in illa habitantur.*

PROVINCIA cui *Verapaz*, id eſt, veræ Pacis nomen hæſit, quia non armis ut fere cæteræ hujus regionis provinciæ, ſed Evangelii prædicatione à Monachis ordinis Dominicani, in Regis Hiſpaniarum poteſtatem pervenit, tota eſt mediterranea; ad occaſum *Chiapa* provincia, ad auſtrum *Soconuſco*, ad ſeptentriones *Yucatana*, ad ortum *Hondura* & *Guatimala* proprie dicta, clauſa; & triginta aut circiter leucas in longitudinem & totidem ferme in latitudinem patens. Separatur à Guatimala flumine *Xicalapa*; ab Hondura amnibus, paludidus & freto, quod vulgo *Golfo Dolce* appellant, & hujus provinciæ portus cenſetur.

Indigenæ, qui jam plerique Chriſtianam religionem amplexi dicuntur, & in paucos pagos ut commodius à religioſis inſtitui poſſent ſunt congregati, non ultra viginti ſex leucas occupant in latitudinem; cætera adhuc inculta, ab infidelibus & necdum cicuratis barbaris poſſidentur, *Lecandonibus* nimirum; de quibus etiam antè diximus & *Pochutecis*, & qui *Acalam* provinciam incolunt, ſimilibuſque ferocibus & indomitis populis. Regio montenſis eſt, altis jugis & profundis vallibus, rara cap. 5.

planicie,

planicie, opacis lucis & denſis nemoribus maxima ſui parte horrens: media ſui parte ſatis commoda cœli temperie gaudet, extremis valde fervet atque æſtuat: Moſquitis (ita culicum ſpeciem hiſce regionibus valde familiarem vocant) ſupra modum obnoxia, familiari regionum humidarum & calidarum peſte. alioquin optimis fructibus, piſcibus, cæteriſq; ad victum neceſſariis egregie abundans. Cœlum autem hic valde pluvium, ita ut fere novem menſibus continuis hic pluat, reliquis quoque tribus anni menſibus haud raro imbres decidunt; denique ita nubilis perpetuo obſcuratur, ut Sol perraro hic erumpat. Verum lucis aliquot cæſis, quum ſolum jam indies magis magiſque pateſcat, rariores aſcendunt vapores, faciliuſque diſcutiuntur, unde & temperies aëris multum quotidie immutari dicitur. Altiſſima hic inſuper ſunt montium juga & profundæ valles & voragines multæ, regioneſque crebris amnibus impeditæ. Innumeri fontes & ſalubrium aquarum ſcaturigines, licet nonnullæ acidiores aquas, quædam & ingrati ſaporis eructent, ob metallorum venas, per quas enituntur.

Haud longe à *S. Auguſtini* municipio inter duos montes ſpelunca viſitur ſaxea, multorum hominum capax, ore patulo, intus obſcura & plana, cum variis cavernis, quæ continuo liquorem quendam deſtillant, qui in ſaxum convertitur, candidum inſtar Alabaſtri, variaſque molitur columnas & ſtatuas, raro naturæ artificio: interiora tam acri & ſubtili frigore rigent ut ipſa oſſa penetrare dicatur; ibidem & confuſum aquarum defluentium murmur exauditur, quæ diverſis torrentibus erumpentes, primum in profundam abyſſum inſtar lacus ſe præcipitant, & conjuncto deinceps alveo amnem emittunt, ſtatim ab ipſo egreſſu cymbarum patientem.

Solum hujus provinciæ ob nimiam illam humiditatem maligne patitur triticum Europæum, Mayzium tamen fert bis quotannis, licet & ipſum non raro nimio humore corrumpatur & putreſcat: gravibus ventorum tempeſtatibus, terræ motibus, tonitrubus deniq; & fulminibus hic vexantur. Sylvæ ingentes cedros albas rubraſque alunt, ut & multas aromatiferas arbores, quæ ſuavem odorem de ſe fundunt, multas quæ Liquidambar, quæ Animen, quæ Xuchicopal, maſtichen & ſanguinem draconis, ut vocant officinæ, fundunt. Cannas præterea ingentes producit terra, & nonnumquam centum palmos altas & ita craſſas ut ſingula internodia arobam aquæ (menſuram Hiſpanis notam) capiant: quibus indigenæ in ædificiis interdum pro trabibus utuntur. Arbores quoque quibus duriſſima eſt materies inſtar ferri, & putredini vel minimum obnoxia; & quibus verſicolor eſt materies, quæ ſecta ad varios uſus adhibetur. Florum odoratorum mira hic varietas, quibus apes paſcuntur, quæ hic plurimæ & non unius generis: unæ quæ aculeis carent & limpidiſſima mella; aliæ aculeatæ inſtar Europæarum, quædam & muſcis non diſſimiles, quæ non mala, aliæ denique quæ agreſtia & cerebrum hominibus perturbantia mella conficiunt: nullæ tamen harum favos operantur, ſed mel ſuum ſub arborum corticibus & ad earum radices in ſubterraneis cavernulis deponunt: unde liquidius quidem eſt mel ſed acidiuſculum: Hiſpani illud ſolent coquere, ita enim & ſalubrius fit & palato gratius, ad ſyrupum ex aurantiis aut cytriis compoſitum quam proxime accedens.

Beori animal. Inter quadrupedes animantes, quæ hic reperiuntur, maxima eſt, quam barbari *Beori*, Hiſpani Dantam appellant; animal vitulo non abſimile, ſed cruribus brevioribus & Elephanti in modum articulatis; anteriores pedes quinque digitos ſive ungulas habent, poſteriores tantum quatuor; capite eſt oblongo, fronte anguſtiori, oculis pro mole exiguis, proboſcide palmi longitudine ſupra os pendula; quum iraſcitur, erigit ſe & diducto rictu dentes ſuos oſtentat, quos habet inſtar porcorum; aures illi acutæ, cervix contracta, cauda brevis & raris pilis obſita, pellis craſſiſſima ita ut difficulter manu poſſit comprehendi aut ferro pertundi; victitat gramine & ſilveſtribus herbis; barbari Indigenæ veſcuntur illius carnibus; & venæ ſectionem ſe ab hoc animali edoctos memorant, nam ubi ſanguinis nimia copia ſe gravari ſentit, illico petrarum attritu, venas crurum ſibi aperit & ſanguinem derivat.

Nutrit & hæc provincia Leones, ſed imbelles, ſtertunt totos dies in cavernis aut arborum faſtigiis, è quibus noctu demum deſcendunt ad rapinam; celeres quidem ſunt, ſed timidi, & à barbaris crebro necantur, carne ſunt candida nec inſuavi, ſi barbaris credimus, qui illam in deliciis habent; arvinam autem in medicina adhibent,

bent, oſſibus in feſtivitatibus pro tibiis utuntur. Tigres hic longe majores & pernicioſiores; olim miſeros barbaros è tuguriis ſuis abreptos dilaniabant, quare tantopere illos metuebant, ut ſe coram illis poſternerent & numinis loco venerarentur: nam & hic, perque totam Novam Hiſpaniam conſtans fama eſt, diabolum ſuperioribus ſeculis forma hujus animalis ſe barbaris oſtentare conſueviſſe, unde veneratio orta. Verum poſtquam Hiſpani hic ſedes fixerunt, & barbaris Evangelii lucem oſtenderunt, miſſo timore, Indi quidem ſagittis, Hiſpani autem potiſſimum ſuis bombardis tantam ſtragem ediderunt, ut jam pauciores compareant, minuſque metuantur.

Reperitur hic & aliud animal, urſo corporis mole haud multum concedens, ceterum nigris villis, cauda lata, manibus pedibuſque ad humanum pene modum, facie panda, glabra & rugoſa & ſimis naribus inſtar Æthiopum. Simile animal in Braſilia reperiri prodidit Thevetus, manus autem & pedes humanis ſimiles illi non tribuit, ſed de hoc alibi. Denique ingens hic ſimiorum & Cercopythecorum multitudo, ſicuti & caprarum ſylveſtrium, porcorum, erynaceorum, armadillorum & ſimilium ferarum. De avibus dicere nihil opus eſt, quas neque pauciores neque minus elegantes, quam Chiapæ provincia nutrit.

Nullà in hunc diem, quod quidem memoriæ proditum viderim, auri argentive metalla hic ab Hiſpanis inventa, licet ſæpius, levibus quibuſdam indiciis ab Indigenis decepti, fruſtra in quærendo operam inſumſerint, præterquàm haud longe à Freto Dulci, ut ſtatim dicemus.

Cap. VIII.

Reliqua hujus Provinciæ & Freti quod vocant Golfo Dolce *deſcriptio.*

HUjus provinciæ latus quod orientem ſolem adſpicit, infiniti pene rivuli & torrentes, qui ex altis & nivoſis montium jugis devolvuntur, interſecant, qui in alveos collecti amnes plures navigabiles efficiunt, leniterque & ſine murmure per patentes & uberes campos labuntur, & à procerarum arborum ramis dextra levaque obumbrantur; fœcundiſſimi omnis generis piſcium, & illarum avium quæ piſcibus victitant. Omnes hi fluvii exonerant ſe tandem in Fretum quoddam longum & latum, quod verſus Arctum vel aquilonem deſinit in mare ſive ſinum Hondurenſem. Dulce autem appellatur hoc Fretum ab aquis ſuis dulcibus, licet turbidis & limoſis; alit ingentes piſces & imprimis *Manatos* atque haud paucos Crocodylos. Juxta hoc fretum aurifodinam fuiſſe inventam, & ſulphuris quoque venas deprehenſas teſtatur *Antonius Herrera.*

Hiſpani nullum in hac provincia habent oppidum; quatuordecim tantum, aut ut aliis placet ſeptendecim pagos; indigenæ & pauci Hiſpani ipſis permixti habitant, in quorum uno Dominicani monaſterium ædificarunt. Indigenæ olim non minus quam reliqui Americani idiomate plurimum inter ſe differebant, nunc à religioſis & conjunctim habitare & uni tantum ſe aſſueſcere didicerunt; & non parum in urbanitate morum, & Chriſtiana religione dicuntur profeciſſe. Modicæ ſunt ſtaturæ, bene compoſitis membris, moribus blandis & non invenuſtis. Marium numerus longe ſuperat, nam fœminas hic minus vivaces eſſe, quam viros, obſervarunt Hiſpani, cauſa occulta eſt: nam & nullo pene labore liberos ſuos pariunt, & ſæpe ſolæ & in triviis, ſtatimq; & ſe & infantē ſuum flumine abluunt; ſunt fere inopes ob goſſypii paucitatem, (quod & multoties ab humidiore tempeſtate ipſis corrumpitur) & multarum aliarum rerum defectum. Præcipuæ illorum divitiæ ſunt variarum avium elegantiſſimæ plumæ, è quibus varia ornamenta componunt; jam & alias artes mechanicas feliciter didicerunt. De antiquis illorum moribus, & inſtitutis nihil attinet dicere, quum jam omnes abdicaverint, præter ſolemnes choreas. Reguntur à Prætore urbano, qui mittitur ad hanc provinciam à Conventu Juridico Guatimalenſi. Rariſſime adeuntur cōmerciorum gratia, licet montana Zarçaparilla, Chinæ radicibus, & Mechoacan paſſim ſcateant, multiq; cortices, gummi, reſinæ, aliaq; ſimplicia ad medicinam & alios uſus idonea hic reperiantur; unus enim tantùm & ſatis difficilis navigiis ad illos aditus per Fretum Dulce, & quod rei caput, nulla ſatis ampla utilitatis aut lucri ſpes affulget.

Quidam olim per hoc fretum in mare pacificum penetrari poſſe ſunt opinati;

alii per idem in *Guatimalam* & maritimas provincias pertendere ſunt conati: & ſuperioribus annis id tentarunt Angli ducibus *Antonio Sherleio* & *Wilhelmo Parkero*, ſed fruſtra: nam quum onerariis ſuis in alto relictis,cum minoribus cymbis & ſcaphis hoc fretum eſſent ingreſſi, & circiter triginta milliaria cum maximo labore nec minori moleſtia,ob culicum infeſtas punctiones, confeciſſent,per varios flexus atq; reflexus, tandem ad pagum quendam appulerunt,exiguo caſtello juxta poſito munitum,cæterum tũ vacuum cultoribus, & è miſeris barbaris qui in vicinia degebant, didicerunt, MareMeridionale,ſecus quã ſibi ipſis perſuaſerant,ab intimo hujus freti gremio,haud paucioribus quam xx leucis abeſſe; & iter ad provincias maritimas propter ſaltus & aſperitatem montium qui interjacent impeditiſſimum eſſe; quare voti irriti & variis languoribus ob aëris inſalubritatẽ ſupra modum afflicti,ægre adnaves ſuas redierunt.

GUATIMALA.


CAP. IX.

Deſcriptio provinciæ quæ proprie Guatimala *appellatur.*

PROVINCIA quæ propriè *Guatimala* jam appellatur, aut Indorum idiomate *Quatuemallac* (quod nomen putrem arborem denotat) maritima eſt,patetq; ſecundum littus maris Meridionalis in longitudinẽ circiter leucas XVII; in latitudinẽ inter Auſtrum & Septentriones utplurimum xxx. Solum hujus provinciæ longe uberrimum eſt & Mayzii atq; Goſſypii feraciſſimum:non minus & Tritici noſtri, aliarumq; frugum; licet frumentum hic admodum difficulter in plures annos conſervari ſcribant. Raræ hic quidem pluviæ,ſed quum ingruunt valde vehementes,præſertim à Menſe Aprili in Octobrem. Venti hic ut plurimũ perflant aut ab Auſtro aut ab Aquilone;ſed ab hoc rarius,neq; ſupra quindecim aut viginti diebus continuis, iique valde frigidi & impetuoſi. Multis montibus aſpera eſt regio,multis amnibus impedita,unde & venationi & piſcationi peropportuna: Fructuum optimorum tam eorum quos regiones illæ per ſe producunt,quam illorum quos Hiſpani ex Europa intulerunt, egregiè fœcunda; *Cacao* vero proventu imprimis opulenta: Salis inopia hic laboratur, qui magno ſumtu ex arenis quas unda marina lavit, in fornacibus magna flammarum vi excoquitur. Amnes præter omnis generis piſces,ingentes alunt Crocodylos. Paſcuis hic imprimis abundatur, unde multa hic prædia ruſtica, & numeroſi armentorũ greges;ſed valetudine incolentium infamis habetur provincia ob nimium æſtum pariter atq; humiditatem: Culicum incredibilis multitudo, qui noctu atque interdiu moleſtiſſimi ſunt hominibus: muſcæ quoque & veſpæ infinitæ: frequentes ſcorpii, aliique vermes craſſi & hirſuti, qui ſolo contactu noxii & non raro lethales judicantur: & quos centumpedes vocant non minus formidabiles; (quanquam *Fr.Ximenez* qui hoſce à Mexicanis *Coyayahual* appellari ſcribit, dicat hunc vermem ſiccum & aqua dilutum fractumque utiliter maxillis inungi ad dolores dentium mitigandos; eſſe autem vermem valde durum ſuperiore parte fulvum, pedibus è candido purpuraſcentibus, quos habet quamplurimos, unde ad centum pedum ſpecies refertur.) Præterea ſerpentes, viperæ, aliaque reptilia venenata. Apes hic plurimæ quæ mel album & ceram conficiunt, nec tam acriter pungunt quam noſtrates.

Fert hæc provincia Balſamum, aliumque liquorem aromaticum inſtar olei (quem Gomara tradit è monte profluere) & ſulphur abſolutiſſimum. Præſtantiſſimum deniq; Anir ſive glaſtum, quod hujus provinciæ nomine celebratur: De quo nobis hic pauca dicenda,in quem finem & ramulum illius cum foliis ad vivũ & ea mole qua erat expreſſum hic adjungimus. Plantam ita deſcribit *Fr. Ximenez: Xihuiquilitlpitzahuac*, id eſt, Annir foliis ſubtilibus, eſt frutex ex una radice plures producens truncos, ſex palmos altos,& digitũ minorem craſſos, rotundos & læves, coloris cinericei;folia habens ſimilia ciceri;flores exiguos è candido roſſos,è quibus naſcuntur ſiliquę,coacervatim è caulibus pendulæ, quæ ſimiles ſunt vermiculis quos vocãt aſcorides, craſſiuſculæ & plenæ ſemine nigro:(addunt alii ſemen accedere ad ſemen fænugræci,utrimq; compreſſum & veluti præciſum.) E foliis fit tinctura quam barbari vocant *Tlacchoylimihuitl*, qua capillos inficiunt colore nigro. Modus autem conficiendi colorem illum

cæruleum,



cæruleum, quem Mexicani appellant *Mohuitli* & *Tlecohuilli*; & Caſtellani *Azul* (vulgo annil) ita ſe habet: Indunt folia decerpta æneo vaſi & affundunt aquam calidam vel potius tepidam (licet quidam magis probent frigidam) & verſant valide, donec aqua tingatur, quam deinde ſenſim effundunt in aliud vas ſive ollam, cui foramen eſt in ſuperiori parte, è quo effluit aqua magis clara, turbida autem & quæ hauſit ſubſtantiam foliorum ſubſidet; ea porro colatur per ſaccum cannabinum, & craſſa ſubſtantia exponitur ſoli & formatur in placentulas, quæ in patenis impoſitæ prunis indurantur & ſiccantur. Hæc ille.

Sed apud Indos veros qui in oriente inter Indum & Gangem degunt, modus eliciendi hanc tincturam longe operoſior eſt, quem hic adjicere neceſſarium putavi. Plantam ſectam conjiciunt in oblongam ciſternam ad id paratam, & multis ſaxis ſuperinjectis deprimunt, atque diluunt & operiunt pura limpha: ita compreſſa & cooperta relinquitur ad aliquot dies, donec aqua colorem & ſubſtantiam omnem herbæ extraxerit & imbiberit: tunc aquam hanc in aliam ciſternam rotundam, in cujus fundo alia minor itidem orbicularis ſtructa eſt, emittunt; agitantque bacillis valide, & deſpumant ſenſim liquidam; atque id tantiſper, donec aqua omnis deſpumetur, & feces atque craſſior ſubſtantia in fundo ſubſidant: hanc exemtam ſuper pannos extendunt & ſiccant ad ſolem; ubi autem jam paulum indurari cœpit, in orbiculos, aut laminas aut paſtillos cogunt; & rurſus ſuper arenam porro indurandam projiciunt, nam omnis alia materies colorem ebiberet aut vitiaret. Maxima autem copia notiſſimæ hujus tincturæ ex Guatimala & vicinis provinciis per portus Honduræ infertur Europæ opulentiſſimo commercio.

Porro provincia hæc dirimitur à *Suchitepec* & *Guaſacapan*, *Michatoya* flumine, quod è lacu *Amitatan*, quatuor ab urbe *S. Iacobi* leucis, ſe præcipitat ab altiſſimis ru- Amitatã.
pibus in profundam & concavam cavernam, in cujus ſuperiore parte infiniti pſittaci nidulantur, grandeſque & noxii veſpertiliones, qui & vitulos enecant exſugendo illorum ſanguinem, neque hominibus ſi dormientes offenderint, parcunt: atque horum tantus eſt numerus, ut ob damna quæ quotidie pecori inferunt, indigenæ vicina prædia deſerere fuerint coacti.

Indigenæ hujus provinciæ valde ſunt puſillamines & abjecti; lingua Mexicana omnibus communis, licet propriam habeant. Plus quidem quam reliqui barbari in religione Chriſtiana & civili converſatione profecerunt, verum ſi metus abſit, rurſus facile ad gentiles ſuos ritus & barbaras conſuetudines relabuntur. Mares rudiores ſunt, ſed optimi ſagittarii; fœminæ paulo urbaniores & nendi peritiſſimæ.

In regione hujus provinciæ quæ *Neſticpaca* dicitur, lacus quidam ſunt, quos è ſul- Neſtic-
phureis venis ſcaturire, aquarum gravis odor manifeſtat; & ſulphuris fragmenta juxta paca.
ripas coagulata; paſcua autem quæ hos lacus ambiunt & rivuulos ex iis accipiunt, egregie nutriunt equos, & ex gracilibus & invalidis reddunt robuſtos & pingues.

Anno primum CIↃ IↃ XXIV hæc regio à *Petro de Alvarado* domita & in provinciam fuit redacta, ipſoque ſuperſtite multum floruit; verum ipſo extincto multum remiſit de priſtino ſplendore, quem tamen poſtea commerciorum opulentia recuperavit, ut hodie felicioribus provinciis annumeretur: Unicum tantum portum eumque non ſatis tutum huic provinciæ tribuit *Herrera*, quam vocat *Yztapam*; in d.4.l.8.
quo ipſum falli manifeſtum eſt, niſi intelligat de portu aliquo ad mare Septentrio- c.8.
nale, ad quod tamen hæc provincia non pertingit; alibi autem *Yztapæ* fluvii & por- d.3. l. 7.
tus meminit, haud longe à fluvio Gryalvæ, per quem olim merces Europeæ ad hanc c.3.
provinciam ſubvectas fuiſſe veriſimile eſt, priuſquam Fretum dulce aliique aditus Hiſpanis innotuiſſent: de portubus ad mare Meridionale mox dicturi ſumus.

YZALCOS.

CAP. X.

Provinciæ Yzalcos *uti hodie ab Hiſpanis appellatur, particularis deſcriptio.*

PROVINCIA *Yzalcos* capit initium à flumine *Guacapa* & terminatur ad *Gueymacum* & oram maritimam quæ vulgo *Tonala* dicitur. Patet in longitudinem
Tonala. ſecundum oræ maritimæ ductum leucas octodecim: Solo atque cœlo provinciæ *Guaſacapan* plane ſimilis, earundemque rerum abundantia & præſertim *cacao* fructibus nobilis. duas præterea fructiferarum arborum ſpecies nutrit, quas *Zicaras* & *Capotes* appellat *Herrera*; quæ fructus ferunt inſtar pinearum nucum, quibus viginti quinque & interdum triginta amygdala continentur. *Fr. Ximenez*, quem libenter ſequor, deſcribit arborem, *Cochiz Tlapotl*, quam dicit eſſe arborem grandem, deformem; foliis aurantiæ mali, raris & ternis per intervalla; trunco variegato notis quibuſdam albis; floribus flavis & exiguis; fructumque ferre forma mali cotonei & interdum eadem mole, (qui Hiſpanis dicitur Zapote blanco,) edulem & grati ſaporis, verum non admodum ſalubrem; oſſiculum autem illius eſſe lethale venenum. Hanc ſuſpicor eandem eſſe quam *Herrera* vocat *Capoten*, licet hic nihil de amygdalis, quas ad alteram referendas puto; quanquam quæ altera illa ſit quam *Zicaran* vocat nondum invenerim; niſi forte ſit illa quam *Fr. Ximenez* Mexicanis ſcribit vocari *Tzopilotl* & *Tzopilotzontecomatl*, quæ eſt arbor grandis, foliis longis & anguſtis; fructu longo & grandiuſculo, qui continet oſſicula quædam amara, pectori ſalubria, ſapore amygdalarum amararum, muſcum redolentia, licet tandem ſaporem putridum poſt ſe relinquant; è quibus trahitur liquor quidam oleoſus & emolliens, quique facultates dictarum amygdalarum videtur obtinere. *Cacao* quidem in hiſce regionibus tantus eſt proventus, uti fructus qui quotannis in Novam Hiſpaniam vehuntur; quique in uſus domeſticos adhibentur, in quatuor hujus provinciæ municipiis, ad ſummam quingentarum cargarum, uti vocant, aſcendant; horti autem in quibus hæ arbores coluntur, nonnulli duo milliaria occupant. Atque hos quidem fructus per *Contlas*, *Xequipiles* & Cargas numerant, quarum *Contle* quadringentis amygdalis, *Xequipil* ducentis contis aut octo millibus amygdalarum, *Carga* denique tribus *Xequipilibus* definitur: atque ad eundem modum etiam cæteras res numerant.

Zapotea. (margin note beside line "ginti quinque & interdum triginta amygdala continentur")

Habet hæc provincia Vulcanum ſive flammivomum montem, cui hiſce quinquaginta proximis annis (quum ſcriberet *Herrera*) ſupra viginti ſtadia de faſtigio decreverunt: nonnullis annis tantam cinerum copiam evomit, ut vicinas valles longe lateque cineribus contegat, & *Cacao* hortis & viridariis grave inferat damnum, præſertim verſus Auſtrum, ubi ſolum magis declive eſt: plurimi torrentes ab hoc monte deſcendunt, quorum quidam potabiles, alii noxii & grave olentes: quidam etiam quævis injecta lapidea cruſta inducit, juxta pagum hujus provinciæ, quem vocant *Tupam*.

Ab *Yzalcos* trium leucarum itinere aſcenditur ad locum quendam *Apaneca* dictum, frigidiuſculum quidem, optimorum tamen granatorum aliorumque fructuum Hiſpanienſium, & præſertim tritici feraciſſimum: juxta hunc *Ataco* incolitur, ejuſdem pœne cœli & ſoli, venationeque ferarum celebris: in montanis reperiuntur ea animalia in quorum viſceribus Bezoar gigni dicitur: & urſorum parvulorum quædam ſpecies, qui rictus loco in extrema proboſcide foramen habent parvum & rotundum, è quo linguulam, teretem, oblongam atque intus concavam exſerunt, qua mel abſorbent, aut melle deficiente, eandem juxta formicarum antra arundinis in modum exporrigunt, & incautas formicas miro aſtu attrahunt atque deglutiunt: damæ præterea verſicolores, aliaque animalia, & feræ quoque hominibus infeſtæ.

Multæ hic herbæ naſcuntur ſalubres & ad uſum medicinæ comparatæ, arboreſque quæ Maſtychen, ſanguinem Draconis & Animen fundunt.

Ataco proxima eſt *Guacapa*, regio non minus fertilis, ubi fœminæ barbaræ, optima vaſa argillacea, nulla licet inſtrumentorum ope adjutæ, efformant; eaque limo quodam rubicundo inſtar Coccinillæ, qui in rivulis ibidem reperitur, elegantiſſimo colore

colore inficiunt: ſunt qui limum hunc bolo Armeniæ comparent, & eundem ſuſpicentur: nam & potus dyſenteriæ medetur, & adverſus peſtilentes morbos inſigne cenſetur antidotum: alii rivuli ſimilem limum ſed nigrum devehunt, quo vaſa ſua ad eundem modum pingunt. Quodam etiam loco, quem Indigenæ Infernum vocant, aqua ebullit fervidiſſima, miro murmure & vario colore; nam hîc turbida, alibi limpida, iſtic rubicunda, & aliis locis flava aut varie colorata erumpit, prout à venis metallicis, quæ in viſceribus terræ latent, tingitur: vapor autem qui exhalat, in bitumen quoddam concreſcit: barbari autem ollas ſuas ſcaturiginibus admovent ut ebulliant. Ex omnibus hiſce ſcaturiginibus gignitur amniculus, quem à re ipſa calidum vocant, nam illius aquæ pene integrum milliare ab origine ita calorem ſuum ſervant, ut equorum & aliorum animalium crura adurant: ad montium radices adhuc plures ejuſcemodi fontes viſuntur; inter alios lapis quinque ulnas Hiſpanicas longus, tres latus, & per medium fiſſus; è cujus fiſſura fumus evaporat, & ſi propius accedas inconditum murmur auditur, tempeſtate autem ingruente etiam horrendus fragor. Montes ferunt proceriſſimas quercus, quarum glandes tam patentes calices habent, ut atramentariorum vicem ſuppleant.

Scorpiones hic inveniri tradunt cuniculorum magnitudine: bufones autem ranis paulo minores, qui arborum ramis inſtar avicularum inſultant, & pluviæ tempore ingentem ſtrepitum excitant. Denique formicæ hic viſuntur grandiſſimæ, quas Indigenæ vulgo comedunt; & in foris venales habent.

SAN SALVADOR. SAN MIGUEL. CHULUTECA.

Cap. XI.

Specialis deſcriptio harum provinciarum, & eorum quæ habent peculiaria.

PROVINCIA quæ hodie *S. Salvatoris* nomine gaudet, initium ſuum ſumit à pago *Atiquizaya*, ſoli fertilitate præcedentibus neutiquam inferior. Indigenæ hîc è certis graveolentibus & virulentis vermibus efformant certos paſtillos, quos ad varios medicinæ uſus uſurpant; uti adverſus tumores è cauſa frigida, alioſque ejuſdem generis affectus.

Guacapa amnis oritur in hac provincia, & circiter ſeptem leucas à fonte ſuo progreſſus, fit grandis & navigabilis, atque poſt tredecim leucarum lapſum miſcetur Oceano Meridionali: ita ut nullum aliud Americæ flumen tam exiguo intervallo tantas aquas colligat aut emittat.

In agris municipii *S. Annæ*, duo lignorum genera cæduntur, quorum uno tingitur color quem vulgo vocant *Leonado*, altero elegantiſſime cæruleus. Ad radices autem Vulcani cujus ſupra meminimus, haud procul à *Coatan*, lacus ſe colligit admodum altus, immanibus crocodylis ſcatens: in cujus medio jacet exigua inſula; barbari *Pipeles* dicti, in vicinia degentes, credebant nulli mortalium fas eſſe illam adire, ſine manifeſto præſentis mortis periculo, donec Hiſpani ipſis hanc credulitatem ademerunt, aliquot Nigritas ad inſulam mittentes, qui ratibus compactis lacum trajecerunt, ibidemque repererunt idolum quoddam ſaxeum, fœminæ formâ; araſq; ad immolandum comparatas; quo factum ut barbari omnem metum, locique venerationem abjicerent. *Leonado.*

In finibus *Guaymoco* pagi, plurimæ naſcuntur arbores, quæ balſamum edunt; univerſaque ora, quam *Tonalam* vocant, nutrit arbores admodum firma atque ponderoſa materie, è qua in quodam templo reperiuntur columnæ quinquaginta pedes altæ. Indigenæ liquorem Balſami colligunt æſtate cortice trunci leviter aduſto; Hiſpani autem per ſe emanare ſinunt: fert arbor illa fructus amygdalis ſimiles, quibus ineſt ſuccus aurei coloris.

Anguſta ab hoc loco ſemita pertinet ad oppidum *Sancti Salvatoris*, & amnis quidam plus quam ſexagies tranſvadandus eſt, ad radices uſque ingentis Vulcani, qui deficiente, ut veriſimile ſit, materie, nullis amplius flammis emicat, immani cæterum cratere & dimidiam leucam ambitu complexo, vaſtaque altitudine: in cujus deſcenſu duo veluti furna conſpiciuntur, quorum extimum etiamnum denſiſſimum fumum emittit, tam gravis odoris, ut propius accedentes animo non raro delinquantur. *Vulcanus.*

Mons hic ab imis radicibus ad faſtigium uſque obſidetur ingentibus cedris, piniſque: & paſſim videntur ambuſtæ materies veteris incendii indicia.

Nixapa. Tres porro ab hoc Vulcano leucas abeſt *Nixapa* pagus, ubi ramentum cernitur aridi montis (Hiſpani vocant *el mal pays*) è ſaxis atque ambuſtis glebis accumulati, atque adeo materie, quam prædictus Vulcanus haud dubio quondam eructavit, quoniam alterius Vulcani veſtigia nulla in vicinia comparent; quod tamen in tanto intervallo fere monſtri ſimile poſſit videri, niſi ab alio in valle civitatis *Sancti Iacobi de Guatemala*, integros ignitorum ſaxorum montes longe rejectos recens admodum memoria eſſet; & in *Nicaragua* provincia, ſuperiore ſeculo, flamma è novo Vulcano erumpens, integrum montem ingenti ruina ſuper vicinam vallem ita effudiſſet, ut totam oppleret & incolas omnes ſubito vivos inhumaret.

Ab hoc autem Vulcano ſcatebræ emanant optimarum aquarum, quæ juxta *Nixapam* in unum ſe colligunt alveum: ab eodem & mirabilis torrens deſcendit, qui noctu fluens, interdiu prope montem *Sancti Ioannis* veluti abſorbetur; aliuſque non multum diſſimilis viſitur in provincia *Chuleteca*, ad meridiem uſque ſcaturiens & poſt meridiem areſcens.

Ad radices denique hujus flammivomi montis, hodieque viſitur antrum rotundum, (craterem fuiſſe olim, diuque arſiſſe faciunt fidem aduſti lapides & ſolum in ambitu aridum atque effœtum) è quo fons limpidiſſimus erumpit, ex quo *Cuzcatani* pagi incolæ, qui juxta jacet, ſuas aquas hauriunt; nec longe ab hoc abeſt ipſum oppidum *S. Salvatoris*, de quo nobis ſermo eſt.

Cuzcatā.

Secundum oram maris Auſtralis, ad fluvium *Lempan* uſque (qui hanc provinciam à provincia *S. Michaëlis* diſterminat) regio omnis plana eſt & campeſtris, pecorique aptiſſima: Sub ipſo autem Vulcano de quo modo, quatuor numerantur barbarorum pagi, qui uberrimo *Cacao* proventu certant cum provincia *Yzalcos*; ad Septentrionale vero ejuſdem latus jacet vicus *Yſtepeque*, ſcaturiginibus aliquot aquarum nobilis, quæ ſulphur & alumen generant, itemque campis nobilis qui plurimas herbas medicinales producunt.

Chontales. Ab hoc loco incolunt *Chontales*, gens aſpera & immanis moribus, cujus ingenia ab aſperis montibus & ſolitudinibus adhuc magis aſperantur. Nec procul hinc *Lempa* amnis è lacu quodam egreſſus, ad oceanum devolvitur navigabili alveo, per amœnum ſolum & venatione & piſcatu dives; niſi quod cœlo utitur ferventiori ideoque inſalubri. Juxta ripas hujus fluminis quædam creſcunt arbuſta, quæ & ſuaviſſimos flores ferunt & odoratiſſimum gummi, eo non inferius neque multum diſſimile, quod Beniuin vocatur.

Lempa fl.

Mimilla. Tribus autem à lacu leucis aditur pagus *Mimilla* quondam *Pipelium* atque aliarum gentium ſacrarium; ubi duæ ſcaturigines exiguo intervallo diſcretæ, una pene ferventes, altera frigidas aquas, effundunt; multa præterea hic naſcuntur ſimplicia quæ aromatum vice in cibo atque potu ab indigenis uſurpantur; effoditurque terra quædam inſtar Chalcanti, è qua atramenta in hiſce regionibus componuntur. Non longe denique à *Cecori*, qua regio hæc verſus aquilonem divergit, vaſtus ſe ſupra vicinos mons attollit, cujus verticem occupat lacus profundiſſimus & magnus, è vicino fonte ſeſe colligens.

Cecori.

Denique in hiſce regionibus frequens eſt damarum quoddam genus, duplici ventriculo ab Authore naturæ donatum, quorum uno cibos digeri, altero putrida ligna recipere obſervatum fuit, quem in uſum, incertum, licet natura nihil fruſtra facere credenda ſit. Barbari indigenæ veſcuntur horum animalium carnibus, licet viſcoſiores ſint & haud dubio admodum inſalubres.

CAP. XII.

Oppidum S. Jacobi de Guatimala *harum provinciarum principale.*

HACTENUS provincias aliquot conjunximus ob vicinitatem, nunc oppida quæ ab Hiſpanis habitantur proſequemur: Quorũ facilè princeps urbs *S. Iacobi de Guatimala*; utpote Metropolis hujus Præfecturæ & Conventus Juridici ſedes. Abeſt autem ab Æquatore quatuordecim gradus & triginta ſcrupul. verſus Ar-

ctum: à Meridiano Toletano verſus Occidentem gradus tres ſupra nonaginta, ut *Herrera* annotavit; duodecim, vel ut alii volunt quatuordecim leuc. à Mari Meridionali. Sita eſt in medio convallis, quæ ab amne interſecatur; inter duos flammivomos montes; quorum unus urbi vicinus, alter abeſt duarum leucarum intervallo, in vertice præalti & rotundi montis: qui utplurimum denſiſſimum fumum exhalare, nonnumquam ignes cinereſque evomere & aduſtos lapides ejaculare ſolet; ubi autem ignis emicare cæpit, terra in ambitu graviter & crebro movetur.

Frequentia hic ſunt fulgura atque tonitrua; aër tamen haud minus hic ſalubris: Solum item perfœcundum, bonumque pecori & armentis, quorum maxima hic copia: Ager Mayzii ita ferax, ut in patentioribus & riguis arvis quingentos modios pro uno reddat, alibi pauciores, nuſquam, ut ajunt, minus centum. Arborum fructiferarum ingens copia, ita ut merito hujus oppidi ager ſuburbanus inter amœniſſimos numerari poſſit. Oppidani Hiſpanicæ gentis ab *Herrera* ſexcenti numerantur, præter barbaros & mancipia. *Chiltonus* Anglus qui anno cIↃ IↃ LXX hac iter habuit, numerum prodit longe minorem, nec ſupra ſexaginta Hiſpanos tum oppidum dicit incoluiſſe. Miniſtri regii hic utplurimum agunt; itemque Epiſcopus, qui ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Mexicani: hic & monaſterium Dominicanorum viſitur, itemque alterum fratrum quos vocant *de la Mercede*; & Hoſpitale: denique hic metalla omnia liquantur, funduntur que. Agrum autem Diœceſanum viginti quinque millia barbarorum dicuntur incolere.

Diſtat hoc oppidum à Metropoli Mexicana leucas ducentas & ſeptuaginta, permoleſto itinere, quod per duas ſolitudines agitur, quarum una à *Guaxaca* ad *Tecoantepequen* quadraginta quinque; altera vero à *Tecoantepeque* ad *Soconuſcum* ſexaginta patet in longitudinem leucas. A medio autem May ad medium Novembris iter hoc fere invium eſt ob aſſiduas pluvias, uligines, atque ſtagna. A *Guazacoalco* verò, qui locus jacet ad mare Septentrionale, abeſt leucas ducentas, itinere item impedito & tortuoſo; olim tamen ab hoc portu merces petebant Europæas, magno ſumtu & longe majore moleſtiâ; nunc longe compendioſiore via per vallem *Naco*, (quæ tantum leucas quinquaginta diſtat ab hoc oppido *S. Iacobi*) eaſdem ſubvehunt à ſinu *Hondurenſi* petitas.

Hoc oppidum anno cIↃ IↃ XLI horribili tempeſtate pene totum concidit, quæ ex Vulcano (quem oppido imminere ſupra diximus) intempeſta nocte ex improviſo eruperat: magnam quippe aquarum diluviem, ingentia ſaxa atque integras arbores radicitus evulſas ſecum dovulvens, tanto impetu oppidum irrupit, ut ædificia proſterneret, multoſque mortales obrueret & miſere ſuffocaret; atque inter alios Præfecti & primi harum provinciarum Domitoris Viduam; (de cujus miſerabili exitio varia à variis auctoribus produntur, nec inter ſe conſentientia;) Verùm oppidum poſtea reſtauratum, noviſque colonis auctum, ob commercia cum Veraguanis, aliiſque gentibus, auro aliiſque divitiis hodie pollere dicitur.

CAP. XIII.

Oppidum S. Salvador, *municipiaque* la Trinidad, S. Miguël *&* Xeres de la Frontera.

OPPIDUM quod hodie ab Hiſpanis *S. Salvador* appellatur, ab indigenis olim *Cuzcatlan* ſive *Cuzcatan* dicebatur: diſtat ab Æquatore verſus Septentriones tredecim gradibus & paucis ſcrupulis; ab oppido *S. Iacobi de Guatemala* quadraginta leucis verſus Eurum; ab Auſtrali denique Oceano & portu qui vulgo *Acaxutla* nominatur ſeptem. Ad hunc portum naves omnes à Nova Hiſpania ſolent appellere, merces ſuas exponere, & *Cacao* alioſque hujus provinciæ fructus rurſus accipere. Ager ſuburbanus frugum fertilis eſt, cœlumque temperatum & per ſalubre. *Chiltonus* ſcribit hanc primariam hujus provinciæ urbem eſſe, quæ barbaro & antiquo nomine hodieque *Sonſonate* appellatur; & quum illac tranſiret à ſexaginta Hiſpanis fuiſſe habitatam. Dominicani hic monaſterium habent. Haud procul ab oppido lacus viſitur, quatuor quinqueve leucas ambitu ſuo occupans, piſcium haud-

quaquam fœcundus; Indigenæ provectioris ætatis narrant hunc lacum incredibilis magnitudinis angues olim aluiſſe, qui tamen hodie minime comparent.

Municipium Hiſpanis *la Trinidad*, barbarorum lingua communiter *Sonſonate* dicitur & idem nomen vulgo toti provinciæ impartitur; abeſt ab oppido *S. Iacobi de Guatimala* leucas ſex & viginti; quatuor autem à portu *Acaxutla*, verſus Africum. Situm eſt in agro uberrimo & *cacao* imprimis fœcundo: Emporium eſt hujus provinciæ ſingulare, ad quod è Peruvia & Nova Hiſpania merces ſubvehuntur; Dominicani monachi hic cœnobium habent; ſed barbari qui in agris degunt ad Diœceſim Guatimalenſem referuntur.

S. Michaëlis municipium ſexaginta duas leucas abeſt ab oppido *S. Iacobi* & viginti duas ab oppido *S. Salvatoris* verſus Eurum: duas denique à littore Maris Auſtralis & ſinu *Fonſecæ*, qui municipio huic portum præbet; circiter octuaginta barbarorum indigenarum vici hujus municipii finibus dicuntur concludi.

Municipium *Xerez de la Frontera*, quod barbari vulgo provinciæ ipſius nomine vocant *Chulutecan*; ſitum eſt in extremis Præfecturæ Guatimalenſis finibus, ad limitem præfecturæ *Nicaraguæ*, pene octuaginta leucas à Metropoli *S. Iacobi de Guatimala*, viginti aut ſaltem octodecim à municipio *S. Michaëlis* verſus Euroauſtrum, in uberrimo agro & Goſſypii atque Mayzii aliarumque frugum feraciſſimo.

CAP. XIV.

Portus & ſtationes hujus Præfecturæ, totaque ora maritima ad mare Auſtrale.

PORTUS Præfecturæ Guatemalenſis, præter paucos jam ante commemoratos, ſunt ad mare Auſtrale; primum *Sinus Fonſecæ* haud longe à municipio *S. Michaëlis*, diſtans ab Æquatore duodecim gradus & dimidium verſus Arctum; anno cIↃ IↃ XXII primum aditus ab Ægidio Gonzales d'Avila & in honorem Joannis Roderici Fonſecæ Epiſcopi Burgenſis & Conſilii Indici in Hiſpania tunc præſidis, ita nominatus; in gremio ſinus jacet parva inſula, quam idem Ægidius appellavit *Petronillam*. Hiſpani olim quum commercia inter utrumque Oceanum, quam breviſſimo & expeditiſſimo itinere ſatagerent aperire; anno cIↃ IↃ XXXV deduxerant Coloniam in vallem *Naco* (de qua non dicemus) & ab omine appellaverant *Bonam Spem*; Regique Hiſpaniarum per litteras ſignificaverant, municipium illud opportuniſſimo loco ſitum eſſe inter portum *de Cavallos* in Præfectura Hondurenſi & ſinum hunc *Fonſecæ*; quippe tantum quinquaginta leucas intereſſe, itinere maximam partem expeditiſſimo, paucis locis aſperis exceptis, quæ facili negotio complanari poſſent, & viæ inter ſaltuoſos montes aperiri; atque ita commercia inter utrumque mare, atque adeo compendioſius & utilius inter Hiſpaniam & Peruviam exerceri, quam per iſthmum panamenſem: quod facilior & tutior navigatio eſſet, tum ab hoc ſinu ad Peruuiam, quam à Panamæ portu, tum etiam à portu *de Cavallos* ad Hiſpaniam quam à *Nombre de Dios*; denique Sinum Fonſecæ longe meliorem & tutiorem eſſe portum, quam ſit Panamenſis; itaque rogabant Regem ut hac via commercia inter utraque maria geri præciperet; ſed hactenus id nequaquam perſuaſerunt. Credo quod aliæ difficultates ſeſe aperirent, quæ ab iis qui ſuo commodo aliquid Principibus ſuggerunt, fere præteriri ſolent. *Fullerus Candiſchii* nauclerus obſervat, in Freto Fonſecæ (ita vocat hunc ſinum) decem inſulas ſparſas eſſe, quarum quatuor à barbaris habitentur, & aqua, ligno atque ſale abundent: ad occidentale autem hujus ſinus latus Indorum pagũ eſſe, *Mapal* dictum, qui armentis abundet.

Sinui Fonſecæ proximus jacet portus *Acaxutla* haud longè à Sonſonate ſive municipio Trinitatis, duodecim gradibus ab Æquatore verſus Arctum ut annotatur ab *Herrera*, ut autem vulgo in Tabulis Hydrographicis deſignatur, tredecim. Hic præcipuus hujus Præfecturæ eſt portus & navigiorum ex Peruvia & Nova Hiſpania appulſu maxime frequens.

Ab hoc portu ad ſinum *Guatimalæ* XII numerantur leucæ, tendendo verſus occidentem; à ſinu vero Guatimalæ ad fluvium *Xicalapam* leucæ ſeptem.

Ad Mare Septentrionale hæc Præfectura nullum habet portum, quum extremi illius limites ad minimum quadraginta leuc. ab illo Oceano abſint: merces tamen

Europeæ

Europeæ per Fretum dulce, ut vocant, ex intimo Hondurenſis ſinus gremio ſubvehuntur ad mediterraneam ſtationem, quam vulgo *El puerto de Golfo Dolce* appellant, atque inde terreſtri itinere ad oppidum *S. Iacobi de Guatimala* & reliqua hujus præfecturæ oppida.

Denique XII ab oppido *S. Iacobi* leuc. juxta viam quæ ducit ad Novam Hiſpaniam, *Atitlan* lacus viſitur, X leucas ambitu ſuo comprehendens, patenſque in latitudinem quatuor, inexploratæ altitudinis. Atque hæc de Præfectura Guatemalenſi.

HONDURA.

CAP. XV.

Præfecturæ Hondurenſis *limites, Cœli ſolique qualitates.*

PROVINCIA & Præfectura *Hondura*, uti ab Hiſpanis communiter appellatur, fines habet ad Orientem quidem *Taguzcalpam* provinciam, quam Hiſpani hodie vocant *Novam Eſtremaduram*: ad Eurum autem *Nicaraguam* & illius oppidum *Segoviam*: ad Auſtrum atq; Africum Præfecturæ Guatemalenſis provincias; ad occidentem *Veram pacem* & *Fretum Dulce*; ad Septentriones denique Oceanum Septentrionalem. Patet inter ortum & occaſum in longitudinem ſecundum ejuſdem oceani littus leucas centum & quinquaginta; in latitudinem plus minuſve octuaginta; à dicto mari ad provincias quæ Mari Auſtrali alluuntur.

Solum hujus provinciæ, aut erigitur in altos montes, aut ſubſidet in amœnas & fœcundas valles; quæ quondam indigenis fuerunt frequentiſſimæ, nunc ob inteſtina bella & mutua excidia à rarioribus barbaris incoluntur: rariſſimæ hîc planicies viſuntur. Agri non modo Mayzii, (quod ter in anno, uti & piſa, ſerere dicuntur & metere) ſed & tritici fertiles, & paſcendis animalibus idonei. Auri atque argenti metalla in viſceribus terræ abſcondita, licet indigenis olim aut ignorata aut neglecta. Deniq; omni annonæ genere abundat regio, imprimis melle atque cera. Fert autem hæc regio ingentem pulcherrimarum cucurbitarum copiam, quæ quum ab iis qui primi hujus provinciæ oram luſtrarunt in mari fluitantes eſſent deprehenſæ; mare hoc *Golfo de Hibueras* & provinciam ipſam *Hibueram* appellarunt, (Inſulares enim Hiſpaniolæ cucurbitas appellabant *Hibueras*:) ſed poſtea ab altitudine maris juxta præcipuum hujus provinciæ Promontorium, Honduræ nomen provinciæ impoſitum, quod priore illo obſoleto hodieque perennat.

Præcipuus hujus provinciæ fluvius *Haguaro*, qui haud longe ab oppido Truxillo labitur, grandis & amœnus: ad utramque ripam adſident plures barbarorum pagi; quorum agri bene culti, utpote qui è fluvio opportune rigantur. Cæteri amnes ſunt minores, quorum unus qui *Chamalucon* à barbaris vocatur, *Commyaguam* præterlabitur, interſecatque ſuburbanum agrum *S. Petri*: alter appellatur *Vlua* qui viginti leucarum ſpatio per amœniſſimas ripas & bene cultum atque habitatum ſolum in Oceanum Septentrionalem deſcendit. Omnes autem hujus Provinciæ fluvii ſtatis anni tempeſtatibus ripas ſuas egrediuntur, & vicinis agris ſe ſuperfundunt, atque ita non modo paſcua, ſed & hortos atque viridaria rigant atque fæcundant: quod utplurimum circa feſtum *S. Franciſci* aut *S. Michaëlis* ſolet accidere.

Haguaro fl.

Chamalucon.

Ulua fl.

Veteres harum regionum indigenæ ſolum longuriis fodiebant, ſupra & infra recurvis, quo facilius manibus pedibuſque anniterentur: admodum tamen parce ſementem faciebant (mira quippe gentis ſocordia atque ſegnities) quare ut plurimum aut cum fame luctabantur, aut variis radicibus, omniſque generis animantibus etiam impuriſſimis veſcebantur: In Sympoſiis ſuis Melicrati quodam genere ad ebrietatem uſque abutebantur, ebriique multis ſceleribus & abominandis vitiis ſeſe polluebant: primoribus ſolis tum *Cacao* potu licebat uti, nunc omnes promiſcue illum uſurpant: & Hiſpanorum conſuetudine civilius & cultius didicerunt vivere, & gravioribus flagitiis abſtinent. Variis & diverſis linguis utebantur, *Chontalium* tamen maxime erat inter eos communis, feræ gentis & moribus maxime incultis: Annum octodecim menſibus definiebant, *Ioalar* ſua lingua appellantes, quaſi dicas rem fluxam & vertentem; menſes ſingulos viginti diebus abſolvebant, licet noctium vocabulo diſtinguerent

guerent, quod hodieque Anglis & aliis quibuſdam nationibus Europæis perfamiliare eſt: Annum quadraginta diebus ante noſtrum inchoabant, ita ut primus tertii eorumdem menſis dies in Calendas noſtras Januarias incideret.

Bartholomæus de las Caſas Epiſcopus Chapenſis in ſua ad Carolum V Imperat. querela, amarè deflet, duas myriadas animarum intra paucos annos in hiſce regionibus ab Hiſpanis fuiſſe exſtirpatas, ita ut in magnis hiſce & amœnis provinciis rariſſimi hodie reperiantur indigenæ; qui autem ſuperant, fere vectigales ſunt Hiſpanis & iis pro tributo pendunt pallia goſſypina; mel quod è concavis arborum truncis & ſubterraneis ſcrobibus eruunt, Chilen ſive Axi & Batatas.

Hæc provincia hodie ſuum habet Epiſcopum; quatuor Hiſpanorum oppida & duo municipia, de quibus ordine dicetur.

Cap. XVI.

Hondurenſis Præfecturæ oppida, Valledolid, Gratias à Dios & S. Pedro.

PRÆCIPUUM hujus Præfecturæ oppidum *Valledolid*, (quod barbari ſua lingua vocant *Commyaguam)* diſtat ſexaginta leucas ab oppido *S. Iacobi de Guatemala* verſus ortum, & circiter quadraginta ab ora maritima Oceani Septentrionalis, ut mirari ſubeat, quid *Herreræ* in mentem venerit; illud ad decimum ſextum altitudinis ſeptentrionalis gradum deſcribere, quum portus *de Cavallos* maritimum oppidum ad decimum quintum ejuſdem altitudinis gradum collocetur. Situm eſt autem in pulcherrima & peramœna valle; ſub cœlo admodum temperato & imprimis ſalubri: ager abundat pecore atque armentis, mirabili incremento: in finibus repertæ ſunt opulentæ argentifodinæ. In hoc oppido Præfectus provinciæ, ærarii regii quæſtor, cæterique regii miniſtri utplurimum habitant: huc metalla quæ in vicinis provinciis effodiuntur, eliquanda ſubvehuntur. Hîc Cathedralis Eccleſia & Epiſcopi domicilium fuit ab anno CIↃ IↃ LVIII, à Truxillo huc traducta: denique cœnobium monachorum quos vocant *de la Mercede*.

Franciſcus de Monteio hujus provinciæ Præfectus jam ab anno CIↃ IↃ XXXIX per Legatum ſuum *Alfonſum de Carceres* coloniam Hiſpanorum in municipium *S. Mariæ de Commyagua* deduxerat, loci opportunitate pellectus; quippe ab hoc municipio duodecim numerabantur leucæ, itineris expediti & carris peridonei ad pagum quendam barbarorum: quem amnis præterlabitur, duodecim itidem leucarum itinere lintribus navigabilis ad portum *de Cavallos*; adeo ut municipium hoc ab utroq; mari viginti ſex leucas utrimque abeſſe contingeret. Tam opportuna ſedes viſa, ut municipes Regi Hiſpaniarum ſuggererent, hunc locum maxime idoneum eſſe commerciis utriuſque maris magno compendio & ſumma utilitate commutandis; nam & navigationem à portu aliquo ad Mare Auſtrale longe expeditiorem, & breviorem trajectum eſſe ad Peruviæ Metropolin Limam, quàm à Panama; & quum Iſthmus inter *Nomen Dei & Panamam* valetudine cōmeantium infamis eſſet & multorum exitio funeſtus; hic contra & aërem ſalubrem, ſolum fœcundum & annonæ omnis generis abundantiâ commeantibus peridoneum; quum & tritici fertile ſit & vitium non maligne tolerans: Pecori optimum ob paſcua gramine læta & crebris torrentibus rigua; denique quod rei caput erat, ditiſſima auri metalla magnam opulentiæ ſpem oſtendere, & municipium hoc in amœniſſima valle & quatuor leucas lata conditum, omnibus terræ frugibus abundare; venationeq; cervorum, cuniculorum & ejuſcemodi animantium excellere. Hæc tum jactata. Haud procul ab hoc loco poſtea oppidum Valledolid conditum fuiſſe, veriſimile eſt, inter duo maria, quæ hîc tantum tribus ſupra quinquaginta leucis à ſe invicem ſeparari dicuntur, à portu de Cavallos ad Sinum Fonſecæ ſubducto numero.

Movit ſuperiorum & haud dubio recentiorum iterata ſuggeſtio Regem Philippum, ut Joannem Baptiſtam Antonellum, artis Geometricæ & muniendorum locorum peritiſſimum, locorum ſitus & viarum compendia coram juberet inſpicere; qui omnibus diligenter luſtratis & mature ponderatis, retulit, plurima eſſe quæ impedirent, opere perficere, quæ verbis jactarentur, atque ita deſitum eſt de novo hoc itinere amplius deliberare.

Gracias à Dios alterum hujus præfecturæ oppidum diſtat à Valledolid triginta leucas pene verſus occidentem;anno quidem cIↃ IↃ XXX conditum à Tribuno militum *Gabriele de Roias*, ad neceſſariam metallicorum, qui auri metalla in illo tractu eruebant, defenſionem;ſed quum crebris & inopinatis vicinorum barbarorum excurſionibus ſe imparem cerneret, nec à Præfectis Honduræ & Nicaraguæ, ut par erat, auxilia ſubmitterentur, rurſus ab ipſo fuit derelictum: anno autem cIↃ IↃ XXXVI denuo à Gonſaluo de Alvarado cæpit reſtaurari. Conditum eſt ſuper aſperrimum clivum: Oppidani colendis agris & tritico ſerendo dant operam; indefeſſo utique ob ſoli duritiem labore. Plures hic muli generantur atque educantur, quibus triticum ad oppidum *S. Salvatoris* & vicina loca ſubvectant; nec carent præſtantibus equis.

Tertium oppidum *S. Petri* nomine inſigne, triginta itidem leucas diſtat ab oppido Valledolid verſus Arctum vel potius Corum; undecim à portu de Cavallos; & quia portus de Cavallos morboſior eſt locus, miniſtri qui Regis vectigalia & portoria colligunt, hic utplurimum conſueverunt habitare, & quum naves dimittendæ ſunt ad portum excurrere: Verum *Herrera* alibi, neſcio an ſui ſatis memor, hunc quoque locum valetudinarium facit,utpote præferuido aëre atque inſalubri nihilo ſecius oppidum hoc commerciis frequens fuiſſe ſatis conſtat,donec Freti Dulcis opportunitas cœpit innoteſcere ,quæ jam hujus luminibus multum officit.

Cap. XVII.

Reliqua oppida Præfecturæ Hondurenſis, Portus de Cavallos, Truxillo *&* S. Jorge.

Portus *de Cavallos* ſitus eſt ad altitudinem, quindecim graduum Septentrionalium, ut *Herrera* prodidit: undecim à *S. Petro*, quadraginta à Valledolid leucis: hîc oppidum fuit, quod ob opportunitatem & amplitudinem portus,quem ſinus maris facit, à mercatoribus & nigritis incolebatur; licet locus valetudine incolarum infamis eſſet,uti à pleriſque inveni traditum.Portus nomen acceperat ab equis, qui ob ingruentem tempeſtatem hic à nautis projecti fuerant in mare.Vallis *Naco*(cujus jam aliquoties meminimus) abeſt ab hoc portu verſus mediterranea leucas octodecim; metallorum opulenta provincia, & indigenarum fre quentia ſpectabilis:nam ut *Herrera* teſtatur, longe optima eſt totius Præfecturæ provincia, plano atque uberrimo ſolo, & montibus undique incincto, latis ſemitis, vernantibus agris, & florum eleganti varietate; frugumque abundantia & amœnitate,Valentiæ Hiſpaniæ non abſimilis. Porro quum hoc oppidum *de Cavallos* aliquoties à diverſis nationibus captum atque direptum fuiſſet, imprimis autem ab Anglis, primùm anno cIↃ IↃ XCI Duce Chriſtophoro Neoportio, qui illud penitus exhauſit, opimis admodum ſpoliis deductis, licet paulo ante quatuor naves ditiſſimis mercibus onuſtæ inde ſolviſſent; conſtabat autem tum ut ille teſtatum reliquit domiciliis ducentis: Secundò anno cIↃ IↃ XCVI auſpiciis *Antonii Sherley* Equitis, qui hunc locum inopem & totius Americæ miſerrimum à ſe inventum queritur. Tam crebris hujus oppidi calamitatibus, (præſertim quia portus contra hoſtium invaſiones minime ſecurus eſt,& ita à natura comparatus ut difficulter poſſit muniri)factum eſt tandem ut oppidum penitus desereretur,& oppidani ab *Alfonſo Criado de Caſtilla*, Conventus Juridici Guatemalenſis Præſide, traducerentur ad Amatiquen octodecim à portu de Cavallos leucis: ubi hodie oppidum eſt S. Thomæ de Caſtilla, adverſus hoſtiles incurſus egregiè munitum.

Naco vallis.

Truxillo oppidum ſatis celebre, abeſt ab oppido Valledolid leucas LX verſus aquilonem, à dicto portu de Cavallos XL verſus ortum, unam autem à mari Septentrionali; portum habet reductum in intimo ſinu & adverſus incerta ventorum egregie tutum, cui nomen *Sant Gil.* Ipſum conditum eſt ſuper tumulum, inter duos amnes limpidos atque piſcoſos; inque regione tam æſtivis quam hybernis menſibus temperata. Ager ſuburbanus frumenti, pecoris,omniumque rerum copia opulentus: abundat melle & cera: armenta hic valde proficiunt, ita ut vaccæ Hiſpanienſibus magnitudine & bonitate dicantur præcellere.Vites bis quotannis dant uvas, nam vindemia abſoluta ſtatim putantur,atq;regerminant,fructuſq;ſuos ſecundò maturant circa feſtũ Nativitatis:deniq: peregtinæ arbores, Aurãtiæ,Limones & ſimiles hîc præſtantiſſimos ferunt fructus.

Hoc

Hoc oppidum ex improviſo fuit interceptum ab Anglis anno cIↃ IↃ LXXVI. Secundoque ab iiſdem tentatum anno cIↃ IↃ XCVI ducibus *Antonio Sherleio* & *Wilhelmo Parkero*; ſed irrito conatu, tumultu ab excubitoribus in urbem perlato: locus enim ut ipſi teſtantur, ita à natura munitus eſt, ut non facile aperto marte expugnari poſſit, præerupto undique tumulo impoſitus & denſis ſylvis circumquaque cinctus quæ nullum iter ad oppidum aperiunt, præterquam unum præcipitem & anguſtum tramitem, cui porta ſatis valida atque munita eſt objecta: itaque niſi vigiles inopinantes intercipiantur, nulla ad oppidum capiendum via eſt reliqua.

Xutical-pa. Duodecim ab oppido leucis jacet vallis *Xuticalpa*, auriferis torrentibus quondam ſcatens, ideoque anno cIↃ IↃXXX ab Hiſpanis Caſtello contra barbarorum incurſus munita.

Municipium *S. Iorge de Olancho*, abeſt à Valledolid XL leucas verſus orientem; incoliturque à circiter XL Hiſpanis; in diſtrictu illius numerantur ſedecim millia barbarorum vectigalium: olim plurimum auri hic fuit inventum præſertim in fluvio *Guayape*, qui duodecim leucis labitur ab hoc oppido.

Olãcho. Vallis autem *Olancho*, à qua municipio agnomen, valde amœna eſt & auri venis locuples; quare diu inter Præfectos Honduræ & Nicaraguæ de poſſeſſione illius fuit litigatum, atque adeo collatis ſignis pugnatum, donec lis judicio Regis Hiſpaniarum determinaretur.

Cap. XVIII.

Ora maritima, portus, Inſulæque Præfecturæ Hondurenſis.

OMNIS ora hujus Præfecturæ jacet ad mare Septentrionale & fretum ſive ſinum Hondurenſem, qui inter Yucatanam peninſulam & Honduræ promontorium veluti concluditur: in interiore autem receſſu vulgo appellatur *Golfo de Guanayos*, ubi lateribus utrimque adductis, & veluti in conum faſtigiatus in provinciam *Verapaz* incurrit. Ora porro hæc ſumit initium ad occaſum à Freti Dulcis oſtio, & promontorio quod vulgo vocatur *punta de Hybueras* ad altitudinem XVI graduum Septentrionalium, vel ut Tabulæ Hydrographicæ communiter deſignant, XV graduum & XXXV ſcrupulorum. Hinc verſus orientem oræ paulum ſe ſubducunt, & cubito rurſus productæ aliud faciunt promontorium, vulgo *Cabo de tres Puntas*, juxta quod olim municipium Hiſpanorum fuit, *San Gil de Bonaviſta*, ſed brevis ævi. Sequuntur deinde ad eandem plagam fluvius *Piche* & *Rio baxo*, id eſt, vadoſus amnis; itemque *Vlua*, qui & alio nomine *Balahama* appellatur; & deinceps Portus *de Cavallos*: à quo ad flumen & portum *de la Sal* quinque ſunt leucæ: Hinc rurſus littus ſe in altum proferens, efficit promontorium, quod à municipio, quod ibidem quondam fuit, *Triumphus Crucis* nominatur: Hoc ſuperato ſequuntur aliquot ignobiles amnes & modico intervallo fluvius *Hulma*, qui & *Xagua* dicitur; denique portum oppidi Truxillo prætervectis occurrit promontorium quod *Delgado* vel etiam *de Honduras* appellatur.

Piche fl. Ulua fl. Hulma fl.

Inde ora jam recto ductu pergit ad Promontorium celebre *de Camaron*; inter duo autem illa promontoria *Delgado* & *Camaron*; viginti leucarum intervallo amnes dicuntur exire ſedecim; inter quos facile princeps *Guayape* è tribus fontibus intra Continentem effluens: littus omne humilius eſt, & multis arboribus vernans lætiſſimo proſpectu.

Guayape fl.

A promontorio de Camaron exporrigunt ſe, ad viginti fere leucarum ſpacium in altum, vadorum brevia triangulari formâ, baſi quidem ad continentem verſa, in alto lateribus ſenſim coëuntibus in angulum pene acutum faſtigiata: prope baſin, aliquot inſulæ intercurrentibus alveis diviſæ, Continenti prætenduntur; Septentrionali denique hujus ingentis pulvini lateri, ſcopuloſæ adjacent Inſulæ, quas vocant *S. Milan*.

S. Milan.

Præter vada hæc Continenti ſe immittit *Sinus Cartaginis* & ipſe vadoſus, crebriſque inſulis vel potius ſcopulis interſectus: & modico intervallo alius ſinus, quem *Bahiam Hondam* vocant, à Promontorio *Gracias à Dios* ad ortum clauſus, quatuordecim gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Promontorio ad Septentrionem obverſantur tres minores inſulæ, quas vocant *las Vicioſas*; & paulo magis ad Aquilonem *Quitaſuenno* & *Roncador*, infeſtiſſima navigantibus brevia. Extra quæ magis

magis verſus ortum jacent naufragiis infames inſulæ, Serrana & Serranilla de quibus alibi egimus; memorabile autem eſt quod narrat *Yuca Garcilaſſus de Auguſtin Petro* l.1.c.8. *Serrano*, qui quum navem fregiſſet apud Serranam & ſolus ad illam enataſſet, miſere in eadem vitam toleravit carnibus teſtudinum marinarum integrum triennium; quo elapſo ſocium accepit eodem modo ejectum; cum quo in eadem inſula vixit alios quatuor annos & à navi forte prætereunte non ſine diſcrimine fuerunt deducti. A Promontorio ora reflectitur verſus Auſtrum; hanc legentes primum excipit fretum *Niqueſæ*, deinde flumen *Yare* ad altitudinem tredecim graduum, quod hujus Præfe- Yare fl. cturæ & *Nicaraguæ* limes cenſetur.

Præter jam dictas inſulas, aliæ aliquot inſulæ inter Aquilonem & Africum hujus Præfecturæ littori objiciuntur, quas uno & communi nomine appellant *Guanajas* ab extima illarum ad orientem, jam olim & adhuc hodie illud nomen obtinente.

Inſula hæc proprie Guanaja appellata, promontorio Honduræ ad Corum eſt op- Guanaja. poſita & ſex ſeptemve leucarum intervallo, ut habent itineraria nautica, ab ipſo diviſa, alta quidem & plana qua ortum reſpicit, declivis autem qua vergit ad Septentrionem & importuoſo littore: ad Auſtrum duos quidem portus habet, ſed ob crebros ſcopulos & arenoſa vada, quæ relabente æſtu extant, aditu perdifficiles: Incolitur hodieque à barbaris & pauciſſimis Hiſpanis; abundant pecorum gregibus, gallinis, pſittaciſque. Chriſtophorus Columbus qui primus illam adiit, *Pinorum* inſulam appellaverat ab earum arborum copia, ſed gentile Guanajæ nomen hactenus retentum.

Ab hac ad proximam quæ *Guayava* vel *Guayama* dicitur, à Figueredo in itinerario Guayava. nautico numerantur tres quatuorve leucæ: à *Guayava* autem ad *Vtilam* quæ tertia Utila. cenſetur, ſex leucæ: Hæc quinque aut ſex leucas ambitu ſuo complectitur, tota humilis & nemoroſa, *Saonæ* quæ Hiſpaniolæ adjacet non multum diſſimilis. Præter has aliquot minores *Guajanarum* numerum augent, *Guaydua, Helen, & S. Franciſci* inſula, quas nominaſſe ſuffecerit. Omnes autem hæ implent Sinum illum maris quem ſupra de Guanajos appellari diximus.

NICARAGUA.

Cap. XIX.

Nicaraguæ provinciæ limites, ſoli cœlique natura, fruges, lacus, alia.

Præfectura Nicaraguæ (quam *Didacus Lopez de Salſedo* quondam novum Regnum Legionis appellaverat) fines habet ad occaſum quidem provincias præfecturæ Guatemalenſis, ad Septentriones *Honduram*, ad ortum ſive Eurum *Coſtam Ricam*, ad meridiem deniq; Oceanum Auſtralem. Patet inter ortum & occaſum in longitudinem leucas quinquaginta; in latitudinem autem ubi maxime ſe diducit, octuaginta. Plures minores provincias ſub ſe complectitur, quæ barbaris nominibus, *Nicoya*, *Nequecheri*, *Mabyte*, *Diria*, *Maſaya*, *Managua*, *Cocaloaque* & *Cebeaco* dicuntur: pars quoque Chontalium populorum ad illam refertur; itidemque & *Micorum* atque *Madera*.

Rariſſimi in hac præfectura ſunt amnes; aëris temperiès æſtivis menſibus ſupra modum calida eſt, hyemalibus humida & crebris tempeſtatibus obnoxia. Solum utplurimum eſt planum & curribus ducendis opportunum; tritici quidē infœcundum, quod è Peruvia petunt, cæterum aliarum rerum ſatis locuples. Armentis vel maxime abundat regio, uti & porcis: capras nutrit raras, nullas oves. Multum goſſypii, plurimum *pitæ* hic colligitur: maizii, piſorum, mellis & axi affatim. Mare piſcoſum admodum; indigenæque plurimum optimi & candidiſſimi conficiunt ſalis.

Magnam harum provinciarum partem occupant ingentes ſylvæ, proceriſſimis arboribus plenæ, præſertim *Zeybis*, quod arborum genus hic ita luxuriat, ut truncus in tantam craſſitiem nonnumquam excreſcat, quantam quindecim viri manibus inter ſe connexis complecti poſſunt; *Herreram* authorem habeo. Sunt & hic arbores quæ ceraſorum quoddam genus ferunt, è quibus incolæ liquorem inſtar vini exprimunt. *Oviedus* ſcribit hos fructus ab Hiſpanis appellari pruna, non quod revera ſint l. 9. c. 16. pruna, ſed quia nōnihil ad illa accedunt; cæterum ſpeciem judicat illius arboris quam alibi vocant Hobum, de qua ſuo loco dicetur: quum pleræque arbores in hoc novo

orbe

orbe perpetuò vireant, hæc certis temporibus omnia ſua folia excutit. Idem deſcribit arborem (vel potius ut ipſe loquitur monſtrum arboris) huic provinciæ perfamiliarem, quæ forma foliorum & creſcendi modo à Tuna parum abludit, niſi quod truncum habeat rectiorem; cæterum foliis craſſis, ſpinoſis, deformibus: fert fructum craſſum, magnitudine olivæ, colore coccineo, & ſubtilibus quibuſdam ſpinis inſtar pilorum obſitum; è quo barbari paſtam quandam componunt, quæ elegantiſſimo colore coccineo tingit & à fœminis in fuco uſurpatur: folia autem, demtis prius ſpinis, contuſa & emplaſtro applicata oſſibus cõfractis, ſuiſq; modo locis apte repoſitis, mirabiliter eadem conſolidant: Quod à Tuna itidẽ præſtari aut ſaltem illius ſpecie ſcribit *Fr. Ximenez*; Recordor (inquit) me legiſſe in libello admodum antiquo, arboris quæ in montanis naſcitur, quam vocant *arbol de las Soldaduras* (id eſt ferruminatricem) & barbari *Zacanochtli*, (quæ eſt ſpecies Tunæ;) folia contuſa & emplaſtro applicata oſſibus confractis, brevi & facile illa conſolidare; quod credo effici à qualitate illius glutinoſa frigida & aſtringente. Hæc ille; Non multum autem aberraverit, qui crediderit *Oviedum* & *Ximenem* de una atque eadem arbore loquutos. Cucurbitæ lagenariæ, quadrageſimo ex quo ſatæ ſunt die maturantur, quarum maximus hic eſt uſus, ob aquarum & fontium in hiſce regionibus inopiam, nec quiſquam facile ſine hiſce iter paulo longius aggreditur. In ſaltibus denique & nemoroſis montium jugis, balſamum, liquidambar, & præſtantiſſima colligitur terebinthina.

l.10. c.1. In vicino mari ingentia cete & monſtroſos piſces olim conſpectos narrant: *Oviedus* autem ad littus hujus provinciæ, in ſinuoſo *Ortiguæ* freto & apud inſulas, *Chiram*, *Charam*, *Pocoſin* & alias, haud procul à Promontorio *blanco* ſitas, uniones reperiri in conchis quibuſdam, à margaritiferis forma & magnitudine multum diverſis, rotunditate veris quidem pares, colore tamen & ſplendore plurimum inferiores, quibus tamen mercatores, inſigni fraude, veras adulterare conſueſcant: conchæ oblongæ, quas barbari ſtipiti alligare, eiſque terram ſubigere ſolebant.

Plerique indigenæ jam linguam Hiſpanorum callent, eorumque mores & veſtitum æmulantur; præter *Chontales*, qui in montanis degunt, agreſte & incultum hominum genus, qui nihil dum de priſca barbarie remiſerunt; cæteri jam pene omnes artes mechanicas percallent, quum & ingenii ſolertia inter barbaros excellant, & Hiſpanis ſupra modum dediti atque obnoxii jam dudum fuerint. (Chontales.)

Inter memorabilia hujus Præfecturæ eminet Lacus, (quem Hiſpani *Laguna de Micaragua* vocant,) tum ob vaſtitatem, nam ſi indigenis fides, ſupra centum & triginta milliaria ambitu complectitur, tum ob accolarum multitudinem, qui vicatim ripis illius aſſident; æſtum ſuum haud ſecus patitur quàm mare, & licet caput illius haud longius tribus quatuorve leucis ab Auſtrali Oceano abſit, tamen in Septentrionalem ſe exonerat per emiſſarium, de quo mox dicemus. Alfonſus Calera & Didacus Machica de Zuaſo primi Hiſpanorum, ſuperatis cataractis (los *Randales* vulgo vocant, ubi aqua adeo perniciter decurrit, ut cymbas in terram ſubducere atque ita deducere neceſſe ſit) in emiſſarium atque inde porro in mare Septentrionale penetrarunt. Piſcoſus eſt Lacus & ingentem nutrit Crocodilorum numerum.

Cap. XX.

Oppida Hiſpanorum in Præfectura Nicaraguæ.

Civitas hujus Provinciæ atque Præfecturæ principalis Legio (*Leon de Nicaragua* vulgo) centum quidem & quatuor leucas abeſt ab oppido *S. Iacobi de Guatemala* verſus Eurum; duodecim autem à mari Auſtrali: ſita eſt ad oram magni illius Lacus, de quo jam diximus. Hîc Præfectus ſeu Gubernator Provinciæ & reliqui Regis miniſtri ſua habent domicilia; hic Cathedra Epiſcopi Nicaraguenſis, cum ſuo templo & aliquot religioſorum *de la Mercede* monaſteriis: in Diœceſi autem ſupra centum & viginti millia barbarorum qui annuatim Hiſpanis tributum pendunt, dicuntur habitare. Tribus autem ab oppido leucis ad Septentrionalem Lacus oram, præaltus cernitur mons faſtigiato vertice, vaſto ore deſuper patens, veſpera atque

mane denſiſſimum fumum exhalans, pumiceſque ſulphureos magna copia eructans: Vulcanum vulgo vocant: Terrâ hujus montis cum ſucco *Nacolot* (arboris cujuſdam fructum ita vocari ferunt) mixtâ, optimum fit atramentum. Quatuor ab hoc leucis in provincia *Maſaya* pene ad radices alterius Vulcani, lacus jacet exiguus rotundus, Maſaya. & ultra mille cubitos in profundum depreſſus, præceps & rupibus undique cinctus, ad quem tamen barbari maximis hydriis onuſti deſcendunt, rurſuſque aſcendunt tam dextrè ut incredibile videatur. Cæterum hæc urbs condita eſt loco arenoſo, denſis undiquaque lucis circumſepta; non inidonea olim exiſtimata commerciis inter utrumque mare commutandis, quippe quæ tantum ſeptuaginta leucas diſtet à Promontorio Hondurenſi, itinere ſatis expedito (ſi modo Hiſpanis diſtantia ſatis explorata) & medio fere intervallo vallem habet *Olancho*, de qua ſupra diximus in provinciæ Honduræ deſcriptione.

Secunda hujus Præfecturæ civitas *Granada*, juxta eundem Lacum ædificata, ſedecim à Legione, viginti quatuor autem à Rejaleio leuc. Provincia in qua ſita eſt cap.xvii. olim à barbaris appellabatur *Nequecheri*. *Franciſcus Hernandez Cordubenſis* hîc magnificum templum & munimentum adverſus barbaros conſtruxit. Sita autem eſt urbs in amœniſſimo & uberrimo ſolo, & cannarum ſacchari feraci; unde hic aliquot machinæ ab Hiſpanis excitatæ, quas *Ingenios* vocant. Non procul ab urbe minor Lacus, à barbaris *Lindiri* dictus, in majorem illum ſe exonerat. Duabuſque ab hoc Lacu & ſeptem ab urbe leucis, ingens Vulcanus quem *Mumbacho* vocant, vaſtè attollitur, nemoroſo jugo & fructiferarum arborum feraciſſimo; quibus & tota illa provincia mirifice abundat, inter quas famam meruerunt Zapotes, Plantani & Anones, quarum fructus imprimis laudant, meſpyla ſuaviſſimi ſaporis, ceraſa atque Jacotes, è quibus barbari vinum, Hiſpani autem acetum exprimunt. Ferarum ingens hîc copia & venatio perquam opportuna.

Tertia urbs nova *Segovia* ab utroque prædictarum triginta leuc. verſus Septentriones diſcreta, in agro auri venarum ditiſſimo.

Quarto *Iaën* triginta ab Oceano Septentrionali leuc. ad Lacus Nicaraguenſis fauces, per quas longo & anguſto, fluminis in modum, meatu, aquas ſuas in Oceanum egurgitat; *El deſaguadero* vocant Hiſpani, & merces Europæas inde à Portu Belo petitas per hunc canalem ad hanc urbem & loca vicina ſubvehunt. Municipium denique *Reialeio*, unâ à portu, quem *Poſſeſſionis* vocant, leucâ, viginti quatuor autem à *Granada* diſtans; ab Hiſpanis quidem ad altitudinem undecim graduum & ſemiſſis collocatur; ab Anglis autem, qui cum Candiſchio orbem circumnavigarunt, ad altitudinem duodecim graduum & quadraginta ſcrupulorum (ſi modo *Rio Lexo* ut illi ſcribunt, idem locus cum *Reialeio* tutò judicatur.) Hîc fere nautæ & fabri degunt; nam & tutiſſimus eſt portus, juxtaque materies ad naves fabricandas aptiſſima facile cædi poteſt, nulloque pene labore ad littora deduci.

Cap. XXI.

Orarum ductus, Stationes, Portuſque Nicaraguæ.

ORA maritima hujus Præfecturæ ad Mare quidem Septentrionale exordium ſumit à fluvio *Yare*, qui illam ab Hondurenſi diſterminat ut ſupra diximus. Yare fl. Hunc ſequitur ad eandem plagam *Yarepa* fluvius, deinceps portus *S. Ioannis* Yarepa fl. (ita vocant emiſſarium magni Lacus Nicaraguenſis quo in Oceanum Septentrionalem exit) cujus oſtio modica inſula prætenditur: & denique plures amnes quos cum Provincia *Coſta Rica* communes habet. Quum Caſtellæ Reges ante Fretum à Magallane inventum, tantopere ſolliciti eſſent de idoneo loco inveſtigando ad commercia utriuſque maris commutanda, magna imprimis hujus emiſſarii ratio habita, ſuggerentibus præcipue Hiſpanis qui in Nicaragua agros ſortiti fuerant anno CIƆ IƆ XXXIV, ob patens illius oſtium & fluvio qui Hiſpalin præterlabitur haudquaquam impar, & ripas utrimque à diverſis nationibus inſigni frequentia cultas, fertiles denique agros & omnium rerum neceſſariarum affluentiam: ſed irritus conatus conſilium illorum minus laudabile fecit.

Ad mare autem Auſtrale, præter *Reyaleio* portum, de quo ſupra, portus deſignatur *S. Iacobi* & mox portus *Nicoyæ* (quæ peculiaris eſt Nicaraguæ provincia amœniſſimo & uberrimo ſolo) quem barbari ſuo idiomate *Chiram* vocabant & Hiſpani ſuperioribus annis *S. Lucæ* nomine inſigniverant: ampliſſimus hic eſt ſinus & viginti leucarum ambitu patens; quamplurimaſque inſulas gremio ſuo complectitur. Hunc alius ſinus excipit, qui à Salinis nomen accepit, in quo portus eſt *Paro* è regione Nicoyæ. Deinceps ora in Altum exiens prius Angulum ſeu cornu *S. Lazari* & mox Promontorium *de Borica* producit: ab hoc ad ortum Continenti prætexuntur Inſulæ *S. Maria* & *S. Martha*, *Cobaya* & *Zebaco* ad limites uſque Veraguæ.

Zebaco. Porro Inſulæ *Zebaco*, ita enim communi nomine videntur appellari ab Hiſpanis triginta numero eſſe feruntur, qua magnæ, qua parvæ, ſexaginta circiter leuc. à portu Panamæ verſus occidentem, olim indigenis frequentes.

Fullerus Anglus Promontorii Blanci meminit ad altitudinem decem graduum & totidem ſcrupulorum Septentrionalium, & hunc oræ maritimæ tractum ita diſponit.

A Promontorio Blanco ad portum *de Veles* VIII mill. inter Aquilonē & Africum:

A Portu *de Veles* ad portum *S. Ioannis* XVII milliar. inter Eurum & Corum:

A Portu *S. Ioannis* ad *Rio Lexo* XL milliar.

Fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus* facit mentionem Inſulæ *Cano* (ubi navem ſuam onere levatam ſubduxit in ſiccum & reparavit) ad altitudinem octo graduum Septentrionalium, duabus à Continenti Nicaraguæ leucis: percommodum habet portum & quinque orgyas ſub ipſo pene littore altum.

COSTA RICA.

CAP. XXII.

Coſtæ Ricæ *limites, oppida, cætera: itemque* Nicoya *provincia.*

PROVINCIA atque Præfectura *Coſta Rica* fines habet ad occaſum quidem & Septentriones *Nicaraguam*, ad orientem vero *Veraguam*, utrimque autem & ad arctum & ad meridiem Oceano concluditur: Patet in longitudinem (niſi *Herreram* hic ratio fefellerit) leucas nonaginta ab ultimis Nicaraguæ finibus ad orientem, ad Veraguam: nuſquam latior quadraginta aut quinquaginta leucis. Ager fertilis, neque auri atque argenti metallorum expers, uti variis indiciis ſibi perſuadent Hiſpani. Tria tantum, qua oppida, qua municipia ab Hiſpanis in hac provincia habitantur: quorum primum *Aranivez* municipium ad Nicoyenſem ditionem refertur,
Chomes. in finibus barbarorum qui *Chomes* appellantur, conditum, & quinque circiter leucis à præcipuis eorumdem pagis ſeparatum, paucioribus à mari Auſtrali.

Alterum, *Cartago* oppidum, quadraginta leucis à *Nicoya*, viginti ab Oceano auſtrali & pene medium inter utraque maria, ita ut portum ad ambo obtineat.

Tertium *Caſtro d'Auſtria* dicitur, quod quum in Tabulis ſuis Geographicis expreſſerit *Herrera*, nuſquam tamen in deſcriptione ſua aut alibi vel levem illius facit mentionem.

Inter fines Nicaraguæ & Coſtæ Ricæ ſita eſt *Nicoya*, quadraginta & octo leucis ab oppido *Granada*, ad oram Oceani Auſtralis, regiturq; à Præfecto Nicaraguæ per Legatum. Porro in hujus oppidi agro atque adeo provincia *Nicoya* atque in inſula *Chira*
Chira. quæ octo leucarum intervallo continenti hîc objacet & ad Nicoyenſem pertinet ditionem, plurimi hodieque ſuperſunt barbari Hiſpaniarum Regi vectigales. Olim quidem hic tractus Conventui Juridico Panamenſi accenſebatur, ſed ab anno cIↄ Iↄ LXXVI Coſtæ Ricæ fuit adjunctus, licet Legatum à Nicaraguenſi Præfecto in civilibus, Vicarium autem in Eccleſiaſticis ab Epiſcopo Nicaraguenſi accipat; modicum habet portum ad mare Auſtrale.

Hiſce locis olim Colonia Hiſpanorum fuit *Bruxellæ* dicta, quam poſtea deſertam oportet fuiſſe; nulla enim veſtigia hodie illius extant.

Sunt alii & inter illos Lupus Vazius Luſitanus, qui teſtantur provinciam *Coſtam Ricam* montenſem eſſe regionem, vaſtam atque incultam: quod ſi verum eſt, male nomen ſuum tuetur. Quod ſupereſt, ad oram maris Septentrionalis ſinum habet unum

unum *S.Hieronymi* nomine inſignem; itemque alterum, *de Carabaco* vulgo dictum, ad limites *Veraguæ*. Ad mare vero Auſtrale præter *Nicoyæ* portum, varios ſinus, promontoria & inſulas à Promontorio *Blanco* ad Angulum *de Borica* & ultra, quorum omnium ſuperiori capite meminimus.

VERAGUA.

Cap. XXIII.

Veraguæ *Præfecturæ limites, Cœli ſolique qualitates, Columbi navigationes ad eandem.*

Veraguæ provincia quæ Guatemalenſis præfecturæ & Conventus Juridici, ad orientem extima eſt; fines habet ad occaſum quidem *Coſtam Ricam*, ad orientem vero Panamenſem Conventum Juridicum. Alluitur utrimque oceano, oraque illius Septentrionalis attingit circiter decimum ejuſdem altitudinis gradum. Patet in longitudinem inter ortum atque occaſum leucas quinquaginta, in latitudinem inter Arctum atque Auſtrum, ubi minimum, viginti quinque.

Solum maxima ſui parte montenſe, & denſis arborum lucis, crebriſque vepretis pene invium, paſcuorum inops, ideoque pecori & armentis inidoneum: neque tritici neque hordei ferax, Mayzii utcunque fertile uti & herbarum atque olerum: Metallorum vero, præſertim auri, locuples, quod hic paſſim effoditur atque è rivis torrentibus amnibuſque hauritur. Indigenæ bellicoſi & audaces, Hiſpanorumque utplurimum hoſtes, quorum jugum admodum impatienter tolerant.

Primus hanc regionem adiit *Chriſtophorus Columbus* anno cIↄ Iↄ II, à Promontorio *Gracias à Dios* provinciæ Hondurenſis ad Orientem revectus; primoq; applicuit ad Inſulam *Quibiri*, herbidam atq; arboriferam; deinde unius leucæ trajectu ad Continentem *Cariari*, cujus indigenas ſatis cultos repperit & urbanis moribus; Solum pul- Cariari.
cherrimis montibus & apricis collibus editum, amœniſque nemoribus undiquaque opacum, & limpidiſſimis amnibus riguum. Pagus *Cariari* ſitus erat ad ripam amnis, & à frequentibus barbaris cultus; qui cum arcubus atque ſagittis, itemq; ligneis gladiis obviam ruentes, aliquandiuque Hiſpanos finibus ſuis arcere conati, tandem autem blanditiis & munuſculis deliniti, illos receperunt & commercia aperuerunt. Hinc porro ad Orientem provectus Columbus, attigit *Caravarum*, ampliſſimum ſinum Caravarum.
& admodum piſcoſum; qui tres in latitudinem, ſex in longitudinem leucas patebat: Inſulæ faucibus objectæ, per quatuor anguſtos ſed ſatis altos canales, admittunt naves in interiorem ſinum, in harum unam exſcenſione facta, plures repererunt cymbas uniligneas: Incolæ fere nudi agebant, præter fœminas, quæ pudenda velabant: monilia hic aliquot aurea deprehenſa, quæ barbari haud inviti pro æneis tintinnabulis permutarunt; magnam hujus metalli copiam in proxima Continenti reperiri indicantes. Aburena.
Hinc digreſſus atque *Aburena* regione obiter ſalutata, quæ à præcedenti nihil differebat, poſt duodecim leucarum iter ingrediuntur amnem, frequentibus barbarorum pagis ad ripas cultum, à quibus pauxillum auri acceperunt: inde ad *Catibam* ventum ubi amnis in mare egreditur: & paulo poſt ad *Huriram*, cujus incolis Catiba. Hurira.
aurum tam vile erat, ut XC marcas triginta ſex æneis tintinnabulis, ut Hiſpani narrant, commutarent.

Ab *Hurira* digreſſos excepit *Cubiga*, nullo auri commercio: *Columbus* autem verſus Cubiga.
orientem provectus, quum *portum belum* jam ſuperaſſet, aura vehementius ab Oriente obnitente, curſum reflexit & ad occaſum vela vortere fuit coactus: deinceps horrenda tempeſtate ab Occidentali plaga ex improviſo exceptus & novem continuis diebus jactatus, magnum adiit diſcrimen, atq; ob hanc cauſam univerſam hanc oram appellavit *Coſta de los Contraſtes*. Januario demum anni cIↄ Iↄ III ineunte offendit flumen, quod barbaris *Yebra*, ipſe *Belen* appellavit: huic unius tantum leucæ Yebra.
intervallo proximum erat alterum flumen, quod Indigenæ *Veraguam* nominabant; à quo deinceps Provinciæ huic nomen hæſit apud Hiſpanos. Barbari qui Veragua.
Yebram accolebant, profitebantur maximam auri copiam eſſe in *Veragua*; verum utriuſque fluminis oſtio explorato, conſultius viſum *Belen* ſubire, cujus

alveum altiorem deprehenderant. Fratrem tamen ſuum Veraguam exploratum dimittit Columbus; qui adverſo flumine cum cymba ſua ſubvectus, ad pagum *Quibiæ* Reguli aſcendit, & plurimum auri accepit pro mercibus quibuſdam Europæis viliſſimi pretii. Vigeſimo autem quarto Januarii, flumen Velen, aquis illius mirum in modum auctis, ex improviſo ita intumuit, ut naves in ſummo verſarentur diſcrimine & parum admodum abeſſent à naufragio. Hoc aquarum diluvium è montibus deſcendere viſum, qui ſupra Veraguam tam altis jugis eminent, ut à viginti leucarum intervallo eminus conſpiciantur, *S. Chriſtophori* nomen illis inditum. Hoc periculo defunctus Columbus rurſus Germanum ſuum ablegat ad Quibiam; qui illum ad *Vriræ* metalla deduxit, adeo opulenta ut inter radices arborum, quibus regio penitus obſita eſt, auri ramenta paſſim eruerent: ad hæc pertinet ejuſdem nominis amnis, qui in Septentrionalem Oceanum egreditur ſex ſeptemve leucis à flumine Belen verſus occidentem; Veraguæ autem metalla longe propiora ſunt, uti poſtea conſtitit. Columbus hac auri copia illectus, locum coloniæ ad ripam fluminis *Belen* delegerat, haud longè ab illius oſtio eumque jam cæperat communire; quum pluviis ceſſantibus, fluminis alveus tam exilis derepente fuit factus, ut navibus exitus negaretur; & tam diu hic ſubſiſtere cogeretur, donec flumen rurſus pluviarum acceſſu impleretur; itaque quum animadverteret ægerrime ſe ſuos hic ſuſtentare poſſe, omnes licet invitiſſimus abduxit.

CAP. XXIV.

Oppida & municipia Hiſpanorum in Veragua, ora maritima, Inſulæ objacentes.

COLONIAS aliquot jam olim in Veraguam provinciam deduxerunt Hiſpani, quas hic ordine recenſebo. Primò, oppidum *la Concepcion* diſtat à *Nomine Dei* quadraginta leucas verſus occidentem, haud procul ab ora maris conditum, quæ arctoam plagam reſpicit: Hîc Præfectus habitat, cæterique Regii miniſtri, qui à Conventu Juridico Panamenſi ſolent conſtitui.

Secundò; Municipium *la Trinidad*, ſex leucis ab oppido *la Concepcion* verſus ortum; ſecundum oræ maritimæ ductum (terreſtre enim iter impeditiſſimum eſt & fere invium) ad ripam fluminis *Belen*, circiter tribus ab Oceano Septentrionali leucis.

Tertiò, oppidum *S. Fidei*, duodecim leucarum intervallo ob oppido Concepcion verſus Auſtrum; hic potiſſimum aurum liquatur, funditurque; Regiique miniſtri hic ſuos habent vicarios.

Quartò *Carlos* oppidum ad oram Maris Auſtralis, haud longe à littore, verum quinquaginta (ut tradit *Herrera*) leucis ab oppido *S. Fidei* verſus occidentem.

Cæterum multi indigenarum adhuc hodie in armis ſunt fortiterque cum Hiſpanis dimicant pro libertate, ut ipſi Hiſpani fatentur.

Provincia hæc nullum inſignem portum obtinet: ad oram quidem quæ ab Oceano Septentrionali pulſatur, habet Sinum *Carabaco* ſive *S. Hieronymi*, & magis verſus orientem flumen *la Trinidad*, dein flumen *la Concepcion* ac *Belen*, ad cujus ripam Columbum jam olim in animo habuiſſe coloniam collocare, jam ſupra diximus.

Ad oram vero quæ Oceano Meridionali prætenditur, habet Promontorium *S. Mariæ* itemque cornu *de Guerra*, (quod *Gomara* teſtatur ſeptuaginta leucis diſtare à Panama,) atque hæc quidem ad orientem; ad occaſum autem Promontorium de *Borica*. De Inſulis quæ in Mari Auſtrali objacent jam ſupra diximus. *cap. xxi.*

Eſcudo. Supereſt Inſula alicujus pretii quam vocant *Eſcudo*, quæ Septentrionali hujus provinciæ lateri objacet, triginta leucis ab oppido *Nombre de Dios* præfecturæ Panamenſis, verſus occidentem; novem aut decem milliar. à Continente, ex adverſo ſinus, cujus gremio oppidum *la Concepcion* adſidet. Fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus*, poſtrema ſua expeditione hic anchoras fixerat: Non ambit ſupra duas leucas, cæterum nemoroſa & perennibus limpidiſſimarum aquarum ſcaturiginibus ubique rigua; clymatis tamen vitio inſalubrior & continuis pene pluviis obnoxia. Sub auſtrali illius latere ſtatio ſatis commoda eſt: ab orientali denique cornu aliquot ſcopulorum brevia, in altum ſeſe exporrigunt, navigantibus ſedulo vitanda.

DESCRIPTIO

RPJCB



MAR DEL NORT
MAR
DEL
ZVR
WEST
De Costa rica, Audiencia de Guatimala.
Carauaro
Quemados
R. Veragua
Trinidad
La Conception
Cartago
Sta Fe
Escudo de Veragua
R. Belen
VERAGVA
Sierras de Vraca
Aranxues
Filipina
Carlos
Tabaraba
Guanate
Nata
Escoria
Parita
Tubraua
Golfo de Parita
Chitri
Pta de Chame
La Montuosa
Cobaya
Quicaro
Islas del Zebaco
Pta de Guera
C. de Sta Maria
TIERRA FIRME
Venta de Cruzes
Limaret
Panama
R. Chiepo
R. Pacora
Pº Perico
La Pacheque
Ias de Perlas
Pta de Garachine
G. de S. Miguel
Sierras de Capira
Comagre
Acla
Careta
Coyba
Pº de Ali
Darien
R. de Corobari
Quareca
Tumaco
Chiapes
R. dela Trepadero
R. de Congos
Biru
Tatabe
pop
Pº de Pinas
Las Anegadeſos
Pº Quemado
Las Salinas
R. de las Balſas
C. de Corrientes
Malpelo
I. de Palmas
B. de Bonaventura
Gorgona
I. del Gallo
R. de S. Iuan
R. S. Lucar
R. Nicardo
R. de Cedros
Pta de Manglares
Ancon de Sardinas
Agreda
Los Pastos
R. de St Iago
C. de S. Franco
B. de S. Matheo
Los Quiximies
Provincia delas Eſmeraldos
Sierras de Quaque
Pasto
Val de Atris
Funes
Iles
Ipiales
Guaca
Lumichaca
Tuca
Rio de Atira
Yaguarcocha
Apoſento de Carangue
Cayambes
Los Guancas
Quillacingas
Barba coas
Los Tun bas
Chanco
Popayan
Bamba
Chapan chita
Los Maſteles
Los Abades
S. Cruz
GOVERNACION DE P
Vraba
R. Verde
R. delos Anades
R. S. Iuan, Rio grande del Darien
Montanas de Abi
Golfo de Vraba
S. Sebastian de buena viſta
I. Fuerte
Tortuga
Pta de Caribana
Pº de Comagre
I. de Pinas
I. Gorda
Pº Perdido
Pº de Catiua
Nombre de Dios
R. Sardina
Pº Bello
Pº de Lagartos
El Porrete


TIERRA FIRMA
item
NVEVO REYNO
DE GRANADA
atque
POPAYAN
Hiſpanicæ leucæ 17½ in vno gradu.
Germanicæ milliaria 15 in gradu.
GOVERNACION
DE SANCTA
MARTHA.
NVEVO REY NO DE
GRA NADA
OOST
ÆQVI NOCTIALIS
C. la Vela
Portete
B. Honda
C. de Coquibocoa
Monjes
Oruba
Quraçao
C.S. Roman
Coquibocoa
Golfo de Venecuela
Coro
Lago de Maracaybo
Merida
La Rancheria
R. dela Hacha
Tapia
Salamca
Sierras de Suſanor
Val de Vpar
Ciuidad delos Reyes
Sierra Nevada
R. Guataporí
R. Ceſar, Pompatao
R. Auyamas
C. del Aguja
Cartagena
Tenerifæ
Tamalameque
Alpuerto
Ocaña
S. Chriſtoual
Caceres
Vetes
Pamplona
Montes de Opon
R. de Cararo
Rio grande dela Madalena
Rio Cauca, o Rio grande de Sta Martha
S. Maria
El Desembarcadero
Plasentia
Velez
Tunja
Muſos
Trinidad
Tudela
Mariquita
S. Miguel
Colymas
Palma
Tocayma
L. de Guaravita
Sta Fe de Bogota
R. Pati
Ybagua
Moxcas
Panches
Val de Aburra
Cartama prov.
Nra Señora delos remedios
Arma pr.
Paucura pr.
Picara pr.
Carrapa pr.
Arbi pr.
Quinbaya pr.
Cartago
Conſota
Cordillera delos Andes
Sierra nevada
S. Sebastian de la Plata
R. Guali
Onda
Villa delos Angeles
Manipos
Pixaos
Paezes
Neyva
Val de Neyva
S. Vincente
S. Iuan delos Llanos
Truxillo
Ystance
Timana
Coconucos
Cotara
Cibundoy
Pastoco
Laguna frigidiſsima

05094-1117

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER OCTAVUS.

TERRRA FIRMA.

INTRODUCTIO.

Ontinentem Americæ univerſã ſuprà diviſimus in duas veluti partes, quarum unam Septentrionalem, alteram Meridionalem appellavimus; Eæ autem conjunguntur anguſto terræ Iſthmo, in quo duo celeberrima Hiſpanorum oppida ſunt ſita, Panama nimirum & olim quidem Nombre de Dios, hodie autem Porto Belo. Antequam itaq; Meridionalis Americæ deſcriptionem aggrediamur, hujus Iſthmi & provinciæ quæ illum occupat, deſcriptio ante omnia nobis erit abſolvenda, quæ hodie vulgo Panama dicitur & communi nomine ab Hiſpanis Terre Ferma: Olim autem dicebatur Caſtilla del Oro, id eſt, Caſtella aurea: verum quia Caſtilla del Oro ſæpius limites mutavit, hinc nonnulla in ſuperioris ſeculi ſcriptorum commentariis nata eſt obſcuritas, quæ nobis hic obiter illuſtranda eſt. Anno cIↃ IↃ VIII Didaco de Niqueza conceſſa fuit præfectura, quam ſubjugaret & porro teneret, ſub nomine Caſtillæ del Oro; quæ hiſce limitibus circumſcribebatur, ad ortum occidentali ripa fluminis Darienis in interiori ſinu Vrabæ freti; ad occidentem Promontorio Gracias à Dios Honduræ provinciæ extimo ad orientem; ab Arcto concludebatur Septentrionali Oceano (nam alter adhuc ignotus erat;) porro ab altera fluminis Darienis ripa verſus ortum pertendendo uſque ad Promontorium de la Vela, cenſebatur continens nomine Novæ Andaluziæ. Sed Caſtillæ del Oro limites ſtatim mutati, & ab occidente contracti, verſus ortum in Novæ Andaluziæ terminos invaſerunt: Tandem denique nomen Caſtillæ del Oro plane obſolevit, & Oceano Meridionali jam invento obtinuit nomen Panamæ: Quæ breviter hic monere oportuit, quia hodieque in multis Tabulis Geographicis nomen Caſtellæ aureæ latiſſime diducitur, etiam ad illas provincias, quæ nunquam ſub illa fuerunt cõprehenſæ: ne ſi omnino de hac re ſiluiſſemus, provinciæ hujus per ignorantiam obliti fuiſſe videremur. Porro in America Meridionali deſcribenda hunc ſequemur ordinem: Iſthmo hoc Panamenſi prius abſoluto, vicinas & contiguas provincias ad ortum adjungemus, Cartagenam, Sanctam Martham & Flumen de la Hacha, quæ Continentis partes, quia primæ poſt Inſulas fuerunt detectæ, vulgo Terræ Firmæ, id eſt, Continentis nomine hodieque appellantur ab Hiſpanis; atque hoc hujus libri ſubjectum erit: deinde ad interiores aliquot provincias deſcribendas nos accingemus, quæ prædictis adjacent Novum Regnum Granatenſe & Popajanam; quæ ubi nos ad mare Meridionale reduxerint, omnes provincias illas quæ Oceano illi prætenduntur, ordine quo jacent, proſequemur ad Fretum uſque Magallanicum; illudque emenſi, & luſtratis obiter terris quæ illi ab Auſtro objacent, oram itidem Maris Atlantici ſtringemus, & eodem ordine deſcribemus, provinciaſque quæ illi adjacent Flumen Argenteum, Braſiliam, & omnem oram Barbaram, Pariam, Cumanam, Venezuelam, immani ambitu ad flumen de la Hacha rurſus producemus, atque ita huic operæ finem imponemus.

PANAMA.

Cap. I.

Conventus Iuridicus & Provincia Panamenſis : *illius limites, cœli ſolique natura, particulares provinciæ.*

Conventus Juridicus *Panamenſis* non admodum amplis limitibus continetur, quum illius Iudices tantum claſſibus expediendis & juri mercatoribus dicundo vacent: in longitudinem quidèm inter ortum & occaſum circiter leucis nonaginta definitur, fineſq; habet ad ortum *Cartagenæ* & *Popaianæ* præfecturas, ad occaſum Caſtellum *Veraguæ:* in latitudinem autem, ubi latiſſima eſt inter ambo maria leucis ſexaginta, ubi arctiſſima inter *Panamam* urbem & *Portum Belum* tantum octodecim: idque ratione itinerum inita, quæ impeditiſſima & tortuoſiſſima ſunt;nam ſi recta ratio ſecundum cœli menſuram ineatur,vix ſeptem aut octo leucæ inter ambo maria interſunt, ut ab Acoſta eſt obſervatum, & altitudines locorum evincunt.

Solum maxima ſui parte montoſum atque aſperum; ubi autem paulum ſubſidet crebra uligine altoque cœno impeditiſſimum; Cœlum utplurimum nubilum, humidum & præfervidum:ſupra modum inſalubre,præſertim à Maio ad Novembrem: aër tamen nonnihil à maritimis ventis ſufflaminatur corrigiturque; & contra à terreſtribus multo gravior efficitur, inſalubriorque. A menſe Julio ad Novembrem hic pene continuò pluit, tonat, fulgurat, hanc hyemem incolæ patiuntur. Terra infœcundior multarumque rerum indiga; quippe quæ nihil præter Mayzium, idque perparcè producat; melior animalibus,præſertim armentis ob pabuli copiam & bonitatem. Olim ingentes porcorum alebat greges, quos indigenæ in retia ſua cogebant, gramine, quod hic in ſummam altitudinem excreſcit, totis campis incenſo; hodie paucos, ita ut Hiſpani de illorum paucitate & lardi caritate conquerantur.

Indigenæ retia illa componebant ex Herba *Nequen* ſive *Henechen* ut vocat *Oviedus* qui illam ita deſcribit: Cabuia (inquit) eſt herba quæ fert folia ſimilia carduo ſive iridi, ſed latiora & craſſiora, magiſque viridia: *Henechen* autem eſt altera herba, foliis itidem cardui, verum anguſtioribus & longioribus quam *Cabuiæ*: ex utraque hac herba ducuntur fila & funes ſatis validi & pulchri; ex *Henequen* quidem fila ſubtiliora. Barbari autem has herbas, quemadmodum ſolent in Europa linum, aliquot diebus deprimunt ſub aquam in rivis aut fluentis; dein exemptas ſiccant ad ſolem, franguntque bacillo, ita ut ſolæ fibræ remaneant, inſtar lini; eaſque denique nent in fila aut contorquent in funes. Mirabile autem quod idem narrat, barbaros his filis ferrum ſecare & dividere tanquam limâ, minutam arenam aſpergendo & funiculos reciprocando ad modum ſerræ; atque hoc pacto non modo catenas ferreas, ſed & anchoras non raro diviſiſſe.

l.7. c.10.

Volatilium ſatis magna hic copia, phaſianarum, turturum & ſimilium. Mare piſcoſum, uti & flumina, in quibus multi crocodili reperiuntur, quas Barbari *Caymanes*, Hiſpani Lagartos vocant. Arbores hic perpetuò virent & frondes quidem abundè, fructus parcè ferunt: Multi hîc cati ſylveſtres & animalcula illa quæ catulos ſuos in ſacculo circumgeſtant, ita tectos ut videri non poſſint, ædes noctu intrare ſueta & gallinis aliiſque domeſticis avibus admodum infeſta.

Plures minores provinciæ comprehenduntur ſub hoc Conventu Juridico; quarum *Careta* prima Hiſpanis innotuit triginta ab amne *Dariene* leucis; & mox *Acla* quinque à *Careta.* Solum hiſce editum & montoſum uti & provinciæ *Darienis*, (ſed cœlo gaudent magis ſalubri & ſereno) atque auri metallorum quondam haud expers.

Careta. Acla.

Comagre.

Aclam excipit verſus occaſum *Comagre*, à qua planicies & campeſtria ſumunt initium;

initium; Vicinæ regiones olim fuerunt frequentiſſimæ; & in minutiora dominia diviſæ: Hiſpani omnem hanc regionem uſque ad *Peruqueten* primis illis temporibus appellabant *Cuebam:* proximas autem provincias, quarum indigenæ nullis regulis parentes in commune conſulebant, *Behetrias.* Comagren excipiebat *Chiame* & *Coyba*, atque *Pocoroſa*, ubi Hiſpani quondam municipium habuerunt *S. Crucis.*

Ab oppido Panama verſus occidentem jacebat provincia *Chame* & ſeptem ab hac Chame leucis *Chiru*; à qua octo leucis abeſt Eſcoria, dives ſalinis; æſtus enim maris accedens Chiru implet quædam ſtagna, in quibus marina à ſolis æſtu in ſalem cogitur.

Eſcoriam ſeptem aut octo leucarum itinere ſequitur *Nata:* dehinc *Tobre* atque Nata *Trota* montoſæ provinciæ atque nemoroſæ, quæ pulcherrimas alunt quercus & peramplis glandibus: Ulterius *Huyſia* atque *Burica* pene ad limites *Nicaragua.* Sed non omnes hæ accenſentur hodie ad Panamenſem præfecturam. Duodecim denique leucis à *Nata* verſus Corum, poſſidebat provinciam *Paris* Regulus, qui Hiſpanis admodum infeſtus, multum negotii tum faceſſebat. Licet autem pleraque harum provinciarum nomina jam obſoleverint, ac ne tunc quidem niſi Regulorum nominibus fuerunt nota, tamen præterire nolui, forte alicubi aut aliquando uſum ſuum habitura.

Porro harum regionum indigenas, qui plurimi fuerunt, Hiſpanorum crudelitas jam dudum abolevit, & ſummam hiſce provinciis intulit infrequentiam & vaſtitatem, ita ut hodie plures Nigritæ hîc reperiantur quàm Americani indigenæ.

Hiſpani poſſident in hoc Conventu Juridico tantum tria oppida, Panamam, Portum Beluna & Natam, de quibus jam dicturi ſumus.

Cap. II.

Oppidum Panama, *illius ſitus & qualitates.*

Oppidum *Panama*, à quo ipſi provinciæ nomen, aſſidet littori Maris Auſtralis, ad nonum gradum altitudinis ſeptentrionalis, & octuageſimum ſecundum longitudinis, productæ à Meridiano Toletano in occaſum, ut *Herrera* obſervat in ſuis commentariis. Pomœrium illius anguſtius ob vicinitatem ſtagni, quod magnam cingit oppidi partem, idque ob vapores ex ſe aſcendentes reddit inſalubrius: Ipſum oppidum minus apte exædificatum, ſemitis omnibus inter ortum & occaſum directis, quo fit ut mane ferventiores ſolis radii incidant in obambulantes, nullo umbrarum adminiculo, & crebros accendant morbos, multorum plerumque exitio. Quanquam autem ſæpius de loco mutando fuerit conſultatum, manet tamen hactenus, ſive loci retineat opportunitas, ſive eorum qui hodie incolunt brevis in hoc loco ſtatio, & proinde de ſucceſſuris levis cura: quippe plerique aut mercatores ſunt, qui commerciis abſolutis aliò migrant; aut milites qui nunc ad hæc, nunc ad alia loca mittuntur in præſidia; aut denique abſterreat ædificandi difficultas in hiſce locis & jam ſtructarum ædium grande pretium: utut ſit, locum incolarum valetudini vel maximè infeſtum, frequentiſſimum fecit commerciorum frequentia & rem faciendi opportuniſſima occaſio. Nam quotannis appellunt hîc Claſſes è *Peruvia*, *Chile*, aliiſque provinciis quæ adjacent Oceano, auro, argento, aliiſque pretioſis mercibus onuſtæ; Solvuntque rurſus ex hoc portu onuſtæ mercibus Europæis, quæ ab Oceano Septentrionali, primo ſubvehuntur per fluvium *Chagre* deinde terreſtri itinere deducuntur ad hoc oppidum; opulento utrobique commercio: quin etiam, ut Hiſpani produnt, navigant ad Novam Hiſpaniam, Philippinas inſulas, atque ipſum Sinarum Imperium; ſolventibus hinc navibus circa Feſtum Nativitatis. Continet civitas, ſecundum *Herreram*, utplurimum familias Hiſpanorum ſexcentas, maxime mercaturæ vacantium: Hîc Iudices regii cæterique miniſtri & publicani ſuas habent ſedes: Hîc eſt Eccleſia Cathedralis (cujus Epiſcopus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Limani;) monaſteria tria, Dominicanorum, Franciſcanorum & religioſorum quos vocant *de Mercede.*

Portus hujus oppidi mediocris, licet naves relabente æſtu in ſicco deſtituantur, ideoque æſtivis menſibus ſolent conſiſtere in alto; hibernis autem ſe recipere ad portum *Perico*, duabus ab oppido leucis. Haud procul ab oppido labitur fluvius, deſcendens

ſcendens

ſcendens è montibus, & complures rivos atque torrentes recipiens: ad cujus ripas utrimque plures viſuntur villæ, quas Hiſpani appellant *Eſtancias*, in quibus pecuaria exercetur, imprimis armentorum ob inſignem pabuli abundantiam.

Ager ſuburbanus multas nutrit arbores fructiferas, non modo hiſce regionibus domeſticas, *Pinnas* beneolentes, *Platanos*, *Guayavas*, *Caymitos*, *Aguacates* & ſimiles, (de quibus alibi plura:) ſed & Europæas & ex Hiſpania huc traductas, aurantia mala, limones, citrea & plures hujuſcemodi. Licet autem ſolum non niſi Mayzium ferat, idque perparce, tamen affluit oppidum omni genere annonæ, quod per mare Auſtrale è Peruvia larga copia ſubvehitur: atq; ex ipſa Hiſpania, haud difficili inter utrumque Oceanum commercio. Flumina piſcoſa, uti & ipſum mare, quod piſcibus (licet multum diverſis ab Europæis) ad miraculum uſque eſt fœtum: In littore autem & juxta ipſa oppidi mœnia, limacum quoddam genus reperitur, infinita pene copia, (Chucas vocabant barbari) nulla non anni tempeſtate, facili negotio parabile; ita ut hiſce potiſſimum imputetur hujus oppidi iſto loco ſubſtructio; quippe ita olim apud ſe reputabant Hiſpani, non facile ſibi eſuriem metuendam eſſe, quandiu hoc genus edulii ipſis ſuppeteret. Indigenæ omnes jam dudum interierunt, ſive Hiſpanorum ſævitia quod valde credibile, ſive morbis, ut Hiſpani credi volunt, licet vero abſimile ſit, barbaris cœlo inſalubri licet, tamen ſuo aſſuetis.

CAP. III.

Exactiſſima Urbis Panamæ *deſcriptio à* Joanne Baptiſta Antonelli *ad Regem Hiſpaniarum miſſa, quemadmodum illam è libris* M. Richardi Hackluyti *hauſimus.*

PAnama (inquit) eſt principalis hujus Diœceſeos Civitas, octodecim diſtans leucas ab oppido *Nombre de Dios*; ſita ad oram maris Auſtralis, novem gradibus ab Æquatore verſus Arctum. Tria hic monachorum monaſteria & una domus patrum Societatis Jeſu: & Regii Iudices hîc ſuum habent Tribunal. Civitas condita eſt juxta mare ad ſinum arenoſum, ita ut unum illius latus pulſetur ab ipſo mari, alterum à brachio quodam maris, quod ad mille decempedas intra continentem ſe inſinuat. Ædes habet trecentas & quinquaginta, è materie ſubſtructas; oppidanos circiter ſexcentos: præſidiarios ut plurimum octingentos, & quadringentos Nigritas è Guinea, quorum non pauci ſunt liberti. Eſt & quoddam in vicinia municipium, quod dicitur *S. Cruz la Real*, quod totum habitatur à Nigritis libertinis (vocant *Simarones*,) numero fere centum, qui fere in Majeſtatis Tuæ ſervitio occupantur: abeſt autem à Panama leucam unam, ad ripam fluminis conſtructum, circiter leucam à mari, è regione Portus *Perico*. Hiſce autem Nigritis non nimium credendum, utpote infidis & infeſtis, ſed ſedulo providendum ne quod forte damnum incautis duint.

S. Cruz la Real.

Tria porro ſunt itinera terreſtria (nam de maritimo nihil dico,) per quæ ad hanc urbem etiam ab hoſtibus adiri poteſt. Primum per ſublicium pontem, qui ſuper fluvium ſtratus eſt: habetque ab una parte elicem, quæ urbem ab hac parte pene inacceſſam facit, tam profunda uligine & cœno, ut greſſum impediant: è regione decurrit amnis, qui urbem ambit inſtar foſſæ: ab altera parte lacus ſive ſtagnum prætenditur, tota hyeme & bona parte æſtatis, aquis repletum, ita ut hoc urbis latus exiguo præſidio poſſit cuſtodiri. Præcipuum periculum eſt ab itinere quod à *Nombre de Dios* ducit ad hanc urbem, planum quidem & arboribus nudum: duobus autem decempedarum mill. ab urbe defluit amniculus, quem vulgo vocant *Lavanderam*, quia fœminæ hîc veſtes lavare conſueverunt; Hic amniculus in prædictum lacum reſtagnat eo modo, quem Majeſtati Tuæ delineavi, ultra hunc occurrit ſemita ſilicibus ſtrata.

Alterum iter verſus urbem ducens paulo inferius jacet, juxta pontē, qui ad ſemitam pertinet quę ad portum *Perico* ducit. Hęc duo itinera difficulter defendi poſſunt, quia plana & campeſtria ſunt omnia. Ad orientale urbis latus regia ædificia ſunt exſtructa ſuper rupē haud longè à mari ad quod leni clivo devergunt, quemadmodum & ſolum. Conventus Juridicus habetur in hiſce ædibus: ibidem & Carcer eſt & Gazophylacium regium: Hîc M.T. Theſaurarius, Præſes Iuridicus, & tres Senatores ſive Iudices cum

Advo-

Advocato Fiſcali & reliquis tuis miniſtris, degunt conjunctis ædibus, quæ è materie ſtructæ viſuntur ſuper eandem rupem: locus autem cui Palatium & carcer ſunt inædificata, facillime poteſt muniri, ſitus ipſius beneficio & vicinia maris, quod hîc multis rupibus conſitum, quæ æſtu relabente eminent, nonnullæ & plenis fluctibus. E regione harum ædium verſus ortum, quingentarum decempedarum intervallo, obvertitur continenti ſemicircularis inſula; ex adverſo denique harum ædium, eſt ſtatio navium poſtquam onera ſua expoſuerunt: nam cum oneribus ſuis non poſſunt huc appellere niſi ſolùm celoces, quas & fluctus recedens in vadis deſtituit, circiter triginta decempedis ab hiſce ædibus; è regione autem ipſa civitas ſita eſt. Quum ſuperioribus annis rumor increbuiſſet, pyratas mare Meridionale eſſe ingreſſos, Præſes atque judices curaverant hîc arcem extrui, ligneo vallo; ut hanc civitatem & Majeſtatis Tuæ Theſauros tuerentur: prætea *Ventam de Cruzes* & amnem *Chagre* atque *Quebradam* communiverant; auxerantque præſidium *Ballani*; nam omnibus hiſce locis hoſtis exſcenſionem facere & provinciam longè lateque poſſe vaſtare creditur.

Tribus autem modis hæc civitas levi negotio ab hoſtibus poteſt invadi, uno per mare Septentrionale & certum aditum, qui quatuordecim leucas abeſt à *Nombre de Dios* & appellatur *Acla*; per quem haud ita nuper Pyratam in mare Auſtrale meminimus penetraſſe: altero per *Nombre de Dios*; licet enim iter ſit arduum & impeditum, riguum atque cænoſum, novem tamen menſibus utuntur illo incolæ, per aquas cœnumq; eluctantes, aut per editas & inacceſſas *Capiræ* montis rupes enitentes, ita ut tum facile hoſtis hîc à paucis militibus poſſit ſuſtineri: verum æſtate hæc itinera ſicca, adituque facilia eſſe teſtantur. Tertio denique per fluvium *Chagre*, quod Oceano miſcetur, octodecim ab oppido *Nombre de Dios* leucis verſus Favonium: Hic aditus Panamenſes maxime ſollicitos habet; nam adverſo flumine hoc aſcendi poteſt ad *Ventam de Cruzes*, atq; inde quinque leucarum itinere terreſtri perveniri ad hanc urbem. Navigatur hoc flumen cymbis, quæ trecētorum & plurium quintalium (pondus eſt Hiſpanicum centum & viginti libras noſtrates æquans) onus ferre poſſunt, & merces Europæas ſubvehunt ad *Ventam de Cruzes*, unde trium leucarum itinere ducuntur *Limaretum*; quæ via planiſſima eſt, ſi incolis credimus: Unde proclive foret hoſtibus per hanc viam ſibi aditum ad hanc urbem & mare Auſtrale aperire: quin etiam celoces ad hunc uſum paratas ſecum portare, & mari invehere, atque ita terra mariq; nos aggredi, uti ſatis conſtat *Franc. Dracum* quondam in animo habuiſſe facere. Quumque incolæ hujus civitatis fere mercatores ſint, prœlio decernere pertimeſcunt, res ſuas in tutum ſubducere contenti: Quare ſi Majeſtati Tuæ placuerit ædes ſupra dictas munire, non modo refugium civibus, ſiquis ſubitus ab hoſtibus ingruat metus, ſed & gazæ tuæ tutum poterunt præbere receptaculum. Nam pyratæ & rebelles tui, qui has oras infeſtant, id unum ſemper in votis habuerunt ut hoc loco potirentur, atq; ita una opera & commercia inter Hiſpaniam & Peruviam impedirent, & Majeſtatis Tuæ gazam deprædarentur. Quare hunc locum probe cuſtodiri ſumma cautio eſt; nam hiſce locis bene munitis, non eſt quod Majeſtas Tua theſauris ſuis, aut mercatores ſuis commerciis amplius quicquam metuant: Et ſi forte quidam in vicinis provinciis ab obſequio Majeſtatis Tuæ recedere & hoſtibus ſe conjungere tentaverint (quod Deus avertat) non eſt quod verearis quandiu hæc urbs & *Porto Belo* valido tenebuntur præſidio. Nam milites ad *Portum Belum* expoſiti (qui tantum octodecim leucas hinc abeſt) facile huc conduci poſſunt, & quum ad hanc urbem plerumque pertineant X aut XII celoces, iiſdem nullo pene negotio ad omnes partes traduci. Nullus Peruviæ portus (Limanum ſolum excipio) tot habet naves, quot Panamenſis. Verum ſi hæc urbs non fuerit probe munita, fieri poſſet ut pyratæ per Fretum Magallanicū in mare Auſtrale penetrantes, eo tēpore quo gaza huc deducitur (quæ interdum ſuperat quinq; aut ſex milliones) hic appellerent, eamq; diriperent cum exiguo ſuorum diſcrimine: cōmunita autem urbe, facile omnis gaza in tutum poteſt ſubduci. Si itaq; Majeſtati Tuæ videatur conſultum, ab ea parte qua civitas hæc terram reſpicit, arx lateritia poſſet excitari à fundamentis, loco idoneo & ad id parato, cum ſuis propugnaculis & foſſa: nam à parte maris nihil periculi eſt; quippe æſtu bis quotidie accedente & recedente; neque tutus navibus acceſſus quum æſtus implevit, neq; quum rupes retrocedēte fluctu ſeſe aperiunt, veſtigia in lubrico poſſunt figi: atq; hęc ora ab illa parte de qua modo diximus pertinet ad pontē uſq;, quem vocant *Paita*.

Duabus

Perico.

Duabus autem ab urbe leucis verſus occidentẽ alius occurrit portus,quem nominant *Perico*,à tribus contiguis pene inſulis,quæ ſemicirculari forma Continenti objacent,adverſus incerta ventorũ egregiè munitus,intus patens ſemileucam: Continens autem editior, inſulæ depreſſiores: aquatio hic commoda; nec portus adhuc ullius navis exitio infamis: nam pleno mari altus eſt orgyas ſeptem; relabente æſtu tres quatuorve: & anchoræ valide tenent, & naves ubi opus eſt levi opera ſtatuuntur in ſicco,ut refici poſſint. Hunc portum ſubintrant naves è Peruvia redeuntes auro atque argento onuſtæ; & quum nullo opere ſit munitus, facillime illum pyratæ poſſent ingredi & omnes naves ſpoliare: nam celoces omnes quæ Mare Meridionale navigant, ita utplurimum ſunt inermes, ut vectores vix gladium habeant quo ſe tueantur: & nullum eſt in vicinia præſidium quod hoſtes valeat impedire. Abeſt autem hic portus à *Venta de Cruzes* leucas quinque. Itaque hic arcem excitari operæpretium erit, in media harum inſularum, & machinas aliquot majores diſponi; idque exiguo ſumtu, quia ipſa inſula neceſſaria ad hanc molem ſubminiſtrabit: atque ita non modo urbi ſed & portui optime foret proſpectum.

Caracol.

Eſt præter hos, adhuc alius ad Mare Auſtrale aditus,per fluvium quem vocant *de Franciſca* juxta *Cabecam de Cattiva*, ſecus oram maris Septentrionalis: nam hoc flumen ingreſſis breve eſt iter ad flumen *Caracol*, quod quinque ab hoc oppido leucis deſcendit in Oceanum Meridionalem: Simarones aliquando Gallum quendam per hanc viam in hoc mare traduxerant. Hæc ille. Quid autem horum, quæ hic neceſſaria autumat, hactenus perfectum fuerit, mihi non ſatis conſtat.

Cap. IV.

Oppidum Nombre de Dios*: & locorum adjacentium ſitus & qualitates.*

Alterum hujus Præfecturæ oppidum eſt *Nombre de Dios*, ſed quid dixi eſt, imo fuit, quippe jam derelictum, incolis illius ad *Portum Belum* traductis: nec opus eſſet illius mentionem hic facere, niſi intereſſet loci ſitum & portus opportunitatem, locorumque adjacentium qualitates cognoſcere. Hiſpani ſcriptores ad unum omnes graviter conqueruntur de loci hujus inſalubritate; & *Herrera* teſtatur in ſua Hiſtoria, pene innumeros Hiſpanos hîc variis morbis interiiſſe. Oppidum enim cingebatur paludibus & uliginoſo ſolo, è quo peſtilentiſſimi & valetudini hominum infeſtiſſimi vapores exhalant. Sed operæpreciuni eſt *Ioan Baptiſtam Antonelli* audire.

Nombre de Dios (inquit) conditum eſt ad arenoſum ſinum haud longe ab Oceano Septentrionali, triginta circiter conſtans familiis; domicilia lignea: incolarum autem plerique ſunt advenæ, nec fixa hic habent domicilia; ager vicinus aut denſis ſylvis eſt opacus, aut jugibus paludibus ſuffuſus, & profunda uligine pene invius, ob aquarum abundantiam, quæ ab umbroſis montibus deſcendunt: portus neque commodus, neque aquationi opportunus, expoſitus eſt enim aquilonibus, qui jugiter hic perflant; nec ſatis altus, ita ut majora navigia maximam partem mercium exponere cogantur antequam illum ſubeant. Si vero ventus ab Arcto aut Coro vehementius perflet, coguntur onerariæ interdum ſex anchoras jacere, neque audent funes laxare, ob ſcopulos & brevia quæ utrinque imminent, fervet enim tum mare & ingentes fluctus agit ad littora, ita ut naves valide concutiantur & cum ingenti diſcrimine nunc funes rumpantur, nunc gubernaculum excutiatur, aliaque incommoda navigiis accidant. Oppidum quidem affabre conditum eſt & opportune ſitum ad orientale portus latus ſupra petram,ubi nullo pene negotio Arx ad defenſionem portus poſſet ædificari; veruntamen, quum portus tam incommodus ſit, non poſſum author eſſe Majeſtati Tuæ ut alios ſumtus hic faciat, quàm vallum circumducere, quo incolæ ſe ſuaque adverſus trium quatuorve navium claſſem poſſint tueri. Panama abeſt hinc octodecim leucas, impeditiſſimo itinere: nihilo tamen ſecus omnis auri atque argenti gaza, tam Majeſtatis Tuæ quàm privatorum hac deportatur; Europeæ autem merces, primum minoribus navigiis ad *Chagre* fluminis oſtium devehuntur, deinde adverſo flumine ſubducuntur ad *Ventam de Cruzes* denique

denique ab hoc hoſpitio quinque leucarum itinere mulis bajulantur ad oppidum Panamenſe. Situm eſt hoc oppidum novem gradibus & viginti ſcrupul. ab Æquatore verſus Arctum. Si Majeſtas Tua conſultum putat hoc oppidum demoliri & oppidanos traducere ad *Portum Belum*, aliud iter moliendum erit per montana *Capiræ*, cætera enim difficillima ſunt & facile poſſent obturari: portuſque hujus fauces exigua impenſa obſtrui, onerariis aliquot quæ præ vetuſtate dehiſcunt, hîc depreſſis & ſaxis in altum projectis: Verum magna hîc inopia eſt ſaxorum, ita ut naves quum iis opus habent, illa ex vicina inſula, quam vocant *de los Baſtimentos*, cogantur petere. Hactenus ille ſcribens ad Regem Hiſpaniarum anno cIↃ IↃ LXXXVII. Angli autem, qui anno cIↃ IↃ XCV, duce fortiſſimo Equite *Franciſco Draco*, oppidum hoc diripuerunt atque everterunt, longe aliter loquuntur de hoc oppido illiuſque portu: teſtanturque oppidum fuiſſe amplum, latis plateis, ædificiis ligneis ſed præaltis; templumque habuiſſe ſatis elegans licet itidem ligneum: Situm eſſe in humido ſolo & ſub cœlo crebris nimbis obnoxio, ideoque valetudine incolarum tam infami, quam ullum ſit in toto Orbe. Ad ortum ab oppido deſcendere in ſiniſtrum Sinus latus, amniculum quendam, cujus aquæ limpidiſſimæ ſint & potari pulcherrimæ: ad cujus ripas aliquot villæ & ruſtica prædia erant condita: ſtationem ante oppidum ſatis commodam, licet ingreſſuris dextra levaque ſeries rupium objectentur, levi tamen diſcrimine, quum facile vitari poſſint, utpote quæ periculi ultro admoneant, & tam intra quam extra rupes, anchoras liceat figere. Cur tam diverſa Angli atque Antonellus de hoc loco tradiderint, non aliam cauſam poſſum comminiſci quam quod huic ita expediverit, ut Regem facilius permoveret ad oppidum demoliendum & aliò transferendum, quemadmodum poſtea factum eſt, uti ſtatim dicetur.

CAP. V.

Portus Beli *deſcriptio ſecundum* Joannem Baptiſtam Antonellum.

P*orto Belo* (inquit) diſtat à *Nombre de Dios* leucas quinque verſus occidentem, commodiſſimus portus & quamplurium navium capax, fundo anchoris tenendis peridoneo, nam mare altum eſt ſub ipſo pene littore orgyas quinque aut ſex, in medio ipſius portus duodecim, fundo aut molli aut arenoſo, nulla hîc brevia aut ſcopuli: Duodecim qua rivi qua amniculi conjunctim in illum deſcendunt, ita ut aquatio quovis tempore hic facillima ſit. Abundat præterea adjacens ager materie cædua, perutili ad naves fabricandas; Uti & ſaxis ad navium ſentinam explendam: nullum in portu adeundo diſcrimen, præterquam quum ventus ab occidentali plaga perflat, quod hic valde rarum. Nam venti qui hîc crebrius ſpirant, ſunt Arctoi, orientalibus magis noxii & nonnumquam navigantibus permoleſti. Intra portum jacet ſtagnum, quingentas decempedas in longitudinem, totidemque in latitudinem patens, juxta fauces trecentas pene decempedas latum & ſupra quatuor orgyas altum, interius autem ſex, fundo molli & cœnoſo, ita ut naves nullum detrimentum accipiant licet impingant aliquando, vadiſque hæreant, littus ipſum vadorum & ſcopulorum expers, fidumque navigantibus, ita ut nullo diſcrimine ubicunque lubet anchoras jacere proclive ſit. Portum cingit nemus & palus quæ facili negotio objecto aggere poterit ſiccari & armentis paſcua præbere: id præcipuum oppidorum emolumentum; paſcuorum autem juxta *Nombre de Dios* ſumma eſt inopia, itaque ibidem nulla armenta paſci poſſunt, & caro omnis inde ab oppido Panamenſi petenda: Planicies præterea jacet ad auſtrale portus latus, oppido ſuperſtruendo valde idonea, ad radices montium, qui modico jugo eriguntur, & ubi tres amniculi pulcherrimarum aquarum devolvuntur: & agri Mayzio aliiſque frugibus ferendis peridonei ſunt atque uberes. Hîc quoque permagni lapides reperiuntur, cœmento conficiendo, ut putant, apti (nam nondum cepimus experimentum) denique ne tædioſi ſimus, omnia condendo oppido neceſſaria hic abunde ſuppetunt. Solum cui oppidum ſuperſtrueretur ſaxoſum eſt, aër autem imprimis temperatus & ſalubris. Ne autem aqua pluvia, quam nimboſi montes (qui imminent,) hibernis menſibus profundunt, noceat oppido, ſtagnum ad radices montium effodiendum

erit quo torrentes recipiantur atque inde per emiſſarium in Oceanum deriventur. Utiliſſimum autem fuerit oppidanos è *Nombre de Dios* huc traducere: quod ipſis neque grave neque ſumtuoſum eſt futurum, quia in oppido illo omnes ædes è materie ſubſtructæ ſunt, quam huc tranſportare haudquaquam difficile erit, uti neque tegulas tectorum. Si Majeſtati Tuæ hoc conſilium probetur, primum ſemita aperienda erit, deinde templum aliaque publica ædificia, & præſertim Teloneum oppidi *Nombre de Dios* deſtruenda & hic rurſus ſubſtruenda: denique Claſſibus quæ quotannis ex Hiſpania ſolvunt imperandum ut hunc portum adeant: ita enim futurum eſt ut & mercatores huc apothecas ſuas transferant, & magna hominum frequentia ad novum confluat oppidum.

Ad portus autem atque oppidi tutelam neceſſarium erit, in montis, qui ab Arcto portui imminet, vertice, exiguum & quadratum caſtellum moliri, ubi quatuor quinqueve tormenta bellica ſtatuantur, & ſex præſidiarii continuo excubent; nec majori molimine hîc opus eſt, nam univerſus portus cingitur à ſylvis atque crebris ſcopulis. E regione vero aliud caſtellum ad modum turris ſubſtruetur, atque in eo collocabuntur octo machinæ bellicæ, & viginti milites præſidiarii, id enim præcipuum momentum adferet ad oppidum protegendum, utpote vicinius & pene connexum. Ad Arctum porro adjacet æſtuarium octo orgyas altum, commodiſſimam ſtationem præbens, ita ut hoc caſtrum & oppidum defendere & hoſtibus inſigne detrimentum poſſit adferre, atque adeo omnem oram tutari, quæ hic nonnihil prominet & vergit ad Inſulam Bonaventuræ. Licet autem prius caſtellum aut concidere aut ab hoſtibus intercipi contingeret, nihilo tamen minus hoc alterum ad oppidi defenſionem ſufficeret; modo tantum viginti milites in oppoſito colle collocentur, ita enim vel magnum hoſtium numerum haud difficulter poterunt arcere. Diſtat hic portus novem gradus & viginti ſcrupul. ab Æquatore verſus Arctum.

Iter quod ab hoc loco ad Panamam ducendum erit, haudquaquam difficile eſt futurum, quemadmodum à Simaronibus accepi: Nam licet hybernis menſibus utplurimum aquis oppleatur, tamen æſtivis eſt ſiccum: quibus autem locis profundiore uligine invium manet, lignis poterit ſterni & ſaxis, quorum magna hîc copia: ſumtus vero ad hanc operam haud difficulter ſuffici poſſent è Majeſtatis Tuæ portoriis in oppido Panamenſi, quæ ſingulis annis duodecim aut quatuordecim reddunt ducatorum millia. Atque hæc ille.

CAP. VI.

Oppidum S. Philippi *ad* Portum Belum; *atque municipium* Nata.

PHILIPPUS II Hiſpaniarum Rex, conſilio *Ioan. Baptiſtæ Antonelli*, quod ſupra inſeruimus intellecto, & maturè cum Præſide & Senatoribus ſupremi Conſilii Indici in Hiſpaniis ponderato, tandem ſibi perſuaderi paſſus eſt ut *Nombre de Dios* penitus derelicto, aliud ſui nominis oppidum ad *Portum Belum* conderetur. Antonellus itaque decreto Regis accepto, pomœria urbis deſignavit, & arcem unam communivit; & jam locum alteri ceperat è regione portus, quum *Franciſcus Dracus* cum claſſe ſua, poſt oppidum *Nombre de Dios* captum atque direptum, hunc portum adiret & haud longe ab illo fato fungeretur. Qui res ab ipſo poſtrema hac expeditione geſtas in commentarios retulit, teſtatur hunc portum tam majoribus quàm minoribus navigiis opportuniſſimum eſſe, atque adeo omnes hujus Continentis portus & ſtationes plurimum anteire: Vix octo aut decem ædes ibidem tum erant conſtructæ, præter majorem unam quæ Præfecto ſtruebatur, & arcis munitiſſimæ fundamenta jam moliri cæpta è tranſverſis trabibus, ſaxiſque & terreno vallo: opus in ſpeciem magnificum & ſi perficeretur validum adverſus hoſtiles incurſus munimentum futurum: hæc prima naſcenti urbi calamitas ab Anglis obtigit, opera pene disjecta. Nihilo tamen ſegnius poſt Anglorum diſceſſum, oppidum & caſtella perfecta; profuitque illi *Nombre de Dios* excidium, incolis illius haud invito commigrantibus: quo factum eſt ut oppidum *S. Philippi* ſtatim & ædium multitudine & civium frequentia creſceret.

Anno

Anno autem cIↄ Iↄ ci oppidum hoc denuo ab Anglis interceptum fuit in hunc modum. *Wilhelmus Parkerus* cum duabus onerariis & una celoce, quibus ducenti qua milites qua nautæ vehebantur, ex Anglia profectus, ſub Inſula *de los Baſtimentos* aliquandiu in anchoris ſubſtitit, & poſtquam centum quinquaginta milites duabus liburnicis & totidem cymbis impoſuiſſet, noctu ſubluni portum eſt invectus, quumq; ad majus caſtellum, cui *S. Philippi* nomen, veniſſet & ab excubitoribus interrogaretur unde veniret, reſpondit à *Cartagena*, deinde anchoris jactis diem operiri juſſus, paruit; ſed paulo poſt cum duabus cymbis, excubitoribus oppoſiti caſtelli, cui nomen *S. Iago*, nequicquam inclamantibus, recta contendit ad oppidum & tantum triginta militibus delectis comitatus, ſuburbanum quod vocant *Trianam*, ex improviſo cepit atque incendit; inde feſtinanter ad oppidum movens & recta ad Regis Gazophylacium contendens, in aliquot milites & duo ænea tormenta impegit, quibus fortiter repulſis & tormentorum compos factus, ſuos qui commodum cum liburnicis appulerant ſuſcepit: Præfectus oppidi *Petrus Melendes* interea, ſexaginta ſuorum coactis, quum Anglos ponte, qui ipſis neceſſario tranſeundus erat, omni opera arcere niteretur, duobus vulneribus acceptis in vicinam domum ſe recipere compellitur, & mox poſt anceps certamen capitur: dein Angli, Regii Gazophylacii compotes facti, tantum novem aut decem ducatorum millia in illo invenerunt; nam paulo ante centum & viginti millia ducatorum, cum duabus liburnicis Cartagenam fuerunt miſſa. Oppido autem interdiu ſpoliato, noctu rurſus ad naves ſuas ſe receperunt, nullo alio damno oppido illato, neque ullum inſigne damnum in regreſſu ab arcibus paſſi. Teſtantur illi, duo jam tum templa in oppido fuiſſe conſtructa, ſex ſeptemve plateas ædibus utrimque ſubſtructas, & plures Mechanicorum & inſtitorum officinas. Caſtellum *S. Philippi* ad orientale portûs latus ſitum eſt, in quo triginta quinque majora tormenta erant & quinquaginta præſidiarii, è regione autem illius Caſtellum *S. Iacobi*; duo inſuper minora juxta oppidum. In oppido denique atque caſtellis haud ſupra ducentos quinquaginta erant præſidiarii milites & unum oppidanorum vexillum. Atque ea tum oppidi atque arcium facies fuit. Poſtilla adhuc majus & munitius caſtellum conditum fuit, inter arcem *S. Iacobi* & oppidum, ad occidentale ſinus latus, quod quadraginta tormentis majoribus inſtructum volunt, quæ triplici ordine digeſta. Sinui denique, qui patentiſſimus, in alto objacent duæ parvæ inſulæ, una, quæ minima, haud longè ab angulo occidentali & arce *S. Iacobi*, altera juxta angulum occidentalem & è regione *S. Philippi*. Merces omnes ab hoc oppido duabus viis tranſportantur ad oppidum *Panamam*, una terreſtri, quæ longe expeditior & facilior quam à *Nombre de Dios*: altera maritima, primum ad *Chagres* fluminis oſtium, quod hinc abeſt leucas tredecim, deinde adverſo flumine, eo quem ſupra deſcripſimus modo; exit & alter amniculus in mare duabus ab arce *S. Iacobi* leucis verſus occidentem, ad cujus latus orientale exiguum munimentum ſtruxerunt; uti & ad ripam orientalem *Chagres* juxta oſtium.

Tertium hujus Præfecturæ oppidum appellatur *S. Iago de Nata* & ſimpliciter *Nata*; Nata. ſitum eſt autem ad mare Meridionale, triginta à Panama leucis verſus occidentem. Ager illius fertilis atque planus, peramœnus; clauditur ad ſeptentriones *Vrracæ* ſive *Veraguæ* montibus.

Ab hoc oppido verſus Euro auſtrum jacet provincia *Paris*, cujus regulum *Cutatiram* multa hoſtilia quondam in Hiſpanos fuiſſe auſum, ſupra monuimus. Paris. Cap. 1.

Cap. VII.

Flumina & littora hujus Præfecturæ Panamenſis, *& præſertim fluvius* Chagre.

PRincipalis hujus Præfecturæ fluvius ad mare Septentrionale, barbaris quidem *Chagre*, Hiſpanis autem dicitur *Rio de Lagartos*, id eſt, Crocodilorum Chagre. fluvius: qui novem gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum deſcendit in mare, octodecim quidem ab oppido *Nombre de Dios* leucis, tredecim vero ab oppido *Porto Belo*. Ab oſtio hujus fluminis ad *Ventam de Cruzes* octodecim

numerantur leucæ, ad quem locum omnes merces Europeæ ſubvehuntur, & mulis deinde atque jumentis impoſitæ, quinque leucarum itinere ad Panamam. Flumen hoc valde augetur atque intumeſcit hibernis menſibus. Cymbæ quibus hic utuntur, pleræque ſunt, ut loquuntur nautæ, ſedecim Doliorum, & trecenta circiter quintalia (ut Hiſpani uſurpant) vehere aptæ. Æſtivis vero menſibus alveus illius exilior eſt, ita ut illis menſibus ſubvectio multo difficilior ſit, multiſque locis onera ſua cogantur exponere & nonniſi magno molimine & multorum hominum opera funibus ſubducantur. Quare *Ioan. Baptiſta Antonellus*, cujus jam aliquoties meminimus, Regi Hiſpaniarum author fuit, ut caſtellum juxta fluminis oſtium communiri juberet, & minores cymbas fabricari, quibus merces æſtate ſubveherentur, majoribus in hyemem ſepoſitis: & ſemitam ad alteram fluminis ripam duci, qua expeditius cymbæ funibus ſubduci poſſent: neque difficile factu autumat, ripis fere planis & æquali ſolo; tantummodo arbores quæ utrimque incumbunt & nonnumquam tranſverſim incidentes navigationem remorantur & impediunt, cædantur. Oſtium fluminis, ad lapidis jactum, amplum, ſatiſque altum, atque adverſus *briſas* (ita vocant ventos orientales, qui hic fere jugiter perflant) nonnihil munitum. Flumen denique piſcoſum, & juxta ripas, ob ſylvarum denſitatem, multarum ferarum opportuna habetur venatio.

Chepo. Ad mare Meridionale habet hæc Præfectura fluvium *Chepo*, juxta cujus fontes ſuperiori ſeculo multum auri erutum volunt. Ab oppido autem Panama verſus ortum exit in Auſtralem Oceanum fluvius *de las Balſas*, uti vocatur ab Hiſpanis, ad cujus ripas materies fabricandis navibus peridonea reperitur; nam quum *Vaſcus Nonnius de Balboa* detecto tum primum mari Auſtrali, vicinas regiones luſtrare in animum induxiſſet & cymbas aliquot *Aclæ* præparaſſet, magnoque labore ad hunc fluvium terreſtri itinere deduxiſſet (nam inter *Aclam* & mare Auſtrale tantum duas & viginti leucas intereſſe ſcribit *Herrera*) materie omni ſubito à carie corrupta, (quippe locis mari nimium vicinis aut intempeſtive cæſa) voti pene irritus, aliam lignorum copiam hic cædere aggreſſus, feliciter quod cœperat perfecit & cum aliquot cymbis ſecundo flumine penetravit in mare Auſtrale. Fluvius autem hic certis anni tempeſtatibus in tantam excreſcit altitudinem, ut ripis ſuperatis, vicinos agros longe lateque inundet; id ejuſdem *Balboæ* diſcrimine obſervatum, cui tam inopinato hæc inundatio ſupervenit ut pene opprimeretur, nam cum ſuis in arbores eniti coactus vix evaſit exitium: utili in futurum documento, quibus forte ſimile quid in hoc fluvio moliri propoſitum fuerit. Sunt & alii hujus Præfecturæ fluvii ad utrumque mare, de quibus nihil illuſtre accepimus, itaque mox in ora maritima deſcribenda eorumdem opportune ſuis locis recordabimur.

Cap. VIII.

Flumen Darien *& Provincia ejuſdem nominis.*

PAnamenſem atque *Cartaginenſem* præfecturas dividit Fretum *Vrabæ*, in hujus intimum gremium, ad latus fretum ingredientibus dextrum ſive Occidentale, deſcendit *Darien*, limpidiſſimum flumen & potari pulcherrimum: à quo Provincia *Dariena* nomen accepit. Hæc & cœli temperie & ſoli fœcunditate præſertim, à multis commendatur; melones enim & ſimiles fructus, intra vigeſimum diem ex quo ſatæ fuerint plantæ, & germinare & fructus ſuos ad perfectam maturitatem perducere: vites quoque atque fructiferas arbores celerrime & exquiſite fructus ferre atque maturare non minus quam in Hiſpaniola atque aliis inſulis. Inter fructiferas arbores celebrantur à *Gomara*: Mameia. *Mameya* formoſa arbor, lætè virens, ramoſa, frondibus magis longis quam latis, materie poroſa, fructu grandi & rotundo, ſapore mali Perſici, carne autem Cotonei; tres quatuorve nucleos habens conjunctos valde amaros. Guanabo. *Guanabo* alta & ſpecioſa arbor, fructu grandi inſtar capitis humani, cortice tenui & ſquamis quibuſdam planis & levibus tecto, carne intus candida, tenera & ſuavi, quæque inſtar cremoris lactis in ore diſſolvatur, ſed pluribus nucleis permixta, qui dentes & gingivas offendunt: refrigerat, ideoq; æſtate fervente jucundiſſimè ſumitur. Hovo. *Hovo* (aliis *Horio*) grandis arbor, viridis, cujus umbram ſalubrem eſſe

eſſe volunt, quare tam Hiſpani quam indigenæ ſub illa ſomnum ſolent capere: è germinibus illius aqua extrahitur admodum odorata: è cortice autem balnea parant ad poros cutis aperiendos & pedes abluendos atque fovendos (laſſitudinem enim auferre dicitur;) è radice ſi vulneretur copioſus emanat liquor, potari optimus: Fructus illius fuſcus eſt, exiguus & pauxilla carne circa nucleum plane oſſeum, ſalubris & facilis concoctu, ſed gingivis ob nuclei ſcabritiem inimicus. *Guayava* denique arbor modicæ magnitudinis (inquit Monardes) ramis ſparſis, folio laurino, ſed craſſiore & latiore (inquit *Gomara*) flore candido, aureæ mali floribus ſimili, aliquanto tamen majori & odorato; fructus malis noſtris eſt ſimilis, initio viridis & poſt maturitatem aureus, pulpa interiore alba, interdum etiam roſea. Diviſus quatuor concavitates ſive vaſcula habere conſpicitur, in quibus ſemina reconduntur, meſpilorum ſeminibus ſimilia, duriſſima, colore fuſco, omnino oſſea, medullæ & ſaporis expertia: Fructus edi ſolet prius demto cortice; palato gratus, ſalubris & concoctu facilis: frigidus eſſe videtur, propterea datur febricitantibus aſſus: viridis adſtringit, ſed maturus ſolvit alvum. De hiſce arboribus alibi quoque diximus, ſed non inutile putavimus earumdem hic meminiſſe & *Gomaram* de illis audire.

Feræ hujus provinciæ ſunt Leones, ſed Africanis & minores & minus feroces: Leones pardi Africanis plane ſimiles, hominibus tamen minus infeſti quam Tigres; Cati ſylveſtres grandes & velociſſimi: cervi Europæis ſimiles, ſed minores neque tam veloces: Vulpeculæ ſed minores & diverſi coloris: damæ modicis mulis magnitudine pares ſine cornibus; cuniculi, lepores: Simii & Cercopitheci tam multi & tam varii ut pene ſuperet fidem: aliaq; animantia & feræ: Unum denique animal commemorat *Petrus Martyr* ob peregrinam formam; eſt enim magnitudine Tauri, proboſcide & auribus Elephanti, ſed neque tam grandibus neq; tam patulis, pedibus & ungulis equi.

Avium elegantiſſimarum ingens hîc copia, ſed vix ullæ à cæteris Americanis diverſæ, præterquam quod ad ripas magni fluminis de quo ſtatim dicemus, pavones quidam reperiantur, mira colorum varietate & ab Europæis nonnihil diverſi. Infeſtantur autem incolæ à quibuſdam veſpertilionibus, quorum morſus admodum ſunt venenati, plurimumq; ſanguinis effluit è vulneribus, ita ut difficulter ſiſti poſſit, niſi aut aqua marina abluantur, aut calente cinere foveantur, quæ remedia tandem huic malo ſunt inventa: nec deſunt hîc angues & ſerpentes, aliaque noxia & venenoſa animantia.

Porro *Petrus Martyr* in decadibus ſuis Oceanicis ſcribit; Sinum *Vrabæ* latum eſſe millia paſſuum quatuor & viginti, quòque magis ſe recipit intra continentem, eò magis anguſtari; in illum autem diverſa flumina deſcendere: Eorum autem unum, quod vocant *Darien*, parvo lentoque alveo fluere, ita ut tantum uniligneis barbarorum lintribus ferendis ſit idoneum. In eundem ſinum exit & alterum flumen, quod Hiſpani ab amplitudine appellarunt *Rio grande*, æſtuarium enim illius duas leucas patere ſcribunt, plurimoſque alere crocodilos; crebro etiam ſuperatis ripis omnibus in vicinos agros reſtagnare, multaſque paludes & uliginoſa ſtagna poſt ſe relinquere.

Tertium flumen quod in hunc ſinum ſe exonerat, appellatur à Martyre *Dabayba* & Dabayba.
S. Ioannis; id ab oriente ex altiſſimis *Dabaybæ* montibus devolutum, egreditur in Urabæ ſinum per ſeptem oſtia, uti Nilus in Ægypto, quæ tria milliaria occupant quorum præcipuum nonnullibi quadraginta aut quinquaginta orgyas eſt altum. Diſtat à flumine Darienis verſus ortum leuc. novem. Hiſpani præter jam dicta & aliorum hic meminerunt, quorum unum quidem à retibus ibidem inventis *Rio de las Redes* vocant; alterum autem *de la Trepadera*, quem *Andreas de Garabito* anno cIↃ IↃ XIIII aſcēdit ad montana uſq;, ubi & alium amnem offendit, qui diverſo curſu ad mare Auſtrale properabat. His accedit amnis quem Hiſpani dixerunt *de las Annades*, ubi quondam municipium condere cæperant, ſeptem leucis à *Dariene*, in regione peramœna & fertili, ad fines provinciæ *Ceracanæ* cui tum Regulus præerat *Abraïben*: cujus ſubditi tuguria ſua in faſtigiis arborum inſtruxerant. Meminit denique *Herrera* fluvii *Corobari* haud longe à Dariene, qui permeat agros fertiles, & cœlo perquam ſalubri, ita ut Darienis incolæ ægros ſuos huc traducerent ad ſanitatem recuperandam.

Cap. IX.

Oppida quæ Hiſpani quondam habuerunt in Provincia Dariena.

SUPERIORE capite Provinciam *Darienam* & flumina quæ deſcendunt in Urabæ Fretum utcunque deſcripſimus: licet autem hodie Provincia illa pene deſerta nulliſque Hiſpanorum oppidis culta ſit, tamen non abs re fuerit, paucis hic commemorare, quæ loca olim ab Hiſpanis hîc culta, quæque oppida variis temporibus in hac provincia condita rurſuſque derelicta fuerint.

In Præfatione ad hunc librum præmonuimus, hanc continentis partem quæ hodieque vulgari nomine ab Hiſpanis appellatur *Terra Ferme*, olim in duas veluti provincias fuiſſe diviſam, Caſtellam auream & Novam Andaluziam; quarum illa occidentalem partem earum provinciarum quæ Urabæ Freto adjacent, atq; adeo Darienam complectebatur, hæc vero earumdem partem orientalem. Porro *Alfonſus Oieda* quum animum adjeciſſet ad novam Andaluziam ſubjugandam, tum vix leviter cognitam, illius præfecturam ſpeciali impetraverat diplomate, (ſub certis conditionibus) ab Hiſpaniarum Rege anno cIↄ Iↄ VIII. Itaque navibus aliquot, milite & omni genere commeatus inſtructis ex Hiſpaniola ſolvens, attigit Continentem illa parte ubi nunc *Cartagena* condita cernitur; & exſcenſione facta, aquandi & lignandi cauſa; inſignem cladem paſſus eſt à bellicoſis & præferocibus barbaris, qui ibidem incolebant, ſeptuaginta ſuorum deſideratis; quam tamen *Niqueſa* cum ſuis commodum ſuperveniens, longe pluribus barbarorum cæſis, egregie eſt ultus. Verumtamen hic nequaquam ſibi conſiſtendum ratus, curſum flexit ad *Urabæ* fretum, flumen *Darienis* inveſtigans, (de cujus opulentia incertus rumor jam percrebuerat;) in quo quærendo quum aliquandiu fruſtra operam ſumſiſſet, claſſem vortit ad orientale Freti Urabæ latus, & exſcenſione facta, condidit ibidem municipium *S. Sebaſtiani*, in agro perfœcundo & omnibus rebus ad vitam neceſſariis affluente, ut *Herrera* teſtatur. Indigenis autem advenarum cito pertæſis, quum Hiſpani annonæ penuria laborare cæpiſſent, & barbarorum inſidiis atque armis premerentur, municipium vix inchoatum, rurſus deſeruit *Oieda*, ſuoſque omnium rerum indigos deſtituit: quare & illi qui relicti fuerant, conſcenſis liburnicis, quæ ſupererant, in diverſa diſceſſerunt: Sed jam longius provectis ſupervenit *Enciſus* cum annona & ſupplemento militum, eoſq; pene invitos ſecum reduxit, applicuitque ad freti Urabenſis latus occidentale.

Hic jam fluminis Darienis, quod *Oieda* fruſtra quæſiverat, forte fortuna compos factus, ad ripam illius molitus eſt oppidulum, quod *S. Mariæ Antiquæ* nomini dedicavit anno à Chriſto nato cIↄ Iↄ X. Id paucis annis colonorum numero & opibus ita crevit ut anno cIↄ Iↄ XIV Epiſcopatu inſigniretur. Verumtamen quum *Vaſcus Nonnius Balboa* non minori induſtria quam labore aditum ad mare Auſtrale, (de quo prius obſcura fama barbarorum indicio ad Hiſpanos pervenerat) aperuiſſet; & ſpes opulentiæ, quam tot tantæque provinciæ ad illum Oceanum ſitæ haud fruſtra promittebant, cujuſque non levia jam indicia perceperant, indies creſceret; oppidum hoc, ab Petreio Davila, quem Rex Hiſpaniarum huic provinciæ præfecerat, fuit deſertum, & incolæ ad Panamenſe oppidum traducti anno cIↄ Iↄ XIX: cauſam facti ſui prætexit inſalubritatem aëris, quæ plures Hiſpanos in urbe hac brevi tempore abſtulerat. Etenim, ut *Petrus Martyr* teſtatur, oppidulum hoc conſtructum erat ad fluminis ripam, in humili planicie & altiſſimis montibus undiquaque cincto, quo fiebat ut aër hîc & ſupra modum humidus & fervidus eſſet: quibus accedebant crebræ paludes & uliginoſa ſtagna, gravem & tetrum odorem exhalantia.

Addit *Gomara* tam hic quam in reliquis hujus continentis provinciis, Hiſpanis vulgo accidere, ut colorem fuſcum & ſubcroceum, ad modum eorum qui ictere laborant, contrahant: fieri (inquit) poteſt ut ingens auri appetitus, quem pectore geſtant concluſum, ſeſe hoc indicio prodat & cutem ipſis hoc aureo colore inficiat: ſuorum avaritiam ſugillans & facetè ridens.

Sed longe maximum incommodum patiebantur oppidani, à ſubvectionum difficultate pariter atque caritate, quia oppidum longiſſime aberat ab Oceano. Has

ergo

ergo ob cauſas oppidum minus commodum fuit judicatum,licet provincia ipſa haud dubio amœna eſſet & valetudini incolarum non inimica.

Aliud præterea municipium à militibus *Avilæ* conditum fuerat in provincia *Pocoroſæ* ad ripam fluvii *S. Crucis*, uti appellabant Hiſpani; quod mox à barbaris ex improviſo captum fuit & funditus deletum.

Anno quoque cIↃ IↃ XV ab eodem *Avila*, colonia fuit deducta ad portum *Aclæ*, viginti leucis ab oppido *S. Mariæ* antiquæ verſus Corum: (ut *Pet. Martyr* annotavit) juxta littus maris; qui portus quidem ſatis altus, ſed aditu difficilior, ob celerem Oceani fluxum, qui hanc oram radit. Ager hujus oppidi erat montoſus, ſed ſalubrior multo quam Darienis, & auri venarum haud expers creditus.

Inſula quædam hîc objacet Continenti, quam vocant *de Pinos*. Urbs tamen, de qua modo, brevis quoque fuit ævi omniſque illius memoria jam interiiſſet, niſi ſupplicio *Vaſci Nonnii Balboæ* ſignaretur, quem Avila hîc (jure an injuria non ſatis liquet) bene meritum ſane de Regno Hiſpaniarum, ob Maris Auſtralis primam inventionem, capite plectendum curavit.

Poſtilla Provincia *Dariena* atque adeo totum occidentale *Vrabæ* latus, inde à *Nombre de Dios* ad intimum Sinus hujus gremium, vaſtum atque incultum manſit, nec ulla hodie hic oppida aut pagi Hiſpanorum viſuntur: de orientali ejuſdem Freti latere poſtea dicemus, quia hodie ad præfecturam Cartaginenſem pertinet.

Cap. X.

Ora maritima, promontoria, ſinus, flumina, portus præfecturæ Panamenſis.

QUUM Præfectura hæc inter duo maria ſita ſit, utrimque oram illius deſcribemus. Ad mare Septentrionale ita ſe habet: A *Nombre de Dios* verſus occidentem littus legendo, ad *Portum Belum* leucæ numerantur quinque: è regione hujus in alto mari ſitæ ſunt inſulæ quas vocant *las Miras*, itemque Inſula *de los Baſtimentos*; quam Columbus hoc nomine inſignivit, quod cum caſu ad illam appelleret, aliquot arva Mayzio ſata hîc inveniſſet, atque ita annonæ (id enim vox Baſtimentos ſonat Hiſpanis) compos eſſet factus. Portui Belo unius leucæ intervallo proximus eſt portus *Bonaventuræ* à quo ad portum *Gallinarum* tres numerantur leucæ; & ab hoc ad portum *Locuſtarum* totidem; quem ſequitur exiguus portus vulgo *el Portete* & denique fluvius *Chagre* de quo jam ante diximus: Hactenus ora hujus Præfecturæ à *Nombre de Dios* ad occidentem pertinet. Ab eodem oppido verſus orientem tendendo, fluvius *Sardinilla* abeſt leucas duas; *Sardina* autem quatuor; & porro fluvius *Mayzii* & *Colubrorum*: à quo ad amnem *Franciſcæ* (cujus *Antonellus* cap.III. ſupra fecit mentionem in accurata urbis Panamenſis luſtratione) & ad Freti Urabenſis exordium, octo deſignantur leucæ. Ad oræ porro converſionem verſus Auſtrum, eminent montes *S. Blaſii*, quibus objacet inſula, quam vocant *Captivam*: hanc excipit altera vulgo *Comagre* dicta; ad Continentem autem ſequitur portus *Aclæ*, cui è regione Inſula *Pinorum* reſpondet: & denique portus *Nilcos* haud longe ab oſtio *Darienis* fluvii, qui præfecturam hanc à Cartaginenſi dirimit: atque hîc deſinit *Vrabæ* fretum, unde & *la Culata*, (quaſi dicas gremium Sinus Urabenſis) Hiſpanis appellatur. Sinus enim qui proprie Urabæ Fretum ab Hiſpanis dicitur, prout traditum invenio ab *Herrera*, ſumit initium octo gradibus ab Æquatore verſus Arctum & irrumpit quatuordecim leucas intra Continentem, in ipſo quidem aditu ſex leucas latus, mox quinque & denique quatuor: quinque autem leuc. ab oſtio illius verſus Auſtrum oppidum S. Mariæ antiquæ vel Darienis, de quo ſupra diximus, fuit conditum: Atque hæc de orâ ad mare Septentrionale.

Ora porro præfecturæ Panamenſis ad mare Auſtrale, in hunc modum deſcribitur ab Hiſpanis. Ab oppido Panama verſus occidentem primo occurrit ſinus ſive Fretum *Paritæ* ſive *Paris*, ad quod Nata oppidulum jacet: Dein cornu ſive promontorium *Chamæ*, ubi Regulus Chiapes rerum potiebatur, quum Balboa primum hoc mare luſtraret. Ad ortum vero ab eodem oppido primo occurrit fluvius *Coquira*

ſive *Chepo*, dein fluvius *Ratium* ſive *de las balſas*: Atque hinc ora ſeſe flectente verſus Auſtrum, occurrit Fretum *S. Michaëlis*, in cujus intimum ſinum fluvius *de Congos* ſeſe exonerat. Fretum autem hoc valde fluctuoſum eſt, multis inſulis, crebris vadis, ſcopulis, brevibus impeditum, ita ut ingentes interdum fluctus tollat, & quidem potiſſimum menſibus Septemb. Octob. Novemb. & Decemb. valide concitatur, neque tum ſine diſcrimine aditur, ut Hiſpani aliquoties cum ſuo damno ſunt experti: Latus hujus auſtrale claudit promontorium *de Pinnas* & pone illud aditur portus ejuſdem nominis: quem quinquaginta leucas ab oppido Panama abeſſe ſcribit *Herrera*: Viginti autem per tranſverſum ab Urabæ freto: neque enim major eſſe dicitur hîc Continentis latitudo. Omnis autem hæc Regio montibus & ſcopulis aſpera eſt & longe maxima anni parte continuo perpetitur graviſſimos nimbos non tantum in terra ſed & in vicino mari, decem atque adeo viginti à Continenti leucis. Solum denique tam denſis ſylvis paſſim obſitum eſt, ut pene invium hominibus judicetur.

Haud longe hinc amnis in Oceanum devolvitur, quem barbari appellabant Beru, à quo Peruviæ nomen quæſitum autumant: abeſt autem *Pinnarum* portus ab Æquatore ſex gradibus & quindecim ſcrupulis, ut prodit *Herrera*.

Ab hoc portu ad alterum quem vocant *Quemado* viginti & quinque numerantur leucæ, quinque gradibus ab Æquatore verſus Arctum: à quo denique ad Promontorium quod vocant *de Corientes* paucæ ſuperſunt leucæ. Ignobilis hæc eſt ora & denſiſſimis nemoribus *Manglarium* ad ipſum littus veſtita, perpetuis nimbis & fulguribus obnoxia & multorum Hiſpanorum exitiò infamis; nam *Pizarrus* prima in Peruviam expeditione, multos ſuorum partim morbis, partim inedia, aliiſque incommodis hîc amiſit, & animum haud dubio deſpondiſſet, niſi divitiarum immodicus appetitus, nihil non agere & perpeti illum perpuliſſet.

Cap. XI.

Inſulæ aliquot quæ præfecturæ Panamenſi *adjacent & præſertim illæ quæ ab unionibus nomen & famam meruerunt.*

PRÆFECTURA *Panamenſis* aliquot Inſulas habet objectas in utroque mari, quarum quidem obiter ſuperiori capite meminimus, hîc autem paulo plenius eas ſumus deſcripturi. In mari quidem Septentrionali objacent illi, primum

Captivæ. inſulæ *Captivæ* ut vocant, humiles & æquori pene æquales, arenoſo littore, interius denſis arborum lucis veſtitæ, in ambitu ſcopulis & vadorum brevibus contaminatæ, itaque cavendæ aut cautè admodum adeundæ. Deinde haud procul ab iſtis obverſantur continenti Inſulæ *Comagre*, non minus ob humilitatem navigantibus inſidioſæ. Ab his verſus Eurum haud longo intervallo diſtat Inſula *Pinorum*, alto ſolo & ambitu pene orbiculari, tam exiguo ſpacio à Continente diſcreta, ut eminus ex Alto proſpicientibus pars illius eſſe videatur, neque antequam propius acceſſeris, dignoſcatur. Plures aliæ minores hîc ſparſæ: de quibus non eſt operæ præcium verba facere, neque ſuperiorum ſane meminiſſem, niſi iis qui à Cartagena Portum Belum petunt, ſolemne eſſet ad aliquam harum curſum inſtituere, & ſecundum earum conſpectum, itineris ſui rationes aut ſequi aut mutare.

Coma-gre. Pinos.

Taboga. In mari Auſtrali ad hanc præfecturam pertinent: *Taboga* inſula, quinque ab oppido *Panama* leucis; & duodecim ab hac Inſulæ *Vnionum* vulgo *de las Perlas*, quæ à copia Unionum, quæ olim in vicino Oceano fuerunt inventæ nomen meruerunt: ſunt autem duæ quidem paulo majores, quarum una *del Rio*, altera *Tararequi* vulgo appellantur, & viginti aut plures aliæ minores, & magis ſcopuli quam Inſulæ: Quot gradibus ab Æquatore diſtent, non ſatis convenit inter Hiſpanos ſcriptores, & *Herrera* prodit inter ſe diſſentanea: *Petrus de Cieca* in Peruviæ Chronico, octo gradibus ab Æquatore dirimit verſus Arctum: *Gomara* promovet Tararequi ad quintum gradum ab Æquatore. In hiſce Inſulis olim magna fuit ferarum copia, præſertim cervorum, cuniculorum & ſimilium; nec ulla tellus benignius incolis ſuis Mayzium & Yucam in cibum & potum ſufficiebat: major imprimis Inſula omnigenis abundabat

de las Perlas.

fructibus:

fructibus: vicinoque mari multimodam optimorum piſcium copiam large ſubminiſtrante, nihil hîc ad victum neceſſarium deerat; inter arbores autem quas tellus ſponte nutriebat, quædam erant odoriferæ; quæ res primis illis temporibus, nonnullis impoſuit, qui aromatiferas inſulas haud longe hinc abeſſe ſuſpicati ſunt, quia hæ inſulæ tam gratum odorem de ſe ſpargebant. Nihil porro has Inſulas ita commendavit, quàm unionum quas vicinum mare ferebat, magnitudo atque perfectio; nam quum *Margarita* atque *Cubagua*, plerumque uniones daret, quarum maximæ octo ceratia penderent, quæ & raro rotundæ & ſine vitio naſcerentur, hîc nonnumquam inventæ quæ XXVII atque adeo XXXI caratia penderent, tam rotundæ, quam ovales aut pyri forma, & quod mirabile, tanta formæ perfectione atque ſplendoris elegantia ut omnes meritò in admirationem raperent. Porro hæ inſulæ olim fuerunt frequentiſſimæ: Indigenæ quippe natandi atque urinandi admodum periti, quum placidum ſtaret mare, lintribus ſuis ad unionum capturam exibant, earumque conchas à petris magno labore & diſcrimine avellebant; arcte enim ſibi invicem & firmiter petris ſolent adhærere: & majores in profundiori mari reperiuntur, & ad minimum decem orgyas alto: nam & ipſi unionibus delectabantur, licet & eximendi è conchis induſtria & perforandi ſcientia deſtituerentur, quo fiebat ut eas plerumque corrumperent & candorem illum nativum atque ſplendorem quo maxime commendantur, detererent. Hodie autem Indigenæ illi ad unum omnes interierunt, quique hodie has inſulas poſſident, Nigritis aut Nicaraguanis ſervitiis utuntur, tum ad agros colendos tum ad pecora paſcenda; qui nunc unicus illorum eſt quæſtus, poſtquam Hiſpanorum aviditas nullas margaritiferas conchas hîc reliquas fecit. *Richardus Hawkinus* Anglus unam harum inſularum appellat *Pachetam*, Pacheta.
exiguo freto à Continente disjunctam, à Panama verſus Auſtrum leucas octo aut decem: quæ rotunda ſit atque edita, ſed non ſupra leucam ambitu complexa; fœcundiſſima tamen, ita ut Domini ſui induſtriæ atque labori benigniſſimè reſpondeat, qui magnam fructuum copiam, inſigni emolumento, Panamam venum traducit.

CAP. XII.

Expeditio Joannis Oxenhami Angli *in mare Meridionale per provinciam* Panamenſem, *imprimis memorabilis.*

ANTEQUAM deſcriptioni Præfecturæ *Panamenſis* finem imponam, nequaquam prætereundam puto memorabilem Angli cujuſdam expeditionẽ, quam *Lupus Vazius* in hunc modum deſcripſit: *Ioannes Oxenhamus* Anglus (inquit) expeditionis *Franciſci Draci* anno CIϽ IϽ LXXII & opulentiſſimæ prædæ quam nactus fuerat, fama excitatus, idem aggredi conſtituit: Itaque parata circiter centum & viginti doliorum navi, ſeptuaginta navales ſocios eidem impoſuit, & proſpera navigatione uſus ad Septentrionalem Præfecturæ *Panamenſis* plagam applicuit; poſtquam autem cum Nigritis qui illas partes incolebant, contuliſſet & omnem auri atque argenti gazam à Panama ad mare Septentrionale à militibus conduci intelligeret, tale quid aggreditur, quale nemo ante ipſum tentare fuerat auſus; nam exſcenſione cum ſuis facta, ubi *Dracus* ſuperioribus annis exſcenderat, primò navem ſubduxit & in vado conſtituit, dein majoribus tormentis in terram expoſitis & viridi ceſpite tectis, annonam omnem atque apparatum bellicum è navi exhauſit, vacuamque, qua potuit, arboribus ſtudioſe texit: Tum cum omnibus ſuis duabus campeſtribus machinis, largo commeatu, aliiſque rebus neceſſariis, intra continentem movit, *Simaronibus* viam commonſtrantibus: porro duodecim leucarum itinere abſoluto, ad fluvium pervenit, qui in mare auſtrale ſeſe exonerat: atque hic materie opportune cæſa, liburnicam fabricavit, quadraginta quinque pedes longam; & ſecundo flumine in mare Auſtrale devectus, ab eiſdem Nigritis ad unam Inſularum *de las Perlas* eſt deductus; quumque ibidem decem dies in inſidiis latuiſſet, celocem è Peruvia venientem nullo negotio cepit, in qua ſexaginta millia aureorum invenit, præter magnam vini & farinæ copiam; & mox alteram quæ è Limano portu ſolverat, quæ argenti maſſas ferebat pretio centum mill. pezorum; denique auro omni atque argento in

lyburni-

lyburnicam ſuam accepto, poſtquam aliquandiu unionibus ab Inſulanis extorquendis vacaſſet, ad flumen quod deſcenderat remeare inſtitit, & haud longe ab oſtio illius, celoces illas, quas ceperat, dimiſit, magno certe errore, uti poſtea patuit. Nigritæ enim qui Inſulam incolunt, ſtatim poſt Anglorum diſceſſum unilignéis ſuis lintribus Panamam contenderunt, & præfectum, eorum quæ geſta fuerant, fecerunt certiorem. Ille autem, abſque mora, quatuor liburnicas intra biduum inſtruxit, eiſque centum milites impoſuit & idoneum Nigritarum numerum ad remigium faciendum: cum quibus *Ioannes de Ortega* tribunus militum, ad inſulas unionum profectus, ut de Anglorum itinere certiora indagaret, dudum fruſtra fuit, donec in celoces ab Anglis dimiſſas incidit; à nautis itaque edoctus Anglos cum liburnica ſua flumen ingreſſos, quantocius curſum eodem convertit; ubi autem ad flumen eſt perventum, non minus hæſitarunt, nam quum tribus oſtiis in Oceanum deſcendat, quod potiſſimum ſubirent aliquandiu deliberarunt, ſed & hic Anglorum imprudentia ambiguitatem omnem ipſis exemit, plumis, quas gallinis detraxerant, minimum fluvii alveum deſcendentibus: hunc itaque ingreſſi, quarto demum die liburnicam Anglorum in ſicco deſtitutam invenerunt, omnibus rebus jam exhauſtam, præterquam annona, & à ſex tantummodo cuſtoditam, quorum unus ſtatim ab Hiſpanis cæſus, reliqui fuga ſe ſubduxerunt. Dein *Ortega* militibus octuaginta in terram expoſitis, ad interiora contendit, non ante quieſcere certus, quam prædam tam opulentam recuperaſſet: vix dimidiam leucam à ripa profectus, tuguriolum ramis arborum contextum invenit, in quo Anglus gazam omnem abſconderat, quam tam inopinato ſucceſſu lætus quantocius ad liburnicas ſuas reduxit, nihil ultra de Anglis perſequendis ſollicitus. Veruntamen Anglorum dux, à militibus ſuis, qui effugerant, de adventu Hiſpanorum certior factus, quam ocyſſime cum omnibus ſuis & ducentis Nigritis ad Hiſpanos contendit, atque in eos præferociter fecit impetum: qui vicino nemore tecti atque defenſi, Anglos fuderunt, undecim illorum cæſis & quinque captis. Ex hiſce captivis demum cognitum, cur Anglus hic tam longam moram feciſſet cum tanta præda; male namque ipſi cum ſuis comitibus conveniſſe, qui ſtatim prædam dividi & unumquemque ſuam partem accipere importune flagitaverant & alia conditione gazam ad navem bajulare pertinaciter detrectaverant, ideoque in mediterranea ipſum profectũ fuiſſe ut Nigritas conduceret qui onus ſubirent. Ab iiſdem & propalatum, ubi navem ſuam abſcondiſſet. Hiſpani *Panamam* reverſi rem omnem prout geſta erat ediſſerunt, præfectus autem ad Legatum ſuum in oppido *Nombre de Dios* dat litteras, eumque rerum omnium facit certiorem, qui cum quatuor navibus ad Urabæ fretum provectus, navem & tormenta Anglorum nullo negotio intercepit. Reliqui Angli per nemora & montana diu vagati, quum jam in eo eſſent ut cymbas aliquot fabricarent, quibus navem aliquam in Oceano Septentrionali caperent, atque ita in patriam reverterentur; à centum quinquaginta militibus, quos Peruviæ Prorex ad ipſos indagandos miſerat, ſunt oppreſſi & captivi Panamam deducti, pauciſque adoleſcentulis exceptis, quibus propter ætatem parcitum fuit, omnes ſupremo ſupplicio affecti. Hunc exitum habuit facinus audax & imprimis memorabile, partim ducis imprudentia an avaritia, partim navalium ſociorum inobedientia & importuna tam alieno loco & tempore diſcordia.

Oxenhamus.

CARTAGENA.

CAP. XIII.

Præfecturæ Cartaginenſis *limites, cæli ſolique qualitates, variæ provinciæ.*

PRÆFECTURÆ & provinciæ *Panamenſi* ad orientem proxima eſt Cartaginenſis, quæ nomen à Metropoli ſua accepit: Sita autem eſt ad Oceanum Septentrionalem: patetque in longitudinem quidem inter ortum & occaſum à magno flumine *Magdalenæ* ad fretum *Vrabæ* & flumen *Darienis* leucas octuaginta, in latitudinem autem pene totidem, inter arctum atque meridiem, ab Oceano nimirum

rum Septentrionali ad extremos limites Novi Regni ut vocant Granatenſis; quanquam non deſint qui majorem illi latitudinem tribuant, itinerum rationem ſequentes. Solum utplurimum editum, quodque partim in altos montes & colles aſſurgat, partim in humiles valles ſubſidat, multis ſilvis atque lucis paſſim opacum: Agri præ nimia pluviarum copia fere humidi aut uliginoſi, ita ut ſemina Europæa maligne tollerent, neque triticum ſatis feliciter maturent. In montanis hujus præfecturæ multæ & diverſæ reſinarum gummique ſpecies reperiuntur, quarum nonnullæ gratiſſimum & aromaticum odorem ſpirant; multi præſtantiſſimi liquores & balſama imprimis ſingularis tum odoris tum virtutis; quæ aut arbores ſponte fundunt aut indigenæ ſingulari induſtria extrahunt: piperis quoque oblongi quoddam genus hîc provenit, longe majori acrimonia præditum quam orientale, & odore longe fragantiori & ſapore meliori quàm vulgare piper Braſilienſe ſive Capſicum: Altæ cujuſdam plantæ fructus eſt (inquit Monardes) craſſitudine quidem funiculi, at dimidii pedis longitudine, multis veluti granulis conſtans, circa pediculum oblongum continuo & conjuncto ordine diſpoſitis, plantaginis ſeminis modo; recens viridis eſt, ſole matureſcit atque nigreſcit: Calidum eſt tertio gradu. Videantur ea quæ ſupra diximus in deſcriptione Novæ Hiſpaniæ. Solum caret auri venis, prætér- l.v.c.iv.
quam paucis in locis. Multæ hîc feræ, præſertim tigres, ſerpenteſque & alia noxia atque hominibus juxta & pecoribus infeſta animantia. Indigenæ ferociſſimi erant & imprimis bello ſtrenui, quare & Hiſpanis ſæpe clades intulerunt, præſertim venenatis illis ſagittis, quibus utebantur; ſed pene ad internecionem jam dudum ab Hiſpanis deleti ſunt, ita ut pauciſſimi admodum hodie ſuperſint.

Sub præfectura autem Cartaginenſi complures provinciæ comprehenduntur, ſuis limitibus & nominibus diſtinctæ; ad occidentem quidem ab oppido Cartaginis, *Vraba*, cujus jam ſupra obiter meminimus, utpote *Darieni* conterminæ: hæc provincia, ut *Petrus de Cieca* teſtatur, admodum eſt fertilis & annona omnibuſque ad vitam humanam neceſſariis abundans, quippe cujus ſylvæ abundè ferinam, flumina & vicinum mare piſcium optimorum copiam ſubminiſtrent. Huic vicini ſunt *Abibe* Abibe.
montes, quorum altiſſima & continua pene juga (*Cordilleram* vulgo vocant Hiſpani) ad occidentem vergunt; longitudo illorum ignota, latitudo nonnullis locis viginti leucas occupat, aliis etiam plures, quibuſdam vero pauciores: calles habet peraſperos & equis pene inacceſſos: in montium jugis nulli penitus mortales degunt; ſed in vallibus, quæ plurimæ & patentiſſimæ, olim immenſa barbarorum multitudo incolebat, qui multo auro erant opulenti, quod è torrentibus & amniculis, qui de montibus ad occidentem ſe devolvunt, colligebant. Maximam anni partem in hiſce montibus pluit, arboreſque tam largas guttas in terram ſubjectam deſtillant, ut graminis proventum impediant, & pabulum equis negent: ob eandem cauſam hîc iter permoleſtum eſt, & penitus haud dubio invium eſſet, niſi hîc arbores quædam paſſim reperirentur, fagis noſtratibus haud abſimiles, materie autem molli, ſpongioſa & ſicca, quæque facile ignem poteſt concipere, ita ut iter hac agentes focum nullo negotio inſtruant. Trans montes hoſce verſus auſtrum provincia *Tatabe* jacet, Tatabe.
olim ditiſſimis & bellicoſiſſimis barbaris plena, qui ad mare uſque auſtrale regionem omnem compleverant. Ad eandem plagam provincia ſita eſt quam vocant *del Guaca*, triginta leucis ab *Antiochia*, de qua poſtea dicemus.

Porro ut propius ad Oceanum Septentrionalem revertamur, ad occidentem à Civitate *Cartaginis*, in finibus *Vrabæ*, ſita eſt provincia *Zenu*, cœli ſolique qualitatibus ab *Vraba* non multum diverſa: hæc olim vicinarum gentium veluti cœmiterium fuit, quippe ad quam etiam nationes longè diſſitæ, ſuorum cadavera deportare conſueverant, ibidemque cum omni ſua gaza & monilibus, aliiſque rebus pretioſis recondere, quare Hiſpani primis illis temporibus, multum auri, aliaque magni pretii ex ejuſmodi monumentis abduxerunt. Ad ortum denique ab urbe, vallis *Zamba* ſita eſt: & denique provincia *Mopox*, de qua mox agemus.

CAP.

Cap. XIV.

Metropolis huius præfecturæ Cartago, *vulgo* Cartagena *Hiſpanis.*

CArtago hujus præfecturæ metropolis nomen accepit à *Cartagine* nova in Hiſpania, ob ſummam ſimilitudinem quæ deprehenditur inter utriuſque urbis portus; ſita eſt ad Oceanum Septentrionalem decem gradibus ab Æquatore verſus Arctum & ſeptuaginta duobus gradibus à Meridiano Toletano verſus occidentem, ut ab *Herrera* annotatum; in peninſula, ſuper latam planiciem, quæ ad arctum quidem, plano & arenoſo littore ad oceanum pertingit, qui hic vadoſior & orâ eſt leniter declivi; ad auſtrum vero & verſus continentem palude ſive cœnoſo ſtagno clauditur, *Canapote* appellant vulgo, quod eodem quo mare fluxu atque refluxu æſtuat: ab oppido ad vicinam continentem tranſitur per callem ſilicibus ſtratum & ducentos quinquaginta paſſus longum, ſub quo duo ſunt arcus, qui fluctus admittunt in ſtagnum iterumque regurgitant. Solum oppidi arenoſum eſt, & puteis ad duas orgyas in profundum actis hîc dulces latices hauriuntur. Licet autem ob craſſos vapores atque exhalationes quæ è vicinis paludibus & ſtagnis aſcendunt, locus inſalubrior ſit, tamen multo ſalubrior eſt quam *Nombre de Dios*, & pro conditione harum regionum Americanarum, quæ ad hoc mare jacent, aliquo modo ſalubris poteſt judicari. Oppidum affabre ſtructum eſt, habetque primum plateas quinque, quæ à portu ſive occidentali plaga continuo ductu, ad oppoſitum & ipſum pene oceani littus pertingunt, ſingulæ pene ſexcentos paſſus longæ & elegantiſſimis ædificiis utrimque, cum ſuis hortis atque areis inſtructæ; dein & aliam plateam, quæ totum oppidum ſecundum latitudinem & dictas plateas per tranſverſum dividit, incipiens ab ipſo Oceano, & ad ſinum illum ſive ſtagnum pertingens, duplo pene longior quam præcedentes. In oppido hæc ſunt publica ædificia; primum Templum Cathedrale, cujus Epiſcopus ſuffraganeus eſt Metropolitani Novi regni Granatenſis; deinde Curia, Teloneum regium, aliaque hujuſcemodi; denique monaſteria aliquot Dominicanorum & Franciſcanorum: *Herrera* ſcribit hîc ſupra quingentas familias Hiſpanorum numerari, & magnum numerum mercatorum & advenarum. Portus hujus oppidi, inter optimos totius novi orbis, facile primum ſibi vindicat locum, licet majora navigia paulo longius ab oppido in anchoris conſiſtere cogantur: aditum illius concludit inſula, qualis illa quæ Cartaginis novæ pôrtui objacet, quam Hiſpani hodie *Eſcombreram* vocant, ſed aliquanto major, quæ olim *Codega* dicebatur, hodie vero *Carex*, duas leucas in longitudinem, vix dimidiam in latitudinem patens, Dulcium aquarum inops, & tantum piſcatorum quondam habitatio. Quum *Franciſcus Dracus* hoc oppidum caperet, ut ſtatim dicemus, puteum in hac inſula offendit aquationi peropportunum; inſulam autem præcipue commendat ab amœnitate, quippe quæ pene tota fructiferis arboribus conſita ſit, aurantiis malis aliiſque ſimilibus, tam concinno ordine diſpoſitis & per varia ambulacra digeſtis, ut elegantiſſimi viridarii formam exprimat. Conditum fuit hoc oppidum anno cIↃ IↃ XXXII à *Petro Heredia*, qui magno labore atque induſtria vicinos barbaros ſubjugavit, erant enim indigenæ hujus provinciæ bellicoſiſſimi & impavidi, tantaque ferocia tam mares quam fœminæ in prœlia ruebant, ut unam adoleſcentulam vix decimum octavum annum egreſſam, octo Hiſpanos venenatis ſuis ſagittis confeciſſe, antequam deficeret, ab Hiſpanis memoriæ proditum invenerim. Oppidum denique mirificè crevit, ejuſque cives ad ſummam opulentiam pervenerunt, commerciorum opportunitate, nam quotannis hîc & maxima omnimodarum mercium copia ex Hiſpaniis appellit, & claſſis regia quæ *Nombre de Dios* petit, hic nonnumquam ſolet hybernare; imprimis autem omnis gaza, aliæque merces è novo regno Granatenſi, per magnum flumen Magdalenæ huc ſolent conduci. Urbs denique anno cIↃ IↃ LXXXV ab Anglis duce *Franciſco Draco* capta eſt; nam licet pene integrum menſem ante illius adventum, de conſilio illius certiores fuiſſent facti, omniaque ad defenſionem comparaſſent, vallo locis maxime debilibus ducto, majoribuſque tormentis adverſus anguſtum aditum diſpoſitis, & præſidiariorum numero adaucto; tamen ille qua erat animi magnitudine, non magno negotio illam expu-

expugnavit atque diripuit: & parte aliqua urbis incendiis deformata, reliquam civibus centum & viginti millium ducatorum pretio redemtam reſtituit. Præda pro fama oppidi haud ita opulenta fuit, quia oppidani jam dudum quicquid habebant pretioſi, ad vicina loca & montana ſubduxerant, & imprimis ad Tolu oppidum, quod interius jacet.

Cap. XV.

Plenior Cartaginenſis *oppidi, Portusque deſcriptio per* Joan. Bapt. Antonellum.

SUperiore capite, *Herreram* potiſſimum ſequuti, Urbem Cartaginem & illius portum compendio deſcripſimus, nunc quum eandem luculentius ab *Antonello* deſcriptam invenerimus, operæpretium putavimus, quæ ille anno cIↄ Iↄ LXXXVII ad Regem Hiſpaniarum perſcripſit, verbo tenus hic inſerere. *Cartagena* (inquit) urbs eſt & quidem Metropolis illius Epiſcopatus, quadraginta leucis ab oppido *S. Marthæ* verſus occidentem & decem gradibus ab Æquatore verſus Arctum; ſita in arenoſa peninſula; familias habet circiter quadringentas & quinquaginta, ædificia præclara & pleraque è lapidibus ſubſtructa; tria hîc ſunt monaſteria; quorum duo ſita ſunt intra urbis ambitum, tertium extra, quod per callem ſilicibus ſtratum aditur, qui utrimque à fluctibus pulſatur: commercia hic ſupra modum vigent, ex Hiſpania, novo regno Granatenſi, Peruvia, Inſulis, & omni continentis illius ora quam vulgo *Terram Firmam* vocant; locus denique ſalubris eſt. Portum habet optimum & multarum navium capacem; duo omnino ad illum aditus patent; unus dimidia circiter ab oppido leucâ, nongentos paſſus latus & valde altus, quem pleræque naves ſubire ſolent; alter leucæ intervallo à priore disjunctus verſus occidentem, quem *la Boca Chica*, id eſt, parvum os vocant, nongentos quidem paſſus latus, ſed navigabilis illius alveus vix ducentos paſſus patet & quindecim aut viginti orgyas eſt altus, interdum & pauciores, quem tamen qui hâc in portum penetrare volunt, ſequi neceſſarium eſt; oram autem utrimque varii receſſus lancinant: hoc autem alveo ſuperato, & jam portum ingreſſuris ora Inſulæ *Carex* radenda eſt, multique ſcopuli & vadorum brevia provide vitanda, quæ fluctibus vix duos treſve palmos altis teguntur; ita ut non tantum peritiſſimo nauclero hic opus ſit, ſed & ſcapha præmittenda, quæ bolide altitudinem canalis periclitetur.

Tria porro ſunt loca, per quæ hæc urbs terrâ adiri & ab hoſtibus oppugnari poteſt. Primus eſt, quâ *Franciſcus Dracus* illam agreſſus cepit, qui eſt ſinus ſive dorſum arenoſum ab una quidem parte Oceanum habens, ab altera autem magnum lacum, qui ad portum tendit: dorſum quidem hoc, ab uno latere latum eſt paſſus quingentos, arenoſo ſolo & arboribus nudo; ita ut hoſtis ab hac parte aggreſſurus hos quingentos paſſus prorſus intectus cogatur incedere, ad vallum uſque, eoque ſuperato alios quingentos paſſus eodem prorſus modo ad oppidum: hoc dorſum centum & triginta unum paſſus latum eſt, ubi vallum tum duxerant oppidani; ab hac parte oppidum jam bis ab hoſtibus captum fuit, itaque hic maximum numerum palorum in profundum adegimus, ſpatio quinquaginta paſſuum; idque ea de cauſa, quia hoc littus periculoſum eſt & crebris vadorum brevibus contaminatum; & in convalle exiguam arcem ſumus moliti, ubi tria quatuorve majora tormenta conſtitui poſſunt; & amplam foſſam egeri, quæ utrimque reſpondet ad mare, ita ut oppidum ab hac parte jam ſatis munitum videatur. Alter aditus paulo eſt infra ſuperiorem, & ad idem dorſum arenoſum, appellaturque vulgo *la Cienaga* aut ſtagnum *del Roreado*: hîc autem dorſum hoc latum eſt paſſus trecentos ad littus uſque maris; ab altera parte palus jacet, vulgo *la Cienaga*, omnibus anni menſibus fluctibus cooperta, ita ut hoſtis hâc urbem aggreſſurus, iter cogatur agere per dorſum arenoſum, cui ab una quidem parte mare, ab altera ſylvula imminet, & denique per campum irriguum quidem, ſed non omnino ab aquis tectum: hîc itaque munimentum jam conſtruximus, cum ſuis propugnaculis, & foſſam ſexaginta pedes

latam effodimus, ita ut marini fluctus jam ad campum hunc riguum perveniant: atque ita etiam hunc aditum obſtruximus, ut oppidum jam velut in inſula ſitum ſit; duo millia & ſexaginta paſſ. ſunt inter hunc locum & alterum illum ad quem *Dracus* exſcenſionem fecerat. Portus autem oſtium eſt juxta callem ſilicibus ſtratum & pontem qui ad monaſterium *S. Franciſci* ducit; callis autem hic trecentos paſſus eſt longus, duodecim latus & pulſatur utrimque ab undis, ita ut tertius hic locus omnium munitiſſimus ſit, hîc pontem ſubductilem fieri curavimus & munimentum deſuper, in quo aliquot tormenta diſponi poſſunt, & ab utroque latere vallum duci, pone quod Sclopetarii latere & tuto hoſtem propellere poſſunt. Ad cornu terræ, quod aditum ſive oſtium portus attingit verſus Cœnobium *S. Annæ*, quodque *Ycacos* vulgo appellatur, munimentum quadratum fabricari juſſimus è lignis, cujus ſingula latera trecentos paſſus longa ſunt; poſt ligna autem vallum ductum eſt è terra quatuor pedes latum & arena à tergo ſuffultum, ubi & quindecim aut ſedecim tormenta collocari & quinquaginta milites in præſidio eſſe poſſunt. Id munimentum ſecuritati portus imprimis conſulet, etenim omnes naves quæ portum intrant tam prope ad hoc cornu accedunt, ut lapidem in illas manu jacere haud difficile ſit: quod ſi nihilo ſecius hoſtes portum ingredi moliantur, utrique triremi mandabitur, ut ſe juxta munimentum, prora ad oceanum verſa, conſtituant, atque ita ipſæ directe hoſtiles naves feriant dum munimentum per tranſverſum eaſdem quatit; futurum eſt enim ut hoſtiles naves undique quaſſatæ aut curſum ſuſtinere cogantur, aut in cæcos ſcopulos, quos *Iſmo* vulgò vocant, impingere, vel etiam vadis, quæ ab inſula *Carex* deſcendunt, cum ſummo diſcrimine hærere. Quod ſi vero hoſtis hoc oſtium prætervectus, cum ſuis celocibus aut oblongis ſcaphis per anguſtius os ingredi conetur, quatuor liburnicas paratas habere convenit, quæ remulco triremes ad anguſtiorem canalem quam celerrime promoveant; nam præterquam quod propter brevia & ſcopulos hic aditus admodum periculoſus ſit, nullo pene negotio hiſce ſubſidiis hoſtiles ſcaphæ atque adeo naves deprimentur. Et ut portus ſecuritati porro melius conſulatur, ad cornu hoc *Ycacos* munitiſſimum caſtellum cum quatuor propugnaculis ſtruere neceſſe erit; ſuper inſulam autem *Carex*, quæ è regione ſita eſt, ad orientalem illius plagam, turrim quadratam excitare, eique quatuor aut quinque tormenta imponere, ut hoc pacto etiam minora navigia à portu arceantur, quæ alioqui clam noctu irrepere & aut prædas agere, aut claſſem noſtram in anchoris ſtantem poſſent incendere, ſed ſi præſidiarii utriuſque hujus caſtelli ſollicite excubias agant, nulla hic navis aut cymba non viſa ingredi poterit. Ad anguſtum autem portus aditum ſimiliter exiguum caſtellum, ſuper eandem inſulam, qua occidentem ſpectat, excitandum eſſet & tria quatuorve tormenta collocanda, atque ſex octove præſidiarii conſtituendi, qui excubias agant. Hiſce omnibus ad hunc modum abſolutis, oppidum hoc egregie munitum erit; intereſt autem Majeſtatis Tuæ ut hæc ita fiant, nam hic locus haud dubio firmiſſimum eſt totius regionis præſidium & veluti antemulare. Hæc ille.

Qui urbem hanc nuperrime viderunt, illam nobis hoc modo deſcripſerunt. Emporium eſſe totius Americæ Meridionalis longe nobiliſſimum & frequentiſſimum; habitari enim à quatuor millibus Hiſpanorum, & quatuordecim circiter millibus Nigritarum utriuſque ſexus & ætatis: Urbem in ambitu cinctam eſſe muro octodecim pedes alto ab ipſo ſolo, cum ſuis propugnaculis, & vallo intra murum terreno: propugnacula habet duo juxta portam, qua exitur verſus cornu terræ quod vocant *de Canoa*, duo item ſed minora juxta portam quæ ducit ad ſuburbium; bina majora ſupra portum; duo denique ad littus & viam quæ ducit ad arces, quæ portus faucibus imminent, quorum propugnaculorum longe maximum eſt, quod Arctum aſpicit, ubi ipſum vallum à marinis fluctibus pulſatur. In propugnaculis & vallo, circiter ſeptuaginta tormenta majora maximam partem ænea ſunt diſpoſita. Suburbium ſitum eſt ſupra arenoſum puluillum, *Xexemani* vocant, ad quod ab oppido aditur per anguſtum tramitem, & per portam cum ponte ſubductili; ab eodem ſuburbio tranſitur ad Continentem per anguſtum itidem tramitem; ita ut ſuburbium in peninſula jaceat; quemadmodum & ipſa urbs, à qua ad Continentem anguſtus trames pertinet, habens ab una parte Oceanum, ab altera paludem vulgo *Cienaga* & mediterraneum fretum

fretum *Canapoten*, per hunc tramitem ceperunt Angli urbem, itaque hic jam foſſa eſt egeſta, eſt urbs valide duobus propugnaculis & muro præcincta: hic trames pertinet ad aquilonem: ab eadem urbe & alter trames pertinet verſus Africum, qui exordio ſuo humilior ita ut à fluctibus interdum diluatur, & anguſtior habens ab una parte Oceanum, ab altera interiorem portum, denique manglaribus interiori ſui parte obſitus. Ad portum ex alto aditur per duo oſtia, quorum prius & urbi vicinius vocatur Boca grande, ad cujus cornu quod occidentem aſpicit, ampliſſima arx fuit, ſed quia arenæ erat inædificata ſæpeque ruinam minabatur, anno demum cIↃ IↃcxxviii fuit deſtructa. E regione & ad orientale Inſulæ cujus ſupra memini cornu minor arx jacet petræ ſuperſtructa; ita ut æſtu accedente fluctibus ambiatur, habens duodecim tormenta majora & quindecim aut ſedecim præſidiarios. Inſula hæc quæ utrumque oſtium dividit, vocatur *de Nave*, edita, & circiter ſeſquimilliare longa. Angulus illius Occidentalis vocatur *Punta de Icacos*, à quo in altum ſe projicit vadum imprimis navigantibus inſidioſum, ad duo pene milliaria; *Salmedinam* appellant. Porro circiter duo milliaria intra prius oſtium grandiorum navium ſtatio habetur, è cujus regione verſus Arctum arx viſitur quadrata, lateribus cl pedes longis; muro alto cincta; & vallo interius terreno, in quo octodecim tormenta diſpoſita ſed minora; præſidiarii viginti quinque aut paulo plures. Ab hac verſus urbem & Aquilonem tendentibus haud longo intervallo, portus anguſtatur; ubi ad continentem ſuper arenoſum clivum exigua & orbicularis arx condita eſt, quam vocant *Fuerte Silla* à forma; Ab hac arce verſus urbem & ſuburbium portus haud ſupra tres palmos multis locis eſt altus. Urbs dulcium laticum indiga eſt; itaque illos petere neceſſe eſt à monte qui ſtationi majorum navium adjacet verſus ortum, & *Monte de Popa* ſive *de Galera* nominatur; ubi monaſterium monialium viſitur; quod vocant *Madre de Dios de la Popa*.

Cap. XV.

Reliquæ urbes & municipia hujus Præfecturæ.

IN præfecturâ præterea Cartaginenſi minora aliquot oppida ab Hiſpanis habitantur, quorum unum vocatur *Tolu*, *S. Iacobi* nomini dedicatum, duodecim à metropoli leucis verſus Africum, terreſtri quidem itinere admodum difficili & ob montes crebraſque paludes & uliginoſa loca pene invio: ſex ab oceano leucis, in regione ſalubri & paſcuo ſolo, nec minus frugum fœcundo; denique omnium plantarum Hiſpanienſium atque fructuum feraci.

Ab hoc loco præſtantiſſimum illud balſamum, (quod vocant *de Tolu*) Europæ importatur, quod à *Monarde* in Hiſtoria ſimplicium medicamentorum ita deſcribitur: Nunc recens advehitur ex Continentis quadam provincia inter *Cartaginem* & Cap. x. *Nomen Dei* ſita, *Tolu* ab Indis appellata, Balſami quidam liquor, maximarum virium, præſtantiſſimumque, quod hactenus ex iis regionibus allatum ſit, medicamentum. Arbores è quibus colligitur, pumilis pinis ſunt ſimiles, multos ramos quaquaverſum ſpargentes, foliaque Ceratiæ ſimilia obtinentes perpetuò virentia: præferuntur domeſticæ & in cultis natæ. Colligunt vero hunc liquorem Indi vulnerato & inciſo arborum cortice, qui tenuis & tenellus eſt, ſuppoſitiſque & arbori adnexis veluti quibuſdam cochlearibus è cerâ nigra, in illis regionibus nata, confectis, quæ manantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deinde in vaſcula ad eam rem parata effundunt: id vero ferventiſſimo ſole fieri neceſſe eſt, ut liquor facilius emânet; nam noctu ob frigiditatem nihil effluit, erumpit etiam interdum ex ipſis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cum exiguus ſit & in ſolum decidat, perit. Porro apes quæ ceram iſtam conficiunt, nigræ ſunt, eamque in terræ hiatibus & cavernis ſubterraneis elaborant: ceræ fumus tetrum ſpirat odorem; perutilia tamen ex ipſa fiunt cerata ad mitigandos dolores ex quavis cauſa frigida provenientes. Cæterum balſamæus hic liquor, colore rubro eſt ad aureum tendente mediæ inter liquidum & denſum conſiſtentiæ, glutinoſus admodum & ubicunque reponatur firmiter adhærens, ſapore dulci & grato nec ſi ſumatur nauſeam movente, odore excel-

lentiſſimo & limonum fragrantiam quodammodo referente, ita ut ubicunque reponatur, celari non poſſit. Ejus facultates inſignes ſunt, quia inciſione elicitur, quemadmodum olim Balſamum in Ægypto, ad eadem omnia ad quæ illud celebrabatur, efficax. Curat enim omnia recentia vulnera; conſolidat glutinatque labra, nec materiam purulentam in iis ſinit exoriri; quodque majus eſt, nullum cicatricis veſtigium curatis vulneribus relinquit, ſi illorum labra probe juncta fuerint; quapropter in faciei vulneribus ſingulare eſt, quandoquidem ea ſine purulentæ materiæ generatione curat, nec veſtigium ullum relinquit, &c. Præſertim vero utile eſt in vulneribus, in quibus confracta ſint oſſa, exemptis prius fragmentis quæ ſeparata ſunt, & reliquis intactis, nam Balſami facultas ea expellet, vulnuſque ſenſim conſolidabit. Miræ etiam virtutis eſt in articulorum vulneribus & nervorum ſectionibus, omnibuſque puncturis, nam curat eas, liberatque à contractione ne partes inutiles fiant & motu priventur. Denique utile eſt in omnibus quæ Chirurgi manum requirunt, modò nulla adſit inſignis inflammatio: ea tamen convenientibus remediis ſublatâ, Balſami eſt uſus. Aliquot illius guttæ ex vino albo hauſtæ plurimum juvant in Aſthmate: Capitis dolorem è frigida cauſa prognatum lenit lineus pannus ejus liquore tinctus capiti circumligatus: temporibus appoſitum cohibet omnem defluxionem, præſertim in oculos; eorumque dolores levat: præcalidum cerebro impoſitum, tollit dolorem, roborat, & paralyſi eſt remedio. Uſi ſunt eo nonnulli phtiſici mane aliquot guttas è manu lambendo; magnumque ſenſerunt commodum quia purgat egregiè pectus. Longâ experientiâ apud Indos probatum eſt, eos qui Hydropicorum in morem tument, ſi hoc balſamo æquis partibus cum unguento aperitivo mixto, ventrem illinant, lienis præſertim regionem, magnum ſentire levamen; reſolvit enim quoſvis tumores & ædemata cujuſque partis corporis: tollitque emplaſtri modo applicatum, omnes dolores à frigida cauſa promanantes, etiam diuturnos. Hæc, & plura ille.

Alterum oppidum appellatur ab Hiſpanis *la Villa de Maria* triginta duabus leucis à Cartagine verſus auſtrum.

Tertium *Santa Crux de Mopox* ſeptuaginta leuc. ab oppido Cartaginis; ab *Antiochia* autem Præfecturæ Popajanæ oppido centum & viginti (ut *Petrus de Cieca* teſtatur:) A Cartagine ad hoc oppidum tendentibus iter eſt, primùm mari, deinde adverſo flumine Magdalenæ, ad cujus ripam ſedet, & à cujus undis fere totum cingitur; cæterum locus valetudine incolarum infamis eſt, ob paludes & ſtagna, quibus fere undiquaque circumdatur, alioquin commerciis quæ in ingenti hoc flumine & vicinis regionibus maximo lucro exercentur, opportuniſſimus.

Baranca de Malambo, ut Hiſpani vocant, tantum Teloneum eſt ad hujus præfecturam pertinens, ſitum ad ripam fluminis Magdalenæ, triginta ab urbe *Cartagine* leucis, viginti ab oppido *S. Marthæ*, ſex denique ab Oceano Septentrionali; hîc omnes merces Europeæ, aliæque è majoribus navigiis exponuntur & unilignеis lintribus adverſo flumine ſubvehuntur ad novum regnum Granatenſe.

In provincia *Vraba*, quæ hujus præfecturæ quoque pars eſt, olim à *Petro Heredia*, conditum fuerat oppidum *Sancti Sebaſtiani de buena viſta*, ſeſqui leuc. ab Oceano, in colle modicè edito: ager illius multis arboribus veſtitus, præſertim palmis, quæ grandes admodum palmitos ferunt, adeo ut duobus ferendis vix unus vir ſufficiat, candidos, ſuaves & optimi nutrimenti. Solum perfœcundum, & varii generis annonâ, omnibuſque ad vitam humanam neceſſariis abundans. Verum hoc oppidum deſertum fuit, poſtquam opulentiſſimæ Peruviæ provinciæ luſtrari cœperunt.

Iter quod ab hoc oppido ad urbem *Antiochiam* ducere ſolebat, in hunc modum deſcribit *Petrus de Cieca*; primum ab urbe ſecundùm oræ ductum ad tenuem amniculum, quem *Rio Verde* appellant, leucæ ſunt v; à quo ad urbem *Antiochiam* leucæ colliguntur octo ſupra quadraginta; ab amniculo quidem ad radices altiſſimorum *Abibæ* montium planicies lata & pauci colles modicè editi pertinent, denſæque ſilvæ & plures rivuli atque amnes; regio omnis pene deſerta eſt, poſtquam indigenæ advenarum tædio, an odio, ſeſe ad interiora atque avia receperunt;

neque

neque hâc iter agentibus propter denſitatem nemorum, alia via patet quàm ſecundum ripas fluviorum, neque fere aliis menſibus quàm Jan. Febr. Mart. Aprili, nam cæteris hic validè pluit & fluvii mirum in modum inflantur & non raro ripas ſuas egreſſi in vicinos agros reſtagnant. Hanc planitiem emenſis altiſſima *Abibæ* montium juga tranſeunda, de quibus antè egimus, quibus ſuperatis in amœniſſimam vallem & regionem campeſtrem deſcenditur, quam vocant *del Guaca*; Hanc continuo excipiunt valles *Nore*, in quibus *Antiochia* ſita eſt, uti ſuo loco di- l. 9. c. 10.
cetur.

Cap. XVII.

Flumina, portus, promontoria, omniſque ora Præfecturæ Cartaginenſis.

INTER *Mopox* ampliſſimum flumen *Cauca*, quod ſupra oppidum *Popajam* effunditur, in maximum *Magdalenæ* fluminis deſcendit alveum; paulo infra confluentem, amœniſſimus collis viſitur quem Hiſpani vocant *Morro Hermoſo:* qui à promontorio *de Aguia*, *Cartaginem* petunt, in hunc modum curſum ſuum inſtituunt, ut prora ad Africum converſa, veſpera ſub hoc monte curſum ſuum ſuſtineant & in anchoris conſiſtant, poſt mediam noctem, rurſus vela explicant, & curſum dirigunt ad corum, ut inſulam arenarum vitent, quæ *Zambæ* ex adverſo objacet, duabus à continenti leucis; hæc Inſula, uti à noſtratibus obſervatum; longa eſt milliaria duo & ſemis; pars quæ orientem adſpicit modice edita eſt, habens aliquot colliculos; verum occidentalis pars admodum humilis & æquori pene æqualis; oram habens arenoſam quæ jacet inter Aquilonem & Africum; ardet mare juxta cornu & exterius inſulæ latus. Montis autem illius Formoſi ſigna ſunt, ſolum nigricans modicè editum & in orbem convexum. Promontorium *Zambæ* eminus intuentibus formam triremis cum malo ſuo & rudentibus exhibet; Sequitur deinceps ad eandem oram, terra elata & candidis præcipitiis ſpectabilis, quam vulgo *Buhio del Gato* appellant; & magis ad occidentem terræ cornu, *punta de la Canoa* vulgo, duabus ab oppido Cartagine leucis verſus ortum: humilis hîc eſt ora & æquori pene æqualis; atque hactenus ora ad occidentem pertinet. Excipit dein promontorium *Ycacos*; è regione Inſulæ *Carex*, de qua ſupra: & *punta de la Nao*, alterum continentis cornu, è regione ejuſdem inſulæ, verſus occaſum, juxta oſtium minoris alvei, qui ad portum Cartaginenſem ducit: cui ad arctum in alto objicitur exigua inſula *Sardina*. Porro littori provinciæ *Tolu* adjacent Inſulæ *Baru*, quas *Herrera* quidem ſex, nauticarum autem rerum periti tres aut ad ſummum quatuor conſtituunt, ſuntque humiles & arboribus veſtitæ.

Ad exordium vero freti *Vrabæ* jacent inſulæ *S. Bernardi* è regione fluvii *Zenu*, quæ ſex eſſe dicuntur; hæ aſſurgunt in editos colles habentque certos arenoſos ſinus, qua patentem oceanum ſpectant; duabus denique aut tribus, ab ipſis, leucis, altiſſimus hujus freti alveus ſe inſinuat, quem Hiſpani vocant *Bacillam*.

Fluvius *Zenu* & amplior eſt & navigiorum patiens, cui provincia de qua ſupra egimus, nomen ſuum debet: Portus autem hujus provinciæ tutiſſimus eſt in ampliſſimo ſinu qui ad occidentem patet; quinque & viginti leucas ab urbe Cartagine; hîc plurimum ſalis conficitur.

Inſula porro, quam *Fortem* vocant Hiſpani, ſatis ampla eſt, & crebris montibus atque collibus tumens; à parte illius Septentrionali multi ſcopuli in altum deſcendunt ad leucas pene duas; inter inſulam & continentem ſtatio haud incommoda eſt in freto quindecim orgyas alto, fundo argilloſo: multum ſalis hîc cogi tradit *Ovie-* l. 3. c. 8.
dus; huic vicina eſt exigua & deſerta inſula *Tortuga*.

Licet flumen, (quod interdum ob magnitudinem alvei *Rio Grande*, non- Magda-
numquam *Magdalenæ* dicitur, quod feſto illius die æſtuarium ipſius primum in- lena.
ventum fuerit & ab Hiſpanis aditum, & non raro *S. Marthæ*, quia juxta provinciam illam deſcendit,) oriatur ſupra *Popajanam*, ideoque in illius provinciæ deſcriptione Popaja-
plenius de illo ſimus dicturi, tamen obiter hic illius mentionem faciemus, quia na.

 provin-

provincia de qua jam agimus, & præfectura *S. Marthæ*, de qua ſtatim nobis dicendum, præcipuum emolumentum ex hoc flumine percipiunt. Id ad centum leucas intra continentem navicularum eſt patiens; omneſque merces Europeæ, partim remulco, partim funibus huc ſubducuntur, duorum utplurimum menſium ſpacio; idem omnis auri atque argenti gaza & Americanæ merces à novo Regno Granatenſi, tribus plerumque ſeptimanis deſcendunt. Ingenti ore in Oceanum ſe evolvit, viginti ſex ab oppido Cartaginis leucis verſus ortum, decem à *S. Martha* verſus occaſum, & duodecim gradibus ab Æquatore verſus Arctum.

l.2. c.6. *Acoſta* teſtatur, fluminis hujus curſum decem leuc. ab oſtio in alto mari, duarum leucarum latitudine deprehendi, nec ſine periculo propius adiri à navigantibus, ob vortices, & defluxus fluminis cum æſtu marino certamen. Inſulam habet in medio æſtuario quinque leucas, (ut Hiſpani produnt) longam, latam dimidiam; latiſſimus illius alveus ad præfecturam *S. Marthæ* vergit, quem pleræque naves ſubire ſolent, unde non raro,ut ſupra monuimus, ab Hiſpanis *S. Marthæ* nomen huic flumini attribuitur.

Noſtri qui ſatis prope ad flumen hoc acceſſerunt, uno ore teſtantur flumen hoc per tria oſtia in mare exire; quorum unum *S. Marthæ* proximum partem continentis admodum humilem diſſecet; reliqua ab inſula illa dirimuntur: neque queruntur de diſcrimine aut undarum vorticibus; tantum annotant juxta hanc oram & maxime in æſtuario hujus fluminis Aquilones poſt meridiem & noctu valide perflare, à quibus nonnihil periculi ſit, quia ab altis & nivalibus montibus præcipitantur. Vehementer tonat, fulgurat atque pluit in hoc flumine, præſertim à media nocte ad auroram: à menſe autem Octobri ad Aprilem alveus hujus fluminis mirum in modum intumeſcit, & devehit ingentes undas, ob pluviarum copiam, quæ in montanis *Popajanæ*, ubi oritur, illâ tempeſtate decidunt.

SANCTA MARTHA.

Cap. XVIII.

Provinciæ S. Marthæ *limites, cœli ſolique qualitates.*

Seqvitvr jam ad eandem Continentis oram verſus orientem, provincia & præfectura *S. Marthæ*, quæ ab extremis præfecturæ Cartaginenſis finibus, quibus ad occidentem clauditur, ad præfecturam fluminis *de la Hacha* verſus orientem, in longitudinem patet leucas ſeptuaginta; totidemque pene in latitudinem, ab Oceano nimirum ad fines Novi Regni Granatenſis, quod illi à Meridie prætenditur.

Temperies hujus regionis quâ Oceanum Septentrionalem contingit eſt calida & fervens, in mediterraneis autem frigidior ob vicinitatem montium nivalium qui illi imminent, viginti circiter leucis à principali oppido; imprimis autem provincia *Tairona* ob ſoli altitudinem & crebros montes algere deprehenditur. Littoralium regionum æſtum egregie temperant, orientales & aquilonares auræ, quas vulgo *briſas* vocant; plurimum autem hîc pluit menſibus Septemb. & Octobr. reliquis perparum, quia tum plerumque venti ob oriente & aquilone perflant, natura ſua ſicci & ſalubres; pluviis autem menſibus ut plurimum ſpirant venti qui è continenti aſſurgunt, quos veteres appellabant *Altanos* & Hiſpani hodie *Vendavales.*

Ab oppido *S. Marthæ* ad radices montium, tribus circiter leucis, terra eſt plana: montana autem petroſa ſunt, infœcunda, neque paſcuis apta neque frugibus, & arboribus pene nuda; multi torrentes & amniculi ab illis deſcendunt; in campeſtribus denique gramen aduritur & ſata corrumpuntur, cum orientales illi venti pertinacius perflant, quo fit ut incolæ ſæpe hic annonæ penuriam patiantur. Solum large producit aurantia & granatenſia mala, limones & ſimiles fructus, etiam vites; familiares & domeſticas arbores *Guayavas Platanos* & ſimiles abundè; omnes etiam herbas & plantas ex Hiſpania huc traductas benigne tolerat, imprimis melones,

lones, pepones, cucumereſque. Magna hic gallinarum Hiſpanienſium, columbarum, perdicum & cuniculorum multitudo: etiam feras alit tellus, tigres, leones, urſos. Denique maizii & batatarum radicum perfœcundum eſt ſolum.

In provincia *Buritaca*, juxta viam quæ ab oppido *S. Marthæ* ad *Ramadam* ducit auri reperiuntur metalla; in *Tairona* quoque plurimæ gemmæ quantivis pretii, & inter eas quæ variis humani corporis morbis & affectibus, occulta naturæ qualitate, mederi creduntur, præſertim nephritidi & ſanguinis profluvio; etiam Jaſpis & Porphyrius lapis, denique varia marmorum genera; atque auri venæ.

Ab oppido *S. Marthæ* circiter ſeſquileuc. plurimæ ſunt ſalinæ, è quibus optimum ſalem cogunt, qui in vicinas provincias magno emolumento portatur.

Barbari harum provinciarum, corpore ſunt agili & mediocri induſtria; ſed ingenio pravo & arrogantia ſingulari; à Regulis ſuis reguntur; venenatas ſagittas uſurpant in prœliis; & goſſypinis palliis, quæ diverſis coloribus ſunt variegata, amiciuntur; magnus eorumdem numerus hodieque ſupereſt, quibus cum Hiſpanis haud ſatis belle convenit, nonnulli & cum illis bellum gerunt, ita ut Hiſpani hactenus ditiſſimæ provinciæ *Tironæ* nondum compotes fieri potuerint, licet jam multa cum ſuorum ſtrage ſæpius illam ſubjugare tentaverint.

Mare quod hanc provinciam alluit, uti & flumina quæ illam permeant piſcoſa ſunt admodum, optimoſque varii generis nutriunt piſces.

Porro hac præfectura comprehenduntur hæ provinciæ particulares *Pozigueica*, *Betonia*, *Tairona*, *Chimila*, *Buritaca*. Vallis *Tairona* ampliſſima eſt & ditiſſima; & ſex aut ſeptem leuc. diſtans ab oppido *S. Marthæ*, aut ut *Herrera* alibi teſtatur octodecim; ſex ab Oceano Septentrionali: huic proxima jacet *Mongay* vallis, divitiis in eundem modum pollens. Tairona.

Buritaca autem tredecim leuc. diſſita eſt ab oppido *S. Marthæ* verſus *Ramadam*. *Bonda* vero provincia tribus leuc. & ſemiſſe; *Coto* denique vallis inter *Pozigueicam* & idem oppidum media eſt. Buritaca.

De valle *Eupari* mox ad oppidum *de los Reyes* dicemus.

Chimilæ provinciæ indigenæ mares quidem viribus corporis & fortitudine bellica, fœminæ vero præſtantia formæ commendantur. Chimila.

In hac provincia altiſſima nivalium montium juga, quæ Hiſpani *las Sierras Nievadas* indigitant, ſuum ſumunt exordium, & infinitas pene provincias atque adeo *Peruviam* & *Chilen* pervagata tandem deſinunt ad fretum *Magallanicum*. Hæc juga pene à triginta leucis in alto ab adnavigantibus conſpiciuntur, jugi nive tecta, & à ſubjecta hîc valle *Tairona*, plerumque à nautis *Taironæ* juga appellantur. Ab his deſcendunt ex improviſo validi venti, qui plurimum à navigantibus metuuntur; ita ut caute ſecundum has oras ſit navigandum.

Denique hodie quinque, qua oppida, qua municipia in hac præfectura ab Hiſpanis incoluntur, de quibus ſuo ordine dicturi ſumus.

Cap. XIX.

Oppidum principale hujus præfecturæ S. Martha.

PRINCIPALIS hujus præfecturæ civitas, à qua & nomen habet, appellatur *S. Martha*; decem ab Æquatore gradibus verſus Arctum, ut *Herrera* teſtatur, aut undecim ut *P. Martyr*; vel decem gradibus & triginta ſcrupulis, ut non pauci obſervarunt: & ſeptuaginta quatuor gradibus à Meridiano Toletano verſus occidentem, ut volunt Hiſpani. Condita eſt loco perſalubri ad oram Oceani Septentrionalis; habetque portum & amplum & tutum, ubi & anchoræ commodè figi, & naves peropportunè in vado deſtitui poſſunt, ut reficiantur; patet dimidiam leucam, & è regione urbis altum habet montem, à quo adverſus incerta ventorum defenditur: modicè hîc altum eſt mare, nulliſque ſcopulis aut vadis navigantibus inſidioſum; denique hic aquandi & lignandi ſumma eſt opportunitas. Magna hic quondam oppidanorum frequentia fuit, nunc autem paucitas, poſtquam claſſes Hiſpanienſes hic appellere deſierunt. Abeſt oppidum à *Salamanca*,

quam vocant *de la Ramada* leuc. viginti quatuor verſus occidentem; à *Teneriffe* ad ripam magni fluminis Magdalenæ ſitâ, quadraginta leuc. verſus Septentriones. Præfectus provinciæ, aliique miniſtri regii hic domicilia habent; Cathedrale hîc templum viſitur, cujus Epiſcopus ſuffraganeus eſt Metropolitani Novi regni Granatenſis. Mathematicus autem regius *Ioan. Bapt. Antonellus* ſcribit de hoc oppido ad Regem Hiſpan. anno cIↄ Iↄ LXXXVII in hunc modum.

Sancta Martha principalis urbs provinciæ & Epiſcopatus, ſita eſt decem gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum; ad ſinum arenoſum haud longe à mari; conſtat circiter triginta familiis, domus ex arundinibus compoſitæ & palmarum foliis tectæ, nonnullæ etiam tegulis, commercia habent cum indigenis illarum regionum, qui ollas aliaque ejuſmodi vaſa ex argilla ficta ad oppidum venalia adferunt, itemque pannos & veſtes ex goſſypio contextas: oppidani autem merces ſuas deferunt Cartaginem. Pecorum hic perparum, quia regio montenſis eſt & Hiſpanis incolis infrequens. Portum habet optimum ab altis montibus & petris ad littus uſque incinctum, à quibus uti & à duabus inſulis quæ portui objacent ad Septentriones, egregie à ventis & marinis æſtibus defenditur, quo fit ut licet hæc regio orientalium ventorum flatibus expoſita ſit & non raro tempeſtatibus, tamen hic ſine ullo diſcrimine in anchoris ſtare, omniaque in terram exponere liceat. Intra portum locus eſt, quem *Calderam*, id eſt, lebetem vocant, ubi olim naves in ſiccum ſubducere & reficere conſueverant. Porro hunc portum munire, nullum eſt operæprecium, quia raræ hic naves appellunt, & tam pauci oppidum incolunt, & quotidie magis ac magis aliò migrant, ob hoſtium crebras deprædationes. Niſi forte Regi placuerit, Claſſem quæ ab Hiſpaniis ad Novam Hiſpaniam navigat, hac iter habere atque hîc appellere, aquare & neceſſaria cætera comparare; &, quod naucleri uno ore teſtantur, faventibus ſemper Eteſiis, rite poſſe fieri, hinc recta ad promontorium *S. Antonii* Inſulæ *Cubæ*; atque ita porro ad *Novæ Hiſpaniæ* portum curſum inſtituere; hoc ſiquidem pacto Claſſis illa multa & varia pericula evitaret & præſertim ingentes illos ventorum turbines, quos *Huricanes* vulgo vocant, qui illam ſub auſtrali Hiſpaniolæ littore nonnumquam obruunt, & cum maxima hominum clade & mercium jactura aliquando ſubvertunt; & utraque claſſis conjunctim navigans, hæc quidem quæ Novam Hiſpaniam petit, hic ſubſiſtere; altera autem quæ ad Continentem, ut vocant, deſtinata eſt, rectà Cartaginem poſſet petere. Si enim id fiat, tum portus hic muniendus eſſet in hunc modum: exiguum munimentum collocandum foret ſuper montem qui oſtio portus imminet, & aliquot tormenta imponenda: ad auſtralem dein plagam turris ſtruenda & munimentum paulo grandius moliendum & pluribus tormentis inſtruendum: nam hoc facto non modò naves hîc tuto in anchoris ſubſiſtere poterunt, ſed & oppidani ſe ab hoſtium deprædationibus defendere. Omnia denique ad hæc opera neceſſaria, lapides, arena, cœmentum, ligna haud procul ab oppido commode haberi poſſunt. Hæc ille. Addamus & recentiſſimam urbis faciem, prout illam ipſe Præfectus anno cIↄ Iↄ C XXVI Regi Hiſpaniarum depinxit.

Ora (inquit) Continentis hîc jacet inter ortum & occaſum, quæ ab Arcto mari pulſatur, quod ſe hîc inſinuat inter duo cornua, ad modum ſemilunæ; orientale cornu vocatur *Taganga*, occidentale *Lipar*; medio ſpacio objacet Inſula ſcopuloſa, vocant *el Morro*; quæ portum ab impetu fluctuum defendit. Cornu Orientale habet exiguum caſtellum quadratum, in quo tantum tres quatuorve excubitores noctu atque interdiu agunt, ut oppidanos de navium ex alto allabentium numero admoneant. Oppidum ſitum eſt ad gremium Sinus, loco plano & æquoti pene æquali; adjacet ad occaſum arx quadrata, haud magna, quippe cujus latera tantum centum pedes Geometricos capiant; murus circiter triginta palmos eſt altus; in quo quatuor ænea tormenta diſpoſita; cuſtoditur à præſidiariis ſeptem aut octo: Exiguum ſane munimen contra hoſtes, oppidani pauci & fere inopes, atque inter ſe diſcordes. Hæc facies tum erat oppidi & portus ſupra modum opportuni. Hoc oppidum ſæpe à Gallis, Angliſque interceptum & direptum fuit; anno autem cIↄ Iↄ XCV à *Franciſco Draco* incendiis miſere deformatum; nec minus anno proximo ab *Antonio Sherleio* Anglo equite porro exhauſtum. Senſit & calamitatem à Belgis noſtris, anno

cIↄ Iↄ-

cIↄ Iↄ cxxx, ab Archithalaſſo Societatis Indicæ Occidentalis *Adriano Iacobi Patre*, intercepta, ſed exiguo lytro redemta.

Cap. XX.

Reliqua oppida præfecturæ hujus, Teneriffe, Villa de Palmas, Cuidad de los Reyes, Ocanna *atque* Ramada.

INter reliqua oppida hujus præfecturæ, primò numeratur *Teneriffe*, ad ripam fluminis *Magdalenæ* ſitum, quadraginta leucis ab oppido *S. Marthæ* verſus Africum; à quo difficili & impeditiſſimo itinere per terram aditur, ſed mari & adverſo magno flumine Magdalenæ haud incommodè.

Secundo *Tamalameque*, Hiſpanis *Villa de las Palmas*, ſeptuaginta & quinque leucis ab oppido *S. Marthæ* verſus Meridiem, viginti à *Teneriffe* & duas à magno flumine Magdalenæ; octo gradibus ab Æquatore verſus Arctum; in regione præfervida, quia longe maxima anni parte hic auſtrales venti ſpirant & nonnunquam graves atque inamœni favonii; ſolo licet petreo atque edito, plano tamen magna ſui parte, & paſcuis læto, ideoque armentis ſummopere opportuno; denſis item ſylvis opaco, præſertim ad ripam fluminis, cujus inundationes in regione campeſtri multa uliginoſa ſtagna & multas paludes efficiunt, ad quarum margines indigenæ tuguria ſua habent, & unilignеis ſuis lintribus eaſdem permeant & magnam optimorum piſcium capiunt copiam, quibus utplurimum victitant; quamplurimi enim hîc ſunt *Manati* & non pauci Crocodili. Cæterum ſolum infœcundius eſt, licet hîc aurantia mala tam ſuavia quàm acida abunde creſcant, nec non domeſticæ hiſce regionibus *Guaiavæ*. Indigenæ hujus regionis ingenio ſunt ſtupido, tardoque & ſomno maxime dediti, cui fere ſemper indulgent niſi cùm commeſſationibus aut ſympoſiis occupantur, quibus ſupra modum capiuntur.

Tertio *Cuidad de los Reyes*, in valle *Eupari*, quinquaginta leuc. ab oppido *S. Marthæ* verſus Eurum, triginta ab oppido *de la Hacha*: centum & octuaginta à Metropoli novi regni Granatenſis; ad ripam vaſti & rapidi fluminis *Guatapori*: ager hujus oppidi & regio vicina, haud admodum calida eſt, quia æſtate, quæ illis in menſes Dec. Jan. Febr. Martium & April. incidit, venti ab oriente perpetuo flantes æſtum eventilant; hybernis autem menſibus, quibus plurimum hic pluit, ob propinquitatem montium qui fere frigidi ſunt, multum catharris & febribus laboratur, maxime quartanis: montes ab arcto ad auſtrum totam regionem dividunt, à quibus utrimque amnes & torrentes præcipitant: Solum non modo paſcuis lætum ſed & frugum fœcundum: tota hæc provincia indigenis frequentiſſima eſt, qui nullis mediis ſe ad obſequium ab Hiſpanis cogi patiuntur; bellicoſi enim ſunt & ferociſſimi, pertinaci ingenio, & ad omnia vitia proclivi; oppidi autem hujus incolæ adeo pauci ut neutiquam tantæ multitudini pares ſint. Plures hic ſylveſtres arbores uti & quæ fructus ferunt, Platani, Guayavæ & ſimiles; longe autem plurimæ *Xaguæ*, quarum fructus fabis ſimiles ſunt, in ſiliqua autem alius fructus deliteſcit forma orbiculari, ſapore uvarum paſſarum: ſiliquas tantiſper ſervant donec ſiccentur, deinde eas comminuunt & è farina coquunt panem, optimi ut ferunt nutrimenti. Nec Hiſpanienſes fructus aut plantæ hic deſiderantur, nec goſſypium quo barbari in veſtibus utuntur. Ubi autem ab anguibus aut aliis venenatis animantibus icti fuerint, radicem *Scorzoneræ* (quam herbam, illiuſque facultates prolixe deſcripſit Nicolaus Monardus ſpeciali commentario de Lapide Bezaar & Herba Scorzonera) crudam devorant & frondes illius vulneri imponunt, præſenti remedio, quod & Hiſpani jam imitari cæperunt; barbari quoque ſi anguem aut ſerpentem à quo læſi fuerint, nanciſcantur, caput illius & caudam, cruda devorant, idque pro præſentiſſimo antidoto commendant. Adverſus catharros & capitis dolores plurimum utuntur Tabacco, idque in minutiſſimum pulverem contritum attrahunt in nares; quin & ſuccum viridis Tabacci hauriunt ad alvum ſubducendam.

Guatapori fl.

In montibus multa ſunt metalla tum æris, tum plumbi & haud dubio etiam argenti, ſi indiciis fides ſit, verum nulla eorum ab Hiſpanis excoluntur, ob eorum qui hîc

hîc incolunt paucitatem & inopiam : ſed oppidani ut plurimum armentis paſcendis dant operam, aut equis alendis , qui hic optimi ; Sacchari denique cannas benigne aleret ſolum, modò labor & induſtria colonorum accederet.

Quartò *Ocanna* , quæ & alio nomine *Sancta Anna* appellatur, oppidulum ad mediterraneam ſtationem navium, in finibus provinciæ *Tamalameque*.

Quintò *Ramada*, quæ & nova *Salamanca* primo dicta fuit, quadraginta leucis ab oppido *S. Martha* verſus orientem, octo autem ab oppido & flumine *de la Hacha*, ad radices montium nivalium, & limitem vallis *Eupari*, quæ æris venis non minus ſcatet quàm ſaxis, ut *Herrera* loquitur.

CAP. XXII.

Flumina , promontoria , portus & ora omnis hujus præfecturæ.

Buhia fl.

AD oram maritimam hujus præfecturæ primo in mare ſeſe exonerat fluvius *Buhia*, non longe à *Ramada* ; deinde fluvius *Piras*; tertio flumen *Palomini*, quod de montibus nivalibus ſe præcipitat & celeri curſu mare petit, & copia atque frequentia pluviarum quæ in montibus cadunt, interdum ſupra modum inflatur; nomen ſuum accepit à Tribuno militum qui flumen hoc equo ſuperare aggreſſus, ab undis ejus abſorptus interiit.

Sequitur deinceps fluv. *Didaci*, vulgo *de Don Diego*, & modico intervallo varii receſſus, quos *Ancones de Buritaca* vocant; nautici homines in itinerariis ſuis obſervant, ex alto appellentibus ad hunc locum, eminus conſpici littus arenoſum candicans, quale nullum toto hoc littorum tractu cernitur ; id ad occidentalem plagam horum receſſuum & ſtationis navium jacet : hinc provectis promontorium *de Aguja* occurrit, duodecim ab æquatore gradibus verſus arctum, ut à nauticarum rerum peritiſſimis eſt obſervatum.

Hæc plaga crebris tempeſtatibus & ventorum turbinibus obnoxia eſt, ob continentis altitudinem, nam & ipſum promontorium in editos & abruptos colles aſſurgit, & ſupra ipſum *Bondæ* juga vaſte ſe attollunt. Sub promontorii latere quod Corum adſpicit exigua inſula adjacet, petrâ candidâ ſpectabilis. Promontorio hoc ſuperato, littus ad Africum ſe ſubducit, & unâ circiter ab ipſo leucâ ſpecula ſaxo impoſita cernitur, & ultra inſula exigua , inter quam & continentem alveus ad portum *S. Marthæ* ducit.

A portu autem *S. Marthæ* ad occidentem littus legentibus, primo obvius eſt fluvius *Gayra*, quem *Petrus Martyr* amplum & majorum navigiorum patientem eſſe ſcripſit; deſcendit autem ab altiſſimo monte, qui multa perpetuò nive candicans cernitur ; aquas illius potari pulchras negant barbari ; ſed haud longe hinc alter fluvius exit, cujus nomen non proditur , potari pulcherrimus.

Guatapori, fl.

Intra continentem autem hæc flumina memorantur ; *Guatapori* (ad cujus ripam oppidum *de los Reyes* conditum eſſe ſupra diximus) è nivalibus montibus deſcendens, unde aquæ illius ita algent, ut hauſtæ catharros & lienterias provocent : lienteriæ autem obviamitur, canellæ quadam ſpecie in pulverem redacta & ex aqua pota, quæ tam potenter alvi profluvium ſiſtit, ut etiam Sanguinolentis dejectionibus medeatur. Arborem hanc *Carrapam* vocant barbari, quæ vox ipſorum idiomate amarum ſonat, talis enim eſt ligni illius ſapor. *Guatapori* autem deſcendit in flumen *Ceſar* , circiter leucam infra dictum oppidum.

Ceſar, fl.

Ceſar vero ad Auſtrum labitur & ab accolis appellatur *Pompatao*, quaſi dicas principem omnium fluviorũ (id enim vox illa barbaris ſonat) plurimos quippe amnes undiquaq; recipit & ſecum deducit ; imprimis autem unum ſatis amplum, quem vulgo *Badillo* nominant, qui è tribus lacubus prodire dicitur; aquæ hujus fluminis dilute virent, indigenæ lingua ſua *Socuigua* vocant, id eſt copioſum , propter piſcium multitudinem, qui in ipſo capiuntur , radice quadam injecta , qua piſces veluti ſoporantur: deinde & alterum, quem vulgo vocant *de las Ayumas* : quibus amnibus auctus per campeſtria ſeptuaginta leucarum ſpatio verſus occidentem labitur & denique in magnum

gnum Magdalenæ deſcendit alveum: Regio autem quæ utrique hujus fluminis ripæ prætenditur, fertilis eſt & non inamœna.

Viginti circiter leuc. ab oppido *de los Reyes* tres grandes putei viſuntur, inter certas petras, in triangulo ſiti, in quibus barbari immenſæ molis ſerpentem habitare ferunt, qui plurimos mortales neci dederit: Hiſpani ſæpius eundem ſtudioſe indagarunt, & licet veſtigia quædam deprehenderint, ipſum tamen nunquam potuerunt conſpicere: Indigenæ tamen tam firmiter credunt illum hic latere, ut præ metu illius, propius accedere, aut in vicinia habitare reformident. Sunt & alii in hiſce locis putei, qui bituminis quoddam genus eructant, adeo tenax & glutinoſum, ut etiam grandiores aves ei adhæreſcant, eoque teneantur; barbari retia ſua, quibus piſces capiunt, eo bitumine illinere conſueverunt.

RIO DE LA HACHA.

Cap. XXII.

Oppidum & Præfectura quam Hiſpani vocant Rio de la Hacha.

OPPIDUM quod hodie *Rio de la Hacha* dicitur, olim autem ab Hiſpanis *Noſtra Sennora de las Nieves* & poſtea *de los Remedios* appellabatur; ſitum eſt ad Oceanum Septentrionalem, triginta leucis ab oppido *S. Marthæ* verſus ortum & ſexaginta ab oppido *Coro* verſus occaſum; quaſi medium inter præfecturas *S. Marthæ* & *Venezuelæ*; denique à promontorio *de la Vela* verſus Meridiem: conditum eſt ſuper colliculum, circiter mille paſſus ab Oceano; portus illius plane apertus eſt & adverſus aquilones indefenſus. A promontorio *de la Vela* ad hoc oppidum octodecim numerantur leucæ, ſolo plano atque humili, nullis ſaxis aſpero, nullis torrentibus riguo: Ager illius haud ultra octo leucas intra continentem extenditur; fertilis & omnium fructuum Hiſpanienſium egregiè ferax; auri venis abundans, & gemmis varii pretii atque virtutis; necnon optimis ſalinis ſcatens. Plurimæ hîc feræ & præſertim tigres atque urſi; in amnibus autem magna crocodilorum copia. In oppido ſunt domicilia circiter centum: olim divitiis affluebat, dum hic & in vicinia magna unionum vis inveniretur.

Qui poſtremam *Franciſci Draci* expeditionem in commentarios retulit, de illo ita ſcribit: *Rio de la Hacha* viginti leucis à promontorio *de la Vela* verſus occidentem, oppidum eſt exiguum, ſed ager illius fœcundus & peramœnus. Noſtri illud interceperunt ſub mediam noctem; una circiter leuca ab oppido verſus ortum, dorſum maris & brevia objacent, à quibus navigantes dimidiam leucam abſtinere neceſſe eſt antequam ad portum accedant: haud procul ab oppido ad orientem amniculus deſcendit, ore ab arenoſo puluillo pene obſtipato, ita ut celocibus illud ingredi perdifficile ſit, ſed ingreſſis ſex aut octo leucis intra continentem liceret aſcendere.

Sex quidem ab oppido leucis verſus ſolis exortum pagus habitatur, vulgo *la Rancheria*, eorum ſedes qui margaritiferis conchis capiendis dant operam; quinque autem ſecundum oræ ductum verſus occidentem, quatuorque ab ipſo littore pagus *Tapia* jacet, & prædia aliquot ruſtica Hiſpanorum; & ultra hunc tertius pagus quem vulgo vocant *Salamcam*; (forte *Salamancam*) quam ſuprà *Ramadam* appellavimus. Præfectus hujus oppidi viginti quatuor millia ducatorum promiſerat, ut oppidum ab incendio & excidio redimeret, verum cum pretium illud in unionibus præſtare vellet, quarum valorem ſupra modum augebat, nec Anglis hoc pacto ſatisfaceret; illi irati, non modo oppidum, ſed & pagos ſupradictos, incendiis plane deformarunt, alioque diſceſſerunt. Unionum vero piſcatu jam penitus aut ſaltem maximam partem (nam pauculas quaſdam nonnunquam à barbaris colligi accepimus) deficiente, & oppidanorum frequentiam & opes jam multum imminutas eſſe nullum eſt dubium; Saltem hodie locus obſcurior eſt.

Antequam deſcriptioni hujus partis Continentis, quam vulgo *Terram Firmam* vocant Hiſpani, finem imponamus, operæ precium videmur facturi, ſi paucis hic adjungamus, quo pacto ex Hiſpaniis ad has partes quotannis navigetur. Solvunt Hiſpani è portu

portu *S. Lucar* ſive è ſinu Gaditano, menſe Aprili,cum valida claſſe,quæ ut plurimum conſtat vaſtis & bene armatis regiis navibus,quas vulgo vocant Galeones,nunc ſex, nunc octo, interdum & pluribus, rariſſime autem paucioribus, & pluribus navibus mercatorum, & quibuſdam celocibus. Hæc claſſis ita curſum ſuum inſtituit, ut primo adeat Inſulas Canarias, è quibus non raro & varias merces & præſertim vina in naves ſuas accipiunt, & dolia ſua replent aqua potabili: Deinde à promontorio *de Naga* provecti, navigant in conſpectum oræ Africanæ, potiſſimum autem promontorii *Cantin*; atque inde curſum ſuum dirigunt ad inſulas Indiæ occidentalis quæ vulgo Caribes ſive Canibales nominantur; adeuntque nunc *Dominicam*, nunc *Matinino*, nunc *Guadalupen*, interdum ſingulas haſce; ibidemque & aquandi & lignandi gratia hærent pauculos dies: quæ navigatio ab ora Africæ, ad haſce inſulas, nunc quindecim, nunc pluribus, raro paucioribus diebus abſolvitur: Indigenæ quidem Matinino minus abhorrent ab Hiſpanis; reliqui ipſis ſunt infenſiores: Hic ſues & gallinæ magna reperiuntur copia,&varii fructus,quos viliſſimo precio à barbaris redimunt,puta una ſecuri quatuor nonnunquam ſues & ſex gallinas & ita porro. Hic ſolent naves viſitari, & vectorum numerus recenſeri ab officiariis,quos vocant *Contadores Contratactionis*, ſecundum indices Iudicis Indiarum,qui in oppido Hiſpalenſi reſidet. Hinc ſolventes recta petunt Continentem, ſolentque ut plurimum illam adnavigare juxta juga nivalia, haud longe à *S. Martha* atque inde orarum ductum ſequi, uſque ad promontorium ſive cornu *de la Canoa* & ita intrare portum Cartagenæ: In hoc portu morantur ut plurimum dies octo, exponuntque merces varias,& accipiunt denuo; dein petunt Portum Belum,ubi tantiſper hærent,donec gazam regiam, & mercatorum acceperint in naves; atque inde repetunt portum *Cartagenæ*; in eoq; rurſus ſtant in anchoris ad dies quatuordecim aut circiter, & commerciis abſolutis,oneribuſq; acceptis,recta petunt Havanam, à qua denique redeunt in Hiſpaniam, ſub initium Septembris,aut interdum tardius, quod tamen non vacat diſcrimine,quia poſt Calendas Septembres validi venti hic perflant ab Arcto; & ingentes tempeſtates offenduntur juxta Bermudas, quas ſtudioſe vitant.

DESCRIPTIO

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER NONUS.

Novum Regnum Granatæ.

Cap. I.

Novi Regni Granatenſis *prima inventio anno* CIƆ IƆ XXXVI *duce* Gonſalvo Ximenez de Queſada Licentiato.

SUPERIORI libro Americæ Auſtralis Continentem proſecuti ſumus uſque ad Præfecturæ *Veneçuelæ* limites, nunc ad interiores Provincias nos convertemus, ut per eaſdem ad Mare Auſtrale reverſi, orbem hujus Auſtralis Americæ ſecundum ordinem à nobis inſtitutum deinceps obeamus. Hic autem primò ſeſe offert *Novum Regnum Granatæ* ut vocant, de cujus finibus, & cœli ſolique qualitatibus priuſquam agamus, operæprecium erit de prima illius inventione pauca præmittere, quæ lucem aliquam ſequenti tractationi afferent. Anno itaque CIƆ IƆ XXXVI *Ferdinandus de Lugo* Canariarum Inſularum Archithalaſſus legatũ ſuum *Gonſalvum Ximenium de Queſada* I. V. Licentiatum, inde ab oppido *S. Marthæ* miſit, ut regiones ad ripam magni fluminis *Magdalenæ* ſitas perluſtraret: Qui cum idoneis copiis terra marique profectus, terreſtri quidem itinere ripam fluminis ingredientibus ſiniſtram aſcendit: quà incedens, tum ob denſitatem nemorum, amnium & torrentium multitudinem, uliginoſa denique atque paludoſa itinera, tum autem maxime ob crebras barbarorum, ferocium juxta atque crudelium infeſtationes, ſummas viarum difficultates eſt expertus: tandem pervaſit ad locum quendam, quem barbari quidem *Toram* dicebant, ipſe vero *Pueblo de los Brachos* appellavit, quod quatuor amnis brachia hîc in unum confluerent: Itinerum rationibus ſubductis, hactenus ſe CL. leuc. à mari intra continentem progreſſos crediderunt: & cum cymbæ quæ adverſo flumine aſcenderant hîc ſe cum illo conjunxiſſent, & flumina ſupra modum intumeſcerent atque in vicinos agros ſeſe effunderent, ibidem hybernare viſum fuit. Animadverterat interea, ſalis copiam inde ab ipſo Oceano à barbaris ad LXX leuc. ſubvectari; contraque plurimum ſalis, à longinquis regionibus, ab eiſdem barbaris ad hunc locum deduci; è quo haud fruſtra divinabat, in mediterraneis regionibus maximam incolarum frequentiam reperiri. Hybernis abſolutis, alterum fluvium aſcenderunt, ad radices uſque altiſſimorum montium, quos barbari vocabant *Opon*, qui ſecundum ipſorum opinionem ſupra L leuc. in latitudinem patent, aſperis atque incultis jugis: hiſce tamen ſuperatis in planam & bene cultam regionem deſcenderunt, ubi ſalis copia è ſalſis quibuſdam fontibus cogebatur; & per hanc in potentiſſimi Reguli *Bogotæ* provinciam penetrarunt: Qui de adventu peregrinorum jam antè monitus, fortiter quidem cum ſuis ſeſe objecit, ſed nullo negotio eſt profligatus; itaque nemine barbarorum deinceps contra ire auſo, pagos incolarum diripuerunt & plurimum paſſim auri atque ſmaragdorum invenerunt: Hinc ad *Panchinm* regionem tranſitum, qui modicis montibus à *Bogotæ* provincia disjunguntur, & aſſiduò cum ſubditis illius bellum gerebant: Quumque Hiſpani Smaragdorum venas ſtudioſe indagarent, primum ad vallem, cui poſteà *Trompetæ* nomen impoſitum, pervenerunt, à qua XV leucarum itinere abeſt mons editus & arboribus prorſus nudus, è quo hæ gemmæ eruebantur. Dum in hac valle moras nectunt, barbari aliquot ad ipſos

Her. d.5. l.10.c.17.

Tora.

Opon.

venerunt, qui ultro ipſis viam ſe commonſtraturos obtulerunt ad alteram provinciam, cujus Regulus *Tunia* dicebatur: quos Hiſpani aliquot duces ſecuti & *Tuniam* non opinantem interceperunt & opulentam prædam cum captivo ad Præfectum ſuum deduxerunt. Trium porro dierum itinere ab hac valle, duo alii Reguli *Sagamoſa* & *Diutama* incolebant, ad quos cum exercitu profectis, unus quidem fuga ſtatim ſe ſubduxit, alter autem pugnam tentare auſus, nulloque negotio profligatus, ad locum à natura munitum ſe recepit: hîc quoque opima ſpolia parta fuere & ad caſtra fuit reditum: jamque ratione ſpoliorum inita, ſe CXCI millia & ducenta nonaginta quatuor pezorum abſolutiſſimi auri & ſupra XXXVII millia paulo deterioris, denique viliſſimi quod vulgo *Faloniam* vocant XVIII millia pezorum: Smaragdorum autem qua grandium, qua minutorum CIↃ IↃ CCC è præda collegiſſe compererunt. Porro impedimentis omnibus & præda cum idoneo præſidio in hac valle depoſitis, expedito itinere in *Bogotæ* provinciam profecti, regulum in latibulo ſuo pene oppreſſerunt, qui tunc quidem è manibus illorum evaſit, ſed poſtea è vulnere in vertice montis defeciſſe deprehenſus eſt. Succeſſit in illius locum *Sagipa*, qui cum Hiſpanis & pacem iniit & fœdus ad *Panches* conjunctis copiis ſubjugandos; quos deinceps magna clade contriverunt & binos eorumdem pagos incendiis deformarunt: Verum pax hæc *Sangipæ* quantocius in exitum vertit; Hiſpani quippe ſupra modum miſerorum opibus inhiantes, quum *Bogotæ* theſaurum ſibi à *Sagipa* aperiri poſtulaſſent, & ille aut non vellet aut non poſſet oſtendere, infenſi hominem miſeris tormentis excruciatum necaverunt.

Neyba. Poſt illa planam regionem, in quam è ſummis montium jugis deſpectus erat (*Neybam* barbari vocabant) ſunt ingreſſi, vicinis barbaris mira de illius regionis opulentia conſulto mentientibus, ut advenas hoſce jam ſibi graves aliò ablegarent; ſed quum eventus voto neutiquam reſponderet, & per denſas ſolitudines nequicquam pervadere tentaſſent, ad *Bogotæ* provinciam remearunt, & per *Panchium* fines iter agentes partem illorum qua minis, qua ingentibus promiſſis, ad pacem cum ipſis colendam adegerunt.

Ximenius autem regioni huic jam ſatis, ut ipſi videbatur, luſtratæ atque domitæ, nomen impoſuit *Novi Regni Granatenſis*, (quia ipſe Granatæ in Hiſpania natus erat,) & oppidum ibidem condidit *S. Fidei de Bogota*. Jamque Hiſpaniam petere certus ut laborum ſuorum præmium à Rege impetraret; gnaruſque flumen grande XXV leuc. ab hoc loco defluere, moleſto illo per *Oponis* juga itinere omiſſo, ſecundo flumine deſcendere conſultum exiſtimavit. Dum autem ſe parat & montes interea nivales, qui hac tranſeunt, luſtrat, commodum nuntiatur illi, in adverſa fluminis ripa, Hiſpanum ducem cum ſuo agmine incedere; is erat *Sebaſtianus de Belalcaçar*, qui è provincia *Popayan* digreſſus, hac via ſibi aditum ad mare Septentrionale parabat & mox etiam alterum agmen ab oriente adventare accepit, quod à *Nicolao Vredemano* ducebatur, qui è præfectura *Veneçuelæ* huc acceſſerat. Atque hic inter hos tres duces haud levis controverſia oborta eſt de harum regionum poſſeſſione, cujus tamen deciſionem quum omnes Regi Hiſpan. deferre parati eſſent, quantocius ſinguli cum paucis comitibus, ſecundo flumine deſcenderunt & ad oceanum penetrantes, in Hiſpaniam navigarunt. Hoc itaque modo Novum hoc regnum primum inventum, cætera quæ inſtituto noſtro magis conveniunt, jam perſequemur.

CAP. II.

Novi Regni Granatenſis *termini, cœli ſolique qualitates, provinciæ variæ, populorum ingenia & mores.*

Her. d. 6. l. 5. c. 5. NOvum Regnum Granatæ, quemadmodum ab Hiſpanis proditur, in longitudinem quidem CXXX leucas, in latitudinem vero ad ſummum XXX, ad minimum XX aut paulo pauciores patet. Fines habet ad orientem quidem Præfecturam *Veneçuelæ*, ad Septentrionem *S. Marthæ*, à qua vaſtis *Oponis* jugis dividitur, ad occidentem *Popayanam*, ad meridiem denique vaſtas & nondum ſatis cognitas regiones: diſtatque ab Æquatore tribus quatuorve aut pluribus gradibus verſus

verſus ſeptentriones. Tota hac regione validè pluit; in ea reperiuntur plurimæ & denſiſſimæ ſylvæ: plurimi paſſim hic agunt barbari, quorum multis adhuc peſſime convenit cum Hiſpanis. Plurima hîc numerantur armenta & jumenta; pluresque equi & mulæ ex hoc regno traducuntur ad Peruviam. Principales illius Provinciæ jam olim fuerunt *Bogota* atque *Tunia*, quæ à barbaris *Panchenſibus* magna ſui parte circumcinguntur. Regio autem *Panchium* intenſe calida eſt, *Bogotarum* contra frigidior aut ſaltem temperata: & quemadmodum iſti *Panches*, ita *Bogotæ* & *Tunienſes* uno & communi nomine *Moxæ* appellantur. A diverſis autem Regulis quum primum Hiſpani has provincias luſtrarent, regebantur: *Tunia* provincia auri venis & ſmaragdorum copia, Bogotenſem provinciam longe præcellit, licet hæc quoque divitiarum minime ſit expers. Aër hîc inter frigus & calorem egregie temperatus, & maxima ſui parte æquabilis, ita ut vix ullum æſtatis & hyemis diſcrimen percipiatur, ne dierum quidem noctiumque, ob æquatoris propinquitatem non niſi levis admodum differentia. Regio ſupra modum ſalubris. Domorum parietes ex aſſeribus ſtructi, tecta gramine aut ſtramentis operta. Indigenæ pro farre utuntur Mayzio aut Caſſavi, aut certis radicibus quas *Yumas*, aut rapis quas *Cubias* appellant: ſale abundant, quem ad alias provincias præſertim montanas & flumini grandi proximas magno quæſtu barbari traducunt; obſonium illorum ferina, cujus magna hîc copia & *Frici*, cuniculorum genus, quos barbari in præfectura *S. Marthæ*, *Curies* vocant. Volucribus haud æque abundant; pauci ibi turtures, plures anſeres, quos paludes nutriunt: in fluminibus denique & lacubus plurimi atque optimi piſces capiuntur.

Moxæ. Tunia.

Quemadmodum autem provinciarum temperies multum diverſa eſt, ita & mores indigenarum valde diſcrepant; Bogotenſes enim & Tunienſes, ſtatura ſunt procera, & habili corpore, fœminæ quoque formoſiores & candidiore colore nec ita fuſco ut aliæ barbaræ vicinarum provinciarum: palliis nigris, albis & verſicoloribus amiciuntur, faſcia circum lumbos conſtrictis, & alii quidem pectore tenus, alii autem ab humeris ad crura demiſſis; capillos corollis quibuſdam & floribus è goſſypio artificioſe contextis & coloratis redimunt; nonnulli & pileolo caput tegunt aut faſcia reticulata vinciunt. Supra modum dediti ſunt choreis & cantillationibus, mendaces ut fere cæteri barbari Americani, ſed mediocriter induſtrii ad artes mechanicas addiſcendas. *Panches* vero moribus olim pravis atque adeo ferinis, antropophagi quippe erant, cum Bogotenſes & Tunienſes à feralibus hiſce epulis plurimum abhorrerent.

Panches.

Licet autem hæ regiones fere annona aliiſque rebus ad vitam neceſſariis abundent, erant tamen inter eas harum rerum inopes; nam in Provincia quæ *Tuniæ* proxima erat, indigenæ cum primò Hiſpani huc accederent, formicis veſcebantur, eaſque ſtudioſe ad victum educabant. In hoc Regno multa metalla paſſim reperiuntur, auri (& quidem valde abſoluti) æris atque chalybis. Regio præterea paſcuis abundat, & triticum aliaſque fruges, herbas & fructus Hiſpanienſes non minus quam indigenas benigne nutrit. Plures aliæ provinciæ ſuis nominibus diſtinctæ ad hanc præfecturam referuntur, de quibus mox dicemus.

Denique in hac præfectura hæc oppida & municipia ab Hiſpanis hodie incoluntur, *Sancta Fe de Bogota*, *S. Michaëlis* municipium, oppida *Tocayma*, *Trinidad*, *Tunia*, *Pamplona*, *Merida*, *Belez*, *Marequita*, *Ybague*, *Vittoria*, *S. Iuan de los Llanos*, & municipia, *Palma* & *S. Chriſtophorus*; de quibus ordine dicemus.

Cap. III.

Metropolis S. Fe: *municipium* S. Michaëlis, *& oppidum* Tocayma.

PRINCIPALIS hujus Præfecturæ urbs atque adeo Novi Regni Metropolis, vulgo dicitur *Sancta Fe de Bogota*; ſita autem eſt quatuor ab Æquatore grad. verſus Septentriones: & LXXII grad. & XXX ſcrupulis à Meridiano Toletano verſus occidentem ut *Herrera* teſtatur: Condidit *Gonſalvus Ximenius de Queſada*, ad radices montium *Bogotæ*; incolitur à familiis ſexcentis Hiſpanorum: hîc & tribunal conventus Juridici hujus præfecturæ cernitur, & gubernator, ærarii regii præfectus,

cæterique miniſtri degunt; hic monetalis officina habetur vel ut Hiſpani vocant *Caſa de Fundicion:* Templum habet Cathedrale, cujus Metropolitano ſubſunt Epiſcopi, Cartaginenſis, S. Marthanus & Popayanus:) duo cœnobia, Dominicanorum unum, alterum Franciſcanorum: illiuſque Diœceſi ſupra quinque millia barbarorum vectigalium comprehenduntur: haud longe ab oppido lacus *Guatavita* jacet, ad cujus ripam barbari ſuperioribus ſeculis idolis ſuis ſacrificare, eiſque multum auri, aliaſque res magni pretii offerre conſueverant. Aër hic valde ſalubris; ut oppidani teſtantur: Sed auri copiam hic jam fruſtra requiras; ob annonæ tamen omniumque rerum ad vitam neceſſariarum, puta panis, caſei, ſuillæ atque bovillæ carnis, gallinarum, & omnis generis cupediarum, abundantiam hodie laudatur.

Municipium quod *Villam S. Michaëlis* vocant, diſtat à Metropoli *Sancta Fide* duodecim leuc. verſus Arctum, in *Panchium* gratiam hic conditum, quo commodius commercia cum ipſis exercerentur, nam cum regio illorum præfervida ſit, permoleſtum ipſis erat ad Bogotanam, quæ frigidior, tranſcendere.

Her.d.7. l.9.c.4. Oppidum *Tocayma* XV leuc. abeſt à Metropoli, inter occidentem & Corum, ad ripam magni fluvii *Pati* conditum, qui in vaſtum *Magdalenæ* alveum deſcendit: cœlo gaudet ſalubri & ſicco, ſereno & plerumque ſudo, interdiu quidem nonnihil æſtuoſo, ſed mane temperato & ſubfrigido, idque omnibus anni menſibus pene ad eundem modum. Indigenæ regionis ſunt natione *Panches*, habili corpore & membris bene compoſitis, niſi quod fronte ſint contractiore, fortes & vicinis ſuis terribiles; humanis carnibus quondam veſcebantur, ſed jam Hiſpanorum conſuetudine mutarunt; liberales ſunt & auri nequaquam appetentes; veloces & venationibus addictiſſimi; vindictæ cupidi; dentes nigro colore inficiunt herbæ cujuſdam ſucco, quam aſſiduo in ore habent: fere nudi agunt, niſi quod fœminæ exiguo panniculo pudenda præcingant: ad ebrietatem uſque ingurgitant ſe potione quadam quam è Mayzio conficiunt.

Haud longe ab oppido fontes viſuntur qui ſulphuream ſubſtantiam eructant; argilla autem per quam ſcaturiunt adverſus ſcabiem & ſimiles affectus uſurpatur, præſentiſſimo remedio, illinitur loco affecto, deinde aqua eorundem fontium abluitur. In valle vicina etiam ſalſæ ſcaturigines reperiuntur, quarum aquæ ſuper plantas quas irrigant, bituminis quandam ſpeciem relinquunt; quo barbari cymbulas ſuas impicare conſueverunt: ſunt & calida hic balnea inter duos algidiſſimos torrentes, quæ pluribus morbis & affectibus mederi, experientia comprobatum eſt. Montium juga quæ admodum excelſa, profunda nive candicant, quæ nunquam reſolvitur: atque hîc Vulcanus viſitur, qui ſæpe flammas, ſemper fumum evomit & magnam cinerum copiam interdum ad octo aut decem leucas diſpergit.


Ager hujus oppidi fertilis eſt: viteſque, ficus, aurantia mala, etiam dactylos, omnes herbas & plantas Europæas, alioſque fructus abunde producens, præterea Sacchari cannas, è quibus jam Saccharum educere cœperunt: Triticum in editioribus & ſubfrigidis partibus; Mayzium fere ubique bis quotannis metitur: armenta omnia juxta atque jumenta hic bene proficiunt; pecora non item: tigres vero, leones & urſi hiſce animalibus grande dant damnum. Inter arbores ſylveſtres *Guayacan* celebratur, quæ arbores hîc copiosè creſcunt; quid multa; cedri, juglandes; quarum tamen nuclei nucibus deſtituuntur, aliæque arbores materiem ſtruendis ædibus magna copia ſubminiſtrant; quarum quædam tam dura ſunt materie, ut nunquam cariem ſentiant: Arboris autem *Zeybæ* folia ſingulis duodecim horis & cadunt & regerminant: Herba denique è qua glaſtum vulgo *Anil*, exprimitur, hîc ſponte creſcit, ſed non uſurpatur: de avibus & cæteris animantibus quæ cum aliis communia habet, nihil attinet dicere.

CAP.

Cap. IV.

Provinciæ Muſorum *&* Colymarum, *cœli ſoliqúe qualitates, populorum ingenia & mores.*

FINES provinciarum *Bogotæ* & *Tuniæ*, verſus Corum claudunt provinciæ populorum qui vicinis barbaris *Muſi* & *Colymæ* dicuntur: quorum regio maxima ſui parte calida eſt atque humida, & ſingulis annis duas æſtates totidemque hyemes perpetitur: prima æſtas exordium ſumit à Calend. Decembribus & in exitum Februarii durat: prima autem hyems à Cal. Mart. durat ad exitum May: à quo ſecunda æſtas exordium ſumit & ad exitum Septembris continuat, quam altera hyems deinde excipit, & reliquam anni partem occupat: non quod hæ tempeſtates æſtus aut frigoris viciſſitudine diſtinguantur, ſed hybernis menſibus plurimum pluit, æſtivis autem continuo ſerenat: pluit autem plerumque tota nocte, interdiu rariſſime: Venti maxime tempeſtuoſi atque infeſti ſunt *Huracanes*, qui ab Auſtro ad Arctum & contra perflant cum tonitribus & horrendis fulminibus. Regio montenſis eſt & crebris amnibus & torrentibus in convallibus rigua, crebraque uligine & paludibus impedita; annonæ copia dives, ſed paſcuorum indiga. Indigenæ quotidie magnum incrementum capiunt, poſtquam carnibus humanis veſci deſierunt; habili quidem ſunt corpore & membris bene compoſitis, ſed laborum impatientes, pigri & modicæ induſtriæ; nudi agere ſolebant, nunc veſtibus uti cœperunt; ebrietati ſupra modum dediti, crudeles atque avari. Unam atque communem linguam uſurpant, bellicoſi quondam & ex inſidiis hoſtes ſuos opprimere ſueti: Dæmoniorum colloquiis olim perquam familiariter utebantur, ſed jam poſtquam Chriſtianis ſacris per baptiſmum initiati fuerunt, dæmonum cultum & conſuetudinem penitus abjecerunt. Inter fructiferas illorum arbores excellit una quæ amygdalarum quoddam genus producit, tereti trunco quemadmodum pinus, nuces autem renes ovillas referunt, quibus amygdalæ continentur oblongæ, ſuavi ſapore & Hiſpanienſibus æmulo: effigiem tam integræ nucis quàm amygdalæ hîc appingendam curavimus.



Item altera quam vocant *Quaoque*, quæ fructum edulem fert magnitudine ovi anſerini. Inter ſylveſtres autem Cedri, & quas ipſi *Cariuros* vocant, materie dura atque coacta, ſupra modum ramoſæ & patulæ arbores: *Guayacan* cujus materies lui venereæ medetur: denique *Xaguæ* quarum ſuccus nigrum colorem inducit, licet per ſe

candidus ſit. Ficus hîc ſuaviſſimos & maximos fructus edunt, quippe quæ mole aurantium malum æquent. Habent & arborem cujus cortices cannabes uſum præſtant in funes contorti; & arborem quam vocant *Hobo* proceram & teretem, cujus germina & cortices vulneribus & crurum tumoribus medentur; frondeſque ex aqua potæ alvum ſolvunt, & plures ejuſcemodi domeſticas arbores; Unam vero egregie noxiam quam vocant *Aguapam*, cujus umbra ita noxia eſt, ut ſi quis Hiſpanus ſub illa ſomnum capiat, ſupra modum infletur, ſi vero nudus aliquis barbarus, etiam diſrumpatur. Peregrinæ autem arbores & ex Hiſpania huc traductæ, aurantiæ, limones & ſimiles, hîc jam abunde creſcunt & optimos dant fructus; etiam vites benigne alit tellus. Indigenæ in cibis ut plurimum utuntur *Mayzio*, piſis, caſſavi & batatis. Quadrupedes hujus provinciæ ſunt porci quidam ſubfuſci, qui umbelicum in dorſo habent; aliique minores qui ab apris parum differunt; cervi, damæ, Guatinaiæ deniq; leporibus noſtris haud abſimiles; Equi, oves atque capræ, quæ animalia vermibus quibuſdam ab ipſo partu obnoxia ſunt, ideoque hîc pauciora.

Hobo.

Aguapa.

Denique in hiſce provinciis variæ metallorum venæ reperiuntur, auri quidem mediocriter abſoluti, ſed longius ab hominum cultu ob ſoli humilitatem & inſalubritatem: argenti quoque nonnullæ, æris autem atque ferri plurimæ; & terra quædam nigra, qua barbari veſtes ſuas tingunt. Multæ ſcaturigines ſalſæ hic paſſim inveniuntur, quarum nonnullæ in ſalem coagulantur, aliæ non item. Sex autem ab oppido *Trinitatis* leuc. ingens fons viſitur, quem vocant *de Tupa* è quo maxima præſtantiſſimi ſalis copia cogitur: mirum vero ſalſos hoſce fontes inter dulcium aquarum ſcaturigines veluti medios reperiri. Provinciæ denique *Muſorum* & *Colymarum*, (qui populi etiam communi nomine *Canapeyes* appellantur) patent in longitudinem quidem leuc. XXV. in latitudinem XIII. Duæ omnino coloniæ Hiſpanorum huc deductæ, in *Trinitatis* oppidum & municipium *la Palma*.

CAP. V.

De oppido la Trinidad, *& municipio* la Palma, *ex* Herrera, *libro* IV. *cap.* V. *Decadis octavæ.*

IN provinciis *Muſorum* & *Colymarum* Hiſpani primum incoluerunt municipium *Tudelam* dictum, ad ripam Fluminis *Zarbi*, verum ob montium vicinitatem & indigenarum nimiam ferociam, maxime autem ob annonæ difficultatem, id paulo poſt deſeruerunt, & plerique *Petrum de Orſua* ſecuti ſunt ducem in expeditione ad provincias quas vulgo vocant *el Dorado*, ob auri famam. Mox haud procul ab illo loco aliud oppidum condiderunt *la Trinidad*, ſed neq; hoc ob loci incommoditatem diu perennavit, verum aliò tranſlatum eſt, ubi hodieque perdurat; ſitus autem hujus oppidi jam quidem opportunus, ſed ob crebros indigenarum motus, oppidani diu bello fuêre vexati. Abeſt hoc oppidum à metropoli *S. Fide* leucas XXIV verſus Corum, ſex autem verſus occaſum à montibus nivalibus Novi Regni, qui ob ſummam altitudinem atque frigiditatem vulgo *Paramo* dicuntur, & frigidam atque fervidam regionem ſeparant; ſunt autem hi montes pars illorum qui inter Aquilonem atque Africum immenſo ſpatio porriguntur, & inde à provincia *S. Marthæ* ad Regnum *Chilenſe* atque adeo fretum *Magallanicum* continuis pene jugis totam hanc Americam Auſtralem permeare creduntur. *Herrera* ſcribit, hoc oppidum ſeptem gradibus abeſſe ab Æquatore verſus Arctum, & in editiſſimis vicinorum montium jugis utriuſque Poli indices proſpici. verum ſi diſtantiæ inter hoc oppidum & Metropolin ratio habeatur, potius ad quintum latitudinis ſeptentrionalis gradum conſtituendum videtur.

Zarbi fl. Flumen *Zarbi* quod unam circiter ab oppido leuc. labitur, ſatis amplum eſt, pluresque alios amnes recipit, quibus acceptis verſus Arctum defluit & in anguſtias coactum, inter duos editiſſimos montes eluctatur: *Furatenam* vocant barbari quaſi dicas virum & fœminam; *Tena* enim barbarorum illorum lingua marem ſignificat, *Fura* fœminam. In agro hujus oppidi ſmaragdorum venæ reperiuntur, nec non duriſſimi cryſtalli & adamantium inſtar in varios angulos efformati; Smaragdi autem venæ

venæ etiam Chalcedonii lapidis ſeu candidi marmoris laminis intermixtæ hic deprehenduntur. Maximam porro harum gemmarum copiam ſubminiſtrat mons *Ytocus*, aliique complures unam atque alteram leucam ab oppido diſſiti. Ab *Ytoco* ad *Abipi* montem tres numerantur leucæ, cujus venæ infinitis & optimis ſmaragdis fœtæ, ob aquarum penuriam indagari deſierunt; In eodem hujus oppidi agro & berilli & lucidiſſima cryſtalla effodiuntur.

Alterum harum provinciarum municipium appellatur ab Hiſpanis *la Palma*, anno cIɔ Iɔ LXXII demum conditum, quindecim à metropoli *S. Fidei* leucis verſus corum; temperies aëris hic magis calida quàm temperata. la Palma.

Cap. VI.

Deſcriptio reliquarum hujus provinciæ urbium, Tuniæ, Pamplonæ, S. Chriſtophori, Meridæ, Belez, Marequitæ, *&c.*

T*Vnia* urbs, provinciæ in qua ſita eſt cognominis, viginti duas leucas à Metropoli *S. Fide* verſus Aquilonem, edito montis jugo impoſita eſt, ut munimentum & receptus eſſet adverſus vicinorum barbarorum incurſus: Ager illius uti & provincia à Bogotana parum differt, tam cœli, quàm ſoli conditione: Urbs ipſa emporium hujus regionis primarium, & commeatus abundantia & annonæ vilitate præcellens: cives ſupra ducentos equos bello idoneos educere poſſunt; denique Dominicani unum hîc monaſterium habent, & Franciſcani alterum.

Pamplona oppidum ſexaginta leuc. abeſt à Metropoli *S. Fide* verſus aquilonem, aurifodinis dives & pecorum copia nobile; & hîc monaſterium habent Dominicani.

Municipium *S. Chriſtophori* nomini dicatum, triginta leuc. à *Pamplona* divergit verſus ſeptentriones, ſitumque eſt ad fines provinciæ quam vulgo vocant *Gritam*, Grita. quæ auri pene inops, ſed paſcuis ditiſſima, ideoque pecori paſcendo & propagando maxime idonea: hinc oppidanis omnis quæſtus.

Merida in ipſo pene limite qui *Veneçuelam* & *Novum Granatæ Regnum* dividit ſita, quadraginta leuc. à *Pamplona* verſus Boream, octodecim autem ab ingenti lacu *Maracaybo* (de quo in *Veneçuela* dicemus) verſus occidentem; in uberrimo ſolo & frugum omnis generis feraciſſimo, nec auri planè effœto; pagum habet ad oram dicti lacus, quò oppidani fruges ſuas aliaſque merces ſemel atque iterum quotannis deferunt, celocibus ad alias provincias transvehendas.

Belez oppidulum triginta quidem leuc. ſeptentrionem verſus à Metropoli *S. Fide*, quindecim autem abeſt à *Tunia*; habet monaſterium Franciſcanorum; ager hujus urbis, uti & vicina provincia, crebris fulgetris obnoxius eſt; in vicinia denique Vulcanus viſitur qui ſaxorum nimbos crebro ejaculatur.

Marequita urbs, (quæ & *S. Sebaſtian del Oro* dicitur) triginta vel quadraginta (nam utrumque traditum inveni) leucas diſtat à Metropoli verſus corum: campeſtri & plano loco ſita, ad radicem montis, unde hîc cœlum ſupra modum fervet, quum in urbe *S. Fidei* fere frigeat, mira varietate in tam exiguo intervallo. Dites hic argenti venas ſub annum cIɔ Iɔ XC primum repertas, fama eſt. Diſtat denique hæc urbs à *Cartagena* celeberrimo Continentis hujus emporio CC leuc.

Ybague urbs ad extremum limitem Novi Regni, qua *Popayanam* attingit, triginta leuc. à Metropoli *S. Fide* verſus occidentem; & hîc monaſterium Dominicanorum viſitur.

Urbs *Vittoria de los Remedios* (ut vocant) diſtat quinquaginta leuc. à Metropoli verſus Corum; metallorum venis ager illius abundare traditur.

Denique *S. Ioannis de Planis* oppidum, quinquaginta pene leuc. à Metropoli verſus Auſtrum, in agro auri venarum locuplete ſitum, hunc catalogum urbium quæ ad præfecturam Novi Regni Granatenſis referuntur, abſolvet.

Accepi à Luſitano qui diu in Peruvia vixerat, in Novo Regno eſſe oppidum Hiſpanorum quod appelletur *Saragoſſa*, ſed dubito an aliquod ſit eorum quæ jam memoravimus, an diverſum. Idem meminit & aurifodinarum, quas vocat de *Soruro*, ſed ſitum illius non deſignat, nolui tamen præterire.

POPAYANA.

Cap. VII.

Provinciæ Popayan *generalis deſcriptio, uti & particularium Provinciarum quæ ſub illa continentur.*

Quia jam ante propoſuimus certo ordine ad Mare Auſtrale & Provincias quæ illud attingunt progredi, per *Popayan* neceſſario nobis tranſeundum, quæ provincias Novi Regni Granatenſis ad Occaſum claudit. Hujus Præfecturæ limites ab *Antonio Herrera* deſcribuntur in hunc modum: In longitudinem inter Arctum atque Auſtrum patet leucas ducentas viginti, (licet idem in deſcriptione Indiæ Occidentalis tantum CXX leuc. tradat) ab extremis Provinciæ Quitenſis finibus, ad primos Præfecturæ Cartaginenſis: in latitudinem vero à Novi Regni limite ad mare Auſtrale circiter centum. *Petrus* autem *de Cieca*, qui ipſemet hanc Provinciam obivit, longitudinem hujus Præfecturæ ducentis paulo plus aut minus leucis definit; latitudinem triginta aut quadraginta, inter mare Auſtrale & altiſſimos atque aſperrimos montes illi adjacentes & inter Andium editiſſima juga, quæ vulgo *Cordilleram* vocant: ab utrorumque jugis latæ valles declinant, multique amnes in planiciem deſcendunt.

d.5. l.10. c.13.

Solum potiſſima ſui parte aſperum & ob frequentes pluvias humidius: parum Mayzii, multo minus tritici ferax, & armentorum, pecorumque pene inops: ſed auri venis opulentum. Complectitur hæc præfectura complures provincias, cœli ſolique natura ita diſſimiles, ut de illis in communi vix quicquam dici poſſit, quare nobis ſatius eſt viſum, cum de oppidis Hiſpanorum agemus, quæ in iis condita, eorum particulatim mentionem facere: hîc autem de provincia propriè *Popayan* dicta, quæ huic præfecturæ nomen dedit, primum dicemus.

Her. d.5. l.10. c.13.

Sebaſtianus de Belalcaçar, Provinciæ *Quitenſi* à *Pizarro* Præfectus, cum jam anno CIↃ IↃ XXXVI pleraſque regiones quæ eandem provinciam verſus occaſum claudunt ad mare uſque Auſtrale obiter luſtraſſet, ad eas, quæ verſus Arctum præfecturam ſuam contingebant, adeundas animum adjecit, ut hac via aditum ad Mare Septentrionale aperiret, idque eo impenſius, quia certis indiciis cognoverat, à duobus fratribus germanis *Calambaz* atque *Popayan* regionem ampliſſimam & auro divitem in illo tractu poſſideri: Omnibus ergo ad hanc expeditionem neceſſariis comparatis, ex oppido *Quito* ad *Otabalum* pagum eſt profectus, qui locus hodie limites utriuſq; provinciæ dirimit: *Paſtorum* & *Pattarum* populorum Reguli adventus illius gnari, copias ſuas in unum cogunt, acriterque venienti ſeſe objiciunt, & agmen illius per intervalla carpentes aliquandiu remorantur: accedebat haud leve incommodum à viarum difficultate, nam per editos montes & aſperrimos clivos enitendum erat, & commeatus inopiâ, quem barbari conſulto in ſaltus atque avia ſubduxerant: *Belalcaçar* tamen hiſce incommodis nihil fractus, lento itinere proceſſit donec ad Reguli *Popayan* regionem ventum eſt: hic ſtativa habere, & milites corpora ſua curare conſultius viſum fuit: invitabat regionis planicies & villarum copia quas barbari paſſim extruxerant in campis, qui ad fluminis uſque ripam per quatuordecim pene leucarum ſpatium ſternuntur, plurimis fructiferis arboribus, quas regio ſponte ſua producit, conſiti, & præſertim *Aguacatibus*, quarum fructus ſaporis jucunditate plurimum commendantur; multis torrentibus & amniculis diviſi, qui ab Andium jugis devoluti, limpidiſſimis & ſaluberrimis lymphis hanc amœniſſimam planiciem rigant.

Licet autem primo à vicinis barbaris, qui fere anthropophagi erant, creberrime infeſtarentur, tamen ſucceſſu temporis non modo hujus, ſed & vicinarum provinciarum compotes facti ſunt Hiſpani: atque in iiſdem ſequentia oppida & municipia condiderunt: *Popayan*, *Sancta Fe de Antiochia*, *Sant Iago de Cali*, *Caramantam*, *Sant Iago de Arma*, *Santannam de Anzerma*, *Guadalajaram de Buga*, *Timanam*, *Sant Sebaſtianum de la Plata*, *Almaguer*, *Sant Ioannem de Truxillo*, *Madrigal* ſive *Chiapanchicam*,

Agredam

Agredam ſive *Malagam*, *Sant Ioannem de Paſto*, *Sant Sebaſtianum de los Paezes*: quorum nonnulla Hiſpani poſtea deſeruerunt, nequaquam pares tantæ ferociſſimarum gentium multitudini in officio continendæ. Hæ Provinciæ hodie per Vicarium Præfecti reguntur, quia nonnullæ Conventui Juridico Quitenſi, aliæ Novi Regni Granatenſis Diœceſi ſunt attributæ.

Cap. VIII.

Urbis Popayan, *& vicinarum provinciarum deſcriptio.*

PRincipalis hujus provinciæ civitas appellatur *Popayan*, à Reguli quem Hiſpani ibidem repererunt nomine: ſita eſt ad altitudinem duorum graduum & triginta ſcrupul. ab Æquatore verſus Septentriones & longitudinem ſeptuagintagraduum & xxx ſcrupul. à Meridiano Toletano verſus Occidentem ſolem, ut *Herrera* teſtatur: Interſecat urbem flumen limpidiſſimum: Cœlo gaudet ſalubri & bene temperato; nam toto anno hic veluti vernat, abſque ulla notabili æſtus frigoriſve viciſſitudine, dies noctéſque pæne æquales ob Æquatoris vicinitatem: ſed unum eſt incommodum, quod hic crebrius pluat quam alibi fere, tonitruaque & fulgura pene quotidie accidant. Solum agri perfœcundum; Mayzium quod hic provenit longe excellit cæterarum Americæ regionum fruges: binæ hic quotannis tritici meſſes: magnaque armentorum, pecorum, porcorum atque caprarum copia & incredibilis tam domeſticorum quam peregrinorum fructuum abundantia.

Indigenæ induſtria & civilitate morum atque affabilitate cæteros Americanos longe antecedunt. Urbs ipſa in edita planicie ædificata ſitu peramœno atque imprimis ſalubri, privata ædificia perampla quidem, ſed leviter ſubſtructa. Fines habet ad orientem vaſtiſſima Andium juga, ad occidentem vero altiſſimos illos montes qui ad mare auſtrale uſque pertingunt; Ad Septentriones & urbem *Cali* verſus, patentiſſimos campos & paſcua, in quibus plurimæ Hiſpanorum villæ viſuntur, in quibus pecuariam exercent; innumeri denique torrentes & rivuli hanc planiciem interſecant ab altiſſimis *Andium* jugis huc ſe derivantes. Vice præfectus regius in hac urbe commoratur, juriſdictionem in totam provinciam exercens: eſt in eadem & Cathedrale templum & cœnobium monachorum, quos vocant *de Mercede*.

Diœceſis hujus urbis ampliſſima eſt, pluréſque majores pagos complectitur: ad ortum ſolis attingit provinciam *Guambiam* incolis atque indigenis frequentiſſimam; atque dein *Guançam*, *Maluaſam*, *Polindaram*, *Palacen*, *Tembion*, *Colaçan* aliaſque complures frequentibus incolis refertas. In hiſce regionibus multum auri, (ſed inferioris notæ) reperitur, perparum abſoluti.

Ad Andium radices *Coconuci* populi patentiores valles incolunt, ubi ingens *Magdalenæ* flumen è ſuis fontibus proſilit: in editis jugis aliquot flammivomi crateres conſpiciuntur: ibidemque & aquæ fervidæ ebulliunt & ſalſæ è quibus copia optimi ſalis cogitur. Ad Auſtrum prætexitur hujus urbis limitibus Provincia *Guanaca* cum pago *de las Barrancas* ut vocant & amniculo ejuſdem nominis; nec procul hinc jacent pagi quos vocant *las Iuntas* & *de los Capitanes*: Sequitur deinceps ampliſſima provincia *de los Maſtelos* & municipium *Patia* in amœniſſima valle, quam limpidus fluviolus interſecat. Ad occidentem jungitur hujus urbis territorio provincia *Bamba* in qua Hiſpanorum colonia *Chapanchica* ſita eſt, de qua mox dicetur.

Cap. IX.

Deſcriptio Fluminis Magdalenæ, *ejus origo & per varias provincias decurſus.*

ANtequam ad deſcriptionem cæterarum hujus præfecturæ provinciarum pergamus, operæprecium fuerit ingentis fluminis quod vocant *Magdalenæ* vel etiam *Santæ Marthæ* origines & curſum hic deſcribere, quia haud procul ab urbe *Popayan* fontes viſuntur magni fluminis, quod barbari paulo inferius *Caucam* vocant, quodque infra *Mopoxium* in alterum flumen quod proprie *Magdalenæ* nomine inſignitur,

inſignitur, confluit. Nam vaſtum hoc flumen aquas ſuas accipit à duobus amnibus, quorum fontes magno intervallo à ſe invicem diſcreti ſunt: Unus quippe illorum, ſupra urbem *Popayan*, è valle, quæ ab Andium radicibus ſeſe explicat, (quæque à *Coconucis* populis ut jam ante diximus habitatur) juxta pagum eorundem barbarorum, quem *Cotura* vocant, erumpit, & primum modico alveo per patentiſſimos *Cali* provinciæ campos labitur, & mox variis rivulis, torrentibus atque amnibus, qui ab altiſſimis montibus defluunt, ita augetur, ut ſub urbe *Cali* jam ingens & *Bæti* flumini quod *Hiſpalin* prælabitur pene æqualis evadat: hinc dilapſus & pluribus inſuper fluviis acceptis, juxta *Buriticam*, haud longe ab oppido *Santa Fe de Antiochia*, jam vaſtus & *Caucæ* nomine Indigenis notatus (ut *Petrus de Cieca* tradit) infra oppidulum *Mopoxium* cum altero amne conjungitur.

Alter autem ille oritur ſupra urbem *Timanam* (de qua ſtatim dicemus) ſub orientali Andium plaga, ita ut continua hæc editiſſimorum montium juga, utriuſque amnis fontes quadraginta circiter leucarum intervallo dividant: Perlabitur autem pleraſque *Novi Regni Granatenſis* provincias, variis nominibus ab Indigenis inſignitus; & novem ſub *Mopoxio* leuc. aut *Caucam* accipit aut ab illo accipitur; atque ita conjuncti uno deinceps alveo in oceanum Septentrionalem per duo aut tria ora exeunt. Inter utriuſque porro amnis alveos antequam confluant, multæ regiones atque provinciæ interjacent, incolis quondam frequentiſſimæ: ubi autem confluxerunt quamplurimas inſulas patentiſſimo ſuo alveo complectuntur, quarum non paucæ à barbaris habitantur: plurimos Crocodilos atque Manatos nutriunt: denique *Petrus de Cieca* ab utriuſque origine ad oſtium circiter quadringentas leucas numerat.

Merces omnes Europææ adverſo hoc flumine ſubvehuntur lintribus, quibus indigenæ jam diu utebantur, Hiſpani autem jam longe majores & capaciores fabricant; Sunt enim plerumque in longitudine pedum ſexaginta, in latitudine quatuor, unilignei tamen & non raro cedrini, portantque centum aut plures *Botias* (ut Hiſpani vocant) vini, duodecim remiges & annonam in viginti dies: tot ſiquidem diebus plerumque aſcenditur ad mediterraneam ſtationem, quam vocant *del Angoſtura* haud procul ab urbe *Marequita* & (ſi *Herrera* non fallitur, nam plures eſſe oportet) viginti quinque ab oppido *S. Fe de Bogota*, leuc. hic locus à re ipſa nomen accepit, nam flumen hoc inter editum montem & modicum ex adverſo collem ita coarctatur, ut ulterius aſcendi ob præcipitem curſum nequeat. Reliqua hujus fluminis ſuperiore libro abſolvimus.

lib. VIII. cap. XVII.

Cap. X.

Antiochiæ *urbis deſcriptio, regionumque adjacentium: iter ab hac urbe ad* Anzermam; Caramantæ *oppidum.*

Deſcriptionem urbium hujus Provinciæ *Popayan*, ſupra à Metropoli provinciæ inchoavimus, ut diſtantiarum ratio, quæ ut plurimum ad hanc referuntur, liquidius conſtaret: nunc reliquarum deſcriptionem ordiemur ab *Antiochia* omnium extima ad Septentriones, & ad ipſos fines præfecturæ Cartaginenſis ſita, de qua longum & anceps certamen fuit inter utriuſque provinciæ Præfectos, donec Regia authoritate determinaretur & hæc urbs cum agro ſuo *Popayanæ* Præfecto adjudicaretur. Urbs ergo *Sancta Fides de Antiochia* (ita enim utplurimum ab *Herrera* aliiſque Hiſpanis appellatur) condita eſt in valle quæ gentili nomine *Nore* dicitur, inter duo maxima & celeberrima flumina *Darienis* & *S. Magdalenæ* ſive *Marthæ*; interque altiſſima & continua montium juga quæ ſecundum utriuſque fluminis ripas longo & continuo ductu exporriguntur. Ipſa urbs in patentiſſima & pulcherrima planicie ſita eſt ad ripam modici amnis: ager autem à pluribus amnibus irrigatur, qui ex hiſce montibus utrimque deſcendunt & utplurimum auri ramenta ſecum deferunt, amœniſſimis fructiferarum arborum lucis undiquaque tecti.

Antiochia.

Petrus de Cieca hanc ad altitudinem VII graduum Septentrionalium collocat, duodecim à flumine *Cauca* leuc. & plus quam centum à Metropoli *Popayan* verſus boream, ut *Herrera* obſervat. Indigenæ harum regionum placido ſunt ingenio, habitu

bitu corporis decoro & colore candido: Aër temperatus atque ſalubris, ita ut indigenæ noctu ſub dio humi conquieſcant, nec ullam noxam à nocturno rore patiantur. Ovibus abundat regio & omnimodis fructibus; amnes autem magnam copiam optimorum piſcium nutriunt.

Porro ab urbe hac *Antiochia*, duæ viæ producuntur, una ad *Anzermam*, altera autem ad *Cartaginem* atque *Armam*: de priori è *Ciecæ* Chronico jam dicemus, ut regionum ſitus melius eluceſcat. Ab *Antiochia* ad *Anzermam* ſeptuaginta leucæ numerantur, impeditiſſimo & permoleſto itinere, per altos & aſperrimos montes, nulliſque arboribus veſtitos: indigenæ autem procul à via habitationes ſuas & tuguria ſubmoverunt.

Antiochiam egreſſis ſtatim occurrit monticulus qui *Corome* aut (ut *Herrera* ſcribit) *Curume* dicitur, anguſtis quibuſdam vallibus imminens, quæ quondam frequentiſſimæ incolis fuerunt, ſed ii poſt Hiſpanorum adventum ad ſummam paucitatem ſunt redacti, pagus adjacet multo auro opulentus, quod in vicinis torrentibus reperitur. paucæ hic fructiferæ arbores & Mayzii parca admodum meſſis. Corome.

Hinc tranſitur ad alium pagum, ſub vaſto & excelſo monte poſitum, quem *Buriticam* vocant, ubi quondam metallicorum ſtativa fuerunt, ob auri copiam, quam hæc regio ſuppeditabat: conſtans quippe fama eſt, ingentem auri opulentiam quæ quondam è ſepulchris *Zenu* vel *Cenu* ab Hiſpanis fuit rapta, ex hiſce regionibus hauſtam fuiſſe. Ab hoc pago amniculus originem ſumit qui planiciem vel potius convallem ſecat, in qua hodie *Santa Fe* viſitur, municipium ad juriſdictionem Antiochenſem ſpectans, quod à metallicis incolitur, qui ditiſſima auri metalla hic effodiunt, haud procul ab ingenti *Caucæ* alveo. Huic municipio vicinus eſt pagus *Xundabe*, qui à barbaris habitatur, qui eodem ingenio & moribus cum præcedentibus barbaris agunt, in frequentiſſimis vallibus quæ præcelſis montibus à ſe invicem ſeparantur. Buriticæ. Xundabe.

Hinc ad *Caramantæ* provinciam & vallem tranſitur, cujus regulus, cum primum Hiſpani hanc adirent, *Cauroma* vocabatur. Indigenæ hujus provinciæ haud inelegantes & imprimis bellicoſi erant, diverſo autem à præcedentibus idiomate utebantur. Vallis autem hæc circumquaque altis & aſperrimis montibus cingitur, mediam ſecat fluvius, pluresque illam torrentes & ſcaturigines rigant, à quibus, quod mirabile eſt, indigenæ optimum & candidiſſimum ſalem conficiunt, præſertim ex exiguo lacu qui ibidem viſitur. Ager Mayzii & radicum, quibus barbari communiter pro farre utuntur, fertilis, ſed fructiferarum arborum haud æque tolerans. Caramãta.

Trans montes verſus orientem *Cartama* provincia jacet: cujus indigenæ à Caramantanis nec lingua nec moribus differunt: auro abundat; habitabant in parvis tuguriis & fere nudi incedebant aut exiguo panniculo pudenda velati. Cartama.

Sed antequam reliquam viam proſequamur, de *Caramanta* oppido pauca dicenda ſunt: Diſtat à Metropoli *Popayan* ſexaginta aut ſeptuaginta leuc. verſus Aquilonem, ad ripam *Caucæ* fluminis ſita; pertinetque ad conventum quidem Juridicum *Novi Regni Granatenſis*, ad Epiſcopatum vero & præfecturam *Popayanam*: abundat Mayzio aliiſque fructibus, excepto tritico, oves aut armenta habet pauca, porcorum abundè: quinque aut ſex horis ab hac urbe ad *Antiochiam* deſcendi volunt, ſecundo flumine *Cauca*, quod velociſſime hic decurrit, cum alioquin ab *Antiochia* pene L leuc. abſit itinere terreſtri.

Cap. XI.

Iter quod ab Antiochia Anzermam *ducit, & urbis* S. Annæ de Anzerma *deſcriptio.*

PERAGRATA provincia *Caramanta*, de qua jam egimus, è veſtigio altiſſimi montes occurrunt, qui ſeptem pene leuc. in latitudinem patent, *Cima* ſua lingua appellant indigenæ, denſiſſimo nemore undiquaque veſtiti: iter difficile & impeditum, multorumque Hiſpanorum exitio pene infame, qui cum primum hanc viam aperirent, fame atque aliis incommodis hic interierunt: Hiſce montibus ſuperatis, primò in modicam vallem deſcenditur, raris incolis cultam; verum paulum Cima.

lum progreſſos ampliſſima & peramœna vallis excipit, incolis quondam frequentiſſima, quum primum ab Hiſpanis adiretur & multis magniſque ædificiis culta, abundans commeatu, & Mayzii atque radicum quibus barbari veſcuntur feraciſſima, nunc pene deſerta, poſtquam Hiſpanorum inſolentia atque ſævitia maximam indigenarum partem abſumſit, reliquos autem deſertis laribus in abrupta vicinorum montium & invios ſaltus ſeſe recipere coëgit: duabus ab hac leucis, minor vallis occurrit, quæ ad montes pertingit quibus *Anzermæ* civitas inædificata eſt.

Anzerma. Hæc civitas primum *Sanctæ Annæ de los Cavalleros* nomine ab Hiſpanis nuncupata, inter duos amnes in edito tumulo ædificata, amœno circumdata luco & omnigenis fructiferis arboribus, tam peregrinis, quam domeſticis circumſcepta eſt: natura loci egregie munita & deſpectu in patentes undiquaque campos adverſus ſubitos hoſtium incurſus ſatis tuta: vicina loca à plurimis indigenarum pagis occupantur. Solum cui urbs ſuperſtructa olim ab Indigenis *Vmbra* dicebatur, ſed *Sebaſtianus de Belalcazar*, quum provincias haſce primum luſtraret & inopia interpretum laboraret, deprehendens ſalem ab indigenis *Anzer* vocitari, provinciam *Anzermam* appellabat, quod nomen poſtea tam provinciæ quam urbi huic manſit. Quatuor ab hac urbe leuc. verſus occidentem, pagus quidam jacet modicus, raris ſed permagnis ædificiis, & frequentiſſimis incolis incultus, juxta amniculum, qui leucam circiter progreſſus in *Caucam* ſe condit. Indigenæ eadem lingua qua Caramantani utuntur, inſigni olim feritate & humanorum viſcerum paſtu abominabiles. E monte qui huic imminet, aliquot torrentes deſcendunt aureis arenis celebres, quæ non modo ab Indigenis, ſed & à Nigritis, quos Hiſpani adduxerunt, magna copia hic hauriuntur.

Copia. *Copia* provincia huic proxima eſt, quam fluvius aurifer ſecat, nunc frequentibus Hiſpanorum prædiis obſeſſus; ab una parte *Cartamæ* provinciæ jungitur, per quam *Cauca* labitur: ab altera vero *Pozo* provinciam attingit & cum ejuſdem incolis dives commercium exercet: Qua autem *Anzermæ* civitas orientem adſpicit, multi magnique ſunt barbarorum pagi: erat ea gens imprimis culta neque tam appetens humanarum carnium, & ante Hiſpanorum adventum auri ditiſſima; malos angelos ſua lingua *Xixaramas*, Hiſpanos autem *Taramacas* vocabant; omnis illorum regio montenſis eſt atque edita, pauci colliculi, planicies admodum rara.

Denique hæc civitas *Sancta Anna de Anzerma*, ut nunc vulgo vocatur, tradente *Herrera*, quinquaginta leuc. abeſt ab oppido *Popayan* verſus Aquilonem, ad cujus præfecturam atque Epiſcopatum pertinet; cæterum à tribunali *Novi Regni Granatenſis*, *Audientiam* vulgo vocant, jus petere conſuevit. Temperies aëris præfervida, crebriſque fulguribus obnoxia; ſolum nec pecoribus bonum nec frumenti ferax, ſed auri venis nobile. Quicquid inter hanc urbem & mare Auſtrale terrarum intereſt, frequentibus Indorum pagis atque municipiis occupatur, ubi flumen *Darienis* oriri conſtans fama eſt.

Cap. XII.

Iter ab Antiochia *ad urbem* Armam; *provinciarum quæ interjacent ſitus atque conditio: urbis* Armæ *deſcriptio.*

AB *Antiochia* ad urbem *Armam* tendentes, primo ad magnum flumen quod Indigenis *Cauca*, Hiſpanis *S. Marthæ* dicitur, duodecim leucarum itinere procedunt: deinde flumen cymbis trajiciunt, quæ frequentes in illis locis reperiuntur, licet rariores indigenæ ripam accolant & minutioribus pagis, quia maxima pars barbarorum domicilia ſua longius à via removit. Hinc paucorum dierum itinere pervenitur ad pagum (*Pueblo Llano* vocant Hiſpani) olim indigenis frequentem: Indigenæ ſtatura ſunt brevi & olim pene nudi agebant, præter fœminas quæ panniculo lumbos præcingebant; Salem præcipuo loco habent, neque aliæ ipſis merces, licet torrentes & amniculi auro imprimis abundare dicantur. *Mugia* pagus ſalis proventu opulentus nonnihil à via remotior eſt.

Aburra. Ab hoc ad orientem flectentes vallis *Aburra* excipit, trans Andes ſita, qui hic facile & unius diei itinere ſuperantur: hæc vallis in peramœnam planiciem ſternitur, ſolum

ſolum illius uberrimum & multis amniculis irriguum: Indigenæ illius ſævitiam Hiſpanorum tantopere exhorruiſſe dicuntur, ut tam fœminæ quam mares magno numero vitam voluntario ſuſpendio finirent. Porro è *Peublo Plano* via ducit ad *Cenuſaram*, ampliſſimum vicum, & opulentiſſimis ſepulchris, ſi famæ fides, nobilem: & ab hoc ad alium vicum quem appellant *Peublo Blanco:* à quo ad *Armam* tendentibus flumen *S. Marthæ* ad dextram relinquendum eſt. Omnis hæc regio uſque ad magnum flumen, olim ad urbem *Cartaginem* pertinebat, donec altera urbs hic conderetur, primo quidem ſupra montem in ipſo provinciæ *Armæ* aditu; deinde quia Hiſpani hic jugiter à barbaris infeſtabantur, & annonæ difficultate ob pomœrii anguſtias laborabant, in planicie, inter duos minores amnes, juxta palmetum imprimis fructiferum; adeo ut hodie hæc urbs abſit à magno flumine II leuc. ab urbe *Cartagine* XXIII, ab *Anzerma* XII, denique à Metropoli *Popayan*, ut *Herrera* prodit, quinquaginta verſus Aquilonem. Solum hujus regionis fertiliſſimum, ſed valetudine habitantium infame habetur, quotannis binæ hic Mayzii meſſes & uberrimæ. Auri metalla hic opulenta, imprimis ad ripas magni fluminis.

Armæ provincia, à qua huic oppido nomen impoſitum, latiſſime patet, incolarumque frequentia & divitiis vicinas provincias longe præcedit. Indigenæ domicilia rotunda & in faſtigio in orbem ſtramentis tecta habitabant. Decem in longitudinem, ſex ſeptemve in latitudinem leucas hæc provincia patet, maxima ſui parte montenſis & fructiferarum arborum lucis opaca, quæ delicatiſſimos fructus ferunt, inter præcipuos autem illum quem vocant *Pytahaian*, cujus hæc eſt qualitas ut urinam tingat colore plane ſanguineo, ſine noxa tamen. Ab his montibus crebri amnes deſcendunt, & inter illos, quem Hiſpani *Rio de Arma* vocant, hybernis menſibus rapidus & trajicientibus periculoſus, cæteri minores ſunt. Ad orientem altiſſima Andium juga huic provinciæ prætenduntur. Arma.

Oppidum *S. Iacobi de Arma* (inquit *Herrera*) auri fodinis dives, conventui Juridico Novi Regni Granatenſis accenſetur, præfectum autem atque Epiſcopum Popayanum agnoſcit, tritici atque adeo omnium peregrinarum frugum inops, ſed Indici farris opulentum. Indigenæ vicinarum regionum humanas carnes avide appetunt, adeo ut idem *Herrera* teſtetur, ſupra octo millia barbarorum & Hiſpanorum ab ipſis immaniter devorata, poſtquam hoc oppidum habitari cœpit.

Magnæ provinciæ *Armæ* limites tranſgreſſos *Paucura* excipit, fertiliſſima provincia, ſoli ubertate & Mayzii aliarumque frugum feracitate nulli ſecunda: Indigenarum lingua ab Armanorum idiomate multum diverſa eſt; Auri metallis haud æque abundat; ſecat illam modicus amnis, variique torrentes. Paucura.

Huic proxima eſt provincia *Pozo*, cujus indigenæ lingua atque moribus cum Armanis conſentiunt: ab una parte ingenti flumine *Cauca* alluitur, ab altera *Carrapa* & *Picara* provinciis clauditur: abundat auri metallis, præſertim juxta magni fluminis ripas & in ipſo Pozenſis pagi agro. Pozo.

Pozenſi provinciæ ad ortum prætenditur *Picara* ampliſſima provincia atque incolis frequens, qui Paucuranorum idiomate utuntur: clauditur autem ad ortum vaſtis Andium jugis, ultra quæ *Arbi* provinciam eſſe teſtantur indigenæ, nam Hiſpani nondum ulteriora luſtraverant, cum *Petrus de Cieca* ſcriberet, quem hic ſecuti ſumus. Picara. Arbi.

Cap. XIII.

De Provincia Carrapa, Quimbaja, *atque urbe* Cartagine.

CArrapa provincia duodecim leuc. abeſt ab urbe *Cartagine*, ſolo edito atque aſpero, non tamen montoſo, præterquam ea parte qua altiſſimis Andium jugis tegitur, à quibus exiguæ valles & planicies ſubſidunt, multis torrentibus atque amniculis riguæ, quorum tamen aquæ nequaquam tam limpidæ aut ſapidæ ſunt quam in præcedentibus provinciis: indigenæ obeſo ſunt corpore & facie oblonga, olim auri divites. Carrapa.

Carrapam excipit *Quimbaya* provincia, in qua *Cartago* condita viginti duabus leucis ab oppido *Arma*. Patet hæc provincia in longitudinem quidem quindecim leuc. in Quimbaya.

latitudinem decem, à flumine *Cauca*, ad ſumma Andium juga; tota pene craſſis & proceriſſimis arundinibus obſita eſt, è quibus indigenæ ædes ſuas ſubſtruunt. Nivales montes ſive ſumma Andium juga ab hujus provinciæ pagis abſunt leuc. VII, in quorum vertice Volcanus cernitur, qui craſſum fumum exhalat; ex his itidem plures amniculi oriuntur, quorum celeberrimi *Tacurumbi* & fluvius *de là Cegue*, qui propter oppidum labitur, pluresque alii, in quibus plurimum auri reperitur; inter hoſce amniculos & ſcaturigines, quædam ſunt ſalſæ. Plurimæ hic fructiferæ arbores, tam eæ quas regio ſponte producit, quam quas Hiſpani intulerunt. Aër hic admodum ſalubris, neque frigidus neque ferventior, ita ut Hiſpani hic degentes raro à morbis tententur & diu vivant. Plurimas apes alit, quæ in concavis arborum truncis aut arundinetis mellificant. Multæ hîc arbores quæ fructum ferunt, quem vocant *Caymito*, perſici mali magnitudine, intus nigrum & minutis granulis refertum & ſucco ita lento, viſcoſo atque tenaci ut difficulter abluatur: nec non *Aguacates* & *Guayavæ*, quarum quædam fructus ferunt acidulos inſtar limonum, odore atque ſapore pergrato. In arundinetis multæ feræ nidulantur, ingentes leones & animalculum illud quod catulos ſuos in ſacculo circumfert, quod hic indigenis *Chuca* dicitur; plures *Cervi*, cuniculi & *Guadaquinaies*, leporibus paulo majores, carne & optimi ſaporis & nutrimenti; & ejuſcemodi complures.

Caymito.

Urbs *Cartago* in planicie ſita eſt, inter duos torrentes, ſeptem leuc. à magno flumine *Cauca*, ad ripam amniculi, cujus limphas Hiſpani potant: unum in illa monaſterium fratrum minorum: itinera undiquaque impedita ob profundas uligines & cœnum, nam maximam anni partem hic pluit, & creberrime fulgurat: Unam aut paulo amplius ab urbe leucam, amniculus decurrit, quem vocant *Conſota*, juxta quem lacus modicus jacet & fons ſalſus è quo indigenæ præſtantiſſimum ſalem coquunt. Abeſt autem *Cartago* (ut *Herrera* teſtatur) à Metropoli *Popayan* viginti quinque leuc. verſus Aquilonem, pertinetque ad Conventum quidem Juridicum *Novi Regni Granatenſis*, ad Epiſcopatum vero & præfecturam *Popayanam*: ager illius neque triticum neque ullum far Hiſpanienſe producit; armentis vero atque jumentis paſcendis egregie eſt opportunus: auri pene inops; cæterum cœlo & temperato & ſalubri.

Cartago.

Qui ex hac urbe ad oppidum *Cali* proficiſcuntur, primo arundinetum tranſeunt ad fluvium *de la Veja*, (hybernis menſibus perdifficilem trajectu,) leuc. IV: deinde ad *Caucam* leuc. unam, quem ratibus aut lintribus trajiciunt; Hic jam duæ viæ in unam coëunt, nimirum ea quæ à *Cartagine* deſcendit & illa quæ venit ab *Anzerma*. Diſtantia denique inter *Cartaginem* & *Cali* quadraginta quinque leuc. inter *Anzermam* & *Cali* quinquaginta definitur.

CAP. XIV.

Oppidi Cali *deſcriptio & vicinarum provinciarum; & de portu ad mare Auſtrale, qui* Bonaventura *dicitur.*

OPPIDUM *Cali* conditum eſt in plana valle ad radices altiſſimorum montium, quatuor ab Æquatore gradibus verſus Septentriones, viginti duabus leucis à Metropoli *Popayan*, viginti octo leuc. à mari Meridionali, una tantum à magno flumine *Cauca*, ad ripam alterius amnis, qui è montibus, qui oppido imminent, deſcendit: niſi temperies aëris hic admodum fervida eſſet, inter ſaluberrima totius Americæ loca numerari poſſet: incolis nihilominus ſatis frequens eſt nam Præfectus totius Provinciæ & alii regii miniſtri hic plerumque habitant & ditiſſima commercia hic exercentur. Duo hic monaſteria, unum Auguſtinianorum, alterum fratrum quos vocant *de Mercede*. *Sebaſtianus de Belalcazar* oppidum hoc primum collocaverat inter populos quos Hiſpani appellabant *Gorrones*: cujus nominis hanc originem produnt; Hiſpani linguæ barbarorum ignari, quum piſces ab hiſce populis *Gorron* audiſſent nominari, idem nomen populis impoſuerunt; ſicuti jam ante in *Anzerma* factum fuiſſe notavimus.

Porro ut hujus provinciæ in qua *Cali* hodie habitatur, atque adeo adjacentium

tium regionum ſitus & qualitas melius cognoſcatur, è *Petro de Cieca*, deſcriptionem hujus regionis paulo altius repetemus. Infra oppidum *Popayañ*, altiſſimorum montium ordines ſeſe incipiunt diducere & vallem quandam expotrigere, quæ initio anguſtior, paulatim ita dilatatur, ut duodecim leucas in latitudinem tandem pateat, rurſuſque per intervalla ita arctatur, ut denique flumen, quod vallem permeat, intra editos utrimque montes ita concludat, ut alveo veluti contracto perniciter inter obſtantes & imminentes ſcopulos eluctetur, nulliſque cymbis aut ratibus hic tranſiri poſſit, ſed magnos vortices agat, qui omnia in profundum attrahant & ſuperfluitantia evertant. Ab his anguſtiis vallis *Cali* ſeſe pandere incipit, plurimis pagis & magna populorum frequentia jam olim culta; verum poſtquam Hiſpani harum regionum potentes facti ſunt, maxima horum populorum pars exciſa eſt & pene ad internecionem deleta; pauci autem qui ſuperſunt, ad montana quæ verſus occidentem hanc vallem concludunt, ſe receperunt, de quibus paulo poſt dicetur. Hanc vallem ad Arctoam plagam attingit altera provincia, quæ fines ſuos cum *Anzerma* dividit, cujus indigenæ ſuperiori ſeculo *Chanci* dicebantur; gens Chanci. procera admodum ſtatura, ita ut è gigantum proſapia haud immerito deſcendere judicarentur, facie oblonga & patenti fronte.

In vicinis montibus, qui à vaſtis jugis, (quæ vulgo *Cordilleram* vocant & ad occidentem ab hac valle ſita ſunt,) ſenſim declinant & in vallibus quæ inter eoſdem ſeſe aperiunt, *Gorrones* iſti, de quibus ante dicebamus, incolebant tribus aut quatuor Gorrones. leucis à valle *Cali* & magno flumine, frequens natio, pauxilli idque vilioris auri compos, quæque utplurimum piſcibus, quos in vicinis amnibus certis anni tempeſtatibus capiebant, victitare conſueverat. Horum provincia hodieque ad agrum urbis *Cali* pertinet: Mayzii aliarumque frugum & fructuum variorum ſatis fœcunda. Multi hic cervi, *Guadaquinayæ* aliæque ejuſdem generis feræ; volucrum quoque copia. Maxima autem vallis *Cali* licet valde fertilis, tamen magna ſui parte vaſta & inculta jacet & ferarum tantum latibulum eſt, ob paucitatem oppidanorum, qui tam latis agris colendis minime ſufficiunt. Porro ad oppidum *Cali* tendentibus primum Cali. convallis tranſeunda, trium leuc. ſpatio, dein fluviolus trajiciendus, ad utramq; ripam denſo luco tectus, qui & perniciter admodum defluit & pro montium è quibus effluit conditione egregie alget, unde & nomen apud Hiſpanos invenit, *Rio Frio*; denique poſtquam magnam hujus *Calienſis* vallis partem permeavit, condit ſe in magnum flumen. Hoc fluviolo trajecto patentes campi adeuntur, in quibus Hiſpani prædia ſua & villas habent, ibidemque per ſervitia gnaviter pecuariam exercent: ager autem omnis pluribus arboribus fructiferis amœne admodum conſitus eſt.

Ab oppido *Cali* verſus occidentem & montana, plures vici incoluntur à barbaris qui oppidanis ſubjecti ſunt & vectigales; ingenio facili, ſed induſtria tantum mediocri. Quinque autem ab oppido leuc. alia vallis ſita eſt, (quam vocant *Lilen*,) Lile. Mayzii & Jucæ perfœcunda, fructiferis arboribus plena; mediam ſecat amniculus, ad cujus ripam varii fructus creſcunt, præcipuè autem ſapidiſſimæ & beneolentes *Granadillæ*. A qua porro verſus Oceanum Auſtralem, *Timbæ* populi, valles quaſdam Timbæ. profundas, inter excelſos, aſperos atque incultos montes, incolunt, quæ fructiferis arboribus plenæ ſunt & Mayzii aliarumque frugum proventu abundantes: barbari hi primis illis temporibus plurimos Hiſpanos neci dederunt.

Præter haſce provincias de quibus jam egimus, ſub Diœceſi oppidi *Cali* adhuc longe plures comprehenduntur, præſertim montanæ, ubi varii populi inter editos & aſperrimos montes, valles quaſdam & declivia loca habitant, omnibus rebus ad victum neceſſariis ſufficienter inſtructi: in ſaltibus autem & præcipitiis montium latent varia animantia hominibus juxta atque aliis animalibus infeſta; præſertim tigres quæ multos barbaros & non paucos Hiſpanos, qui hac iter ad mare aut à mari agunt, dilaniaverunt.

Trium autem dierum itinere, trans aſperos & incultos montes multis palmarum nemoribus obſitos & paludibus triſtique uligine in convallibus ſqualidos, portus *Bonaventuræ* aditur, XXX ab oppido *Cali* leuc. ad cujus Diœceſin pertinet: tribus Bonaventura. gradibus & triginta ſcrup. ab Æquatore verſus Arctum ut *Herrera* teſtatur. Paucæ hic Hiſpanorum familiæ habitant, in eum maxime finem, ut merces quæ

è *Nova Hiſpania* aut aliunde hic appellunt, accipiant & ad *Popayan* & alia oppida ſubmittant. Locus valde humidus & inſalubris judicatur, ſitus quippe in gremio profundi ſinus, quem vulgo *Bahiam de Bonaventura* vocant: tota autem regio circumvicina altiſſimis & incultis montibus aſpera eſt, ubi pene continuo pluit, ita ut varii amnes hinc prodeant qui omnes in mare Auſtrale deſcendunt; unus autem in ipſum portum: Denique portus hic abſconditus; & oſtium illius inventu atque aditu perdifficile, niſi cum peritiſſimo nauclero. *Petrus de Cieca* ſcribit, unicum remedium eſſe merces ad oppidum *Cali* ſubvehendi, eas barbaris ſuccollandas & bajulandas tradere, nam propter locorum aſperitatem & viarum difficultatem nullus hic jumentorum uſus eſt: licet ſecundum ripam fluminis *Daguæ* nonnunquam equis Dagua fl. vectentur, ſed hi tam miſerum in modum fatigantur ut nullius poſtea pretii ſint: barbari autem hîc onus trium aut quatuor arobarum (*Aroba* Hiſpanis eſt pondus viginti quinque aut paulo plurium noſtratium librarum) portare ſolent; quinetiam mares, fœminaſque in portatili ſella locatos, per impeditiſſima loca, per montes & trans flumina, ſuper humeros ſuos bajulant, nullo ſuo emolumento, quum merces omnis heris ipſorum, Hiſpanis nimirum cedat.

Cap. XV.

Iter ab oppido Cali *ad Metropolin* Popayan, *& regionum interjacentium qualitates.*

AB oppido *Cali*, ut ſupra diximus, ad Metropolin hujus Provinciæ viginti duæ numerantur leucæ, expedito ſatis itinere, per campeſtria utplurimum, abſque ullis montibus, & per colles modicè editos & nequaquam aſperos aut difficiles ſuperatu. Ab oppido ſiquidem *Cali*, primo proficiſcendum eſt per campos & planiciem, quæ ab aliquot tenuibus amniculis interſecatur, donec perveniatur ad modicum amnem, qui vulgo *Xamundi* appellatur, cujuſque ripæ ponte ex majoribus cannis conſtrato conjunguntur, quem homines tranſire ſolent, jumenta autem vado traducuntur. Juxta fontes hujus amniculi, barbari quidam degebant, quorum regulus *Xamundi* dicebatur, à quo genti huic & fluento nomen primis illis temporibus inditum fuit, quod hodieque manet. Hi olim commercia cum *Timbis* populis quorum ſupra meminimus exercebant & abundabant multo auro, quod omne Hiſpani, quibus commendati, id eſt, inſervitutem traditi fuere, ipſis eripuerunt. Ab hoc amniculo ad magnum flumen quod inferius *S. Magdalenæ* appellatur, quinque ſunt leucæ: Id autem ratibus aut unilignéis lintribus facile tranſitur, ope barbarorum qui ripas accolunt. Utraque autem hujus fluminis ripa à frequentibus barbaris olim fuit habitata, qui nunc ad ſummam paucitatem redacti ſunt, partim eorum & propria feritate, qua alii alios mactabant & devorabant, partim Hiſpanorum crudelitate & bellicis cladibus: qui autem ſuperant, ad eaſdem ripas degunt & *Aguales* (gentili nomine, an ab Hiſpanis invento, non dixerim) vulgo appellantur & hodie oppidanis Calienſibus vectigales ſunt, eiſque ſerviunt.

Xamundi. Aguales.

A trajectu autem magni hujus fluminis ad Metropolin *Popayanam* quatuordecim ſunt leucæ: Superato quippe flumine, paluſtria loca & uligine impedita tranſeunda ſunt, ſed vix quartæ leucæ partis ſpatio; reliqua itineris expedita ſunt, & plana uſque ad alterum fluvium, quem vocant *de las Oveias*, qui æſtate quidem nullo negotio, hyeme vero cum ſummo diſcrimine tranſitur, tum propter alvei ipſius altitudinem, tum maxime quia vadum illius tam brevi intervallo diſtat à magno flumine, quod hunc quoque in ſe admittit: plures hic tam barbari quam Hiſpani abſorpti interierunt.

Piandamo fl. Ab hoc porro ſex leucas per editam planiciem expedito & facili itinere progreſſis alius rurſus fluvius occurrit, quem *Piandamo* vocant: hunc itidem multi mortales olim accoluerunt, qui ob cauſas quas jã ſæpius indicavimus, hodie aut interierunt aut aliò, ut tyrannidem advenarum effugerent, in abdita aut aſperos montes commigrarunt.

Guambia. Ad ortum ab hoc fluvio ſita eſt provincia *Guambia* pluribus vicis barbarorũ culta. Deinceps & alius amniculus tranſitur, *Plaça* vulgo dictus, juxta fontes & ad utramque ripam

ripam accolis frequens; & jam ſecundo magnum flumen *Magdalenæ* & quidem vado, quia hic non ſupra dimidiam orgyam altum deprehenditur. Ab adverſa ripa ad oppidum *Popayan* ager omnis amœniſſimis villis & prædiis Hiſpanorum egregie cultus eſt, ubi & ſementem faciunt & pecuariam exercent. Multi rivuli ab Andibus devoluti hos campos rigant, in quorum nonnullis olim auri ramenta fuerunt reperta. Hæc regio quondam multos barbaros aluit, qui jam penitus defecerunt. Denique hæc via ab oppido *Cali* ad Metropolin *Popayanam* frequentiſſimè uſurpatur, nam ſi *Herreræ* credimus, nulla commodior aut expeditior reperiri poteſt, ad merces è provincia *Veneçuela*, & omnibus aliis quæ ad mare Septentrionale ſitæ ſunt, ad hanc *Popayanam* Metropolin, & porro ad *Peruviam* & *Chilen* ſubvectandas.

Cap. XVI.

Iter quod ab oppido Popayan *ad oppidum* Paſto *ducit, Provinciarum intermediarum qualitates; Populorum mores: oppidum* Paſto.

AB oppido *Popayan* ad urbem *Paſto* tendentibus, primo fines *Conconucorum* tranſeundi ſunt, de quibus populis jam ante diximus cum de Metropoli ageremus: quibus ſuperatis, vallis *Patia* quam magnum flumen perlabitur, ſen- Patia. ſim anguſtatur, & occurrit pagus olim ampliſſimus & barbarorum incolatu frequens, ac ne nunc quidem infrequens, licet bona pars indigenarum hodie domicilia ſua ad montana, quæ ad occidentem proxima ſunt, tranſtulerit: Hiſpani nominant hunc pagum *Pueblo de la Sal*; ejus incolæ ditiſſimi fuerunt & plurimum probi & abſoluti auri heris ſuis atque dominis contulerunt.

Paulo ultra hunc pagum incipit provincia barbarorum quos vulgo vocant *los* los Maſteles. *Maſteles* & juxta illam provincia *Abadum*, quorum pagi ſunt *Yſancal, Pangam* & *Zacampus*; itemque *Chorrorum* populorum regio & denique *Pichilumbuy*: quin & ad oc- Abades. Chorri. cidentem ab hoc pago plurimi populi & gentes incolunt, ad oram Maris Auſtralis uſque; & regionem hanc auri venarum haud expertem eſſe, vulgo creditur. Multi hic pagi juxta ſparſi, *Aſgual, Mallama, Tucurres, Capuyes, Iles, Gualmatal, Funes, Chapal, Malos* & *Pyales, Pupiales, Turca* atque *Cumba.* Omnes hi pagi & eorumdem Reguli, olim communi nomine *Paſti* dicebantur, à quibus oppidum quod hodie hic vi- Paſti. ſitur nomen ſuum mutuavit. Hiſce autem pagis & populis, alii item barbari ad orientem finitimi ſunt, quos vocant *Quillacingas*, quorum præcipui pagi ſunt *Mocondino* & *Bexendino, Buiſaco, Guajanzangua* & *Moxoconduque, Guaquanquez* atque *Macaxamata:* Et adhuc magis verſus ortum ampla & mediocriter fœcunda provincia ſita eſt, quæ *Cibundoy* dicitur: Cui adjacet pagus *Paſtoco*, itemque alter haud Cibundoy. longe à ripa lacus, qui ſummitatem editiſſimi montis ad leucas circiter octo in longitudinem, & pene quatuor in latitudinem occupat, adeo frigidus ut aquæ illius nullos plane piſces nutriant, nec à lacuſtribus volucribus facile adeantur: Solum quoque in ambitu plane effœtum ita ut neque Mayzium producere, nec ullam arborem fructiferam alere queat.

Porro omnis *Paſtorum* ager Mayzii quidem atque frugum infœcundior eſt, præterquam avenæ, quam benignius tolerat; ſed paſcuis ſatis lætus, unde hic quamplurima armenta paſcuntur, imprimis autem ingentes porcorum greges. *Papæ* radices, *Xiquimæ* & ſapidiſſimæ *Granadillæ* hic abunde creſcunt. *Quillacingarum* autem Quillacingæ. ager Mayzii & aliarum frugum atque fructuum fœcundiſſimus eſt.

Novem vero ab oppido *Paſto* leuc. fluvius labitur quem Hiſpani *Rio Caliente* vocant, cujus aquæ ſupra modum commendantur; hybernis autem menſibus ita inflatur, ut perdifficulter tranſiri poſſit. Hoc fluvio trajecto, altiſſima montium juga aſcendenda trium circiter leucarum ſpatio, dein rurſus in planiciem deſcenditur & per ſolitudinem iter agitur, ubi acriter friget: qua emenſa ad editum montem pervenitur, cujus vertex denſum fumum ut plurimum exhalat; hunc Vulcanum ad dexteram relinquunt, quibus à *Popayan* ad *Paſto* oppidum iter eſt.

Paſtorum denique regionem alius præterea fluvius interluit, vulgo *Angaſmayo*, ea re potiſſimum celebris quod olim regni Peruani limes fuerit ad Arctum; quemadmodum

modum fluvius *Maule* in provinciis Chilenſibus ejus limitem clauſit verſus Meridiem, dum Ingarum imperium maneret.

Oppidum *S. Ioannis de Paſto*, abeſt à Metropoli *Popayan* verſus Africum leucas quinquaginta, ut *Herrera* affirmat, vel quadraginta ut *Petrus de Cieca*, quod veritati & itinerum rationibus magis convenit: à Metropoli autem Quitenſi verſus Aquilonem leucas quinquaginta, vel ut *Didacus Fernandez* vult, quadraginta: à mari denique auſtrali leuc. quadraginta ſecundum *Herreram*. Uno ab Æquatore gradu verſus Arctum. Conditum eſt autem in pulchra & amœniſſima valle, quam fluvius limpidiſſimæ & optimæ aquæ interluit, præter alios quamplurimos rivos & torrentes, vallem *Atris* olim appellabant: fuitque incolis ſatis frequens ante Hiſpanorum adventum, qui jam ad montana ſeſe receperunt: ſolo edito undiquaque cincta eſt, quod partim in colles aſſurgit, partim in convexam planiciem ſternitur. Hiſpani hic multas villas & ruſtica prædia habent, in quibus pecuariam exercent; ad ripam vero fluvii etiam tritici & Mayzii ſementem faciunt. Omnis autem regio *Paſtorum* ſubfrigida eſt aut ſaltem temperata & quidem frigidior æſtate quam hyeme, uti hic anni tempeſtates diſtinguunt, quod & in oppido locum habet; cæterum ſalubris & maxima ſui parte aut fœcunda aut pecori optima: Auri venarum haud expers credita. Regiones quæ oppidum à Meridie contingunt proximo libro proſequemur, ubi de *Peruvia* agetur. Denique ad Diœceſim hujus oppidi ſupra viginti quatuor millia barbarorum pertinere refert *Herrera*, qui Hiſpanis vectigal & operas gratuitas debent: ab humanis carnibus etiam dum gentiles erant abſtinebant, cæterum nec habili corpore nec urbano ingenio, ſed ſordidi, bardo ingenio, & induſtriâ pene nullâ.

Atris.

Cap. XVII.

Reliqua oppida & Municipia hujus Præfecturæ.

Reliqua hujus præfecturæ oppida hæc ſunt. *Timana* urbs quadraginta leuc. à Metropoli *Popayan* verſus Eurum, ſexaginta ab oppido *S. Fe de Bogota*, ad initium vallis quæ *Neyva* dicitur & ab altiſſimis Andium jugis (quæ vulgo *Cordillera* dicuntur & omnem hanc Americam uti ante diximus peragrant) ad orientem ſita eſt, in regione æſtuoſa. Cæterum provincia *Timana*, à qua urbi nomen eſt, perſalubris eſt & optimis aquarum fluentis irrigua, paſcuis læta & armentis paſcendis peropportuna. Oppidanorum & incolarum præcipuus hodie quæſtus eſt, omnimodos fructus, qui hic longe optimi paſſim creſcunt, ſaccharo aut melle, quod hic maxima copia in concavis arborum truncis reperitur, condire; imprimis autem è nucibus quibuſdam quæ amygdalarum ſaporem æmulantur, cupedias quaſdam placentarum in modum efformare; quæ omnia ad *Almaguer* oppidum venum portant. Hic quoque quamplurimi ſunt horti & viridaria in quibus *Cocam* tantopere omnibus hujuſce Americæ populis expetitam, magna cura excolunt. Abundant & *Pita* quam in tenuiſſima fila ducere ſingulari induſtria conſueverunt, quæ in magno ubique ſunt precio. Oppidum valde ſalubre eſt & incolæ illius longævi. Subpræfectus provinciæ hic habitat, cui & oppidum *S. Sebaſtiani de la Plata* attribuitur. Haud longe ab hoc oppido abeſt mons quidam in cujus viſceribus magnetem reperiri teſtantur.

Timana.

Provinciæ hujus terminos contingunt *Yalcones*, ferox & pugnax natio, quæ vallem *Aquirgam* poſſidet: hanc vallem claudit *Paezium* populorum provincia.

Yalcones.

Hi populi à præcedentibus ingenio & moribus nihil diſcrepant & jam olim Hiſpanis qui urbem *Timanam* incolebant gravia damna intulerunt; & oppidum *Neyvam*, quod in eadem provincia viginti ab oppido *Timana* leuc. conditum fuerat, deſerere coëgerunt: Iidem quoque *Paezes* cum vicinis *Pixais* atque *Manipis* urbem *S. Vincentii* quam Hiſpani in *Paezium* provincia moliebantur ſexaginta leuc. ab oppido *S. Ioannis*, ut vocant *de los Llanos*, in finibus præfecturæ *Popayanæ*; & villam *de los Angeles* novem ab oppido *Neyvæ* leuc. viginti duabus à *Tocayma*, vaſtarunt & colonos Hiſpanos procul à ſuis finibus ſubmoverunt.

Paezes. Pixai. Manipi.

Oppidum *Guadalajara de Buga*, in valle *Buga* ſitum eſt, à qua & agnomen mutuatur,

Buga.

tur, quindecim leuc. à Metropoli *Popayana* verſus Boream, inter ſumma Andium juga (ut *Petrus de Cieca* teſtatur) quæ provinciam *Popayanam* à vallibus *Neyvæ* dividunt: Incolæ hujus oppidi jus quidem accipiunt à Conventu Juridico Quitenſi, ſunt autem ſub præfectura *Popayana*, illiuſq: Epiſcopum agnoſcunt in cauſis Eccleſiaſticis.

Oppidum *S. Sebaſtiani de la Plata*, ſitum eſt in limite præfecturæ *Popayanæ*, triginta quinque leucis à Metropoli *Popayan*, triginta leucis ab oppido *S. Fe de Bogota* verſus Africum: in hujus agro multæ ſunt argentifodinæ, à quibus oppidum cognominatur; indigenæ autem provinciæ in viginti quatuor tribus partiti ſunt, *Repartiementos* vocant Hiſpani, quarum ſingulæ dominis ſuis Hiſpanis tributum pendunt & gratuitam operam præſtant. Abeſt porro hoc oppidum tres leucas à portu mediterraneo ad ripam magni fluminis *Magdalenæ* ſito, quem vocant *Ondam*; ubi cymbæ quæ merces ad hanc præfecturam adverſo flumine ab urbe *Cartagena* & præfectura *S. Marthæ* ſubvehunt, onera ſua exponere ſolent. Conditum eſt oppidum in patenti campo ad ripam fluvii *Guali*; terræ motibus admodum obnoxium eſt, & hyeme hic magis æſtuat, quam alget: indigenæ fere omnes ad internecionem deleti ſunt à vicinis barbaris, quos vocant *del Rincon*; qui illos ex inſidiis captos abripiunt, mactant & in publicis macellis ſuis carnes illorum venales proſtituunt; neque huic malo hactenus ab Hiſpanis potuit obviam iri.

S. Sebaſtian. — *Onda.* — *Guali fl.*

Urbs *Almaguer* ſita eſt viginti leuc. à Metropoli *Popayan* verſus Eurum, ſuper planum & incultum montem; aër hic frigidiuſculus ſed amœnus: indigenæ goſſypinis veſtibus amiciuntur: ager vicinus tritici, Mayzii & aliarum frugum atque fructuum perfœcundus: pecorum & armentorum magna hic copia; denique opulentiſſimæ auri venæ hic repertæ, quæ hunc locum plurimorum concurſu frequentiorem fecere. *Almaguer.*

Oppidum *S. Ioannis de Truxillo*, quod barbarorum lingua *Yſcance* dicitur, diſtat triginta leuc. à Metropoli *Popayan* verſus Eurum; incolarum numerum aut opes nondum ab Hiſpanis ſcriptoribus tradita inveni. *S. Joan.*

Urbs *Madrigal*, quæ barbarorum lingua *Chapanchica* appellatur, diſtat ab oppido *Popayan* triginta quinque leuc. pene verſus Meridiem: regio aſpera eſt & petroſa, ubi nec triticum ſeritur, nec pecora paſcuntur; Mayzium tamen quotannis bis non infeliciter provenit. Indigenarum ingenia, à locorum natura magis aſperantur, ita ut non facile perdomari aut ad humanitatem traduci poſſint: in agro autem auri metalla ſunt inventa haud contemnenda. *Madrigal.*

Agreda, quæ & *Malaga* ab Hiſpanis appellatur, diſtat à Metropoli quadraginta quinque leuc. verſus Africum: hic quoque non vulgaria auri metalla ſunt inventa, ut tradunt Hiſpani. *Agreda.*

Cap. XVIII.

Portus, Stationes, Flumina, Promontoria, omniſque ora huius Præfecturæ Inſulæque eidem obiectæ.

SECUNDUM oram maritimam hujus Præfecturæ, ad mare Auſtrale, à Promontorio *de Corrientes* ad altitudinem quinque graduum Septentrionalium, primo occurrit fluvius, quem vulgo vocant *R. de Salinas*, inter dictum Promontorium & Inſulam *Palmarum*. Inſula *Palmarum*, quæ à multitudine harum arborum, quibus paſſim obſita eſt, nomen ſuum accepit, haud ſupra ſeſquileucam ambitu ſuo complectitur, amniculos aliquot & torrentes habet limpidarum & potabilium aquarum, fuitque quondam à barbaris habitata; diſtat à Promontorio *de Corrientes* leuc. viginti quinq; ab Æquatore vero grad. IV & XX ſcrup. verſus Arctum. Ab hac ad ſinum *Bonaventuræ* tres numerantur leucæ, de quo ſinu & illius portu jam ante diximus. *I. de Palmas.*

Hactenus ora pene ad Auſtrum pertinet: à ſinu autem *Bonaventuræ* ora ad Euroauſtrum convertitur ad leucas viginti quinque, ubi Inſula *Gorgona* continenti objacet. Omnis hæc ora vadoſa eſt & leniter declivis & ad ipſum littus uſque denſis arborum ſylvis obſita, quas vulgo appellant *Mangles*. Inter flumina autem quæ hîc in Oceanum egrediuntur, facile princeps eſt rapidiſſimum flumen *S. Ioannis*; utraque illius ripa accolitur à vere barbaris gentibus, quæ tuguria ſua in faſtigiis

arborum collocarunt, ſiquidem flumen hoc ripas ſuas non raro excedere & vicinam regionem inundare conſuevit: certis autem temporibus in terram deſcendunt & faciunt ſementem phaſeolorum, fabarum, piſorumque & meſſe abſoluta capiunt piſces, quantos ſibi ad victum ſufficere arbitrantur, rurſuſque ſe ad tuguria ſua recipiunt: auro abundant, cujus ramenta ab amnibus deportantur; Solum vicinum haud infœcundum, ſed inæquale & crebris ſtagnis & triſti uligine ſquallidum.

Gorgona.

E regione æſtuarii hujus fluminis ſita eſt Inſula *Gorgona*, tribus gradibus ab Æquatore verſus Arctum. Hæc Inſula ab iis qui illam luſtrarunt, inferno comparatur, nam propter montium altitudinem & nemorum opacitatem, incredibilis hic moſquitorum multitudo generatur; aër autem inſalubris eſt & tempeſtuoſus, nam fere continuo & indeſinenter hic pluit, ita ut rariſſime Sol hic videatur. Ingens hic *Guadaquinajarum* copia reperitur; animal hoc à lepore non multum abludit. Arbores hic reperiuntur quæ fructus quoſdam ferunt, inſtar caſtanearum, quæ alvum utiliter ſolvunt & noxios humores evacuant: etiam minutæ uvæ hic creſcunt ſaporis haud ingrati. Plurimi hic piſces capiuntur, inter ſcopulos qui oram undiquaque tegunt: infinitæ aves in nemoribus: denique aliquot amniculi & torrentes de montibus deſcendunt. Inſula tres circiter leucas ambitu capit, cætera ignobilis & tantum *Franciſci Pizarri* cum Peruviam primo peteret latibulo nota, qui hic cum tredecim ſociis aliquanto tempore ſubſtitit.

Ab Inſula *Gorgona*, ora ſe ad zephyronotum convertit, ad Inſulam, quam vocant *del Gallo*: tota autem hæc ora humilis eſt & vadoſa; pluresque amnes hic in oceanum è Continenti deſcendunt, & nominatim amnis *S. Lucæ*, *Nicardi* & *Cedrorum*.

de Gallo.

Inſula autem *del Gallo* exigua eſt, vix leucam ambitu complexa, diſtatque ab Æquatore verſus ſeptentrionem duobus circiter gradibus. Ab inſula hac, ora ad Auſtrum ſeſe inclinat ad promontorium *Manglarum* uſque, duobus gradibus ab Æquatore verſus Arctum diſſitum, & octo leucarum intervallo ab Inſula; intermedio ſpatio portus ſe aperit cui *Crucis* nomen indiderunt: Ora ejuſdem plane conditionis eſt cum præcedente, & amnibus aliquot diviſa, & à barbaris culta, qui vivendi norma ab accolis fluv. *S. Ioannis* nihil differunt. Hac tenus ora hujus præfecturæ *Popayanæ* pertinet, à promontorio autem *Manglarum*, *Peruviæ* ora initium capit, quam proximo libro ſumus deſcripturi.

RPJCB


PERV
Anglica leucæ.
Hiſpanicæ leucæ.
German. milliar.
LINEA ÆQVINOCTIALIS
NOORDT
MAR D
PACAMORES
YGVARSONGO
IVAN DE
SALINAS
MAMA
PROV.
CANELA PROV.
Los Quixos
Quilla
cin:
gas
Los Pastos
Tumana
Pastoco
Cibundoy
Trugillo
Almaguer
Laguna
frigidiſsima
S. Crus
Madrigal
Patia
Pasto
S. Iago de las Montanas
S. Iago de los valles
Charal
mal
Gomorra
Coxon
S. Iuan de la frontera
Chiachiapoyas
Cumbianama
Loyola
Xaroca
Palanda
Valladolid
Viticos
Laguna de Chinca:
cocha
Bombon
Piſcobamba
Pincos
Conchucos
Guaraz
Guanuco
Guamachuco
Caxamalca
Zumaque
Avila
Archidona
Sevilla del oro
Baeza
Cuença
Canares
Thomebamba
Zoropalto
Guayaquil
Chumbo
R. Chongo
Guanayca
Mejor
Guayal
Dable
Guancabilcas
Paltas
Zamora
Xipixapa
Manta
Caraques
Puna
Silla
Ferol
Casma
C. Blanco
C. de S. Fr.co
Los Quixumas
C. del Paſsao
B. de los Caraques
C. de S. Lorenço
R. Daule
R. Tumbes
I. de Lobos
I. de Lobos Marinos
I. S. Roque


Marquires
Cheriabonas
IAS
R. Omapalchas
Tacana
Cothabamba
Zama
Caravaya
S. Iuan del oro
Camata
Abiſca prov.
Sandia
Cochabamba
Oropeſa
Chuquiſaca
La Plata
R. Guapay
R. Pilcomayo
Cazavindia
Talauera
V. Taryja
S. Bernardo de la frontera
CHICHAS.
Salta, Ciudad de Lerma
Yuntas
Iuiuy, S. Saluador
Val Xuxuy
Val Omaguaca
Potosi
Porco
Aulagas
Yocalla
Moromoro
Caracara
Pocoata
Macha
Paria
Coponata
Caracollo
Siquiſica
Hayohayo
Desaguadero
La Paz
Pueblo nuevo
Laxa
Viacha
Tiaguanaco
Guaqui
Mallama
Chuquiabo
TITICACA
OMASVYO
COLLAS
COLLAGV
Chuquito
Quimiſtaca
Hubinas
Chiquiguanita
Cusco
Canches
Canas
Horuro
Hatuncana
Chiquana
Cavinas
Vilcabamba
Val Paqual
Quispichance
Xaquixaguana
Chumbibilcas
Totora
Yanaguanas
Aymaraes
PARINACOCHA PR.
Sierras Nevadas
Abancay
Andaguaylas
Guamanga
Oropeſa
Guancavelica
Castro virreyna
SORAS
LOS LVCANES
LOS
Guaytara
Arequipa
V. Tambopalla
V. de Ilo
Arica
R. Abitor
R. dos Camarones
R. Byſſagua
V. Terrapaca
R. do Pigua
Tobiſo
Atacama
Morro de los Diabolos
Pta de Ylo
R. de Tambopalla o de Nobre de Dios
Quilca
Xuli
Ocoña
Attico
Challa
Pta de Hacari
V. Hacari
V. Nasca
Pta S. Iuan
Pta S. Nicolas
Pta Caualla
Pta Quemada
Paracas
Pta de Sangallan
Chincha
Chilca
M. del Callao
Hicachig
R. de la Hoja
B. de Angama
Morro Morcillo
I. Guan
Salinas
Morro de Iorge
I. de Lobos
C. Michael Dios
C. Lope
Muytamor Pta de Vetos
B. de nuestro Señor
ZVYDT
TROPICVS CAPRICORNI
EL ZVR

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER DECIMUS.

PERUVIA.

Cap. I.

Generalis Regni Peruviani *deſcriptio, cœli ſolique qualitates: Indigenarum ingenia & mores.*

SUperiori libro *Popayanam* abſolvimus, quæ nos ad Oceanum Auſtralem & Peruviani Regni limites reduxit; quod deinceps nobis deſcribendum erit; de illo ita in communi Acoſta: Peruviæ, inquit, nomine nequaquam accipimus ampliſſimam illam novi orbis partem, quam vulgo Americam appellant, qua & Braſiliæ, & Chiles & Granadæ patentiſſimæ regiones comprehenduntur, quibus Peruviæ nomen neutiquam competit; ſed illam Auſtralis Americæ partem, quæ ad Auſtrum vergit, à Quitenſi regno pene ſub ipſo Æquatore conſtituto, ad Regnum uſque Chiles extra Tropicum Capricorni, ſpatio ſexcentarum leucarum in longitudinem, in latitudinem autem ad altiſſima Andium juga, quinquaginta; præterquam paucis locis & præſertim verſus *Chachapoyarum* regiones, ubi paulo latior eſt. Hæc Novi Orbis pars, quæ vulgo *Peru* dicitur, ob peregrinas & mirabiles cœli qualitates, inter omnes hujus orbis provincias diligentius conſideranda: nam primo oram illius maritimam non niſi unus ventus afflat, nec tamen is qui ſub torrida *Zona* utplurimum alibi flare conſuevit, ſed illi è diametro contrarius, nempe Auſter aut Africus. Secundò, quum hic ventus natura ſua tempeſtuoſiſſimus, graviſſimus & inſalubris alibi judicetur, hîc contra amœnus, ſalubris & gratiſſimus accidit, adeo ut huic potiſſimum debeatur, quod ora maritima poſſit habitari, quæ per ſe fervidiſſima & valetudini hominum noxia erat futura. Tertiò ad oram maris nunquam hic pluit, tonatve, nec grando aut nix unquam decidit. Quartò, exiguo à dicta ora intervallo, non tantum pluit, ſed & ningit & horrendum in modum tonat. Quintò, quum duo montium ordines æquali pene ubique intervallo totam *Peruviam* interſecent, ad eandem prorſus *Poli* altitudinem, unus arboribus in totum veſtitus, maxima anni parte pluvias & gravem æſtum perpetitur, alter vero pene nudus, potius frigus tolerat & æſtatem atque hyemem, pluvias atque ſerenitatem alternatim experitur. Verum ut hoc commodius intelligatur, ſciendum eſt, *Peruviam* univerſam in tres veluti tramites eſſe diviſam, longiſſimos quidem illos, ſed peranguſtos; Plana nimirum, Montana & Andes: Plana ſunt juxta oram Maris Auſtralis ſive Pacifici; Montana ſunt colles, montes atque valles; Andes denique vaſta atque altiſſima juga. Plana communiter in latitudine decem occupant leucas, alibi plures, nonnuſquam & pauciores, montana viginti, Andes totidem: longitudo inter Arctum & Auſtrum, latitudo inter ortum atque occaſum accipitur. Monſtri autem ſimile, in tam exiguo intervallo & quinquaginta utplurimum leucarum, inque eadem diſtantia ab Æquatore & polo, tantam diverſitatem reperiri, ut hic fere continuo, illic nunquam pluat; tertia vero regione alternatim & pluat & ſerenet. In Planis nunquam pluit, licet interdum ros quidam cadat (quem barbari *Garuam*, Hiſpani *Mollinam* vocant) qui nonnunquam in guttulas quaſdam reſolvitur, verum tam exigua copia, ut neque tectis neque canalibus

l.3.c.10.

opus

opus ſit; nam ædes hic tantum ſtorea quadam teguntur, cui paululum terræ ſuperinjicitur. In Andibus fere continuo pluit, licet uno anno magis ſerenet quam altero. In montanis autem quæ inter hæc duo extrema veluti media, iiſdem pene menſibus pluit, quibus in Hiſpania, à Septembri nimirum in Aprilem; reliquo tempore ſudum eſt cœlum, quum nimirum ſol longius ab ipſorum vertice recedit. Porro tam Andes quam montana hæc ſunt editiſſima juga quæ continenter & pene æquali inter ſe diſtantia ad mille leucas ut minimum exporriguntur: In montanis innumerabiles *Vicunnarum* greges vagantur, animalia capris montenſibus velocitate ſimillima, nec non *Guanaci* & *Paci* de quibus mox dicemus. In Andibus vero generantur ſimii & cercopitheci quamplurimi & gratioſiſſimi, itemque innumerabiles pſittaci, creſcitque hic precioſiſſima illa Coca. Ubi autem montes ſe diducunt, quamplurimas aperiunt valles, quæ & opportuniſſimam & ſaluberrimam totius Peruviæ habitationem ſubminiſtrant, & tritici Mayziique fertiliſſima habentur, uti *Xauxa*, *Andaguaila*, *Yucay* & plures: quare etiam ſuperioribus ſeculis frequentiſſimæ fuerunt. Atque hæc de cœlo ſoloque in communi dicta ſunto, particularia ſuis quæque locis proſequemur. Nunc de Indigenis videamus. Qui planiciem olim incoluerunt, ſub dio utplurimum agebant, aut ſub patulis arborum ramis; mares induſiis quibuſdam utebantur uſque ad genua & palliolis ſupra humeros: fœminæ vero veſtibus goſſypinis ad pedes demiſſis: utrique capillos vittis laneis ſubligabant, aut faſcia unius aut variorum colorum, quibus maxime diſtinguebantur: Montenſes vero, qui & viribus corporis & ingenio atque induſtria cæteros longe ſuperant, ædes incolebant ceſpite deſuper tectas, mares induſiis & palliis è lana ovium Peruvianarum amiciebantur, fœminæ tunicis, faſciis quibuſdam per totum corpus reſtrictis & mantello circa collum, acutiſſimis aciculis aureis aut argenteis, quas ſua lingua *Topos* vocabant, connexo: ſunt utplurimum candidæ & bene moratæ: viroſque ſuos in colendis agris aliiſque operibus gnaviter adjuvant, maxime delectantur capillis prolixis & nigris: atque ut nigrorem illis concilient, cum ſumma moleſtia nec non diſcrimine, eoſdem in ferventem aquam dimittunt (idq; nonnunquam ad horam aut alteram, prout ſcribit *Yuca Garcillaſſus*;) in qua coctæ fuerint, variæ herbæ & imprimis *Radix Maguey* ſive ut ipſi vocant *Chuchau*. Venando utplurimum gentes hæ ſeſe exercent, & nonnunquam ſolemnes inſtituunt venationes in hunc modum; quatuor aut quinque millia hominum pro frequentia Provinciarum conveniunt, & corona modico inter ſingulos intervallo facta, quæ interdum duas aut tres leucas ambit, pedetentim ad modulos cantionum coëunt, donec manus jungant & brachia connectant, atque ita magnum ferarum numerum indagine cingunt, & quot volunt mactant, tantum enim murmur vociferando cient; & feras ita terrent ut manibus ſe apprehendi aut in retia ſe concludi patiantur.

Antequam hæ gentes ſub unius imperium cogerentur, variis diverſiſque moribus & inſtitutis agebant, ſed barbaris atque inhumanis; & pro ſuo quique libitu varias res ſuperſtitioſe venerabantur; Plantas, animalia, flumina, montes; imprimis autem ferocia animantia; & omne denique quod aut impenſe diligebant, aut horrebant. Nec tamen deerant, quibus nihil erat præcipua aliqua veneratione. Verum poſtquam *Yncarum* jugum ſubjerunt, & veluti ad unam Rempublicam ſunt revocati; urbanius vivere, civiles mores atque inſtituta amplecti; & ſuperſtitioſus illorum cultus, antea vagus, ad certam formam cœpit revocari. Ab eo enim tempore Solem adorarunt, perſuaſi Creatorem huic ſideri inter cætera principem locum aſſignaſſe, idque optimè de rebus humanis mereri; & licet Lunam tanquam illius conjugem venerarentur, nullum tamen illi divinum cultum impendebant; uti nec fulmini, fulgurive aut tonitru (quod perperam ab Hiſpanis ſcriptoribus traditur.) Narrat autem *Ynca Gracillaſſus* Peruvianus natione, ſuos licet ſolem tantum viſibiliter adorarent, tamen nonnullam habuiſſe cognitionem Veri Dei; quem appellabant *Pacha Camac*, id eſt, mundi animatorem (à *Pacha* mundus & *Camac* participio vel derivativo verbi vel nominis *Cama*, quod animam denotat vel animare) & tantopere in animo venerabantur, ut ne nomen quidem hoc ſine præfatione aut ſcrupulo uſurparent; uti nec nomen *Cupay*, quo malum genium notabant ſine abominatione & exſecratione. Nihilominus unicum tantum templum *Pacha Camac* conſecrarunt, in

valle

valle de qua poſtea; Quum Soli infinita pene templa, eaque ſumtuoſiſſima paſſim ædificaverint, ſacerdotes, virgineſque dedicaverint, & plurima ſacrificia impenderint. Docet idem, perperam ab Hiſpanis plures deos deaſque Peruanis attribui; nam licet varias res, in quibus Dæmon apparere aut per quas verba facere conſueverat, veluti ſacras ſumma habuerint veneratione, non tamen adorarunt: Error inde natus, quod Peruviani omnes ejuſmodi res nominarent *Huaca* vel *Guaca*; nomen autem *Huaca* latiſſimam apud ipſos habet ſignificationem, etenim quicquid ſacrum, quicquid excellens in ſua ſpecie, quicquid monſtroſum, denique omne quod aut pulchritudine aut deformitate in rerum natura eminet, id omne hoc nomine ab ipſis inſignitur: Unde quum & idolum hoc nomine deſignarent, facile crediderunt Hiſpani barbaros tot Deos colere, quot *Huacas* nominarent. Eundem errorem notat *Ynca* in *Apachecta*; nam quum barbaris ſolemne eſſet, quoties onus aliquod grave bajulantes, difficilem aut arduum collem aut montem aſcendiſſent, in ipſo vertice onus deponere, & ter, oculis ad cœlum erectis & rurſus demiſſis, dicere *Apachecta*, id eſt, uti ille interpretatur, *illi qui facit ut levemus*; quaſi dicerent, gratias agimus illi, qui nobis vires largitus eſt ut hoc onus ſuper tam editum locum tolleremus: (familiare enim hiſce gentibus uno aut altero verbo, integram ſententiam exprimere.) Hiſpani qui ſæpius illud audiverant ſuſpicati fuerunt, montes & colles à barbaris adorari, ipſiſque dici Apachitas: Atque ita ad eundem modum plurima alia numina ob linguæ ignorantiam ab Hiſpanis fuiſſe attributa, tum his, tum aliis barbaris, perquam veriſimile eſt. Porro credebant barbari hi, aut ſaltem illorum ſapientes, qui dicebantur *Amautæ*; hominem conſtare è corpore & anima, hanc eſſe incorruptibilem, illud mortale; ideoque vocabant *Allpacamacſa*, id eſt, terram animatam; & ad differentiam brutorum *Runa*, id eſt, rationis compotem; quum cætera animantia communi nomine appellarent *Llama*. Credebant quoque aliam vitam ſupereſſe poſt hanc præſentem; itaque hoc Univerſum in tres dividebant partes; nimirum in cœlum, ipſis *Hanan Pacha*, id eſt, mundum altum quo boni reciperentur ut præmia perciperent; in mundum hunc terreſtrem & corruptioni obnoxium, ipſis *Hurin Pacha*, id eſt, mundum inferiorem: & denique *Vcu Pacha*, id eſt, infimum vel ſubterraneum, in quo mali pœnas tolerarent; hunc & ad majorem evidentiam vocabant *Cupay pa Huacin*, id eſt, domicilium Dæmonis. Neque putantur refutaſſe generalem corporum reſtaurationem, uti plures Hiſpani authores teſtantur. Longiſſime autem abfuerunt ab immanibus Mexicanorum moribus ut humanis hoſtiis numini ſuo litarent; tantum abeſt ut humanis carnibus veſcerentur. Quæ ſuperſunt de civili ipſorum & politico regimine, & *Yncarum* ſerie, alibi à nobis adjungentur.

Cap. II.

Plantæ, fruges, fructusque Peruviæ *peculiares*; *præſertim* Coca.

FRUMENTUM *Peruviæ* maxime commune eſt Mayzium, quod ipſorum lingua vocatur *Zara* vel ut ſcribit *Ynca Garcillaſſus Cara*: cujus duas habent ſpecies, unam cujus far eſt durius, ipſis *Muruchu*; alteram cujus eſt mollius & delicatius, ipſis *Capia*; ex utroque autem panes coquebant duorum generum, unum nimirum quod tantum in ſacrificiis adhibebant, ipſis *Zancu*; alterum quod in cibis vulgo uſurpabant & vocabant *Huminta*. Panem autem communi nomine vocabant *Tanta*: Mayzium autem ebullitum cum aqua *Mute* vel *Mote*, quod calens ſorbebant: idem in pollinem redactum & in paſtillos coactum atque toſtum in quibuſdam provinciis dicebant *Arepas*: idem integrum toſtum vocabant *Camcha*. Quin & diverſis modis uſurpabant in potu; nam aut (ad eundem pene modum quo in Europa cerevifia fit) grana trantiſper humectabant donec pullulare inciperent: tum ſiccata molebant & ebulliebant; hanc potus ſpeciem vocabant *Vinnapu* & in quibuſdam provinciis *Sora* ſingulari inebriandi facultate præditam; ideoque legibus Yncarum vetabatur: aut grana maſticantes, fermentum quoddam conficiebant (ut ſcribit *Acoſta*) quod deinde cum aqua coquebant; credunt autem Americani præſtantiſſimum fieri à vetulis: aut denique grana prius torrendo, comminuendo & denique coquendo; quod

quod genus potus maxime commendatur, utpote ſaluberrimum & utiliſſimum iis qui calculo aut arenulis vexantur. Potum denique è Mayzio communiter vocant *Azua*, & alibi quoque *Chicha*. Mayzio autem accedunt varia legumina; quædam inſtar fabarum licet minora quæ ipſi nominant *Purutu*, & adhibent in cibis: quædam minime edulia, rotunda, & variorum colorum, quæ vulgo vocant *Chuy*, & varia addunt agnomina pro colorum diverſitate. Multæ hic reperiuntur radices, quæ in provinciis quibus Mayzium deeſt, illius loco uſurpantur: Inter has agmen ducunt *Papæ*, quas ad ſolem ſiccatas comminuunt & appellant *Chunno*, hujus ingens copia, ditiſſimo commercio ſubvehitur ad argentifodinas Potoſianas. Itemque *Oca*, quæ eſt radix oblonga & pollicem craſſa, quæ & cruda comeditur utpote ſuaviſſima, & cocta; & ad ſolem ſiccatur, atque tum nominatur *Cavi*. Tertiò *Annus*, forma quidem & mole præcedenti ſimilis, ſed ſapore multum diverſo, amaricat enim, unde non niſi cocta comeditur; ferunt Indi illam inimicam eſſe potentiæ generandi. Quas Hiſpani vocant *Batatas*, eas Peruviani dicunt *Apichu*, habentque quatuor earum ſpecies, ſed coloribus tantum diverſas. Habent & alium fructum ſubterraneum, quem vocant *Ynchic* & Hiſpani *Mani* (nomine Inſularibus uſitato,) medulla & ſapore ſimilem amygdalis; qui ſi crudus comedatur offendit cerebrum, toſtus autem non modo palato gratus eſt ſed & corpori ſalubris: Ex eodem & oleum exprimitur ad plures infirmitates utile.

Chamico. A Luſitano qui diu in Peruvia vixerat accepi, hic naſci ſemen quoddam, (vocant *Chamico*,) ſimile ſemini ceparum, ſed monſtroſa facultate; nam ſi aqua in qua coctum fuerit aut per ſe aut cum vino hauriatur, altiſſimum ſomnum conciliat pene ad horas XXIV; & qui hauſerit ridens aut plorans, talis perſeverat ad longum tempus, ita ut non invitus & tanquam ſtolidus res ſuas furto ſubduci patiatur, atque aliis modis ſibi illudi. Idem narrat Linſchotamus de Indorum *Datura*.

Pepini. Inter fructus plurimum commendantur primò; *Pepini* ut vocantur ab Hiſpanis, (Garcilaſſus dubitat an ab Indis appellentur *Cacham*) quia (ut ſcribit Acoſta & Garcilaſſus) longitudine & rotunditate accedunt ad formam peponum, quum cætera multum differant; neque enim colore ſunt viridi, ſed fuſco aut candido; neque ſpinoſo aut ſcabro cortice, ſed leviſſimo: Sapore denique plurimum excellunt, ſunt enim ex acri & dulci miſto, palatoque gratiſſimi, pleni ſucco; facillimeque digeruntur: & in calidis hiſce regionibus egregie refrigerant. Deinde Cucurbitæ ſive Melones, quæ ipſorum idiomate vocantur Capallu, & hic (ut ait Acoſta) naſcuntur monſtroſa magnitudine & inſigni varietate.

Inter plantas denique *Peruviæ* peculiares eminet *Coca* vel *Cuca*, quam pene ſu-

cap.LII. perſtitioſe colunt, tantique faciunt, ut incredibile videatur: Hanc Monardes ita deſcribit: Planta eſt ulnæ magnitudine, foliis myrti paulo majoribus (quæ veluti aliud folium ſimili forma in meditullio delineatum habent) mollibus & dilutius virentibus: fructu racematim cohærente, uti myrti fructus, rubente quando matureſcit, ejuſdemque magnitudinis, quando vero plenam maturitatem adeptus eſt nigricante: tum vero herbæ eſt meſſis, quæ collecta in caniſtris aliiſque rebus ad exſiccandum reponitur, ut melius conſervari & in alias partes transferri queat; nam è montibus in alios montes transfertur mercimonii gratia, proque aliis mercibus commutatur, veſtibus, gregibus, ſale & aliis rebus, quia illis pro pecunia eſt. Præterea vulgaris illius eſt uſus apud Indos, tum ad eas res quæ ad iter neceſſariæ ſunt, tum quæ ad voluptatem in ſuis ædibus ſerviunt; hoc modo: conchylia aut oſtreorum conchas urunt & calcis modo comminuunt, folia deinde Cocæ dentibus atterentes ſubinde pulverem illum admiſcent & ſimul quaſi fermentant, ut tamen minor ſit calcis quam foliorum quantitas: ex hac maſſa trochiſcos ſive orbiculos conficiunt & ſiccandos exponunt. His & domi & iter facientes utuntur, eoſque ore verſant &

l.4.c.22. exſugunt, atque famem ſitimque ſibi levari & vires ſuſtentari aſſerunt. *Acoſta* quoque prolixe illius meminit, atque inter alia commemorat ſuperioribus ſeculis ſub Ingarum imperio, haudquaquam vulgo licuiſſe, hanc herbam uſurpare ſine Regis aut miniſtrorum illius licentia. Hodie autem in ſola Potoſia tam ingentem hujus herbæ copiam ab incolis conſumi, ut precium ad quingenta millia ducatorum aſcendat; nonaginta quippe & nonnunquam centum millia caniſtrorum inferri, quorum ſingula in

Cuſcenſi

Cuſcenſi quidem oppido duobus aut tribus regalibus, in Potoſia vero quinque veneant. *Blaſius Valera* apud *Yncam Garcilaſſum*, ſcribit, Arbuſculam eſſe proceritate & craſſitie vitis, parcis ramulis, ſed copioſis frondibus, neque inodoris; Addit *Garcilaſſus*, eſſe proceritate corporis humani; & inſtar vitium propagari; folium illius & quoad ſuperficiem & quoad pediculum ſimile eſſe Arbuto (Hiſpan. *Madronno*) ſed multo tenerius & delicatius: quod cautè decerpendum ſit ne novum germen lædatur, & ſiccandum modicè ne præ nimia ſiccitate in pulverem abeat, aut humiditate ſitum contrahat; decerpi denique ter quaterve quotannis.

Eſt & altera herba Peruviæ familiaris, quam indigenæ vocant *Payco*, cujus folia (inquit *Monardes*) plantaginis foliis forma & colore ſimillima ſunt; reſiccata valde cap. 28. tenuia, impenſe acria, calidaque. Ejus pulverem ex vino ſumtum, nephriticum dolorem à flatibus aut frigida cauſa provenientem, ajunt, tollere: ipſam vero plantam coctam & emplaſtri modo loco dolenti impoſitam, eundem præbere effectum; quod veriſſimum eſſe experientia docuit.

Reperitur præterea hîc herba quædam (ut inquit *Auguſtinus de Carate*) cujus folia conveniunt cum apio, quæ vulneribus licet putridis impoſita, eadem ſtatim mundant; integram vero carnem, ſi ad illam applicentur, ad oſſa uſque conſumunt; floſculum fert ceruleum.

In *Peruvianis* quoque montibus ſponte naſcitur fructus, qui Hiſpanis appellatur cap. 66. *Granadilla*, ob ſimilitudinem quam cum malis Granatenſibus habet, nam ejuſdem fere eſt amplitudinis atque coloris, quando maturuit, niſi quod careat coronâ: in eo reſiccato, ſi agitetur, ſemen intus concluſum edit ſtrepitum, pyri ſemini ſimile ſed aliquanto majus, tuberculis quibuſdam eleganter elaboratum & jucundum aſpectu; pulpa illius candida, ſed inſipida. Planta ſimilis eſt hederæ, eodem modo repens & ſcandens quocunque loco ponatur. Elegans fructu ſuo onuſta propter ejus amplitudinem: Florem fert ſimilem albæ roſæ, in cujus foliis aliquæ veluti paſſionis Chriſti notæ (inquit *Monardes*) delineatæ conſpiciuntur, quas magna diligentia iſtic pictas exiſtimes; eam ob cauſam flos eſt elegantiſſimus: fructus ipſi ſunt granatula jam dicta, quæ matura, liquore abundant acidulo, & ſemine copioſo; aperiuntur ut ova, & liquor cum magna voluptate abſorbetur ab Hiſpanis juxta atque barbaris: nec etiamſi multos ſorbeas, ullam ventriculi gravedinem, ſed potius alvum laxatam ſenties. Herba rara eſt quæ duntaxat uno loco invenitur. Fructus temperatus eſt & aliquantum humidus. *Petrus de Cieça* tamen ſcribit, hanc in valle *Lile*, in qua oppidum *Cali* ſitum eſt, abunde creſcere: Innotuit jam Europæ, ubi Flos paſſionis vulgò audit.

E *Peruvia* quoque primum accepimus plantam extremæ magnitudinis, ubique jam notiſſimam, quam vocant Florem Solis, Dodonæus deſcribit ſub nomine Chryſanthemi *Peruviani*: Monardes vocat Herbam Solis: *Franc. Ximenez* ſcribit, à *Peruvianis* vocari *Chimalacatl.*

Ex eadem primum ad nos venit ſemen herbæ, quam communiter vocant, Naſturtium *Peruvianum*, de qua *Monardes* loquitur ſub nomine Floris Sanguinei: cap. 69. Planta, inquit, duos circiter palmos aſſurgit, ramis rectis, quos ambiunt rotunda & tenuia folia, valde virentia: flores in ſummis ramis naſcuntur aureo admodum colore fulgentes: quinque foliis conſtantes, in quorum ſingulis ſanguinea & maxime rutilans macula eſt impreſſa, oblongo cucullo extremos flores occupante & longè prominente. *Franciſcus* autem *Ximenez:* Naſcitur (inquit) hodie magna copia in hortis Mexicanorum, herba quam vocant Naſturtium Peruvianum, cujus floribus barbari mirabiliter delectantur, vocantque hanc plantam *Pelon mexix quilitl* & *Pelon Chille*; folia illius ſunt quaſi rotunda, tenuia, cum quibuſdam angulis, pendula è pediculo, qui non naſcitur directe è medio foliorum, ſed è latere circumferentiæ veluti ex obliquo, ſuntque ſuperiore parte viridia, inferiore pallida; caulem habet teretem, tenerum, volubilem, qui vicina complectitur: Flores ſunt colore flavo ſubrubente, inſtar aquilegiæ florum compoſiti, deſinunt enim in canniculum recurvum qui ſe ſenſim dilatans in ſeptem folia emergit, quorum duo cætera ſuperant magnitudine, ſequentia duo ſunt minora reliquis tribus,

quatuor autem iſta ſignata ſunt lineis quibuſdam roſſis, quæ valde ſimiles ſunt vulneribus Domini noſtri crucifixi prout pinguntur, reliqua tria quæ media ſunt inter jam dicta, tres habent notas ſimiles capitellis clavorum. Planta eſt calida & ſicca pene in quarto gradu, & tam ſimilis noſtro naſturtio ſapore & facultatibus ut vix ulla differentia percipiatur: itaque licet forma differant, non incommode tamen ad unum genus poſſunt referri, & hæc ad eadem omnia quæ illa adhiberi; viret floretque omnibus anni menſibus, niſi quod interdum à frigore aduratur. Utuntur floribus in lactuciniis, acuunt enim ciborum appetitum & conducunt ventriculo refrigerato aut ob flatuum copiam debili: folia contuſa & applicata medentur tuſſi; cum alumine convoluta mitigant dolores dentium: flores & folia ſimul macerata & & per ſublimatorium cum granis aliquot aluminis deſtillata, ſingulare eſt lavatorium adverſus plagas oris & reliquorum membrorum; licet nonnihil caleat, ſanat tamen tumores è calore natos, reſolvendo craſſiores humores, quum frigida medicamenta non proſunt; curat vulnera inflammata: denique hos flores, uti & naſturtii noſtratis uſurpant contra dolores è cauſa frigida.

l.2. c.29. Naſcitur ibidem herba (inquit *Garcilaſſus*) admirabilis efficaciæ in affectibus oculorum; vocant *Matecllu*; creſcit in rivulis, unum tantùm habet caulem & unicum folium rotundum: inſtar herbæ quam in Hiſpania vocant *Oreia de abad*, (id eſt, *Cymbalaria*) hæc maſticata, & ſucco infuſo oculis, ſub noctem, atque adeo folio ipſo maſticato ſuperligato, mirabiliter aufert ſcotomata & ſanat quoſvis affectus oculorum. Idque ſe expertum teſtatur.

Habuit & Peruvia *Tabacum*, quod ut ſcribit *Garcilaſſus*, vocabant Sayri; & crebro in medicina uſurpabant, pulverem naribus indentes, ut exonerarent cerebrum à noxiis humoribus.

c. LXXIV. Plures aliæ herbæ deſignantur à Monarde, quas è Peruvia acceperat; quas hic brevitatis cauſa præterimus: Unam non poſſumus, de qua mirabile aliquid obſervat. Anno (inquit) CIↃ IↃ LXII Comite de Nieva in Peruvia commorante, in ejus familia mulier quædam illi inſerviens maritum habuit gravi morbo decumbentem; cujus causâ quum ipſam admodum triſtem Indus quidam primarius conſpiceret, interrogavit an ſcire cuperet, utrum ex eo morbo periturus eſſet, an ſuperſtes futurus maritus, herbæ ramum ſe illi miſſurum, quem in ſiniſtra mariti manu poſiturus eſſet, eamque deinde diutius comprimeret: nam ſi ſuperſtes futurus eſſet, quandiu eam herbam manu teneret, alacrem & lætum; ſin moriturus, mœſtum & anxium fore. Miſſum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimereque jubet: ſed ilico tanta mœſtitia & anxietas ipſum oppreſſit, ut illa, metuens ne ſubito extingueretur, ramum è manu tolleret & abjiceret: is deinde poſt paucos dies extinctus eſt. Cupienti mihi an iſta vera eſſent perſcrutari, nobilis quidam, qui multis annis in Peruvia vixerat, certum eſſe affirmabat, & uſitatum apud Indos in ægritudinibus id facere: quod ſane magnam admirationem mihi attulit.

CAP. III.

De Arboribus fructiferis, & præſertim Cachoz *&* Molle.

Ynca l.8. c.11. PLURES arbores reliquis quoque partibus Americæ familiares hic naſcuntur, quas tantum obiter hic commemorabimus. *Guayavæ* quas alibi deſcripſimus hic appellantur *Savintu*: *Guava* autem *Pacay*. Fructus, quos Hiſpani, ob ſimilitudinem coloris & formæ, vocant pyra, ab indigenis vocantur *Palta*, à provinciæ nomine ubi copioſè naſcuntur: excedunt ter quaterve mole pyra Europæa, corticem habent tenerum & levem, medullamque quæ digiti tranſverſi craſſitie ambit oſſiculum ejuſdem formæ cum fructu, quod an utile ſit nec ne non conſtat, caro autem ſive medulla jam dicta optimi eſt ſaporis, ſalubriſque ita ut etiam ægris præbeatur cum Saccharo. Reperitur hic & alius fructus, quem barbari vocant *Rucma* & Hiſpani *Lucma*, ſapore magis dulci quam acri aut amaro; nec inſalubris, licet groſſior cibus æſtimetur: Forma & mole accedit ad aurantia mala communia; intra medullam continet oſſiculum (vel ut alii duo) valde ſimile caſtaneæ, tam colore corticis, quam albedine ipſius nuclei; qui amarus eſt & cibo inidoneus.

Palta.

Rucma.

Maguey Mexicanorum, hic vocant Chuchau.

Reperitur hic & ſpecies ceraſorum, barbari vocant *Vſſun*, colore rubro, ſapore autem dulci: quæ comeſta hodie, craſtino faciunt excernere urinam veluti ſanguine tinctam. In vaſtis illis montibus, quos Hiſpani vocant *Andes*, & *Garcilaſſus Antis*, plures creſcunt plantæ quæ optimos fructus ferunt: inter quas celebrantur *Platanus* ut appellatur ab Hiſpanis, ob cauſas incertas, nam nihil commune habet cum Platano Europæorum: ſed potius ſimilis eſt palmæ tam forma, quàm magnitudine foliorum, quæ tam grandia habet ut totum hominem à capite ad talos cooperiat. Eſt autem planta (ut ſcribit *Acoſta*) quæ ſurculum facit intra ſolum, è quo plures erumpunt ſtolones ſingulares, qui in molem excreſcunt arboream, eduntque folia jam dicta, læte virentia & levia: è quibus enaſcitur racemus, qui conſtat interdum pluribus interdum paucioribus fructibus, (numerati interdum trecenti) palmum plus minuſve longis & duos digitos aut circiter craſſis: Demitur facillime cortex, ſuperatque medulla tenera, edulis, ſalubris, & boni nutrimenti. Solent hunc fructum viridem decerpere & in vaſis quibuſdam ſub foliis certis maturare; ſed ad arborem maturus factus, magis guſtoſus eſt & odoratus. Dant fructus omnibus anni menſibus, nam è ſurculo ſurgunt continuo novi ſtolones, iis qui jam fructum dederunt ſuccedentes (qui ſtatim amputantur, ſiquidem nonniſi ſemel fructum ferunt ſinguli:) requirunt ſolum humidum & cœlum fervens. Reperitur hæc planta magna copia in India vera atque Africa ubi varia obtinet nomina, de quibus videndus Garzias ab Horto: & paſſim in calidioribus Americæ regionibus: qui plura deſiderat, adeat Oviedum. Iconem fructus dabimus in Braſiliæ deſcriptione, ubi Pacovere vel Bacova appellant.

Vſſun. l.4.c.21. l.2.c.10. l.8.c.1.

Platano accedit fructus, quem Hiſpani, ut ſcribit *Garcilaſſus*, vocant *Maniar blanco* (pulmenti genus eſt ipſis uſitatum) quia diviſus non male refert duo cochlearia eo pulmento repleta, tam colore, quam ſapore: medullâ continentur aliquot nuclei nigri inſtar amygdalarum, qui non ſunt edules: magnitudine & forma non abludit à minore melone; ſed corticem habet duriorem inſtar cucurbitæ lagenariæ ſiccæ: medulla illius eſt candida; dulcis & nonnihil acida, palato gratiſſima.

In *Peruvia* quoque duntaxat reperitur arbor *Cachos*; quam Monardes ita deſcribit: Miſſum præterea ſemen plantæ *Cachos* appellatæ, quam naſci ferunt arbuſti modo, inſigni viriditate præditam, folio rotundo & tenui: fructum ferre malo inſano ſimilem, altera parte ſeſſilem, altera turbinatum, cinerei coloris, grati ſaporis & acrimoniæ expertis, valde minutum ſemen continentem. Magnæ eſt apud incolas æſtimationis, ob inſignes illius facultates: Nam urinam ciet, arenulas & calculum pellit è renibus: quodque præſtantius eſt, illius uſu calculum in veſica ferunt comminui, ſi mollis adhuc ſit, ulliſque medicamentis comminui queat: ejuſque rei tam multa proferunt exempla, ut admirationem mihi pariat: nam mea eſt hæc opinio, veſicæ calculum expelli non poſſe, ſolamque exemtionem illius eſſe remedium; nullum autem remedium tam efficax reperiri, quod eum confringere valeat; ajunt tamen illius ſemen tritum & ex aqua aliqua ad eam rem idonea ſumtum, calculum in lutum diſſolvere, quod excretum denuo concreſcat, & in lapideam duritiem convertatur. Adoleſcentem vidi, cui hoc obtigiſſe ſcio. Is quum veſicæ calculo torqueretur, idque à lithotomis, qui calculum deprehenderant intellexiſſem, & ex ſymptomatis quæ patiebatur agnoſcerem; hominem veris initio ad fontem, qui à *Petra* nomen habet ablegavi: ubi quum duos menſes hæſiſſet, à calculo liberatus rediit, & omne lutum, quod paulatim ejecerat, denuo in lapidea fragmenta concretum in charta ſecum retulit.

cap. xxx. Cachoz.

Præſtantiſſima denique & *Peruviæ* maxime peculiaris arbor eſt *Molle* ſive *Mulli* ut ſcribit *Garcilaſſus*; eam à pluribus deſcriptam invenimus, diligentiſſimè autem à *Franciſco Ximenes*. Arbor, inquit, eſt grandis, pulchra & ramoſa, rami illius ſunt coloris viridis vergentis ad purpureum; folia oleæ frondibus ſimilia, ſed anguſtiora & teneriora, ſerrataque, ad utrumque rami latus veluti per ordinem diſpoſita: flores eleganter candidi & racematim penduli, qui quantocius convertuntur in fructus ſimiles oxyacanthæ acinis, ſed paulo majores & ubi maturuerint

Molle.

clare rubentes, caro illorum dulcis cum certa acrimonia, nucleus admodum durus & oſſeus. Folia & fructus redolent lentiſcum & illius gummi,obtinentque ſaporem qui ad fœniculum accedit: quare forte nonnullis lentiſci ſpecies videbitur, ſed eſt arbor ſui generis: frondes & fructus omnibus anni menſibus durant, ſibi invicem ſuccedentes. Silveſtris eſt arbor licet jam dudum à non paucis in hortis colatur; facillime enim propagatur ſive è ſemine ſive è ſtolonibus, & in quocunque ſolo. Exſudat certam lachrymam, quæ non minus quam truncus & folia lentiſcum olet: Saporis acris & ſuavis cum quadam amaritudine & aſtringendi facultate: calida eſt & ſicca pene in tertio gradu: nucleus corroborat cerebrum & ventriculum, aſtringit alvum; & ut quidam volunt uſum præſtat Terebinthinæ; & fructus ſi neceſſe ſit cardamomi; promovet urinam, diſcutit flatus, ſiccat humores ſuperfluos. Folia maſticata corroborant gingivas & dentes; Sanant vulnera; idem & poſſunt fructus. Hæc ille. Meminit & *Petrus de Cieça:* Toto, inquit, hoc tractu conſpiciuntur magnæ quædam & etiam parvæ arbores, quas incolæ appellant *Molles:* folia habent minuta, odore fœniculi, cortice adeo commendato, ut ejus decocto crurum dolores & inflationes ſumma cum utilitate foveantur; ex ramulis fiunt dentiſcalpia utiliſſima. Ex hujus fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modo, fit aut vinum ſive potio admodum bona, aut acetum, aut mel: tantoque in pretio apud Indos ſunt hæ arbores, ut quibuſdam locis eas ſuis idolis conſecratas habeant. Addunt nonnulli (inquit Cluſius) ejus arboris foliorum decoctum doloribus ex frigida cauſa ortis auxilio eſſe: illius vero gummi, quod mannæ modo candidum eſt, lacte diſſolutum, caliginem oculorum abſtergere. Natæ ejuſmodi arbores è ſemine in Hiſpania, atque adeo Belgio; ramuli cum fructu iconem dedit nobis Cl.V. Car. Cluſius, quam hic apponimus.



Audiamus & *Garcilaſſum*: Arbor *mulli* ſponte naſcitur in campis, dat fructus in racemis longis & anguſtis, qui ſunt granula quædam rotunda; forma coryandri; folia ſunt minuta & ſemper viridia: granum maturum habet in ſuperficie parum admodum carnis ſuavis & palato gratæ, reliquum egregie amaricat. Conficiunt ex eo potum, confricando blande inter manus in aqua calida, donec dulcor omnis defricetur; cavendum enim ab amaro, quod potum corrumpit. Percolant hanc aquam, ſervantque dies tres quatuorve donec ſubſideat, potus eſt limpidus, gratiſſimus, atque adeo ſalubris, præſertim illis qui affectibus renum aut veſicæ laborant; maxime ſi Mayzii potus admiſceatur. Aqua eadem cocta convertitur in optimum mel; & ſoli expoſita, additis neſcio quibus rebus, in præſtans acetum. Decoctum foliorum valde utile eſt ad crura & alia membra abluenda quæ ſcabie laborant; & ad vulnera inveterata ſananda.

cap. 41.

Præterea; Arboris fructum (inquit Monardes) ex Peruvia accipiebam ab incolis Leucoma nuncupatum, ſimilem noſtræ caſtaneæ forma & magnitudine, tum etiam ſeſſili illa & albicante parte, quam caſtanea obtinet: nucleum continere videbatur, ſed quia binos duntaxat accipiebam, confringere nolui, quandoquidem alterum ſerebam, qui non prodiit, alterum in aliud ſationis tempus ſervem. Arbor in qua provenit, vaſtæ magnitudinis, materiaque robuſta & firma eſſe dicitur: folia arbuti

arbuti obtinere, fructum autem edulem gratique ſaporis & temperatum; atque propter adſtrictionem, alvi profluvia ſiſtere.

Plures hic naſcuntur arbores quantivis pretii, ſed certis provinciis peculiares, de quibus à nobis dicetur, quum ad illas pervenerimus.

Cap. IV.

Animalia quædam Peruviæ *peculiaria.*

ANimalia Domeſtica (inquit *Garcilaſſus*) Peruvianorum, ſunt duorum generum, majora & minora; quæ communi nomine ipſi vocant *Llama*, id eſt, pecudes; uti paſtores *Llama michec*: majus pecus vocant *Huanacu-llama*, ob ſimilitudinem cum animali ſylveſtri quod *Huanacu* appellatur, à quo ſolo colore differt; domeſticum enim pecus variis coloribus reperitur uti & equi, ſylveſtre tantum uno inſtar caſtaneæ. Majus pecus ſummam ſimilitudinem habet cum Camelo, niſi quod gibbo careat, neque tanta ſit mole. Minus pecus vocant *Paco-llama*, quod oneribus ferendis impar, ſolum propter carnes alitur, & lanam quæ optima & longiſſima. Sed *Acoſtam* audiamus. l.8. c.16 l.4. c.41.

Peruvia, inquit, nihil habet præſtantius aut utilius, quam pecus, quod noſtri quidem oves Peruvianas, ipſi vero ſua lingua *Llama* appellant; nam & plurimum emolumenti adfert & viliſſimo alitur. Hoc pecus ipſis lanam ad veſtimenta, haud ſecus quam nobis oves, ſubminiſtrat: iiſdemque pro jumentis ad onera quæque bajulanda utuntur: nec ſoleis ferreis munire, nec freno regere aut avena alere neceſſe eſt, gratis domino ſuo ſervit, herbis campeſtribus & paſſim obviis contentum. Sunt autem duæ hujus animantis ſpecies; una quæ lanigera eſt, & *Paco* ab indigenis dicitur: altera quæ levibus tantum villis tecta & pene nuda, ideoque ferendis oneribus aptior, quæ *Guanaco* appellatur. Ovibus paulo majores ſunt, minores tamen juvencis, collo oblongo inſtar Camelorum, altis cruribus & corpore bene compacto; varii coloris; quædam enim ſunt candidæ, quædam nigræ, quædam fuſcæ, quædam denique verſicolores, quæ *Moromori* appellantur. Caro illarum bona eſt licet ſpiſſior, agnorum autem longe optima & delicatiſſima: rariſſime autem mactantur, quia longe majorem uſum bajulando præbent, & lana ipſorum lanificio ſerviat; Hanc barbari purgare, in fila ducere & ex iis pannos texere conſueverunt; lana autem duplicis eſt generis; una rudior & vilior quam vocabant *Havaſcam*, altera tenuior & abſolutior quam vocant *Cumbi* (*Garcilaſſ. Compi*;) ex hac poſteriori, varia aulea & periſtromata elegantiſſimo texunt opere, quæ in longum tempus durant, & ſplendore certant cum ſerico; & quod mirum in barbaris, telas ſuas ita concinnant ut ab utraque parte elegantia pene par, nec tela nec ſubtegmen uſquam, appareat, Antiqui Peruviæ Monarchæ, complures operas Cumbo texendo alebant, quorum præcipui artifices degebant *Capachicæ* ad oram lacus *Titicacæ*. Lanas autem haſce tingebant variis herbarum ſuccis, prout operum ratio exigebat. Cæterum plerique barbari Peruviæ hanc textoriam percallent, atque in tuguriis ſuis habent inſtrumenta ad hanc artem comparata; & ex hiſce ovibus pleraque ad vitam humanam neceſſaria ſibi ſufficiunt. Longe autem maximus horum animalium uſus in oneribus ferendis; horum enim nonnunquam trecenta, interdum & mille gregatim, varias merces, vini utres, Cocam, Mayzium, *Chunno*, argentum vivum, ad Potoſianas aliaſque fodinas & oppida ſubvectant, inque eundem modum argentum à *Potoſia* nunc *Aricam* LXX leucarum itinere deportant, uti ante hac *Arequipam* leuc. CL. Sæpe autem (inquit) miratus ſum, horum animalium greges, interdum mille, nonnunquam duobus, & non raro tribus millibus laminarum argenti, quæ trecenta millia ducatorum valerent, onuſtos, paucis tantum barbaris qui viam demonſtrant & onera imponunt atque deponunt, & vix uno aut altero Hiſpano comitatos, ſub dio pernoctare & incuſtoditos atque indefenſos cum tanto theſauro iter facere, idque tam tutò ut vix unquam vel una lamina deſideretur, ea eſt viarum in Peruvia ſecuritas. Onus illorum ſingulorum ſunt centum & nonnunquam centum quinquaginta libræ, quæ ob itineris longitudinem tres aut ad ſummum quatuor leucas quotidie portant: ductores autem ſuas ſtationes norunt, ubi & pabulum pecori & aqua abundat; hîc tentoria ſua figunt

& onera deponunt. Quum vero unius tantum diei iter faciendum vel ducentarum librarum onus ferre, vel octo aut decem leucas promovere poſſunt. Hæc animantia cœlo gaudent magis algido quam ferventi, ideoque in montanis in immenſum propagantur, in planis præ nimio æſtu deficiunt, calvum pecus (ſive *Guanaci*) vernili & blando eſt intuitu, ſæpe inter gradiendum ſe ſiſtit & longo tempore prætergradientes ſine ulla timoris aut voluptatis ſignificatione erecto collo tam attente intuetur, ut riſum tenere perdifficile ſit: nonnunquam tamen tam ſubito terrentur, ut cum onere ſuo ad præcipitia montium ſumma velocitate ſe ſubducant, ita ut ſclopeti ictu occidere neceſſe ſit ne onus pereat. *Paci* quoque interdum ita efferantur, vel laboris intolerantia defatigantur ut cum onere humi procumbant, neque minis neque verberibus adigi poſſunt ut reſurgant; unde in Peruvia proverbio uſitatur, de hominibus propoſiti nimis tenacibus aut præter rationem atque modum obſtinatis, *Impacatos* eſſe: huic malo nullum præſentius remedium, quam ut ductor unà ſubſiſtat & juxta animal conſidat, blanditiiſque tantiſper permoveat donec ſponte reſurgat. Scabies quædam hæc animalia infeſtat (& potiſſimum infeſtare cœpiſſe ſcribit *Garcilaſſus*, cum *Vaſcus Nonnius Vela* pro Rege huic Regno præeſſet) quam barbari vocant *Carachen* quæ non modo illi quod cepit, lethalis eſt, ſed & contagio ſerpit in gregem, unde pene unicum remedium eſt ſcabioſum pecus ſtatim ſub terram defodere. (*Garcilaſſus* tamen ſcribit varia remedia tentata, tandem potentiſſimum fuiſſe deprehenſum adipe ſuilla tepida partes affectas inungere.) pretium uniuſcuiuſque animalis pro Provinciarum diverſitate diverſum eſt; ſed barbarus qui bina ternave poſſidet ſatis locuples exiſtimatur. Scribit adhæc *Garcilaſſus*, *Peruanos* ante Hiſpanorum adventum non habuiſſe rationem lactis horum pecorum, quod ſane dant perparce neque ultra quam fœtibus lactandis ſufficiat, neque conſueviſſe caſeos ex illorum lacte premere: lac autem ipſorum idiomate dici Numnu, quod & verbi formam induat & ſignificet lactare.

Præter hoc domeſticum & familiare pecus, ſilveſtria aliquot animalia nutrit Peruvia quæ in aliis novi orbis partibus haud facile videre eſt, præterquam in Chile huic contermina. Eorum aliqua dicuntur *Guanaco* ſive *Huanacu*, à quorum ſimilitudine domeſticas pecudes dictas ſupra retulimus; cujus carnes bonæ ſunt ut ait *Garcilaſſus*, licet non tantum quantum domeſticæ *Huanacu Ilamæ*: mares in ſummis collibus veluti excubias agunt, tantiſper dum fœmellæ in vallibus paſcuntur, & quum homines è longinquo advertunt, hinnitum edunt pene ad equorum modum ut fœmellas moneant; qui ſi propius accedant fœmellas fugiendo ante ſe agunt: lana horum animalium curta eſt & aſperior, nihilo tamen ſecius in lanificio à barbaris uſurpatur; decipulis & laqueis ſolent capi. Alia dicuntur *Vicunnæ*, capreis haud admodum diſſimilia, niſi quod cornubus careant & majora ſint, colore leonino vel magis rutilo; degunt in altiſſimis montibus & ſaltibus, amantque regiones frigidiores, potiſſimum autem ſolitudines quas Peruviani vocant communi nomine *Punas*, neque nivibus aut gelu offenduntur ſed potius recreantur: incedunt gregatim, curruntque velociſſime, atque ad hominum aut aliarum ferarum conſpectum, ea eſt animalis timiditas, ſtatim in avia atque abdita ſeſe proripiunt. Olim maxima horum animalium hîc erat frequentia, nunc ob promiſcuam venandi licentiam rariora ſunt. Lanam geſtant tenuiſſimam & ſerici vel potius Caſtoris pilorum æmulam, quam merito magni faciunt Indigenæ, nam præter alias dotes, etiam æſtui reſiſtere & refrigerare, creditur; unde pileis imprimis adhibetur.

His proximè accedunt *Tarugæ* ſive *Tarucæ*, vicunnis majores & velociores, colore magis ambuſto, auribus pendulis & levibus, quæ raro gregatim, plerumque ſingulæ inter præruptas petras vagantur. *Garcilaſſus* dicit cervorum ſpeciem eſſe, ſed minorem Europæis. Innumeri hîc fuerunt tempore *Yncarum*, ita ut ipſa municipia ingrederentur; nec defuerunt hinnuli & damæ.

Ex omnibus hiſce animalibus lapides eximunt quos *Bezaar* vulgo vocant, ex Pacis quidem & Guanacis minores & nigriores nec tam probati in medicina uſus; è vicunnis autem paulo majores & meliores, fuſcos aut ſubcinericeos, aut denique

croceos: E Tarugis denique omnium optimos & maximos coloris ſubfuſci & tunicis craſſioribus.

Reperiuntur præterea hîc vulpes ſed multo minores Hiſpanicis, vocant *Atoc:* & animalcula quæ Indi vocant *Annas*, Hiſpani *Zorrinas*, quæ tam graviter olent, ut quum noctu pagos aut municipia ingrediuntur, fœtor intra ædes licet occluſis feneſtris ſentiatur; atque adeo à centum & pluribus paſſibus offendat, neque ferri poſſit: commodum autem accidit quod rariores ſint hæ beſtiolæ, nam ſi plures eſſent, integram provinciam veluti intoxicare poſſent.

Nec deſunt cuniculi tam domeſtici quam campeſtres, vocant *Coy*, qui colore & ſapore inter ſe differunt, & nonnihil diverſi ſunt ab Europæis. Habent & aliam ſpeciem cuniculorum, quam vocant *Vizcacha*, cauda oblonga inſtar felis, generantur in ſolitudinibus nivalibus. Sub imperio *Yncarum* atque adeo poſtea, villos illorum ducebant in fila, quibus pannos nobiles intertexebant elegantiæ gratia, ſunt enim colore pardo diluto vel cinereo, blandique & tenues.

Cap. V.

Alia animalia quæ cum aliis regionibus communia habent, ſerpentes, aves.

Reperiuntur in Peruvia leones licet pauci, neque tam feroces quam ſunt Africani, vocabant ſua lingua *Puma*. Item urſi, ipſis *Veumari*. Tigres quoque, ſed in ſolis Andibus: in quibus & majores angues generantur, quos appellant *Amaru*, viginti quinque atque adeo triginta pedes longi, & craſſi inſtar poplitis humani: itemque minores, ipſis *Machachuay*; viperæ venenoſæ, aliaque noxia animantia; quibus reliqua Peruvia caret. In iiſdem Andibus reperiuntur animalia inſtar vaccarum, mole juvencarum, ſine cornibus; quorum tergora craſſiſſima & validiſſima ſunt. Præterea apri ex parte ſimiles porcis domeſticis, & denique innumerabiles ſimii & cercopitheci. Acoſt. l.4. c.33.

Veris canibus caruerunt Peruviani, habebant tamen animalcula, minutioribus canibus non abſimilia, quæ vocabant *Alco*, & ſupra modum diligebant.

Peruviani paucas habuerunt aves domeſticas & familiares, præter anatum quandam ſpeciem, ipſis *Nunnuma*, paulo majorem noſtratibus, neque tamen ea mole, qua ſunt anſeres. Inter ſylveſtres commemorant Aquilas, licet minores Hiſpanicis: falcones variorum generum, ipſis *Huaman*; inter quos celebrant minores, ipſis *Neblies*, colore pene nigro. Inter rapaces aves merito cenſeri poteſt *Cuntur*, Hiſpanis *Condor*, vaſta mole, ita ut viſæ fuerint, quæ expanſis alis quindecim aut ſedecim pedes occuparent; carent aduncis unguibus, pedibus ſimiles gallinis: roſtrum tamen habent ita validum ut eo vaccinum tergus perforent; nam duæ illarum vaccam occidere valent & comedere, neque ab hominibus abſtinent: plumas habent albas, nigraſque mixtas: & criſtam parilem inſtar novaculæ & non ſerratam inſtar gallinacei: pauciores ſunt, nam ſi earum copia hic reperiretur, pecus plane deſtruerent, adeo carnivoræ deprehenduntur: & ut ſcribit *Acoſta*, non modo ovem dilaniant, ſed & juvencam.

De minimis illis aviculis alibi diximus, itaque hic tantum addo, à Peruvianis appellari *Quenti*, ab Hiſpanis *Tomineios*.

Genus corvorum opinatur *Acoſta*, aves quas Peruviani vocant *Suyuntu* & Hiſpani *Gallinaza*, nam licet minime rapaces ſint, tamen cadaveribus victitant, ſuntque adeo carnivoræ & guloſæ, atque interdum tantopere ſe ingurgitant, ut licet velociſſimæ per ſe ſint, ſe à terra levare non poſſint; verum ſi ſe ab hominibus urgeri ſentiant, tanta facilitate regurgitant quod ipſas onerat, quam devorarunt: caro ipſarum inutilis; id tamen commodi præſtant, quod immundicias viarum tollunt. l.4.c.37.

In fluviis quoque & paludibus reperitur hic infinita copia avium, puta Ardeæ, anates, phoyces, & quas Hiſpani vocant *Flamencos*, & aliæ quamplurimæ; inter quas celebrantur quædam majores ciconeis, quæ piſcibus victitant, plumis candidiſſimis ſine ulla mixtura, cruribus altis; binæ utplurimum incedunt; rariores

 ſunt.

ſunt. Perdices, quas hic vocant Yutu, à ſono quem edunt, duorum ſunt generum, aliæ majores quæ mole accedunt ad gallinas, & tantum in ſolitudinibus reperiuntur: aliæ minores quam Hiſpanienſes, ſed carne longe optima; utræque ſunt colore pardo, roſtris & pedibus albis. Palumbes Europæis forma & plumis non diſſimiles, ipſis *Vrpi*. Turtures item, ipſis *Cocohuay*, itidem à cantu. Aviculæ quas ipſi appellant *Pariapichiu*, Hiſpani *Gorriones* ob ſimilitudinem quoad molem & colorem, licet in eo differant quod hæ optimè cantent. Itidem aviculæ plumis rubicundis, quas Hiſpani ob ſimilitudinem nominant Luſcinias, quanquam cantus harum adeo ſit ingratus ut mali augurii olim duxerint barbari. Necnon quibus plumæ ſunt nigræ & flavæ, quas barbari à cantu appellant *Chayna*, Hiſpani à ſimilitudine *Sirgueros*, id eſt, aurivites.

Plurimæ hic reperiuntur apes ſilveſtres, quæ mellificant in concavitatibus petrarum & ſcrobibus juxta radices arborum: In frigidioribus provinciis parum mellis condunt, & fere amarum, ceramque nigram atque inutilem: in temperatis autem ob herbarum optimarum copiam, longe optimum, candidum & limpidum, quod maximi ab ipſis fit.

Porro in eodem regno (inquit Monardes) reperiuntur quædam inſecta, quas appellant araneas, eo quod ubicunque fuerint, ſua retia texant aranearum Hiſpanicarum modo, magna ſunt ea inſecta, malum aureum amplitudine æquantia, adeo virulenta ut eorum ictus jugulent, niſi efficaci remedio ſuccurratur: nam ſi diutius differatur & ſubeat virus ad cor, præſens mors conſequitur nec ulla proſunt remedia: miram autem utilitatem experti ſunt in ficu, ſi icti ſtatim ad illam confugiant & lac ex foliis ficus manans bis aut ter in vulnus inſtillent: nam venenum ex ictu in vulnere relictum omnino extinguitur, tolluntur que dolores & ſymptomata ſuccedentia, ſolo vulnere relicto; quod quum ſit exiguum facile curatur: diu tamen apertum conſervare ſolent: Atque ut præſens ſemper adeſſet hoc remedium, voluit Deus ut ficus nunquam iſtic folia deponerent ſed perpetuò virerent.

Licet multos amnes habeat Peruvia, etiamque de maximorum fluminum exordiis glorietur, tamen pauciſſimi nutriuntur in iis piſces, & fere unius generis (ut
l.8. c.22. ſcribit *Garcilaſſus*) ſine ſquamis, capite oblongo & plano inſtar bufonis, rictu valde amplo: optimi nutrimenti & grati ſaporis; Indigenæ vocant *Challua* communi nomine quod omnibus piſcibus tribuunt. Reliqua hujus generis ſuis locis explicabimus, nunc ad ſingulas partes Regni Peruviani nos accingemus.

QUITO.

CAP. VI.

Peruviæ *diviſio in provinicias principales:* Quitenſis *provinciæ limites, cœli ſolique qualitates.*

PEruvia quaqua patet, regitur ab uno Pro-Rege; à quo & Chilenſes provinciæ verſus Auſtrum ſitæ, & Inſulæ, ut vocant *Salomonis* verſus occidentem; provincia denique *de la Plata* ad orientem ſuos accipiunt præfectos. Dividitur ab Hiſpanis, ſecundum trium Conventuum Juridicorum limites, in tres partes; quarum prima *Quito*, altera *los Reyes* ſive *Lima*; tertia denique *los Charcas* & non raro *la Plata* à ſua Metropoli appellatur.

Conventus Juridicus Quitenſis complectitur ſub ſe, *Popayanam*, *Quitu* propriè dictam, *los Quixos*, *Canelam*, *Iuan de Salinas*, *Pacomoros*, *Ygualſongo*, pluresque particulares provincias: de *Popayana* jam ſupra egimus, de cæteris ſuo ordine dicemus.

Provincia quæ propriè QUITO appellatur, ſumit initium ab ipſo pene æquatore; patetque ab eodem verſus Auſtrum ſecundum *Herreram* leucas octuaginta, vel ſecundum *Petrum de Cieça* tantum ſeptuaginta: in latitudinem viginti quinque aut triginta. Conventus autem Juridici limites, ſecus oram quidem maris Auſtralis, producuntur in longitudinem, ab arcto ad Auſtrum, à *punta de Manglares* ad promontorium *del Aguja* citra Æquatorem verſus Auſtrum: in mediterraneis autem à

Cardu-

Carluſama ad fines Conventus Juridici Limenſis; in latitudinem autem à mari Auſtrali ad provincias quæ Andibus coërcentur; quæ quidem maxima eſt, inter *Baezam* provinciæ *de los Quixos* oppidum ad orientem, & *Portum Veterem*, ſive *la Montanna* ad mare Meridionale.

Temperies hujus provinciæ magis frigida eſt quam calida: ita ut hyeme interdum foco hic opus eſſe ferant; cœlum ſudum atque ſerenum, raro nubilum, niſi quum pluit aut pluviam minatur. Hyems hîc ab Octobri durat in Martium, quibus menſibus intermediis plurimum hîc pluit, ſed nunquam ningit, præterquam in montanis quæ vulgo *Andes* & *Cordilleram* appellant Hiſpani. Denique ſaluberrima eſt regio, ita ut indigenæ & incolæ longæviores ſint quam in Hiſpania. Anno quinquageſimo octavo ſupra milleſimum quingenteſimum, variolorum morbus, omnes pene Americæ provincias pervagatus hic quoque multos mortales deſtruxit: alioquin maxime familiares morbi & maxime lethales tam barbaris quam Hiſpanis ſunt catharri, qui ineunte & exeunte æſtate homines opprimunt: communiſſimus autem eſt morbus, lues venerea, quam Hiſpani ex barbararum fœminarum conſuetudine ſibi acquirunt; nam fœminæ omnes, etiam virgines huic morbo ita obnoxiæ ſunt, ut illum à parentibus trahere vix ſit dubitandum: potentiſſimum autem remedium eſt in *Zarzaparilla* & ligno *Guayacano:* plura alia inventa poſtquam hoc malum pene omnem orbem contagio pervaſit. Fert hæc Provincia multas virulentas herbas, quibus indigenæ leves interdum ob cauſas alii alios enecant. E *S. Barbaræ* aurifero fluvio; multa auri ramenta jam olim collecta, nunc vero pauciora, poſtquam edicto regio ſancitum fuit barbaros ad hunc laborem nequaquam cogere. Quamplurimis hujus provinciæ regionibus, ubi uliginoſius eſt ſolum, multum nitri eruitur, è quo optimum hîc conficiunt pulverem tormentarium.

1558.

In calidioribus regionibus hujus præfecturæ, provenit quidam fructus, quem vocant *Guabam*, binos palmos longus, cinereo cortice, pulpa candida & duriſſimis quibuſdam nucleis permiſta, ſuavis & refrigerans: nec non *Guayabi* arbores, quæ fructus ferunt inſtar pomorum, plenos albis atque rubentibus granis, ſalubres & non ingrati ſaporis: Denique *Platani:* fructus itidem Europæi, mala perſica, aurantia, granatenſia, cidonia, aliique perplures, maxima fœcunditate hic quidem matureſcunt verùm putreſcunt quantocius. Vites quoque variis locis naſcuntur: benigniſſime autem tolerat triticum, hordeum, Mayzium, ſataque reddit inſigni fœcunditate: Denique & olera, omniſque generis herbas ex Hiſpania huc traductas, haud ſecus alit, quam ſuas.

Armentorum, jumentorum & pecudum ingens hic eſt copia & inſignis fœcunditas; Ovium Peruvianarum haud magnus numerus, quippe quæ ſub oneribus dominorum inclementia deficiant. Omnimodarum volucrum hic abundè eſt: piſcium vero amnicorum perparum, quibus marinos ſed muria conditos vicinum ſurrogat mare.

Indigenæ magis ſejunctim quam vicatim degunt, nec facile patrios penates aut nativum mutant ſolum, niſi forte interdum herorum ſævitia coacti; decora ſunt ſtatura & ſingulari induſtria, ut quamcunque artem haud difficulter addiſcant; corpore robuſto & bene ſano: mores minus commendantur, ſunt enim mendaces, vani, rerum novarum cupidi, mobili ingenio, ebrioſi, nec ad civilia inſtituta ſe traduci patiuntur, præter paucos qui in ſuburbanum *S. Franciſci del Quito* commigrarunt: veſtis eorum communis, eſt tunica ſine manicis, ſupra & infra æque laxa, ita ut brachia & crura nudi incedant: capillos alunt & ne impedimento ſint loro ſubligant: Chriſtiana ſacra ægre & pene coacti amplectuntur, & plerumque nonniſi morti jam vicini petunt Baptiſmum. Præcipua eorum occupatio & quæſtus lanam & goſſypium emere, mundare, nere, & ex utroque pannos texere, artes has ab Hiſpanis edocti, quibus tributum pendunt ſecundum Canonem regalem.

Mittit nobis (inquit *Monardes*) *Quito* provincia ſulphur vivum præſtantiſſimum, ut nitrum tranſlucidum, colore auri puriſſimi, cujus fragmentum puſillum lucernæ admotum odorem maximum ſulphuris ejaculatur fumo viridi permiſtum; ſed antequam incendatur, nullum ſulphuris odorem præbet. Eruitur iſtic è venis proximis aurifodinis: itaque non ſine cauſa ajunt Chymiſtæ, Argentum vivum auri eſſe materiam, ſulphur vero formam.

cap. LVI.

Sub hac Quitenſi Præfectura, plures comprehenduntur provinciæ minores, de quibus particulatim poſtea agemus: Denique hæc oppida ab Hiſpanis hic habitantur *S. Franciſci* urbs; *Rhiobamba*, *Cuenza*, *Loxa*, *Zamora*, *Iaën*, *S. Michaël de Piura*, *S. Iacobus de Guayaquil*, & *Puerto Veyo*: de quibus ordine deinceps agemus: Sed prius viam proſequemur quæ ab oppido *Paſto* ducit ad metropolin Quitenſem, ut ſitus & conditio harum regionum melius percipiatur.

Cap. VII.

Via quæ ab oppido Paſto *ad Civitatem* S. Franciſci *ducit & loca intermedia.*

AB oppido *Paſto* ad Civitatem *Quitenſem* tendentibus, primo aditur pagus *Funes*; hinc trium leucarum itinere *Iles*: & totidem Palatium *Gualmatan*; inde Ipiale. trium leucarum itinere pagus *Ipiales*; quem *Didacus Fernandez* in Peruviæ hiſtoria, quatuordecim à *Paſto* leucas abeſſe prodidit. In hiſce pagis Mayzium admodum parce naſcitur, quippe frigoris impatiens, quo hæc regio laborat, ſed *Papæ* aliæque ejuſcemodi radices, quas Indigenæ plantant, liberaliſſime.

Guaca. *Ipiale* digreſſos excipit *Guaca*, exigua provincia: hic jam illa Ingarum via cerni incipit toto hoc novo orbe celeberrima; meritoque admirabilis, quippe per arduos montes, perque inculta & aſperrima loca, non minori induſtria quam labore ducta, & tot hoſpitiis per ſingula intervalla, ad ſolatium iter agentium inſtructa. Hanc perfectam fuiſſe ab Indigenis, ſcribit *Garcilaſſus*, ætate regis *Huayna Capac*, quem Hiſpani vulgo vocant, *Guaynacavam*: hujus meminerunt pene omnes ſcriptores Hiſpani, *Auguſtinus de Zarate* lib. I. cap. XIII. *Petrus de Cieca.* cap. XXXVII; alii. Hoſpitia autem Tābos. vocabant *Tambos*, quorum hodieque adhuc magnus eſt uſus in Peruvia: nam uti accepi à quodam qui nuper vixerat in Peruvia, & pene per univerſam iter egerat: diverſoria hæc juxta viam regiam collocata ſunt, quinque aut ſex & interdum pauciorum leucarum intervallo, pro difficultate & aſperitate viarum; In iis autem perpetuo agunt aliquot indigenæ cum ſuo Præfecto, quem Hiſpani vocant *Alcalde*, cujus munus eſt, itineranti ſimul atque advenerit, attribuere Americanum unum qui ipſi miniſtret aquam, & ligna adferat, focum ſtruat, lectum ſternat, aliaque obſequia præſtet; itemque alterum qui ipſi commeatum conquirat; & tertium qui mulam ducat ad paſcua & mane reducat, ſarcinas cuſtodiat; quæ omnia ſumma ſedulitate & fide ab ipſis præſtantur; & quidem gratis; abeunti dantur etiam itineris duces, ſi poſtulet; ſervitium vocant perſonale, ad quod omnes Indigenæ tenentur.

Hîc porro juxta amnem viſuntur rudera veteris Caſtelli, olim à Peruvianis monarchis conditi ad Paſtos populos in officio continendos. Super hunc amnem duriſſima petra inferius perforata, pontis inſtar, à natura ſtrata fuit, ita ut hominibus tranſitum ad oppoſitam ripam præbeat; & undas per foramen inoffenſo alveo tranſmittat, barbari ſua lingua vocant *Lumichacam*, id eſt, pontem lapideum. In hiſce Mortū-non. partibus reperitur fructus quidam maxima copia, quem vocant *Mortumnon*, pruno Damaſceno paulo minor & nigri coloris; cui plures minores ejuſdem formæ racematim annaſcuntur: Si largius ſumatur inebriat atque obſtupefacit, magno vitæ diſcrimine.

Tuza. A *Guaca* tranſitur ad *Tuzam* extremum *Paſtorum* pagum (quem *Auguſtinus de Zarate* viginti leucas abeſſe ſcribit ab oppido *Quitenſi*) & mox ad modicum montem, cui quondam caſtellum à Regibus Peruvianis fuerat impoſitum: atque inde ad fluvium *Miram*, ubi admodum fervet; ager tamen omnium frugum eſt fertiliſſimus.

Hinc jam ad magnum & ſumtuoſum Palatium *Carangues* deſcenditur, lacu *Yaguarcocha* ſive *Yahuarcocha* de via ante ſalutato, quæ vox barbarorum idiomate mare ſanguinis denotat, quia *Guayanacapa* Ingarum longe maximus, viginti millia cadave-cap. 37. rum, (ut ſcribit *Petrus de Cieça*) hominum ſuo juſſu jugulatorum in hunc lacum projici l. 8. c. 7. imperavit. *Garcilaſſus* ſcribit, *Carangues* populos olim truculentiſſimos fuiſſe & viſcerum humanorum tam appetentes, ut vicinis omnibus terrori eſſent, quos paſſim rapiebant & crudeliſſime dilaniabant; domitos autem ab *Huayna Capac* ſtatim rebellaſſe, miniſtros Regis & præſidiarios ex improviſo cæcidiſſe & devoraſſe, hinc factum ut Rex

ut Rex cum maximo exercitu fines illorum ingrederetur & multa millia daret neci; & denique duo millia captivorum ad ripas hujus lacus jugularet. Palatium autem *Carangue* modicæ planiciei ſuperſtructum eſt; & è grandibus ſaxis ſine calce aut cemento, ſingulari induſtria congeſtum: licet autem jam ævo & neglectu pene conciderit, tamen vel rudera illius antiquam magnificentiam ſatis demonſtrant.

Poſt Caranguen ſequitur juxta viam regiam *Otabalo*, vel ut *Garcilaſſus* ſcribit, *Otavallu* regium itidem jam olim palatium, nomen provinciæ ſervans; pagus autem jam nobilis (duodecim à Civitate *Quitenſi* leuc. ut obſervat *Auguſtinus de Zarate*) cui ad occidentem vicini ſunt Indorum pagi *Poritaco*, *Collaguaco*, *los Guancas* atque *Cayambe*; ad orientem *Cotocoyambe* & *Yumbo* montes, aliique quamplurimi. Indigenæ autem Carangues atque Otabali gentili nomine appellantur *Guamaracones*. Otabalo.

Ab Otabalo per editum & nivoſum montem, in cujus vertice pene intolerabile frigus ſentitur, tranſcenditur ad palatium *Cocheſqui*; atque ab eo deſcenditur ad fluvium *Guallabambam*: hæc regio immodico quidem æſtu fervet, quippe humili ſolo & ſub ipſo pene Æquatore, habitatur tamen, ſubminiſtratque incolis ſuis omnia ad vitam humanam neceſſaria perquam benigne. Gualla-bamba.

A *Guallabamba* ad Civitatem *Quitenſem* quatuor leucarum iter eſt; quo intervallo multæ jacent Hiſpanorum villæ, in quibus pecuariam exercent, donec ad campum *Anaquito* perveniatur haud procul ab oppido, in quo anno cIↄ Iↄ XLVI cruentum illud prœlium fuit inter Proregem *Blaſcum Nonnium Velam* & *Gonſalvum Pizarrum*; & Prorex indigne cæſus & copiæ illius pene deletæ; quod facinus *Pizarro* exitium acceleravit.

Cap. VIII.

Metropolis Provinciæ Quitenſis *S. Franciſco Sacra, & Regionum adjacentium qualitates.*

Q*Vitenſis* provinciæ Metropolis *S. Franciſci* nomine celebratur, & plerumque ſimpliciter provinciæ nomine appellatur *Quito*, vel *Quitu*; quod nomen alii ipſi manſiſſe volunt à vetuſto Regum Peruvianorum Palatio, cujus ruinis hoc oppidum ſuperſtructum ſit; in quo tamen falli videntur, nam ut ſcribit *Garcilaſſus*, habuit hæc provincia *Quitu* proprium ſuum Regem, quem Guayanacapa ſub jugum primum miſit: Condita autem eſt urbs in declivi convalle, quæ ab Arcto & occaſu ſolis tegitur arduo montium jugo, qui, ut teſtatur *Herrera*, à portu Veteri ad mare Auſtrale, longo atque continuo ductu ſe exporrigunt ad Cartagenam uſque ad mare Septentrionale: Sita eſt ad altitudinem triginta tantum ſcrupulorum citra Æquatorem verſus Auſtrum, ut *Cieça* & *Herrera* tradunt (à quibus plurimum diſſentit *Auguſtinus de Zarata*, qui ad quartum gradum Auſtralem illam ſubmovet) octuageſimum autem & ſecundum gradum longitudinis à Meridiano Toletano in Occidentem productæ. Diſtant ab ea *Puerto Veyo* atque *Guayaquil* leucas octuaginta & ſex verſus occidentem: (alii ſcribunt & vero magis conſentaneum eſt, *Guayquil* abeſſe à *Quito* leucas quadraginta.) *Loxa* octuaginta verſus Auſtrum: *S.Miguël* longe plures verſus Africum: *Cartagena* emporium verſus Arctum pene ſexcentas; *Lima* denique verſus Auſtrum ut volunt, circiter trecentas. Ager illius ad orientem clauditur vaſtis montibus, ad Arctum Popajanæ præfecturæ parte. Solum licet ſterilius videatur, tamen & frugum eſt fertile & bonum pecori; regio peramœna eſt & tam graminis forma, quam anni tempeſtatibus ab Hiſpania non multum dicitur differre, nam æſtas hic à Martio atque Aprili initium capit & deſinit in Novembri, inſigni temperamento.

Indigenæ huic civitati proximi longe urbaniores magiſque induſtrii ſunt quam reliqui Peruviani, ſtatura modica & laborum tolerantes. Magna hic reperitur goſſypii abundantia, è quo panni texuntur, quos & indigenæ dominis ſuis Hiſpanis tributi loco pendunt. Solum urbis arenoſum atque aridum, magna fiſſura per mediam urbem dehiſcens, ſuper quam plures pontes ſtrati ſunt. Semitæ urbis latæ atque rectæ; quatuorque patentes areæ, una ante Cathedrale templum, reliquæ ante Cœnobia Dominicanorum & Franciſcanorum: præter autem Cathedrale hoc, alia duo hic templa

templa viſuntur, quorum unum *S. Sebaſtiano*, alterum *S. Blaſio* dicatum, quingentæ familiæ Hiſpanorum dicuntur incolere & aliquot Luſitanorum & aliorum peregrinorum. Theſaurarius regis aliique miniſtri regii hic habitant; uti præſes & judices Conventus Juridici Regalis; itidem Epiſcopus cum nobiliſſimo collegio Canonicorum: In Diœceſi autem ad quinquaginta millia Indorum vectigalium, qui in octuaginta & ſeptem partitiones ſunt diſtributi. Munitiſſimum denique eſt oppidum & ab omni belli apparatu egregiè inſtructum; nam & exquiſitiſſimus pulvis tormentarius hic conficitur.

Supra urbem, unius ab eodem leucæ intervallo, in montana regione, eminet mons, quem vocant Vulcanum, qui denſum fumum exhalat & ſtrepitus edit inſtar tonitruum; & interdum copioſum eructat cinerem, quo; menſe Octobri anni cIɔ Iɔ LX, vicinos agros ita opplevit ut non leve damnum ſatis atque pecoribus inferret, uſque dum à pluviis dilueretur.

Mira. In finibus *Miræ*, (qui pagus Otabali dominum agnoſcit,) putei reperiuntur ſalſi, è quibus ſal fuſcus & ſubamarus coquitur, quem tamen indigenæ magni faciunt. Dimidiam ab urbe leucam lacus jacet, circiter leucam ambiens, qui complures anſeres & alias lacuſtres volucres nutrit.

Vina, oleum, aromata aliæque merces Europeæ, à mari ſubvehuntur Auſtrali, primum adverſo flumine *Guayaquil*, dein curribus. Etiam barbari hîc fora ſua rerum venalium celebrant nullo certo pondere aut menſura, ſed permutatione ad oculum facta, quæ ab Hiſpanis multum frequentantur. Præcipuæ autem harum partium merces ſunt, (præter fruges & animalia) caſei ovilli, vaccini atque caprini; goſſypinæ veſtes, panni omnis generis, (qui maximam partem texuntur in pago *Tacunga*;) pilei, funes nautici, coria, linum, lanæ: Saccharum quoque jam dudum hic excoli cœpit, multæque artes Mechanicæ ſingulari induſtria etiam ab Indigenis exerceri.

Præter Mayzium, duo humanis uſibus comparata hic paſſim naſcuntur, *Papæ* nimirum radices ſubterraneæ, bulbo caſtanis haud abſimiles, quæ coctæ mollium caſtanearum ſaporem æmulantur, frondem autem emittunt papaveris ſilveſtris, ut ait *Cieça*, frondi ſimilem; ſed perperam: planta toti Europæ jam notiſſima eſt, quam **l. 4. c. 32.** diligentiſſime deſcripſit V. C. Carolus Cluſius in Hiſtoria Rariorum Plantarum. Deinde *Quimba* ſive *Quinua* planta (ut loquitur *Cieça*) humanam altitudinem æquans, foliis bliti Mauritanici, ſemine puſillo albo vel rubro, ex quo potionem parant, aut **l. 4. c. 53.** elixo veſcuntur ut nos oryza: planta jam dudum Europæ nota fuit (inquit idem Cluſius) licet non illo nomine. Nihil igitur aliud eſt *Quinua*, quam majus illud *Bliti* genus, humanam altitudinem interdum ſuperans, caule craſſo, firmo, in multos ramos inæqualiter naſcentes diviſo, vulgaris *Bliti* foliis, ſed amplioribus & longioribus, ſummo caulis faſtigio multas ferens ſpicas, ſive paniculas, palmum & amplius longas, nutantes, extrema nonnunquam parte latiuſculas & quodammodo criſtatas inſtar comæ amaranthi criſtati, coloris coccinei obſoletioris & degeneris, quæ maturæ, multa granula alba rotunda continere conſpiciuntur. Sed jam ad itinerum rationem deſcribendam revertamur: quæ nos ad reliqua hujus provinciæ oppida & municipia deducent.

CAP. IX.

Iter ab urbe Quitenſi *ad* Rhiobambam, *regionum qualitas & Indigenarum ingenia atque mores.*

Ab urbe *S. Franciſci del Quito* ad regalia palatia *Thomebambæ* quinquaginta tres, aut ut ab *Herrera* alibi dicitur & nos in tabula Geographica ſecuti ſumus, quinquaginta & quinque leucæ numerantur. Iter autem à *Petro de Cieça* particulatim deſignatur in hunc modum.

Ab urbe *Quitenſi* viâ regiâ proficiſcentibus verſus Auſtrum & Metropolim *Cuſco*, **Pãzaleo.** primo occurrit *Panzaleo*: cujus indigenæ à vicinis ſuis nonnihil differunt, tum idiomate, cum capillos in nodos colligandi modo; qui modus utplurimum barbaros harum provinciarum diſcernit. Intermedio ſpacio utrimque aliquot pagi jacent in montanis; ad dexteram quidem ſive occidentalem plagam *Vcchillo* & *Languazi* valles, cœli temperie

temperie & ſoli ubertate nobiles; à quibus ſemita ducit ad *Yumbi* montes, in quibus durum atque incultum hominum genus agit, quod ab aſperis atque aditu difficilibus locis magis efferatur: ad ſiniſtram vero alia ſemita ducit ad *Quixos* populos de quibus mox dicemus.

Mulahalo.

A *Panzaleo* trium leucarum itinere *Mulahalo* aditur, ubi quondam diverſorium ſive *Tambo* fuit & penu in uſum militarem à Regibus ſepoſitum, quum illac iter facerent, nunc pagus eſt infrequens: ad dexteram Vulcanus cernitur, qui olim multos pumices & cineres egerebat.

Tacunga.

Paulum progreſſis occurrit *Tacunga* (quindecim ut *Didacus Fernandez* teſtatur à Metropoli *Quitenſi* leucis) ſumtuoſum olim palatium & *Quitenſi* nequaquam inferius, uti è ruinis illius hodieque apparet; nam & foramina videntur in parietinis, quæ dum res Ingarum ſtarent, aureas ovium imagines, ut volunt, continuerunt: hîc templum Solis fuit cum ſuis Veſtalibus quas *Mamaconas* vocabant; variaque horrea in quibus omnis generis annona recondita erat, multa animalium ſtabula & caveæ omnis generis volucrum: ædes omnes lapideæ & ſtramine tectæ. Indigenæ ſunt colore fuſco, licet fœminarum genus non illepidum ſit & decora facie. Hîc hodie frequens eſt pagus, ubi multos pannos texi ſupra diximus, è quibus incolæ queſtum faciunt.

Mulambatum. Mocha.

A *Tacungâ* per regiam viam venitur *Mulambatum*, ubi ſimilia hoſpitia erant, populus autem nihil pene differt à *Tacunganis*. Hinc ad *Ambato* fluvium, & tribus ab hoc leucis tranſitur ad Palatium *Mochæ*, ſpecioſum quondam ædificium, nunc uti & cætera Ingarum ædificia, pene collapſum: pauci hic barbari eiſdem moribus & inſtitutis quo præcedentes degunt.

Ad occaſum *Sichi* in aliquot pagos diviſi, ad orientem *Pillani* agunt in perfœcunda regione, ita ut nihil eorum quæ ad vitam humanam neceſſaria ſunt illis deſit; multique Hiſpani paſcuorum bonitate allecti hic exercent pecuariam: aluntque imprimis multos porcos, qui omnium Peruvianorum optimi judicantur.

Rhiobamba.

A *Mocha* venitur ad *Rhiobambam*, magnifico Palatio olim ſpectabilem, in *Purvaſiorum* provincia ſitam, quæ tota campeſtris & cœli temperie & herbarum copia, florumque elegantia Hiſpaniæ ſimillima: Indigenæ miti ſunt ingenio & veſtiuntur ad *Quitenſium* normam, comam & alunt & ſubligant eleganter. Hîc quondam *Quitenſe* oppidum conditum fuiſſe ſcribunt, donec ad locum ubi nunc viſitur traduceretur. Diſtat autem *Rhiobamba* ab oppido *Quitenſi* leucas quinque & viginti, ut *Herrera*, vel duas & viginti, ut *Didacus Fernandez*, verſus Africum: pecuariorum modo ſedes, ita ut hic ultra quadraginta millia pecudum numerentur. Ad orientem degunt multi barbari inter montana, à quorum finibus fluminis *Marannon*, ut *Herrera* ſcribit ſecundum communem Hiſpanorum opinionem, fontes haud longe putantur abeſſe: ad hanc plagam & *Tangaragæ* vel *Tincuracu*, juga ſita ſunt, multis barbarorum pagis culta. Ad occidentem vero *Vrcolazo* vel *Vrcollaſu*, montium nivoſa juga videntur, incolis frequentiſſima, per quorum fines iter ad urbem *Guayaquil* ducit.

Cayãbe.

A *Rhiobamba* progrediuntur ad *Cayamben* ſive *Cayampi*, ubi hoſpitia itinerantibus parata in patenti campo ſub frigidiore cœlo. Hinc ad *Teocaxarum* (ſive *Tucaſſa*, ut *Garcilaſſus* ſcribit) diverſoria, in medio ſolitudinis cujuſdam ſive *Punæ* ſita, ubi acriter frigetur.

Tiquicambi. Macæ.

Trium deinceps leucarum itinere aditur Palatium *Tiquicambi*, ad dexteram quidem habens urbem *Guayaquil*, ad ſiniſtram vero *Palatam* ſive ut *Garcilaſſus* vocat, *Pumalactan*, quæ vox ſonat terram leonum, quia hæ feræ plurimum hîc generantur: & *Quiſnam* vel *Queſnam* provincias; & populos quos vocant *Macas*, aliaſque vaſtiſſimas provincias.

Chãcha.

Hinc deſcenditur ad *Chancham* & calidiores regiones, quæ ut & cæteræ ejuſdem conditionis ab indigenis communi nomine appellantur *Yungæ*.

Denique ab hoc pago ad Palatium *Thomebamba* viginti numerantur leucæ, quo intervallo ſingulis tribus quatuorve leucis, *Tambo*, id eſt, diverſoria olim condita, inter quæ duo eminent *Cannaribamba* & *Hatuncannari*, ab indigenis qui vulgo *Cannares* dicuntur, haud dubio ita appellata, de quorum ingeniis & moribus ſtatim dicemus.

CAP. X.

De Magnifico Palatio Thomebamba, *deque Provincia & moribus populorum quos vocant* Cannares.

INTER Palatia quæ ab Ingis Peruviæ monarchis complura per totum regnum paſſim fuerant conſtructa, cum adjunctis ædificiis, in quorum unis arma militaria varii generis, in alteris veſtimenta aut annona maxima copia congerebantur: principem locum ſuo merito flagitat magnificentiſſimum & opulentiſſimum Palatium *Thomebamba*, (vel ut *Garcilaſſus* effert *Tumipampa*) in provincia *Cannarum* ſitum; de quo licet barbari multa mirabilia & ſtupenda referant, tamen illius reliquiæ vel potius rudera coram viſa, admirationem ſupra modum dicuntur augere: ager illius ad occaſum quidem provincia *Guancabilcarum* populorum, ad ortum concluditur excelſis montibus: ipſum in lata planicie, quæque duodecim circiter leucas ambitu complectatur, eſt ædificatum, ad duorum amnium confluentem: Regio paulo frigidior eſt, cæterum venationi cervorum, cuniculorumque, & aucupio perdicum, turturum, aliarumque volucrum peropportuna. Templum hic erat Soli dedicatum, è majoribus ſaxis, quorum quædam nigra erant inſtar lydii lapidis, alii colore iaſpidis virentis: veſtibula eleganter picta & variis gemmis atque aliis ornamentis diſtincta: parietes autem non modo hujus templi, ſed & regiæ aulæ interius auro erant tecti, in quibus variæ figuræ ſculptæ erant: tecta autem licet ſtramentitia, tamen tantâ induſtria erant concinnata, ut ævum poſſent ferre; denique incredibilis auri atque argenti gaza hic erat congeſta. Inſigne autem indicium obſequii ſubditorum erga principes, quod refert *Cieça* & confirmat *Garcilaſſus*, ingentia illa ſaxa, è quibus magnificum hoc palatium & templum Solis fuere congeſta, inde à *Cuſco* longiſſimo & difficillimo itinere fuiſſe deducta. Cæterùm ſumtuoſiſſimum hoc ædificium jam penitus eſt collapſum, nihilque ſupereſt præter vaſtum cadaver.

Indigenæ hujus provinciæ appellantur *Cannares*, gens facie pulchra & corpore valde agili; promittunt quidem capillos, verum tam eleganter colligunt in nodos & coronæ in modum concinnant ſupra verticem, ut hac nota potiſſimum à vicinis populis diſtinguantur; amiciuntur laneis aut goſſypinis pannis; muniuntque crura & pedes ocreis, quæ è *Cabuia* ingenioſe admodum ſunt contexta. Fœminarum genus haud invenuſtum ſed impudicum, Hiſpanorum atque aliorum peregrinorum conſuetudinis ſupra modum appetens: licet operis ruſticis aliiſque maſculis exercitiis utplurimum occupentur; dum viri domi deſident, trahunt penſum, texunt, atque alia fœminarum officia facere minimè erubeſcunt: qui etiam Hiſpanis per provinciam iter facientibus, uxores atque filias ultro concedunt ad onera, inſtar jumentorum, ſuccollanda: Cauſam arbitrantur plerique, quod longe plures fœminæ, quam mares in hac provincia, reperiantur. De cæteris illorum moribus dum pagani eſſent, non eſt neceſſe plura jam dicere, ſiquidem jam diu religionem Chriſtianam cœperunt amplecti.

Provincia porro horum populorum ampliſſima eſt atque latiſſima, multis amnibus rigua, è quibus maximæ divitiæ olim fuerunt erutæ; nam anno cIↄ Iↄ XLIV tam opulenta metalla hîc reperta narrant, ut cives *Quitenſes* brevi tempore ſupra octingenta millia ducatorum ex iis hauſerint; tantaque erat auri opulentia ut pene tantum auri quantum terræ effoderent (Hiſpanos ſequor Authores & imprimis *Petrum de Cieça*.)

Ager tritici atque hordei ſatis ferax: nec maligne tolerat vites, ea eſt temperies hujus provinciæ. Ab hac provincia nulla pertinet via ad mare Auſtrale; niſi forte per valles *Piuræ* & oppidum *S. Michaëlis* de quo mox dicemus.

Verum antequam viam regiam quæ per montana ducit, proſequamur & provincias mediterraneas deſcribamus, quæ dextrâ levaque illam attingunt; paulum nobis divertendum ad provincias quæ propius attingunt mare Auſtrale, & dicendum de *Portu Veteri* cæteriſque locis quæ jacent verſus occaſum ab iis, de quibus hactenus diximus.

CAP. XI.

Iter quod à Provincia Quitenſi *ducit ad mare Auſtrale, & Regionum adjacentium qualitates.*

AD Latus Provinciæ *Quitenſis*, haud procul à *Rhiobamba* (de qua ſupra) ſita eſt provincia *Chumbo*; intermedio autem ſpacio habitantur plurimi pagi à frequentibus incolis, qui omnes certis notis, uti in univerſa *Peruvia* eſt uſitatiſſimum, inter ſe diſtinguuntur. In hiſce regionibus jam plurima templa conſtructa eſſe dicuntur, in quibus Sacra Romano ritu celebrantur, & juventus à religioſis docetur preces & ſacras cantilenas. Ab hac provincia *Chumbo*, difficili atque impedita via quatuordecim leucarum pervenitur ad fluvium, ad cujus ripas indigenæ ſemper rates habent paratas, quibus itinerantes devehunt ad locum in hoc imperio celeberrimum & notiſſimum, quem Hiſpani vocant *el Paſſo de Guayanacapa*, de quo paulo poſt plura dicemus.

cap.ix. Chũbo.

Primus autem *Peruviæ* portus ad mare Auſtrale appellatur *Paſſao*, à quo uti & à flumine *S. Iacobi* olim limites præfecturæ quam *Franciſcus Pizarrus* ab Imperatore impetraverat, ſumebant exordium; nam terræ quæ magis verſus Auſtrum vergebant, accenſebantur flumini *S. Ioannis*; de quo ſupra.

Paſſao. l. 9. c. 18.

Indigenæ Provinciæ *S. Iago* quam vulgo vocant de *Puerto Vejo* ſtatura ſunt mediocri, poſſidentque ſolum longe uberrimum, quod & optimum Mayzium & Yucam Batataſque & alias edules ac ſalubres radices ad uſum generis humani producit abundantiſſime: Optimæ hic reperiuntur *Guayavæ* duorum triumve generum; *Guavæ* atque *Aguacates*, *Tunæ* duorum generum; *Caymiti* atque *Cerezillæ*: quin & melones aliique Europæi fructus, hic egregie maturantur. Plurimi hic paſſim vagantur porci Americani quibus umbelicus eſt in dorſo, atque etiam Europæi. Cervi quoque carne imprimis ſapida. Innumeræ aves, atque inter illas *Xutæ* anſeribus haud abſimiles, quas barbari cicurant & domi alunt; atque ad menſarum adhibent delicias. Deinde & aliæ volucres quas vocant *Macas*, gallinaceis noſtratibus paulo minores, roſtro oblongiori, coloris flavi atque rubentis, plumis autem tam mira varietate diſtinctis, ut intuentes in ſui admirationem rapiant.

Xutæ. Macæ.

Montes atque convalles denſis nemoribus variarum arborum paſſim ſunt obſitæ, quarum materies ad ædificia perutilis cenſetur.

Indigenæ capiunt varii generis piſces, quorum ii qui *Boniti* appellantur, viliores æſtimantur, quia febres & alios morbos putantur generare. Barbari autem qui ad oram maris Auſtralis degunt, maligno quodam rubentium verrucarum ſive puſtularum genere infeſtantur, quæ interdum nucum magnitudine in fronte & ad nares, cæteraſque humani corporis partes emergunt; quod à piſcis cujuſdam uſu in cibis ipſis contingere quidam opinantur, alii aliis cauſis imputant; moleſtiſſimus cæterum eſt affectus & non raro lethalis.

Duplex autem hominum genus obſervant hanc oram & mediterranea incolere: nam à Promontorio *Paſſao* & flumine *S. Iacobi* uſque ad pagum *Zalango*, tam mares quam fœminæ perſignant faciem notis quibuſdam, ab auriculis ad mentum uſque ductis, ornanturque diverſis monilibus aureis & imprimis certis rotulis, quas vulgo vocant *Chaquiram Coloradam*, quam in hiſce partibus maximi faciunt. Notandum autem *Chaquira* vocem eſſe *Peruvianis* propriam, qua deſignant catenulam ex auro artificioſe elaboratam, quales etiam ante Hiſpanorum adventum tam ſcite & ſubtiliter elaborare noverant, ut Europæis admirationi eſſent, ut ſcribit *Garcilaſſus*.

Chaquira. l. 8. c. 5.

Præcipui pagi horum populorum ſunt *Paſſao*, *Xaramixo*, *Pompaguace*, *Peclanſemeque* & vallis *Xagua*, *Pechonſe* ſeu Monte Chriſto, *Apechigue*, *Silos*, *Canillega*, *Manta*, *Zapil*, *Manavi*, *Xaraguaca* & alii. Domus eorum ſunt ligneæ & ſtramine deſuper tectæ.

Manta municipium ad oram maris Auſtralis eſt ſitum: hic quondam ingens Smaragdus magno vicinorum concurſu colebatur pro numine: nec dubium eſt ditiſſimas harum gemmarum venas haud longe ab hoc loco abeſſe, quemadmodum teſta-

l.4.c.14. tur *Acoſta*: Juxta *Mantam* (inquit) & portum Veterem quamplurimi inveniuntur Smaragdi & in mediterraneis celebratur locus, vulgo *de las Eſmeraldas*, ob copiam illarum gemmarum; licet ea regio nondum ab Hiſpanis perluſtrata aut domita ſit. Manta. *Manta* autem hodie eſt primus Peruviæ portus, ad quem plerique à Panama venientes ſolent appellere, & maris pertæſi, terreſtri itinere Limam petere: Statio navibus haud incommoda eſt: pauci hic degunt Hiſpani, omnes ſunt indigenæ, qui rudentibus torquendis & aliis miniſteriis nauticis utplurimum occupantur; nam & aliquot celoces hic habent.

Barbari qui mediterranea incolunt, idiomate utuntur diverſo, licet moribus à littoralibus haud multum diſcrepent; in fluminibus illorum multum auri reperiri Caraques. conſtans eſt fama. Alterum genus barbarorum appellatur *Caraques*, qui uti & vicini illorum diverſis moribus & inſtitutis agunt à ſuperioribus; neque enim faciem ullis notis perſignant, neq; ingenio ſunt tam habili aut induſtrio, ſed hebeti & ruſtico.

Quidam eorum præſertim qui ad Arctum à *Colyma* degunt, ante Hiſpanorum adventum penitus nudi agebant; quod jam mutarunt.

Cap. XII.

Deſcriptio oppidi Puerto Veyo *atque* S. Jacobi de Guayaquil, *nec non oppidi* Caſtro *in Provincia* Bunigando.

Oppidum *Puerto Vejo* ſecundum *Herreram* ſitum eſt ad altitudinem unius gradus citra Æquatorem verſus Auſtrum, octuaginta leucis ab urbe *S. Franciſci del Quito* ad occaſum Solis, itinere difficili & valde impedito; quinquaginta ab oppido *S. Iago* de *Guayaquil:* haud longe ab Oceano Meridionali; ad quem habet portum Mantam. Locus inſalubrior eſt, & indigenæ regionis illius brevioris ævi, quod quidem ex eo oriri exiſtimant, quod tam vicina ſit Æquatori, ſed quum experientia conſtet ſub eodem clymate regiones jacere longe ſaluberrimas, ab aliis cauſis licet occultis eſſe neceſſe eſt, à quibus & verrucæ illæ proficiſcuntur, de quibus ſupra diximus, quæ & hic vel maximè ſunt exitioſæ. *Lupus Vazius* Luſitanus teſtatur, oppidum hoc quondam fuiſſe opulentum, ſed Smaragdorum pretio præ nimia copia vileſcente jam ad inopiam eſſe redactum. In finibus hujus oppidi maligne admodum naſcitur triticum ob nimias pluvias, quæ hic fere continuo octo menſibus decidunt, inde à menſe Octobri: cæterum ditiſſimas auri venas terræ gremio hîc abſcondi, ab Hiſpanis vulgo creditur: oppidani tamen magis pecore abundant, quam pecunia, uti accepi à quodam qui nuper viderat.

Guayaquil. Urbs *S. Iacobi de Guayaquil*, quæ etiam alio nomine ab Hiſpanis appellatur *la Culata*, diſtat ab urbe *S. Franciſci del Quito* leucas ſexaginta verſus Africum; & quindecim ab Oceano Meridionali; ſita ad interiorem ejuſdem receſſum, quadraginta leucas à portu *Païta* verſus arctum: ad ipſum autem hujus receſſus exordium ſive ſuper fluminis *Guayaquil* æſtuarium, jacet Indorum vicus olim celebris quem veteri nomine vocant *Tumbez*. Iter à Portu Veteri ad hanc urbem agitur per plurimos pagos quidem Indorum, ſed & per plurima nemora & ſolitudines. Cæterum *Guayaquil* eſt emporium alicujus pretii, quod à frequentibus Hiſpanis habitatur. Hic & naves fabricantur ob materiei bonitatem & affluentiam; & funes torquentur nautici: largam quoque materiem vehunt Limam, tam ad ædificia, quam ad naves fabricandas. Solum ſuburbanum admodum eſt fertile, atque amœnum: multumque mellis hic colligitur è concavis arborum truncis.

Fluminis *Guayaquil*, à quo huic urbi agnomen, undæ admodum ſalubres judicantur, & egregium adverſus luem veneream atque ſimiles affectus remedium, adeo ut è vicinis atque longinquis regionibus plurimi huc confluant; Hanc virtutem aquis hujus fluminis communicari autumant à Zarſa parilla quæ ad ripas illius & in vicinis agris lætiſſimè provenit, & in alias regiones maxima copia deportatur. Nemoroſa eſt regio, quæque optimam materiem navibus fabricandis ſubminiſtrat. Sola eſt urbs totius oræ Peruvianæ in qua pluat, inde ab Atacama in finibus Regni Chilenſis.

Guaya-

Guayaquil flumen tantum eſt modicum, ut fere cætera quæ in mare Meridionale egrediuntur, ſi cum iis quæ in Septentrionalem Oceanum exeunt, comparentur, ob decurſus eorum brevitatem; rapidiſſima autem propterea ſunt, facilique momento egrediuntur ripas ſuas, ob vicinitatem montium à quibus deſcendunt. Oritur autem hoc in provincia *Quitenſi* ex editiſſimis jugis, quæ ad ortum vergunt; variiſque amniculis per intervalla acceptis augetur ſenſim, ita ut oſtium illius ſive æſtuarium pene ſeſquileucam pateat. Maximus Peruviæ Monarcha *Guaynacapa* aggreſſus erat iter ſternere ſilicibus per hoc flumen, ſed minime abſolvit, ſtupendum opus futurum fuiſſe, reliquiæ operis inchoati ſatis demonſtrant: *Paſſo de Guaynacapa* hodie appellatur, duodecim, ut *Petrus de Cieça* tradit, ſupra Inſulam Punam leucis. Merces omnes *Quitenſi* provinciæ deſtinatæ hoc flumen longo & laborioſo itinere ſubvehuntur.

Barbari qui gentili nomine appellantur *Guancabilcæ*, parent oppidanis *Guayaquil:* ad ejuſdem Diœceſin pertinent pagi *Yaqual*, *Colonche*, *Chinduy*, *Chongen*, *Daule* & *Chonana* aliique complures, ſolo imprimis fertili atque omnibus ad vitam humanam neceſſariis affluente. Urbem ipſam cingit patentiſſima planicies, pauci colles, ſed luci longe amœniſſimi.

Chonorum item natio, accolit haud longe ab urbe *Guayaquil*, ripas fluminis *Daule* Choni.
qui compactis ratibus merces omnes adverſo flumine ſubducere conſueverunt, ad Daule.
alia miniſteria pene inutiles.

Antequam ab hiſce regionibus diſcedamus, haudquaquam omittenda Hiſpanorum Colonia *Caſtro*, à tribuno militum *Contrera* anno cIɔ Iɔ LXVIII ab urbe *Guayaquil* in vallem *Vili* deducta, quæ ad provinciam *Bunigando*, *Imdinono* atque *Gualapæ* pertinet, quæ aliter quoque vocatur provincia *Smaragdorum*, cujus & ante meminimus. Idem primus perluſtravit regiones littorales à promontorio *Paſſao* ad flumen *S. Ioannis*, ſed illius obſervationes nondum vidimus. Caſtro.

Cap. XIII.

Itineris ratio à Palatio Thomebamba *ad oppidum* Loxam; *ejuſdemque &* Cuençæ *deſcriptio.*

Revertamur jam ad viam Regiam & montanas mediterraneaſque regiones. A Palatio *Thomebamba* ad metropolim *Cuſco* tendentibus, primo iter eſt per provinciam *Cannarum* donec *Cannaribambam* aliaque Palatia prætererint: ad utrumque autem viæ latus, plures ſpectantur ejuſdem provinciæ pagi; ad ſiniſtram etiam altiſſimi montes, quorum radices quæ ad orientem ſpectant, à variis habitantur populis, qui ad flumen *Marannon* ut loquitur *Herrera*, exiſtimantur pertingere.

Fines *Cannarum* egreſſos excipit provincia *Paltarum*, veteribus Peruviæ Monarchis perchara, uti apparet è veſtigiis magnifici Palatii, quod hodie ab ingentibus ſaxis, ſummo labore & induſtria huc traductis, Hiſpani vocant *de las Pedras:* habet hæc provincia ad occidentem *portum Veterem*; ad ortum *Bracamoros*, & alias ampliſſimas provincias, vaſtos montes, pluresque populos linguis atque inſtitutis diverſos, quorum qui ad radices montium ad orientem incolunt fere nudi agunt, neque ingenio neque moribus cum Peruvianis ullatenus comparandi. De *Paltis* ipſis ſcribit *Garcilaſſus*, ipſos imprimis decorum & formoſum æſtimaſſe, eſſe fronte lata & capite pando; ideoque infantibus primum natis tabellis quibuſdam frontem & occiput compreſſiſſe uſque ad tertium ætatis annum ut tales evaderent, quod alii imprimis indecorum & turpe judicant; unde proverbio inter gentes Peruviæ uſurpatum, ut qui lata fronte & pando occipite eſſet, & capite utrimque compreſſo, quod fœdum aſpectu, tales appellarent *Palta uma*, id eſt, caput *Paltæ*. Paltæ.

A *Cannarum* provincia ad urbem *Loxam* ſeptemdecim numerantur leucæ, difficili itinere & crebris paludibus impedito. Statim autem à Palatio *de las Pedras*, aſcenduntur montes, modice quidem editi, ſed admodum frigidi, qui decem leucas in longitudinem ſe extendunt ad alterum palatium, ad radices eorumdem poſitum,

Tambo-blanco. vulgo *Tamboblanco*, à quo via regia declinat ad fluvium *Catamayo*, ad cujus ripas urbs Loxa ab Hiſpanis condita: ad dextram atque ſiniſtram plurimi pagi habitantur à barbaris, qui ingenio & moribus à præcedentibus nihil differunt. Provincia hæc ſalubris eſt & cœlo perquam benigno, qua ſubſidet in valles: nam montoſiora loca, licet habitentur, frigidiuſcula ſunt; ſolitudines autem & nivoſæ petræ longe frigidiſſimæ. Utramque fluminis ripam tegunt ſylvæ, multæque fructiferæ arbores ab Hiſpanis hic conſitæ, quæ maximum capiunt incrementum.

Calua. Ayavaca. Caxas. A *Tamboblanco* ingrediuntur *Calluam* & *Ayavacam* provincias, quæ ad ortum quidem concluduntur ab Andibus, ad occaſum vero finibus oppidi *S. Michaëlis de Piura:* præcipuum harum municipium *Caxas*, ubi inſigne Regis palatium, aliaque ædificia quondam fuerunt: hiſce proxima eſt *Guancabamba*, Palatio regio & ingentibus ſtructuris nobilis, quarum hodie tantum rudera viſuntur: aliæque provinciæ perplures, quæ ad Loxenſem Diœceſin referuntur. Sed de oppidis jam dicamus.

Cuenca. *Cuenca* quæ & *Bamba* gentili nomine dicitur, abeſt ab oppido *S. Franciſci del Quito* leucas unam ſupra quinquaginta: habet cœnobium Dominicanorum & alterum Minorum; regitur per Legatum, quem Hiſpani vocant *Corregidor:* Diœceſis illius, auri, argenti, æris, ferri atque ſulphuris venis dicitur abundare.

Loxa. *Loxa*, quæ & *Zarza* vocatur, aſſidet regiæ viæ, ſedecim à *Cuenca* leucis verſus Auſtrum, ut *Petrus de Cieça* teſtatur, octuaginta à Metropoli *Quitenſi*; fines habet ab Oriente *Zamoranam* Diœceſin, ab occidente viam quæ ducit ad *Païtam:* ad Africum denique oppidum *S. Michaëlis.* Sita eſt autem ad altitudinem quinque graduum Auſtralium, inter duo flumina limpidiſſima, in amœna & formoſa valle *Cuxibamba*, quæ nullis culicibus obnoxia eſt, & nullis venenatis animantibus infeſtatur. Aër hic ſalubris, magiſque calidus quam frigidus, raro nubilus; à Martio ad Auguſtum hic multum pluit, ningit autem nunquam. Copioſa hic materies & longe optima, cedrina, quercina, aliarumque arborum, uti ad ædificia abunde ſufficiat. Multi hic fontes & ſcaturigines ſaluberrimarum aquarum: In provincia autem *Caruma* viſitur fons ita æſtuans, ut ab animantibus tolerari non poſſit, graviter tamen vulnerati utiliter ejuſdem aquis foventur; cæterum ſapore ſunt peramaro & odore ſulphureo. Solum Mayzii & tritici perfertile; pecori optimum, tam domeſtico, quam peregrino: luci volucribus, amnes piſcibus pleni. Cives equis & armis ſic ſatis inſtructi, cætera haud opulenti. Barbarorum numerus quotidie augetur & Chriſtianam religionem haud ſegniter amplectuntur. In urbe præter templum, ſunt cœnobia Dominicanorum & Minorum.

Cap. XIV.

Zamora *atque* Jaën *oppida &* Chuquimayo *Provincia deſcripta.*

VRbs *Zamora* collocatur ab *Antonio Herrera* ad ſextum gradum altitudinis Auſtralis, nos in Tabula Geographica ad quintum removimus, diſtantiis vicinorum locorum perſuaſi: diſtat à *Quitenſi* Metropoli octuaginta leucas verſus Eurum, ab oppido Loxa viginti recta verſus ortum, & ſub orientali Andium latere; denique ſeptuaginta ab oceano Meridionali. Provincia haud ſupra viginti leucas complectitur, quam barbari vicini quondam appellabant *Proaucam*, quæ vox bellatorem populum ſignificat. Aëris conſtitutio humida atque calida; licet aquilo hîc maximam anni partem perflet, (haudquaquam gravis aut tempeſtuoſus) crebræ hîc pluviæ, quibus tamen ceſſantibus egregie hîc ſerenat. Peſtilentia aliique contagioſi morbi hîc fere incogniti, cæteris Tabacco imprimis obviam eunt: habent & aliam herbam, quam vocant *Aguacollam*, & in omnibus pene medicamentis uſurpant. Solum producit quoque ſponte certas nuces, quæ crudæ lethales, coctæ vero inſigniter nutriunt. Regio quibuſdam locis montoſa, cæteris plana atque campeſtris. In montanis naſcuntur frequentes cedri, aliæque arbores duriſſima atque incorruptibili materie. In finibus hujus oppidi plura ſunt auri metalla, è

quibus

è quibus grana quædam effoſa, inuſitatæ molis, quorum unum Hiſpaniarum Regi Philippo II oblatum ferunt octo appendens libras: nec dubium quin alia quoque metalla terræ gremio abſcondantur, licet hactenus neglecta ab incolis. Putei & ſcaturigines ſalſæ hîc frequentes, è quibus optimi ſalis cogitur copia. A jugis montium deſcendunt aliquot amnes, verſus orientem atque etiam occaſum, uniligneis ſcaphulis navigabiles, quorum aquæ limpidæ & potari pulcherrimæ; quumque per auriferos montes defluant, multa ſecum devehunt auri ramenta. Omnis generis fructiferæ arbores, tam Domeſticæ, quam Europeæ, admodum hîc proficiunt; uti & fruges atque herbæ: Solummodo triticum atque hordeum malignè admodum patitur tellus. In montanis reperiuntur aliquot ferarum genera, uti tigres & leones, ſed pauci atque puſilli: plurimi hîc *Paci*; armentorum quòque Europæorum, ſuum, caprarumque copia. Quid multa; & amnes nutriunt optimos piſces maxima copia, & tellus alit apes, quæ & plurimum mellis faciunt, & carent aculeis. Oppidum ipſum perpulchrum eſt; ædes è lignis atque lapidibus ſubſtructæ; Templum elegans: & Dominicanorum cœnobium haud vulgare. Regii ærarii Præfectus hîc habitat. Cæterum aurifodinæ excoluntur à Nigritis: indigenæ enim hujus provinciæ ſunt ingenio humili, induſtria pene nulla, laborumque impatientes: Ante Hiſpanorum adventum vivebant raptu, & ſpoliabant alii alios, obtruncabantque nonnunquam, nunc & veſtibus amiciri & cultioribus didicerunt moribus vivere.

Iaën.

Oppidum *Iaën*, diſtat ab oppido *Loxa*, (ut teſtatur *Anton. Herrera*) leucas quinque & quinquaginta; à *Chachapoya* triginta; ſitum in meditullio provinciæ *Chacaynga* (quæ numeratur inter provincias quæ communi nomine, à barbaris vocantur *Chuquimayo*) in edita quidem regione atque montoſa, ſed egregiè temperata.

Chuquimayo.

Provinciæ porro quas communi nomine appellant *Chuquimayo*, nomen ſuum mutuantur à flumine *Chuquimayo*, quod eaſdem interluit; habetque ad occaſum & Auſtrum provinciam *Chenchipen*. Flumen eſt vaſtum atque piſcoſum, & quam rapidiſſime decurrens, ita ut Hiſpani atque aliæ nationes illud tranſnatare pertimeſcant: *Chenchipanis* vero atque aliis harum regionum Indigenis, qui natandi ſunt peritiſſimi, tam familiare eſt, illud tranare, ut etiam fœminæ cum ſuis infantibus illud aggredi minime vereantur. Plurimum Mayzii fert hæc regio, quod ſingulis quaternis menſibus maturatur; multum Yucæ & ſimilium radicum; aliorumque fructuum Americanorum; inter quos & Xaquæ quibus nigredinem cuti inducunt, ut Nigritæ eſſe videantur. Præter vallem, quam tranſit, & paucos campos quos ſuis meandris interſecat, obtegunt ripam fluminis utramque altiſſimi montes; ultra quos, trium leucarum à dicto flumine intervallo, alia aditur provincia, quam vocant *Perico*, cujus indigenæ ab iis qui ripas fluminis accolunt, differunt lingua atque moribus: provincia hæc incolis frequens, fœcunda & bene culta.

Perico.

Cherini.

Ab hac ſeptem leucæ numerantur ad *Cherinorum* provinciam, itidem frequentiſſimam indigenis, qui aliud flumen ſatis vaſtum accolunt, ſuntque valde bellicoſi & alterius linguæ: Solum perfœcundum & flumen auriferum.

Silla. Chachaynga.

Cherinorum provinciam ſequitur *Silla* & dein *Chachaynga*, utræque montoſæ provinciæ, non tamen aſperæ; & temperie aëris ſingulari.

Provincia *Copallen* ejuſdem eſt genii, dives ovibus. Indigenæ autem provinciarum *Lanque* ſive *Lanza*, & quam Hiſpani vocant *Lomam del Viento*, iiſdem vivunt moribus atque inſtitutis.

Vagua.

Tomependæ vero populi, qui *Vaguam* vallem inhabitant; in planicie atque campeſtribus agunt & propterea vocantur *Yungæ*; perurbana natio: Solum illorum fertiliſſimum & ager omnibus rebus affluens, præſertim melle & omnigenis fructibus. Paulo ulterius jacent hæ provinciæ, *Anta*, *Coanda*, *Tabancara*, *Palandra*, *Xaroca* atque *Cobinbinama*, montanæ omnes, nec tamen infœcundæ aut annonæ indigæ; & ſi vulgaris opinio non fallit auri atque argenti venis locupletes. Satis autem conſtat, quod à quodam qui nuper Peruviam adierat accepi, pleraſque gentes qui Andes accolunt, aut in intermediis vallibus degunt, aurum poſſidere, nam plurimi indigenæ, qui Hiſpanis moribus jam aſſuevere, cum variis mercibus ad iſtos ſolent penetrare,

& pro mercibus ſuis aurum reportare, ejus generis quod vocant Bolador, duorum & viginti Caratorum.

Cap. XV.

Plana Peruviæ, Vallis Tumbez, S. Michaëlis *oppidum & portus* Païta.

VIAM regiam quæ per montana ducit, ſuperioribus capitibus perduximus ad *Guancabambam*, & eadem opera notiſſimas provincias mediterraneas atque montenſes recenſuimus; nunc ad planiciem Peruvianam tranſibimus, ubi prius obiter è *Didaco Fernandez*, annotavero, inter *Caxas* & *Chinchacaram* novem, inter *Chinchacaram* autem & *Piuram* ſeptem numerari leucas, ut ex hiſce connexio inter montanas & maritimas provincias nonnihil illuſtrari poſſit.

Tũbez. Planicies *Peruviana*, quam Hiſpani vocant *los Llanos*, initium ſumit à valle *Tumbez*, per quam fluvius ejuſdem nominis, in *Paltarum* provincia oriens, ſeſe exonerat in mare Auſtrale. Vallis autem atque provincia *Tumbezina*, aridiori atque infœcundiori eſt ſolo, quia ſecus oram maris aliquot leucarum latitudine nunquam; ad radices autem montium, qui illum ob oriente prætexunt, raro admodum pluit: Nihilominus olim & incolis frequens & bene fuit culta, aqua quæ per plurimos canales & aquæductus ſingulari induſtria & labore è fluvio derivatur, ſata paſſim rigante; quo fiebat, ut & copioſam Mayzii meſſem facerent, & omnibus rebus ad vitam humanam neceſſariis abundarent. Indigenæ veſtibus utebantur, erantque induſtrii, laborum tolerantes & longe cultiores quam ii qui montana incolebant. Peruviæ monarchæ hic quondam arcem habuerunt & præſidium ad vicinos & præſertim *Punæ* inſulæ incolas in officio continendos.

Solana. E valle *Tumbozina* bidui itinere tranſitur ad *Solanam*, per viam regiam quæ per plana ducitur, quæ vallis haud minus frequens & præclaris ædificiis fuit inſtructa.

Poëchos Solanam ſequitur vallis, quam à fluvio *Poëchos* ſive *Pocheos*, aut à Regulo ſive *Curaca*, ut vocabant, qui illi, quum primum Hiſpani ingrederentur, imperabat, appellant *Mayabilcam*. Hanc *Auguſtinus de Zarate* triginta leucas à *Tumbezina* teſtatur abeſſe & olim longe frequentiſſimam & celeberrimam fuiſſe, plurimæ magnificentiſſimorum ædificiorum ruinæ hodieque faciunt fidem.

Piura. Ab hac bidui itinere diſtat *Piura*, latiſſima vallis ob aliquot amnium confluxum; in qua oppidum *S. Michaëlis* jacet, antiquiſſima & prima Hiſpanorum in Peruvia colonia; quam primum in *Tangaralam* deductam accepimus, ſed ob loci inſalubritatem haud multo poſt huc traductam; pomerium urbis barbaris dicebatur *Chila*, inter duas planas & amœnas valles & pulcherrimarum arborum lucos, in ſolo arido, duroque ita ut aqua difficulter in oppidum duci poſſet: neque tamen hic locus admodum ſalubris, ſed oculis admodum infenſus, æſtate quidem, ob ariditatem ſoli pulverulentus, hyeme ob pluviarum aſſiduitatem ſupra modum humidus. Cæterum oppidum nullis mœnibus cinctum eſt neque magni pretii: licet à Vicario regatur (*Corregidor* Hiſpanis) cui non modo hoc oppidum ſed & *Païta* & multa alia loca, indigenis in ambitu habitata, parent. Oppidani & qui in agris degunt, quæſtum faciunt è pecuaria. Ab hoc iter pertinet ad montana, quæ vocant *las Sierras*: itemque alterum unius & viginti leucarum ad *Olmos*; per ſolitudines & ſylvarum adyta, ita ut indigenis ductoribus hic fidendum ſit, qui itinerantes ad aquas potabiles deducant, quarum hic magna eſt inopia, ut juxta ſomnos capiant. Abeſt autem *Olmos* à *Païta* leucas quadraginta Indigenarum pagus, qui pecuariam exercent, & plures poſſident mulas, quibus advenas vehunt ad vicina oppida atque adeo Limam. *Herrera* inter oppidum *S. Michaëlis* & Metropolim *Quitenſem* edit intervallum centum & viginti leucarum, via à *Quito* verſus Africum deflectente.

S. Michaël.

Olmos.

Sed antequam ulterius procedamus, quod ſupra diximus, in planis hiſce & convallibus nunquam pluere, quomodo accipiendum ſit, è *Petro de Cieça* paulo plenius explicemus: In montana regione, quam Hiſpani vocant *las Sierras*, æſtas capit exordium,

exordium, menſe Aprili & deſinit in Septembri: hyems autem durat ab Octobri in menſem Martium: In planicie vero quæ mari Auſtrali adjacet, res ſecus ſe habet: nam ab Octobri ne guttulam quidem hic pluit, tantum decidit ros quidam ita minutus ut vix terræ ſuperficiem humectet; ita ut indigenæ magno labore agros coguntur irrigare; maximam autem ſoli partem occupant ſteriles arenæ & arentes petræ, quas pumilæ aliquot arbores & fruticeta veſtiunt, quæ paucas frondes, nullos autem fructus ferunt; multi autem paſſim viſuntur cardui atque tribuli. Hyeme autem, ut ipſis vocatur, cœlum continuo fere nubilis tegitur, quæ ſolis conſpectum adimunt & ingentes nimbos videntur minari, quum vix tenuiſſimis guttis pulverem irrorent. Ab altiſſimorum montium vicinitate id fieri autumant, qui nubes attrahunt, & ſuper planiciem prohibent diſcuti. Nam quum maxime pluit in montanis, planicies ſereniſſimo cœlo gaudent & maxime ſudo; & contra quum planicies minutilo licet rore humectantur, in montanis plurimum ſerenat. Ingæ Veteres Peruviæ Monarchæ per planicies itidem viam regiam duxerunt quindecim aut ſedecim pedes latam, ſilicibus ſtratam & macerie utrimque munitam, arboribuſque quantum ſoli ratio patitur adverſus æſtum ſolis tectam; diverſoriis & palatiis per intervalla, ut ſupra de montana regione retulimus, opportune ſtructis.

Ad oppidi *S. Michaëlis* Diœceſin pertinet *Païta*, nobilis Peruviæ portus, ad altitudinem quinque graduum Auſtralium ſitus, ut *Herrera* notat, quibus alii paucula ſcrupula addunt, viginti quinque, vel ut alii tantum duodecim ab oppido leucis: itinere moleſtiſſimo per loca arenoſa & aquarum atque adeo omnium rerum neceſſariarum indiga. Eſt autem ampliſſimus ſinus & adverſus incerta ventorum egregie à natura munitus; naves quæ à *Guatemala* Peruviam petunt hic appellere & onera ſua ſolent exponere, quæ opportunitas multos Hiſpanos allexit ut hic municipium conderent. Quod ſuperioribus annis iterata clade pene exciſum fuit; ſemel anno cIↄ Iↄ LXXXVII à *Thoma Candiſchio* Anglo qui incolis nequicquam repugnantibus locum cepit, qui tum ducentis ædibus cum ſuo prætorio conſtabat, arce quam moliebantur nondum abſoluta: & cives qui ad vicinum montem confugerant, non opinantes adortus, fugavit & viginti quinque argenti libras eripuit, deſcendenſque totum oppidulum concremavit. Iterumque anno cIↄ Iↄ CXV à *Georgio Spilbergio* Belga, qui civibus omnibus, qui ſe cum fortunis ſuis omnibus in montan a ſubduxerant, vacuum ingreſſus, denuo ædes Vulcano tradidit: Qui nuper locum viderunt, aſſerunt paucos Hiſpanos hic habitare, qui annonam venalem habent, plurimos autem indigenas. Païta.

CAP. XVI.

Provincia de los Quixos, *ejus limites, qualitates, oppida; itemque Provincia quam vocant* Canelam.

HACTENUS propinquiores Oceano provincias perluſtravimus, quæ tam ad planiciem quam ad montana intra limites Conventus Juridici *Quitenſis* concluduntur; nunc & remotiores dicendæ, quæ ſimiliter ad hunc Conventum referuntur. Earum unam vocant Hiſpani *los Quixos*, anno demum cIↄ Iↄ LVII luſtratam, poſtquam colonia Hiſpanorum in *Cuencam* (de qua ſupra) eſſet deducta: cap. XIII. fines habet ab occidente provinciam *Quitenſem* proprie dictam; ab arcto *Popayanam*; ab Oriente provincias, quæ ab auri copia, ſi fama verax eſt, vulgo *El Dorado* appellantur; ab auſtro denique *Yguarſongo* provinciam de qua mox dicemus. Arctoo limite vix primum gradum citra Æquatorem verſus Auſtrum attingit; in longitudine quidem pene quadraginta, in latitudine vix viginti occupans leucas. Tota regio hujus provinciæ admodum fervet, & largiſſimis humectatur imbribus: Mayzii fert pauxillum, nullum triticum: vix ullus Peruvianorum fructuum hic deſideratur, quos autem vocant *Granadillas* tam præſtantes producit, ut omnibus aliarum provinciarum præcellant. Europæi quoque fructus ipſi familiares eſſe cœperunt, uti & olera atque herbæ. Goſſypii dives eſt, è quo optimos pannos texunt: nec auri penitus expers creditur. Suum habet præfectum, qui à Pro-Rege Peruviæ inſtituitur. Quatuor omnino oppida hic habitantur ab Hiſpanis, quorum primum & præcipuum

Baëza,

Baëza. *Baëza*, anno cIɔ Iɔ LIX ab *Aegidio Ramires Davalos* conditum, octodecim à Metropoli *Quitenſi* leucis verſus Eurum, Præfectus provinciæ hic ſedem habet.

Secundum *Archidona*, diſtans circiter viginti leucas à *Baëza* verſus Euro auſtrum.

Archidona. Avila. Tertium *Avila*, cujus diſtantiam non inveni proditam, abeſt autem ab *Archidona* verſus ſeptentriones.

Sevilla. Quartum denique *Sevilla del Oro:* licet *Herrera* in deſcriptione Indiarum illius non meminerit, neque in Tabula Geographica curaverit exprimendam.

Ad Epiſcopatum *Quitenſem* pertinet hæc Provincia, illiuſque indigenæ gnaviter Chriſtianam religionem cœperunt colere: propriam habent linguam, licet & communi Peruviæ utantur, eamque calleant: cæterum à reliquis harum regionum barbarîs neque habitu, neque moribus, neque ſuperſtitione quicquam olim differebant: verum magnam indigenarum partem, tùm belli rabies, tum morbi exſtinxerunt. Nam quum primum Hiſpani provinciam ingrederentur, acriter armis illis reſtiterunt, ferociam ſuam, qua omnes hi transmontani barbari pollent, incaſſum oſtentantes, dein domiti quum jugum impatienter ferrent, ſemel atque iterum rebellarunt; jam vero perdomiti pacis conſilia amplectuntur & agris colendis dant operam.

Canela. Provinciæ *de los Quixos* proxima eſt ad orientem provincia quam vocant *Canelam*, ab arborum copia (atque adeo integris illarum ſylvis, quæ in multarum leucarum ſpatia pateſcunt) quas ob ſimilitudinem quandam cum notiſſimo aromate, vocant *Canelas*. Eſt autem arbor oleæ magnitudine, folliculos quoſdam cum ſuis floribus producens qui contuſi ad aromatis illius odorem atque ſaporem nonnihil accedunt. *Monardes* deſcribit hanc arborem in hunc modum: Arbores quæ *Canelam* ferunt, mediæ ſunt magnitudinis, & immortali coma præditæ, uti reliquæ Indicæ arbores, foliaque habent laurinis ſimilia: fructus eſt parvo pileo ſive petaſo ſimilis, ea latitudine qua nummus Hiſpanicus octo regalibus æſtimatus, interdum etiam major, intrinſecus & extrinſecus ex purpura nigricans, interius lævis, foris aſper, quibus margines craſſitudine jam dictum nummum æquant, ſummitas vero longe ſuperat & pediculo prædita eſt, unde ex arbore dependet: guſtatus eandem ſaporis ſuavitatem & odoris fragrantiam habere deprehenditur, quam legitima canella ex orientali India allata, cum nonnulla aſtrictione conjunctam: arboris cortex qui craſſus eſt, nullum canellæ ſpirat odorem aut refert ſaporem. An interior tenuiorque membrana ſimile quid obtineat, me latet. Hæc ille. (cap. xxv.)

Magna de Provinciæ hujus opulentia in vicinis Peruviæ regionibus quondam fuit opinio; donec à *Gondiſalvo Pizarro*, infelici illa in *Dorado* provincias expeditione longe ſecius deprehenderetur; nam præter ingentes illarum arborum ſylvas & invios ſaltus, nullum operæprecium hic inventum. Indigenæ enim omnium rerum indigi erant & bardo ingenio; habitabantque humiles caſas & ruinoſa tuguriola: Vicinarum provinciarum penitus ignari, ac ne ſuæ quidem ſatis ſcientes: hos tamen *Pizarrus* inaudita crudelitate, canibus ſuis dilacerandos objecit, & aliis tormentis miſere excruciavit, quia viam demonſtrare non poterant, ac ne quidem noviſſe querebantur ad ditiſſimas illas regiones, quas Tyrannus ille jam ſpe devoraverat. Sub Æquatore ſita eſt provincia, appellaturque ab accolis gentili nomine *Zumaca*.

Cap. XVII.

Provincia populorum quos vocant Bracomoros, *coloniæ Hiſpanorum in eadem, & de auri venis pauca.*

Ad eundem Conventum Juridicum *Quitenſem*, referuntur & aliæ mediterraneæ provinciæ, quas *Bracomororum* vel *Pacomororum* vocant, & nonnunquam *Yguarſongo*, utplurimum autem *Iuan de Salinas*; ſive una ſit provincia ſive plures & diverſæ: fines autem habent ab occidente vaſtiſſima illa & continua Andium juga, quæ vocant *Cordilleram*, ultra quæ *Zamoram* quoque habitari diximus; à cujus agro provinciæ hæ abſunt leucas viginti verſus ortum. Patent autem in longitudinem, ortum inter atque occaſum, leucas pene centum; totidemque in latitudinem

nem inter Arctum atque meridiem. Regiones & cœlo læto & ſolo fœcundo, omniumque frugum præſertim tritici feraci, pecori autem ob graminis copiam longe optimo. Abundant inſuper auri metallis, in quibus grana inſolitæ magnitudinis reperta, magno Hiſpanorum qui huc in colonias miſſi fuerunt emolumento. Quatuor autem oppida ſive municipia hîc ab illis habitantur, à *Ioanne de Salinis à Loyala*, dum hanc provinciam pro Præfecto adminiſtraret, condita.

Quorum primum *Vallodolid* ab *Antonio Herrera* ad ſeptimum gradum Auſtralem collocatur, viginti leucarum intervallo ab oppido *Loxa* trans vaſta & pene contigua Andium juga: verum quum *Loxa* ad altitudinem quinque graduum ſit conſtituta, & *Zamora* quoque pene ad eandem altitudinem viginti leucis à *Loxa*, Andes verſus ortum tranſcendat, inducor ut credam *Herreram* hic *Loxam* pro *Zamora* ſcripſiſſe & oppidum Vallodolid viginti leucas verſus ortum à *Zamora* abeſſe; in altitudine autem ipſum nonnihil hallucinari. Vallodolid.

Secundum eſt *Loiola* & gentili nomine *Cumbinama* viginti leucis verſus ortum à *Vallodolid* ſitum. Loiola.

Tertium *S. Iago de las Montannas* quinquaginta pene leucis à *Loyola* verſus ortum, in regione auri ditiſſima, & quidem tam præſtantis, ut ferunt, ut adjacentium provinciarum aurum longe ſuperet: & à ſolo *Caravaiano* in Peruvia & Valdivienſi in Chili ſuperetur. S. Iago.

Quarti nomen non proditur ab *Herrera*, neque in deſcriptione Indiarum, neque in Hiſtoria. *Acoſta* in ſuis commentariis de rebus naturalibus & moralibus, meminit *Cartamæ* aurifodinarum in præfectura *de Salinas* & ſe grandes & duriſſimos lapides vidiſſe teſtatur, aureis venis per totum corpus diſcurrentibus, nonnullos & media ſui parte aureos; juxta quas fodinas quartum municipium conditum ſuſpicor. l. 4. c. 4. Civitama.

Quia autem in hac auri metalla jam ſæpius incidimus, haud abs re fuerit hic commemorare, aurum fere tribus modis in America reperiri; primo granis ſive ramentis è puro putoque auro, nulla marmoris glarea aliave materie admixta, ita ut tantum illud fundere neceſſe ſit; ſunt autem ramenta illa utplurimum magnitudine ſeminis cucumeris aut etiam cucurbitæ, nonnunquam minora, rariſſime majora: atque hoc auri genus omnium rariſſimè invenitur. Secundò ſaxis, petris aut marmori annatum atque innatum & illuſtribus venis per eadem diſcurrens: atque hujus generis potiſſimum invenitur in provincia de qua jam agebamus, ut teſtatur *Acoſta*, eruiturque ſummo labore puteis aut ſcrobibus in profundum actis; difficillimeque ob petrarum duritiem eliquatur. Tertium denique pulvere aureo & minutiſſimis arenulis, (*Oro en poluo* vocant Hiſpani) quod genus longe maxima copia invenitur in amnibus atque torrentibus, aut locis quæ flumina aliquando diluerunt atque inundarunt: qualibus amnibus atque locis & Inſulæ & plurimæ Continentis provinciæ & olim abundarunt & hodie abundant. Plura de his *Acoſta* lib. IV. Sed & veteres hoc obſervarunt uti videre eſt apud *Plinium*.

Cap. XVIII.

Ora maritima Quitenſis *Provinciæ, promontoria, ſinus, portus, flumina & inſulæ continenti objectæ, præſertim* Puna.

AD oram maritimam hujus Conventus Juridici *Quitenſis*, hæc promontoria, ſinus & flumina recenſentur. Ab Angulo *de Manglares* de quo ſuperiori libro egimus, ad ſinum *S. Iacobi* ora producit ſe verſus Africum, admittitq; ampliſſimum ſinum in quo primum ſe pandit receſſus, vulgo *Ancon de Sardinas* quindecim à prædicto Angulo leuc. qui Popajanæ provinciæ extimus cenſetur.

Atque hîc deſcendit in mare Auſtrale vaſtum flumen *S. Iacobi*, tam præruptis ripis ut navium proris vado hærentibus, ſub puppibus non raro octuaginta orgyarum altitudo deprehendatur: flumen enim rapidiſſimo curſu per oſtium ſe evolvens arenas egerit in ſummam altitudinem; naves tamen nullo diſcrimine ſubeunt flumen. Paulo ulterius alter ſinus ſe aperit *S. Matthæo* dedicatus ad altitudinem unius gradus ab Æquatore verſus Arctum, cui in mediterraneis oppidum *Quitenſe* pene reſpondet, ut *Herreræ* obſervatum. *Richardus* autem *Hawkinus* Eques Anglus, ſcribit percom- S. Iago fl. S. Matthæo.

percommodùm hîc eſſe portum & fluvium ſatis profundum, utpote cujus undæ fluctu accedente ad quindecim aut ſedecim pedes augeantur: Solum quod ſinum ambit fertile & indigenis frequens, qui tam auro quam Smaragdis dicuntur abundare; Hiſpani qui urbem *Guayaquil* incolunt huc coloniam deduxerant, indigenis haud invitis: qui mox inſolentiæ advenarum pertæſi, conjuratione cum Mulato quodam clam inita, Chriſtianos ex improviſo adorti, trucidarunt, duobus tantum exceptis, qui maximo periculo ad oppidum *Quitenſe* profugerunt. Idem *Hawkinus* inter hunc *S. Matthæi* ſinum & Promontorium *S. Franciſci*, celebrat alterum ſinum atque flumen ſeptem à dicto Promontorio leucis: Angulo ſinus imminet collis qui à longinquo intuentibus inſula videtur: flumen quidem ingens, verum aquæ illius, in ipſo oſtio, ubi fluctus implevit, ſubamaræ deprehenduntur.

S. Franciſci promont. A ſinu *S. Matthæi* ad Promontorium *S. Franciſci* ora tendit directe in occidentem, decem leucarum ſpacio: Promontorium autem ab edito colle & multis arboribus veſtito deſcendit in altum, uno gradu ab Æquatore verſus Arctum.

Paſſao. A *S. Franciſci* Promontorio ad alterum quod vulgo vocant *de Paſſao*, ſub ipſo pene Æquatore conſtitutum explicat ſe ora maritima verſus Africum. Intermedio autem ſpacio, quatuor amnes erumpunt in mare, quos uno & communi nomine Quiximies. appellant *Quiximies: Didacus Fernandez* vocat Elyces, teſtaturque ad decem milliaria in Continentem invadere, & regionem ita interdum opplere, ut inviam faciant. Sub Promontorio modicus ſe aperit portus vulgo Hiſpanis *El Portete*, ubi & aquare & ligna cædere licet peropportune, quum ita neceſſe eſt. Promontorium ipſum mediocriter elatum, pone quod *Quaque* montes ſeſe oſtentant, qui ad provinciam *Chumbo* producuntur: Hîc uti & in *Quaque* montibus, *Franciſcus Pizarrus* olim indigenis eripuit magnam auri & Smaragdorum copiam, quum prima in Peruviam expeditione barbaros hoſce inopinantes oppreſſiſſet. Octuaginta aut circiter leucis ab hoc Promontorio verſus occidentem aliquot inſulæ in Oceano ſparguntur, quos Hiſpani vocant *de los Gallopavos*, deſertæ & infœcundæ, ut memoriæ tradidit *Richardus Hawkinus*.

A Promontorio *de Paſſaos* inclinat littus paulo magis verſus Auſtrum, intermedio ſpacio ſinum admittens, quem vulgo vocant *de los Caraques*, à populis de quibus cap. XI. ſupra egimus: percommoda hîc navibus ſtatio, & grandiores quoque & in ſiccum hîc ſubduci & refici poſſunt; facilis ingreſſus & egreſſus, ac licet inſula quædam vel potius ſcopulus objaceat, tamen nihil hîc periculi, quod non & facilè videri & vitari poſſit.

Quinque à *Portu Veteri* leucis ſecundum eundem littorum ductum, prominet la Plata. Cornu *S. Laurentii*, cui verſus Africum, trium leucarum intervallo, adjacet *la Plata*, parva Inſula neque ſupra ſeſqui leucam ambitu complexa: in hac quondam fuit templum, *Guacam* vocabant ſua lingua indigenæ, in quo etiam Continentis Indigenæ dæmonio ſacra faciebant, & non modo oves ſed & infantes ſuos immolabant: *Pizarrus* quum prima ſua in Peruviam expeditione hîc forte appuliſſet, multum auri atque argenti, plurima monilia, magnum numerum veſtium, qua lanearum qua goſſypinarum hîc repperit, vicinarum gentium donaria: unde & nomen huic Inſulæ ab Hiſpanis impoſitum, nam *Plata* denotat illis argentum: cæterum ut à noſtratibus anno cIↃ IↃ XCIX obſervatum, ſterilis eſt inſula & præter paucas aridas arbuſculas vix quicquam aliud exhibens.

S. Helena. A Promontorio *S. Laurentii* ad Cornu *S. Helenæ*, numerantur leucæ quindecim: intermedio autem ſpacio, duo ſignantur portus *Callo* & *Zallango*, peropportuni navigantibus, quippe & aquam hîc haurire & ligna cædere percommode poſſunt & tutiſſimo in anchoris conſiſtere. Cornu *S. Helenæ* prominet ad altitudinem duorum graduum Auſtralium; & pone ſe aperit portum ad Septentriones, juxta quem puteus viſitur, è quo bitumen effluit inſtar picis: *Acoſta* meminit illius in hunc modum: l. 3. c. 17. Juxta Cornu *S. Helenæ* (inquit) ſcaturit fons bituminis, quod Peruviani vocant *Copey*, nautæ funes ſuos eo oblinunt uti & alia armamenta, eſt enim pici quoad uſum perquam ſimile.

Barbari narrant mirabilia de Gigantibus qui haud longe ab hoc cornu olim habitaverint & à juvene de cœlo dilapſo, ſimul omnes in quadam valle fuerint confecti & deleti:

& deleti: *Auguſtinus* autem *de Zarate*, reliquit ſcriptum in ſua Peruviæ hiſtoria; Præfectum Portus Veteris anno cIↃ IↃ XLIII in hac valle ſcrobes agere juſſiſſe, atque ita tum coſtas tum alia humani corporis oſſa fuiſſe inventa ingentis magnitudinis & imprimis dentes tres digitos tranſverſos latos, longos quatuor. Meminit & *Petrus de Cieça*, & *Ioſephus Acoſta*, aliique prolixe autem *Garcilaſſus*. l.9.c.9.

A Cornu *S. Helenæ* ad flumen *Tumbez* (tribus gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum,) numerantur leucæ quinq; ſupra viginti, maximo ſinu intermedio, in quem deſcendit flumen *Guayaquil*. Porro ab hoc flumine *Tumbezino* XII leucis verſus Boream (ut *Auguſtinus de Zarate* annotavit) intra ſinum prædictum, occurrit Inſula *Puna*, II gradibus & L ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ut ab Anglis accurate fuit obſervatum. Hæc, uti communis fert opinio, ambit leucas X aut XII (nam *Herrera* qui illi XX tribuit haud dubio fallitur) magnæ quondam apud omnes Continentis indigenas famæ, nam & omnibus rebus ad vitam humanam neceſſariis, abundabat, illiuſque indigenæ & mercatores induſtrii & bellatores audiebant ſtrenui: cum vicinis ſuis *Tumbezinis* olim maxima geſſerunt bella, donec tandem à Peruviæ Monarchis componerentur; modicæ erant ſtaturæ, colore fuſco: tam mares quam fœminæ veſtiebantur pannis goſſypinis, ornabantque ſe Chaquiris, aliiſque monilibus. Porro Inſula & ſylveſtrium arborum lucis opaca eſt, & fruticibus conſita: Mayzii & Yucæ aliarumq; edulium radicum fœcunda: nemora plena omnis generis volucribus, præſertim pſittacis, & Guacamayis; ſimiis quoq;, vulpibus & aliis feris referta. Solum admodũ liberaliter producit Zarzaparillam. Cæterum dulcium & potabilium aquarum penuria hîc laborari ſcribit *Herrera*, incolaſq; tam aquandi, quam ſementem faciendi gratia, ad proximam ſe conferre Continentem: à qua multis locis tantum anguſto freto dirimuntur: Portus tamen abeſt à Continente leucas circiter duas. Indigenæ jam amplectuntur religionẽ Chriſtianam: & pleraq; navigia hîc fabricantur, quæ Mare Auſtrale navigant; maximaque lignorum copia ſecundo flumine à *Guayaquil* deſcendens, ſubvehitur Limæ aliiſque Peruviæ portubus. *Thomas Candiſchius* anno cIↃ IↃ LXXXVII hanc inſulam ex improviſo ingreſſus, ejuſque compos factus, Regulo cum uxore atque familia, reliquiſque pene incolis ad proximam Continentem dilapſis, eandem diripuit & concremavit pleraque domicilia. Reguli domus haud longè à portu ſplendidè erat ſtructa, cum ſuis pergulis atque apothecis, in quibus multum picis, quamplurimi funes nautici è corticibus arborum contorti fuerunt inventi; juxta autem vulgarium indigenarum ædes viſebantur circiter ducentæ, & templum cum ſua turri & æneis campanulis: in medio Inſulæ præterea habitabantur duo pagi. Punà.

In patenti oceano alia cernitur Inſula, quam Hiſpani vocant *S. Claram*, deſerta plane & aquæ potabilis, lignorumque inops, in qua Punenſes jam olim cadavera ſua ſepelire conſueverant. S.Clara.

A flumine *Tumbez* (ut ad Continentem regrediamur) ad promontorium *Blancum*, ora pene in Auſtrum ſe ſubducit, leucis XV: Situm eſt autem hoc Promontorium ad altitudinem IV grad. Auſtralium ut *Herrera* annotavit, aut III grad. & XXX ſcrupul. ut *Cieça*. Ab hoc promontorio recta curſus in Auſtrum inſtituitur ad Inſulam *de Lobos* in qua fons eſt ejuſdem bituminis, cujus ad *S. Helenæ* cornu meminimus. Inter utrumq; prominet alter Continentis angulus, nautis *Punta de Parina*, à quo littus ad Africum reflectitur uſque ad *Paytam*, quemadmodum ab *Herrera* & *Cieça* proditur; ut vero ab Anglis aliiſque, ad Euro-Auſtrum: omnes autem collocant hunc portum ad altitudinem quinque graduum; diſtatque à dicto promontorio octo leucis aut paulo amplius: Nobiliſſimus eſt portus & omnium Peruvianorum uſitatiſſimus. Ab hoc ad promontorium *del Aguja* vergit ora recte ad Auſtrum, aperitque in medio ſinum in quo duo ſunt portus vel forte ſtationes *Silla* & *Tangora*. C.Blanco. Payta.

A promontorio deniq; duæ videntur Inſulæ, quas vocant *de Lobos Marinos*, quarum una tantum IV leuc. intervallo à Continente dirimitur, altera à priori decem: utraque ut à *Richardo Hawkino* obſervatum ad altitudinem VI grad. & XXX ſcrupul. Sunt autem admodum ſteriles, neque arbuſta producunt neque ullam herbam; aquarum potabilium penitus indigæ, à lupis tantum marinis & penguinis, aliiſq; littoralibus avibus frequentantur. Hactenus ora maritima Conventus Juridici *Quitenſis* pertinet.

LIMA ſive LOS REYES.

CAP. XIX.

Conventus Iuridici Limani *limites deſcripti, oppida enumerata viaque Regia per plana ab oppido* S. Michaëlis *ad urbem* Truxillo.

SECUNDUS Regni Peruviani Conventus Juridicus, nomen ſortitur à Metropoli *Lima* vel *los Reyes*; pertingitque inter arctum & auſtrum à ſexto latitudinis Auſtralis gradu ad decimum ſextum aut ſeptimum: habetque in longitudine quidem ſecundum littorum ductum leucas ducentas & viginti, (quanquam alii trecentas prodant) à Promontorio *del Aguja* ubi *Quitenſis* conventus deſinit, ad *Arequipam* & paulum ultra, ubi Charcenſis orditur; In latitudine vero ab occaſu in ortum quibuſdam locis circiter centum, alibi etiam plures præter vaſtiſſimas regiones nondum ſatis illuſtratas aut cognitas, verſus *Braſiliam* & Fluminis *de la Plata* Præfecturas, ad quas indefinitis limitibus ſe protendit. Oppida atque municipia in hoc conventu numerantur iſta; *Lima* ſive *Civitas Regum*, *Arnedo*, *Santa* quæ & *Parilla*, *Truxillum*, *Miraflores*, *S. Ioannes de la Frontera*, *S. Iacobus de los Valles*, *Leon de Guanuco*, *Guamanga*, *Cuſco*, *S. Franciſcus de la Vittoria*, *S. Ioannes del Oro*, *Arequipa*, *S. Michaël de la Ribera*, *Valuerde*, *Cannete* ſive *Guaſco*, *Caſtrovirreina* atque *Oconna*. Ut autem harum regionum ſitus melius intelligatur, deſcriptionem hujus Conventus Juridici à planicie ordiemur, & primo viam regiam per valles maritimas ab oppido *S. Michaëlis* proſequemur.

Auguſtinus de Zarate in ſua Peruviæ Hiſtoria diſtinguit Planiciei indigenas in tres nationes, *Tungas* nimirum, *Taſſanes* atque *Mochichas*, qui idiomate inter ſe diſcrepant, licet omnes communem illam Cuſcenſem linguam promiſcue intelligant & loquantur. *Garcilaſſus* autem ſcribit, Peruvianos ſuo idiomate omnes terras littorales, atque adeo univerſas terras calidas appellaſſe *Yunca*, quod idem nomen cum *Yunga*: unde incolæ planorum & calidarum vallium itidem dicebantur *Yuncæ* ſive *Yungæ*: omnes denique littorales Peruviani, antequam ab *Yngis* ſubjugarentur, inde à *Truxillo* ad *Tarapacam*, imprimis adorabant Mare, quod appellabant *Mamacocha*, uti & balenam, & alios quoque piſces: idque ob hanc cauſam, quod non modo ipſis nutrimentum præberent, ſed & agros ſuos fœcundarent; uſitatiſſimum enim illis erat piſcibus agros ſuos ſtercorare.

cap. XIII. Motupe. Ab oppido *S. Michaëlis* ad vallem *Motupe* (in qua *Olmos* pagus ſitus eſt, de quo ſupra) duæ & viginti ſunt leucæ, arenoſo & permoleſto itinere, præſertim qua nunc agitur: nam inter tumulos & colles, ſubſidunt quædam valles, in quas varii quidem torrentes à ſummis montium jugis deſcendunt, verum ſtatim ab arenoſo ſolo abſorbentur, ut itinerantibus nullum aut perexiguum ſolatium præbeant: ut hæc viarum difficultas opportunius ſuperetur, plerumq; ſub veſperam, diſcedunt ex oppido *S. Michaëlis*, progrediunturque totam noctem, ut ſummo mane perveniant ad certos puteos ſive ſcaturigines aquarum, *Cieça* appellat *los Xaguyes*: hinc cum utribus aqua plenis & lagenulis vino, procedunt, æſtum quantum fieri poteſt devitantes: in Motupenſi autem valle via regia occurrit, de qua ante. Lata & perfœcunda eſt vallis, ad quam modicus amnis ex vicinis montibus allabitur, ſed abſorbetur ab arenis antequam in Oceanum exeat: Nihilo tamen minus hic luxuriant arbores, ob copiam humiditatis quam in imo ſolo offendunt: incolæ autem hauriunt aquam è puteis; poſſidentque quamplurimas arbuſculas quæ goſſypium ferunt, quo non modo in amictu utuntur, ſed & commercia exercent.

Xayanca. Quatuor à *Motupe* leucis, aditur pulcherrima & fœcundiſſima vallis *Xayanca*, quatuor leucas lata: hanc interſecat fluviolus, è quo incolæ foſſas deducunt ad arva ſua irriganda: Nobilitas Peruviana hîc olim prædia multa poſſedit & coluit agros per ſuos ſervos.

Tuqueme. Ab hac tranſitur ad vallem *Tuqueme*, peramœnam & lucis arborum opacam, quam olim frequentiſſimam fuiſſe, villarum rudera hodieque teſtantur. Hinc

Cinto. diei itinere abeſt formoſa vallis *Cinto*. Semel monendus eſt Lector inter has valles nihil

nihil intereſſe præter arenarum tumulos & aridas petras, in quibus nulla animantia occurrunt, neque arbores neque quicquam herbidi, ſed merum deſertum, ita ut hac iter facientes, duces viarum gnaros ſequi ſit neceſſe.

Colli-que.

A *Cintana* valle tranſitur ad *Colliquen*, quam fluvius ſecat, qui vado non poteſt tranſiri niſi quum æſtas eſt in montanis, & hyems in planicie: lata eſt vallis & nemoroſa, ſed incolarum pene inops, quos Hiſpanorum civilia bella olim pene deleverunt. *Auguſtinus de Zarate* ſcribit hanc vallem ab oppido *S. Michaëlis* abeſſe leucas quadraginta.

Zana.

Colliquen ſequitur *Sana* vel *Zana*, haud diſſimilis vallis, à qua duo itinera pertinent; unum ad *Truxillo*, alterum ad montana & *Caxamalca*, in quo occurrit municipium quod vocant *Pueblo Novo*; habens monaſterium Auguſtinianorum, quod vocatur *Guadalupe*.

Paſca-mayo.

Zanam ſequitur *Paſcamayo* omnium vallium fœcundiſſima & incolis longe frequentiſſima: indigenæ hujus vallis, antequam ab Ingis ſub jugum mitterentur, potentiſſimi erant, & vicinis ſuis terribiles: plura templa conſtruxerant, in quibus idolis ſuis immolabant, quæ jam penitus conciderunt: hodie complures ſacerdotes & religioſi hic agunt, qui indigenas docent fundamenta religionis Chriſtianæ. Pulcherrimus fluvius decurrit per hanc vallem, è quo incolæ varias foſſas derivarunt ad agros ſuos irrigandos; per eandem & via Regia ducitur. Plurimi goſſypini panni hic texuntur, & armenta hîc capiunt magnum incrementum, ſues autem & capræ longe maximum.

Chaca-ma.

A *Paſcamayo* ad *Chacamam* vallem tranſitur, fœcunditate haudquaquam inferiorem: ubi & Sacchari cannæ excoluntur; aliique fructus naſcuntur abundè.

Chimo.

Quatuor à *Chacama* leucis aditur *Chimo* vel ut *Garcilaſſus Chimu*, ampliſſima vallis, & Peruviæ Regibus quondam perchàra, quod & Palatii rudera teſtantur & hortorum veſtigia; urbs *Truxillo* hic hodie viſitur. Hanc vallem primo ſubjugavit *Ynga Pachaucutec*, cui tum, uti & vicinis vallibus, princeps quidam imperabat *Chimu*, à cujus nomine principalis hæc vallis fuit appellata.

Cap. XX.

Municipium Miraflores, *oppidum* Truxillo, Parilla, Arnedo.

ANTEQUAM Vallium deſcriptionem ulterius proſequamur, neceſſarium erit oppidorum, quæ in illis ſpectantur, meminiſſe, ne quid forte inconſultò prætereamus.

Sana.

Primum itaque oppidulum, quod in hac planicie ad Conventum Juridicum Limanum ſpectat, appellatur ab Hiſpanis *Miraflores*; conditum in valle *Zana* vel *Sana* (cujus nomine plerumque appellatur) haud procul à mari, & nonaginta quinque, (vel ut alii decem ſupra centum) leucis à Metropoli *Lima* verſus Arctum: viginti à *Truxillo*: ſeptuaginta à *Paita* verſus meridiem. Municipium frequens & opulentum (prout accepi ab iis qui nuper viderunt) inter omnia quæ in planicie ſita ſunt: naſcitur in agro illius multum tritici; etiam Sacchari cannæ: conficitur & *Anil*, ſed inferioris notæ: Oppidum abeſt quinq; leucas ab oceano, ad quem portum habet *Chencepen*: intermedio autem intervallo, nemora ſunt amœna, & plures villæ ruſticæ: portus haud admodum eſt commodus aut ab incertis ventorũ & tempeſtatibus tutus, ſed fluctuoſior; quo fit ut naves in oneribus exponendis aut accipiendis diu multumq; laborent.

Truxillo

Proxima eſt urbs *Trugillo* vel *Truxillo*, in valle *Chimo* ad ripam modici amnis, è quo Hiſpani atque indigenæ variis canalibus & foſſis aquam derivant ad hortos ſuos & viridaria irriganda; & per aquæductus deducunt in ipſum oppidum. Ager ſuburbanus hujus urbis judicatur imprimis ſalubris; illuſtraturque undiquaq; multis prædiis ruſticis, in quibus Hiſpani & pecuariam exercent & ſementem faciunt: Vineta hîc admodum frequentia, multæ ficus, & granatorum, aurantiorum malorum, atq; adeo omnium fructuum Hiſpanienſium ingens abundantia: tritici uberrimæ meſſes: ita ut cives atque indigenæ abundent omni genere annonæ, & propter viciniam maris nunquam pene piſcibus deſtituantur: Urbs ſita eſt ad altitudinem VII grad. & XXX ſcrupul. citra Æquatorem verſus Auſtrum; LXXX leucas à Metropoli *Lima*, ut tradit *Herrera*; in

planicie vallis exſtructa, juxta petroſos atque aridos colliculos, plateis latis & contiguis ædificiis: barbari monticolæ deſcendunt tributim ad hanc urbem, ut civibus operam ſuam impendant & neceſſaria provideant. Inter præcipuas Peruviæ urbes merito recenſetur, & ut quidam tradunt, ſupra quingentas numerat domos; quatuor monaſteria Dominicanorum, Franciſcanorum atque Ordinis S. Auguſtini: Regii miniſtri hic habitant: in diſtrictu illius habitant quinquaginta millia barbarorum vectigalium, ut cenſet *Herrera*. Saccharum quod in hiſce regionibus conficitur in valle l. 4. c. 32. *Chacama* ſive *Chicama* potiſſimum creſcere docet *Acoſta*: Portus denique quem vocant *el Arrecife de Trugillo*, abeſt ab urbe duas leucas, in ſinu patenti & adverſus incerta ventorum nequaquam præmunito; ſtatio carinis malefida. Qui nuper oppidum hoc viderunt, inſigne emporium eſſe teſtantur, & opulentum, ob agri ſuburbani & vallis imprimis *Chichamæ* inſignem ubertatem: portumque illius vocari *Guanchaco*, diſtareque ab oppido leucas quatuor: habitari denique urbem à mille quingentis Hiſpanis, & plurimis indigenis atque nigritis.

Parilla. Municipium *la Parilla*, quod & *Santa* dicitur à valle in qua ſitum eſt, diſtat à *Truxillo* viginti, vel ut alii viginti quinque leucas verſus Auſtrum, & quinque ſupra quinquaginta, vel ut alii ſexaginta à metropoli Lima verſus Arctum; ad altitudinem novem graduum Auſtralium ſecundum *Herreram*: jacet juxta mare, ad ripas pulcherrimi fluvii, & omnium qui hanc planiciem ſecant maximi, qui peropportunum navigantibus portũ præbet, adeo ut hi qui has oras prætervehuntur, hîc aquare, ligna cædere, aliaq; neceſſaria cõparare conſueverint. *Olyverius à Noordt* Belga ex aliorũ relatione prodit in ſuo itinerario, haud lõge ab hoc municipio argenti metalla nuper eſſe inventa. Qui nuper locum viderunt teſtantur, *Santam* amnem ſingulari artificio tranſiri, naſci enim hîc arbores quæ fructus ferunt inſtar cucurbitarum, ſed utrimq; compreſſos & orbiculares fere ad modum parmæ, quos indigenæ funibus trajiciant & inter ſe committant inſtar ratis: huic autem moli merces & impedimenta homineſque imponi, & à barbaris prænatantibus traduci, equis & jumentis juxta fluitantibus. Portum autem eſſe inter oppidum & amnem, in ſinu adverſus incerta ventorum ſatis munito. Agrum denique hujus oppidi fertilem eſſe longè optimi tritici, quod utplurimum longe majori precio venundetur in oppido *Lima*, quam cæterarum convallium fruges. Oppidumque habitari à ſeptuaginta aut circiter familiis Hiſpanorum, & multis indigenis atque nigritis.

Arnedo. *Arnedo* municipium ſitum eſt in valle *Chancay*, novem aut decem leucis à Metropoli *Lima* verſus Arctum, & dimidia ab Oceano Auſtrali; dives eſt vinetis: Dominicani hic habent monaſterium. Addunt qui nuper viderunt, numerare circiter centum familias Hiſpanorum & multas indigenarum: amnem habet adjunctum, ad cujus ripas multa jacent prædia ruſtica: plurimum Sacchari hic fit; nec vindemia illaudata.

CAP. XXI.

Viæ, quæ per plana ab oppido Truxillo *ad* Limam *ducit, reliqua.*

Guanape. AB oppido *Truxillo* ad *Limam* à plurimis octuaginta numerantur leucæ. A valle nimirum *Chimo* ad *Guanapen* (quam *Garcilaſſus* vocat *Huanapu*;) leucæ ſeptem: nobilis fuit hæc vallis & indigenis olim frequentiſſima, & ob bonitatem potus (quem *Chicam* vocant ſuo idiomate) haud minus hîc celebris, quam Madrigal in Hiſpania ob præſtantiam vini, quod in agro illius naſcitur: Indigenæ jam ad ſummam paucitatem redacti. Portus hîc eſt amplus atque peridoneus, quem naves à Panama verſus Limam tendentes ſolent ingredi, annonæ reſtaurandæ gratia.

Guanapen excipit alia vallis parva cujus nomen non proditur, in qua tantum puteus viſitur ad ſolatium itinerantium comparatus, cujus aquæ à fluvio ſubterlabente provenire credit vulgus.

Santa. Hanc ſequitur *Santa*, longiſſima & latiſſima vallis & indigenis olim frequentiſſima, qui nunc ad extremam paucitatem devenerunt, ita ut multi agri, colonorum inopia, inculti & vaſti jaceant. Veſtimẽtis jam olim utebantur, & vittis peculiaribus ſubligabant capillos, aliaque uſurpabant capitis ornamenta, quibus à vicinis diſtinguebantur:

bantur: fructuum hic magna abundantia tam peregrinorum, quam domeſticorum; ſecatur à pernici fluvio & ſatis lato, qui quum pluſculum pluit in montanis, plurimum inflatur & cum diſcrimine atque non raro cum exitio tentatur, de quo ſupra. Qui mare Auſtrale navigant, plerumque hic appellunt aquandi gratia. Cæterum ob nemorum & vepretorum in hac valle denſitatem, tanta hic moſquitorum (culicum id genus) gignitur copia, ut iter hac habentibus atque incolis ſint moleſtiſſimi.

A *Santa* biduo itinere (vel ut alii ſex leucarum) tranſitur ad vallem *Guambacho*, quæ amne modico irrigatur: ab hoc porro ſeſqui diei itinere ad *Guarmey* vallem (quam *Garcilaſſus* videtur vocare *Huallmi*:) fuit & hæc olim frequens indigenis, nunc tantum pecuariorum receptus, qui plurimos hîc porcos, pauciſſima armenta alunt: habitantq; pagum ejuſdem nominis, juxta portum percommodũ & multarum navium capacem; ad quem *Spilbergius* noſter anno cIɔ Iɔ cxv, poſt Claſſem Pro-Regis Peruviæ ab ipſo profligatam, applicuit: obſervavitque eum diſtare ab Æquatore x gradus verſus Auſtrum, ſic ſatis illum commendans, licet noſtri aquas è ſtagno haurire fuerint coacti: incolæ omnes cũ ſuppellectile ſe ſubduxerant; hic viſuntur rudera cujuſdam caſtelli. Guambacho. Guarmey.

Sequitur deinceps vallis *Parmonga*, ſive ut *Garcilaſſus* vocat *Parmunca*, quæ licet præcedentibus omnino ſimilis ſit, tamen antehac nunquam videtur fuiſſe habitata ſi lucorum denſitatem & agrorum vaſtitatem ſpectes: nihilq; illuſtre ſortita eſt præter rudera magnifici Palatii vel potius caſtelli (& prout res barbarorum erant) etiam bene muniti, & interius eleganter picti: multa hîc atria atque ſellas fuiſſe apparet è veſtigiis ruderum; quæ nunc penitus conciderunt, & plurimis locis ſunt ſuffoſſa ab Hiſpanis, qui in defunctorum monumentis & ejuſcemodi ruderibus magnos credunt abſcondi theſauros. Narrat *Garcilaſſus* vallẽ hanc, cum adjacentibus, imperio Cuſcenſi fuiſſe adjectas, ab *Inga Pachacutec*, perdomito *Curaca Chimu*. Ingas autem imprimis magni feciſſe vallem hanc *Parmuncam*, inque ea arcem condidiſſe, opere admirabili, ad memoriam victoriæ de præcipuis littoralium Regulorum partæ: quæ tamen jam diu penitus conciderit. Parmonga. l.6.c.33.

Duabus à *Parmonga* leucis, ſequitur fluvius *Guaman*, ſive ut *Garcilaſſus* effert *Huaman* (quæ vox barbaris notat accipitrem) qui deſcendit in mare Auſtrale, per convallem ejuſdem nominis, quam tamen Hiſpani nominant *la Barranca*, hic fluvius ita turget dum pluit in montanis, ferturque tam præceps ut ſumma cum moleſtia & non levi diſcrimine tranſeatur & non paucis exitio fuerit. Guamã.

A *Guaman* tranſitur ad *Gauram*; & per hanc ad *Limam* ut *Pet. de Cieça* ſcriptum reliquit, quem hîc potiſſimum ſequuti ſumus: Verum obliviſcitur vallis *Chancay* in qua ſitum eſt oppidum *Arnedo* quam inter *Gauram* & *Limam* mediam eſſe oportet: nam *Gauram* octodecim intervallo abeſſe à *Lima*, prodit *Auguſtinus de Zarate* in ſua Hiſtoria. Qui nuper hac iter habuerunt, teſtantur; poſt *Santam* ſequi *Guambachi*; & mox *Caſmam* inferiorem & ſuperiorem, loca indigenis tantũ culta; quæ vinum ferant, frugeſq;, & nutriant pecora. Hinc perveniri ad *Guarmey*, itinere xii leuc., per arenoſos tumulos, aridiſſimos, & vix quicquam herbidi ſortitos: à *Guamey* ad *Barancam* iv eſſe leucas; inde iter eſſe ad *Parmongillam* amnem, juxta cujus oſtium viſitur mons editus & ſupra illius verticem ruinæ antiqui ædificii; hinc ad amnem *Barrancam*, qui diſtet xxiv leuc. à *Lima*: proximam eſſe *Gauram*, ubi optimæ ſunt ſalinæ: in municipio autem habitare circiter centum familias Hiſpanorum, & longe plures indigenarum: Hîc ſunt aliquot machinæ ſaccharo conficiendo aptæ. Diſtat à *Lima* leucas viginti. Sequuntur loca arenoſa, planiſſima, & denique *Chancay* ſive *Arnedo* novem leucas à *Lima*. Gaura. Chãcay.

Lima vallis, omnium quæ inde à *Tumbez* hanc planiciem occupant, longe maxima & latiſſima; quam *Garcilaſſus* etiam *Rimac* vocatam antiquitus ſcribit. Lima. l.6. c.30.

Mira narrant, qui hîc diu habitarunt, de cœli bonitate, & ſoli ubertate atq; amœnitate; Temperiem enim aëris tantam eſſe, ut neque calor offendat, nec frigus ſentiatur, aut unquam foco ſit opus ne quidem infantibus primum natis. Maximus æſtus ſentitur menſibus Decemb. Januar. Febr. & Martio, hæc vera ipſorum æſtas, dies autem ipſis ſunt longiſſimi menſe Januario, & quidem quatuordecim horarum; breviſſimus vix infra xii horas. Metunt triticum menſibus Decemb. & Jan. uvæ incipiunt formari circa feſtum Nativitatis, & maturantur menſe Aprili, hoc enim menſe vindemiam habent. A menſe autem Mayo ad exitum Septembris hyemem ſuam patiuntur;

 quæ

qua fit ut cœlum plerumque ſit nubilum, & Sol interdum non videatur integro quatriduo, & ros quidam cadat inſtar nebulæ, (*Garuam* vocari jam ſupra diximus) qui licet vix pulverem humectet, facit tamen ut colliculi, qui paſſim planiciem occupant, plurimum graminis producant, quo armenta & pecora mirum in modum ſaginantur: Atque hæc quidem tempeſtas longe jucundiſſima eſt; qua & oleæ & aliæ arbores fructiferæ fructus ſuos maturant; Platani, Paltæ, Lucumæ, & aliæ domeſticæ plantæ juxta atque advenæ. Reperiuntur hic grandes (ut author meus loquitur) *Alfarfares*, id eſt, campi, in quibus naſcitur herba quædam groſſa & procera, qua equi & jumenta nutriuntur, (nam paleæ nullus hic eſt uſus;) ex quibus plurimi patritii faciunt ſummum queſtum. Omnes campi hujus vallis rigantur è tribus amnibus ſpacio ſex leucarum, interſecanturque plurimis pulcherrimis foſſis; ita ut hic plurima viſantur prædia ruſtica & amœniſſimæ villæ, horti & pomaria. In toto deniq; agro ſuburbano nulli reperiuntur angues, aliave venenoſa animantia: tantummodo plures hic ſunt culices. In hac valle plurimæ naſcuntur cannæ Sacchari; ita ut Saccharum hic admodū vili veneat, nimirum aroba Hiſpanica viginti quatuor aut viginti octo regalibus. Magna quoque hic copia ficuum & uvarum paſſarum; denique omnis annona hîc longe viliſſima: nam aroba carnis bubulæ obeſæ & optimæ venit ſex regalibus; in montanis autem bos maximus quatuor pezis ſive ducatis: ovis Limæ quidem decem, in montanis quatuor regalibus, & alia ad eundem modum. Piſces hîc quoque viles & varii generis, longeque optimi; maxime ordinarii ſunt quos Hiſpani vocant *Coruinas*, *Chitas* lingulacæ ſive ſoleæ, rayæ, anchovæ, boniti & cruſtacei varii. Triticum in urbe admodum vile, venit enim Hanega, id eſt, modius decem aut duodecim regalibus; Mayzii idem pene eſt pretium. Sed jam tempus eſt ut de ipſa urbe dicamus.

CAP. XXII.

Lima *ſive civitas Regum*, Peruviæ *hodie Metropolis*.

METROPOLIS hujus Conventus Juridici, atque adeo hodie totius *Peruviæ*, appellatur ab Hiſpanis *Cuidad de los Reyes*, id eſt, civitas Regum, & plerumque vallis ipſius nomine in qua ſita eſt, Lima. Diſtat ab Æquatore duodecim gradus & triginta (vel ut alii quadraginta) ſcrupul. verſus Auſtrum: à Meridiano Toletano octuaginta & duos gradus verſus occidentem. Urbs & magnitudine & magnificentia nulli Peruvianarum urbium ſecunda (niſi forte *Cuſco* excipias.) Operæpretium autem facturus videor, ſi illam paulo accuratius deſcripſero, prout accepi à quodam qui plures annos in illa vixit.

Urbs tota diviſa eſt in regiones quadratas, centum & quadraginta paſſuum ſingulas, per quas ducuntur calles æqualis latitudinis, rectiſſimi omnes ſine ullo flexu aut cubito; harum duæ & viginti quadræ jacent inter ortum & occaſum; quatuordecim inter Arctum & Auſtrum: ad arctum præterlabitur grandis fluvius, lapideo ponte ſatis valido ſtratus, quum Marchio *de Montes Claros* has provincias Pro-Rege adminiſtraret: Ad eandem plagam jacet & ſuburbium, *S. Lazaro* dicatum, itidem in quadras partitum: Ad orientem autem ſuburbium alterum in quo circiter octingentæ degunt familiæ indigenarum, qui & Hiſpanicam linguam percallent & opibus affluunt: Cingitur id vallo terreno, ſuaſque habet portas; habetque collegium Jeſuitarum ſatis opulentum; proprium habet legatum, cui cum aliquot ſuburbicariis pagis paret. In Civitate porro eſt Tribunal regium, conſtans ad minimum octo judicibus, quatuor miniſtris quos vocant *Alcaldes de Corte*, duobus Advocatis Fiſci; cæteriſque miniſtris: Præſidet utplurimum ipſe Pro-Rex, qui & varios habet Secretarios: Percipit quotannis quadraginta millia pezorum ſive ducatorum; & quoties ad portum Callao deſcendit, tria millia ad expenſas itineris; ſi vero ad alias regni provincias proficiſcatur, decem. Præfecti prætorianorum ſtipendium annuum ſunt tria millia ducat. Præfecti portus; Auditorum; Tribunorum militum vocant *Maeſtres de Campo*, totidem. Munia hæc omnia, præter Auditores, mandat Pro-Rex quibus vult, & alia longe plura: inter quæ numerantur ſupra centum Vicariatus, ſive ut ipſi vocant Corregiementos; magno amicorum ſuorum & familiarium emolumento;

lumento; ſunt enim vicariatus, è quibus triennio, quo plerumque durant, centum millia ducatorum hauriri poſſunt: nec mirum quum ille quem ſequor, ſancte affirmet, ſe noviſſe Confeſſorem Pro-Regis, qui ſecum abduxerit tercentum millia ducatorum. Quid multa, innumera habet media Pro-Rex quibus & ipſe rem faciat, & beneficus ſit in ſuos. Habet & urbs ſuum Archiepiſcopum, cujus annuus reditus accedit ad triginta millia ducatorum; plures prebendarios & Canonicos, quorum reditus annui ſunt quinque aut ſex millia; in ſumma omnes clerici opulentiſſimi ſunt, ita ut hic Canonici ſint qui poſſident trecenta millia ducatorum: Fide authoris mei refero. Sed ad urbem redeamus. In medio habet aream majorem, ad cujus latus quod vergit verſus Arctum, Palatium eſt extructum longe ampliſſimum, in quo & Pro-Rex Domicilium habet cum familia; & jus dicitur ab Auditoribus regiis; ibidem & *Gaza* regia cuſtoditur. Ad orientale hujus areæ latus viſitur domus Archiepiſcopi & Eccleſia major facta ad normam Hiſpalenſis: Ad Meridionale ſunt officinæ variorum inſtitorum; ad occidentale denique, officinæ aliquot inſtitorum, & porticus ſcribarum publicorum; claudit prætorium Urbanum cum ſuo carcere: è regione armamentarii publici, in quo varia armorum genera, & largus belli apparatus reconduntur. In medio areæ pulcherrimus fons, aquas ſuas egerit in lapideum craterem. Porro ex hac Area ducuntur octo calles, qui omnes recta tendunt ad agros, ad ſingula latera bini, in hunc modum: primo callis qui ſecus prætorium Vrbanum & latus Palatii, itemque Armamentarium publicum ducit ad fluvium & pontem; nam inter pontem & Aream majorem, præter ipſum Palatium, intereſt tantum una quadra calle tranſverſo à Palacio diviſa: trans pontem tranſitur per ſuburbium *S. Lazari*, ad viam quidem regiam, declinando ad ſiniſtram, quæ ducit per plurimos hortos & prædia ad alterum fluvium, ad cujus ripas jacet municipium *Caravaillo* quatuor ab urbe leucis. Ad dexteram tranſitur ad arboretum, vocant *Alamedam*, & montem ſive collem *S. Chriſtophori* qui multis arboribus fructiferis conſitus eſt in medio hujus ſuburbii, cum quatuor fontibus, & pluribus canalibus è fluvio derivatis, ad hortos & agros irrigandos; ab hoc pertinent octo ordines arborum ad monaſterium fratrum diſcalceatorum, ad radicem collis ſupradicti; inter quod & fluvium via ducit ad Lurigancho Indigenarum pagum, unam ab urbe leucam, & pertendit ad montana uſque per plurima prædia ruſtica. Secundus callis orditur ab area ad plagam orientalem, & ab ipſo Palatio, & tendit ad macellum publicum, ſecus monaſterium *S. Franciſci* longe maximum, occupat enim cum ſuo horto duas quadras; & ſecundum illius parietes ducitur callis ad monaſterium *S. Claræ*, quod eſt monialium, & recta tendit ad ſuburbium Indigenarum verſus Arctum; perducitque ad ſtagnum, ſive pulcherrimum fontem: è quo per fiſtulas ſubterraneas ſive aquæductus, aqua deducitur ad reliquos fontes civitatis, nam lymphæ illius longe limpidiores & ſalubriores ſunt, quam fluvii; pergit porro hic callis per multa prædia ad vallem *S. Ynes* longe amœniſſimam, quæ diſtat ab urbe quinque leucas. Tertius callis orditur à latere Palatii, & domus Archiepiſcopalis, & pergit recta ad areolam Inquiſitionis ad quam viſitur *Caſa Charitatis*, quæ accipit puellas pauperculas & fœminas valetudinarias: atque inde ad areolam *S. Annæ*, ad quam jacet cœnobium monialium diſcalceatarum, & Hoſpitale & parochialis Eccleſia *S. Annæ*; In hoc Hoſpitali curantur indigenæ infirmi, habetque in annuo reditu triginta millia ducatorum: atque ita per alia loca, ducit ad viam regiam, quæ pertendit ad montana: de qua alibi dicemus. Quartus callis orditur ab area juxta Eccleſiam majorem, tenditque recta ad monaſterium *de la Concepcion* longe maximum, & opulentam domum monialium: & porro ad Eccleſiam *S. Andreæ* & opulentum Hoſpitale Hiſpanorum; & declinando ad ſiniſtram quidem jungit ſe cum area *S. Annæ*, & via regia ad montana; ad dextram vero per alium callem ad furna in quibus lateres fiunt; qui deinde deſcendit ad viam Regiam quæ per planiciem ducta eſt: Sequendo autem callem principalem verſus orientem, pervenitur ad locum ubi optimus pulvis tormentarius conficitur, diſtantem ab urbe quartam leucæ partem, & denique per multa prædia ad *Seneguillam*. Quintus callis ſecat latus meridionale areæ majoris, & per plateam inſtitorum qui pannos vendunt ſive veſtes, tendit recta ad meridiem, ſecus monaſterium fratrum *de la Merced* & cœnobium *Incarnationis*, quod eſt monialium, occupatque

patque duas quadras; atque ita ad cœnobium novum Dominicanorum quos vocant recolectos; & deſinit in viam Regiam quæ ducitur per plana; per hunc quoque deſcendi poteſt ad mare. Sextus callis orditur ab eodem latere, & poſt quadram inſtitorum, in qua circiter quadraginta officinæ numerantur prætioſiſſimarum mercium, radit monaſterium fratrum *de la Mercede*, parochiam *S. Didaci*, & Hoſpitale convaleſcentium, ad quod ex Hoſpitali majori Hiſpani traducuntur ut ibidem hæreant donec laborem poſſint tolerare; pertenditque ad Magdalenam indigenarum pagum, dimidiam ab urbe leucam, & ad oram maris, quod ab hac plaga tantum tres quartas partes leucæ abeſt ab urbe. Septimus callis orditur à latere Areæ majoris occidentali, & complectitur primo plures inſtitorum officinas, deinde pergit ad Eccleſiam *de Monſecrate* (à qua alius callis declinat ad meridiem, qui deſinit in viam quæ ducit ad *Callao*) & deinceps per hortos ad fluvium. Octavus denique callis orditur ab Area majore ſecundum latus Prætorii urbani, & una quadra intermedia, pertingit ad monaſterium Dominicanorum, omnium longe opulentiſſimum; cujus muros ab arcto lambit fluvius; ad quem deſcenditur per hunc callem. Atque hi quidem ſunt octo illi calles principales, quos ab Area majori ordiri diximus, ſunt & alii, quos obiter attingemus. A monaſterio *S. Franciſci*, (de quo ſupra,) orditur callis qui pergit primo ad Collegium Jeſuitarum, quos hîc vocant *Theatinos*, longe opulentiſſimum: pone quod alter callis ducit ad *S. Martinum*, alterum eorundem collegium, in quo ſunt circiter quingenti collegiales, maximam partem filii magnatum hujus regni, qui ab ipſis inſtituuntur. Deinceps ad Trinitatem monialium cœnobium; ad domum orphanorum; & tertium collegium Sociorum Jeſu, itidem locuples: porro ad *noſtra Sennora de Guadalupe* monaſterium Franciſcanorum; & hinc ſalit via regia quæ per plana ducit recte ad Auſtrum, habens mare ad dexteram; hic jacent *Surco* & *Surquillo* duo Indigenarum pagi, unam atque alteram leucam ab urbe, ſecus mare, & pergit hæc via ad Pachacamam, in tranſitu inviſens Jeſuitarum prædium, ubi & Sacchari cannas plantarunt, & olivetum. Eſt & alter callis ſecus Collegium Theatinorum, per aliquot quadras mercatorum, tendens ad opulentum Conventum Auguſtinianorum, & *S. Sebaſtianum* parochiam divitem. Alii duo calles ſecundum parochiam *S. Didaci* recta deſcendunt ad Callao; habentque in medio principalem parochiam *S. Marcelli*, & monaſterium Auguſtinianorum recollectorum. In ſumma habet hæc urbs ſex parochiales Eccleſias & alias plures; quindecim cœnobia monachorum, Societatis Jeſu, & monialium; quatuor Hoſpitalia in uſum infirmorum & pauperum. Per ſuperiorem partem urbis ſive ad orientem diſcurrunt duæ latæ foſſæ, quæ molas agunt intra civitatem: è quibus canales derivantur per omnes civitatis quadras, ita ut vix ulla ſit domus quæ non habeat ſuum aquæductum. Omnes domus habent atrium, & porticus, & pleræque hortos, qui per iſtos aquæductus rigantur. Attamen ædes utplurimum tantum uno tabulato ſunt ſubſtructæ, ob materiei vitium, quæ hîc pauculos annos durare dicitur & cito à carie corrumpi; parietes fere è trabibus aut tignis aſſeribuſque compacti, & limo vel luto conſtipati; tecta conſtant è rudibus tignis, quæ pictis linteaminibus inducunt, ſatis valido adverſus aërem, quum nunquam hic pluat, remedio.

Opulentiſſima haud dubio eſt civitas, utpote & Regalis Cancellariæ ſedes, & Pro-Regis aula, & Archiepiſcopi & reliquorum regiorum miniſtrorum domicilium: Eadem & Auſtralis Americæ Emporium, atque adeo maris Meridionalis pene unicum: huc quippe omnis auri argentique gaza è vicinis Peruviæ & Chiles regionibus conducitur; huc omnes pene Europeæ merces à Panamenſi oppido & aliunde ſubvehuntur; eadem & Novæ Hiſpaniæ merces accipit; ita ut quotidie maximus mercatorum numerus confluat, & officinæ inſtitorum omnigenis mercibus ad miraculum abundent. Hinc omnis auri atque argenti gaza ſemel utplurimum quotannis ad Panamenſem portum traducitur, quæ non raro plures aureorum myriades excedit. Tota autem urbs aperta eſt, nullo muro aut vallo cincta, nullis excubiis noctu aut interdiu aut ullo præſidio firmata, tantum in ambitu plures ſunt horti, qui aggere terreo concluduntur. Oppidani gentis Hiſpanicæ, qua mares qua fœminæ, omnis ætatis, non dicuntur excedere quinque millia: quum Nigritarum tam in urbe quam in vicino agro quadraginta millia dicantur numerari, utriuſq; ſexus & omnium ætatum;

quos

quos Hiſpani plurimum omnino inermes tenent, quia metuunt ne quid hoſtile in ipſos moliantur. Militum in civitate perparum eſt; nam præter duas turmas equitum, quarum una lanceis, altera bombardis militat, quæ ſtipendium à Rege accipiunt; & Pro-Regem quum extra urbem procedit, comitantur: octo utplurimum ſunt vexilla peditum, quæ è numero honeſtiorum civium collecta, nulla ſtipendia merent; quæque ſingula conſtant centum & quinquaginta viris: & ſexcenti equites utrique in armis parum exercitati. Urbanus Magiſtratus conſtat viginti quatuor viris, ex ordine eorum qui cenſus & miniſteria Indigenarum poſſident, & magnis opibus pollent.

Cap. XXIII.

Portus civitatis Limæ *qui dicitur* Callao.

PORTUS civitatis Regum, appellatur *Callao*; diſtat ab ea circiter duas leucas; accolunt circiter ſexcentæ familiæ Hiſpanorum & aliquot nigritarum atq; indigenarum; maximam partem nautæ, aut qui in mari queſtum faciunt: municipium extenditur in longitudinem ſecundum littus, habens diverſos calles, quorum ii qui tendunt verſus urbem ſunt breviores: eſt monaſterium hic unum atque alterum monachorum & domus patrum Societatis Jeſu. Ædificia quæ ad oram ſpectant, ſunt fere cellæ & penuaria, quibus vina, tabaccum, pix, funeſque & alia conduntur; itemque apothecæ, quibus recipiuntur merces omnes, quæ ex Europa, Nova Hiſpania, aliiſque orbis partibus afferuntur; quæque ſine intermiſſione pene, ad urbem ſubvehuntur, carris, rhedis, atque jumentis: quorum quotidie iter hoc plenum videre eſt: neque ullum facile in toto orbe iter reperias, per quod eundo & redeundo, tanta gaza periclitetur. Ducitur autem totum hoc iter per hortos & prædia ruſtica, (quæ vocant hîc *Chacaras*,) ita ut aquarum inopia nuſquam laboretur; ad aditum urbis, ubi carcer viſitur Nigritarum, quem vocant *Peraluillo*, à quo deinde progredi licet, per omnes calles, qui allibuerint.

Portus ratio ita ſe habet; A Pachacama (de qua mox plura) extendit ſe ora ad pagum *Surco*, indigenis habitatum; ubi ora prærupta eſt inſtar muri, ita ut hic appelli aut exſcendi non poſſit, inter medias tamen rupes exſiliunt dulces ſcaturigines: ſequitur ad eandem oram *Surquillo*; & deinceps *la Magdalena* paulum à littore, & mox *Maranga* inter *Madalenam* & *Callao* (omnes hi ſunt indigenarum pagi;) atque hinc prominet continens anguſto veluti collo ad inſulam *de Lobos*; quæ admittit anguſtum fretum, per quod liburnicæ & minora navigia quæ ab Auſtro adveniunt, in portum Limanum ingrediuntur; qui inde ſeſe dilatat, cubito flexus intra continentem. Portus autem eſt ſecuriſſimus & capaciſſimus, nullis brevibus aut rupibus contaminatus: grandiores autem onerariæ quæ ab Auſtro allabuntur, ſuperant dictam inſulam de Lobos, atque ita ſubeunt portum: à portu porro pergit ora ad oſtium fluvii qui Limam præterlabitur, & juxta ſe producit in altum, ſinum moliens: quinque leucas ab urbe, ad quem tantum Piſcatores degunt. Ad hunc portum pertinent quadraginta qua majores qua minores naves; quarum tantum duæ, videlicet Ammiralia & Vice-Ammiralia (Hiſpani vocant Capitaneam & Almirantam) æneis tormentis ſolent eſſe inſtructæ, reliquæ pene inermes: & una triremis, quæ tantummodo carcer eſt facinoroſorum & nigritarum. Municipium autem quod ad portum jacet, quod proprie dicitur *Callao*, nullis mœnibus diu fuit cinctum; ſed poſtquam ab Anglis & noſtratibus infeſtari cœpit, nonnihil valli adjectum, & duo caſtella juxta ædificata & circiter triginta ænea tormenta diſpoſita, ante ædes aut apothecas Regias; ſupra præruptum clivum, qui à fluctibus marinis valide pulſatur. *Franciſcus* enim *Dracus* anno cIↃ IↃ LXXIX hunc portum ingreſſus quum duodecim naves in anchoris ſtantes inveniſſet, & in una illarum opulentam argenti gazam, præter varias omnis generis merces; maximam partem diripuit, & naves inciſis rudentibus oceano committens, cum ſuis ſe contulit ad *portum Paitæ*.

Porro inſula quæ hic continenti objicitur inter arctum atque Auſtrum in longitudinem diducta, communiter vocatur Inſula *de Callao* vel etiam *de Lima*; oblonga & anguſta. Hanc noſtrates adjerunt cum Claſſe Naſſovia, cui præerat *Iacobus*

Eremita

Eremita anno cIↄ Iↄ c xxiv, menſe Aprili, & in eadem ſe communiverunt: Eſt autem multis ſcopulis aſpera & dulcium ſcaturiginum penitus expers:in jugis tantum montium, reperitur herbæ cujuſdam copia, quam noſtri adverſus ſcorbutum ſumebant, præſenti remedio: dum hic hærerent noſtri & non ſatis virium haberent ad urbem aggrediendam, tentarunt aliquoties municipium Callao capere, ſed fruſtra: E quinquaginta tamen aut circiter navibus, quas in portu ſtantes repererant, ſupra triginta incenderunt: nonnullas & ipſi Hiſpani ardentes poſtero die in noſtrarum claſſem impulerunt, nullo noſtrorum damno. Notandum denique è portu hoc quotannis ſolvere menſe Februario Claſſem, ipſi vocant *la Armadilla*; quæ petit Aricam; atque inde revertitur ſub finem, utplurimum, Martii menſis, auro argentoque onuſta; quæ à Potoſianis fodinis, aliiſque vicinis provinciis fuerunt deducta: omnis autem gaza exponitur in portu Limano, & ducitur carris & jumentis ad civitatem: eodem pene tempore accurrunt mercatores ex omnibus Regni Peruviani partibus, & advehitur aurum atque argentum à Cuſco & intermediis provinciis, ita ut toto menſe Aprili, ingens Theſaurus hic aggregetur: qui ſub initium May altera claſſe ad Panamam deſtinatur. Atque hæc de urbe illiuſque portu dicta ſunto.

Unicum hic addam, omnem hanc oram valde obnoxiam eſſe terræmotibus; narrat author meus, anno cIↄ Iↄ c ix menſis Octobr. die xix ſub veſperam, tam gravem accidiſſe Civitati Limæ, uti ſupra quingentas ædes prorueret, & pene omnes aliquo damno afficeret: anno autem cIↄ Iↄ c v: xxvi Novemb. idem accidiſſe in oppido *Yca:* In *Arica* vero etiam mare ſe moviſſe in illum modum, ut ſubito fluctibus oppidum oppleret, plures ædes proſterneret, & apothecas arenis & limo oppleret. Narrant noſtri ſe terræ motum ſenſiſſe in inſula de Callao menſe Junio.

Cap. XXIV.

Pachacama *vallis, cæteræque uſque ad* Guarcenſem, *& de municipio* Cannete.

Pacha-cama. REvertimur jam ad Planorum deſcriptionem: Limanam vallem excipit celeberrima vallis *Pachacama*, diſtans à Metropoli, ut pleriſque placet, leucas quatuor: amœnitate & fœcunditate nulli ſecunda; in qua fuit templum illud, auro atque argento opulentiſſimum, è quo *Ferdinandus Pizarrus* ſupra nongenta millia ducatorum dicitur hauſiſſe, præter ingentem gazam, quam aut milites ante abripuerant, aut Indigenarum ſacerdotes ante Hiſpanorum adventum clam ſubduxerant; nam communis opinio eſt, barbaros immenſum argenti pondus, & quantum quadringenti validi homines humeris ferre poſſent ſtudioſe occultaſſe; quamvis hactenus nihil horum fuerit inventum, licet Hiſpani miſeros barbaros variis tormentis haud ſemel miſerum in modum laceraverint, ut theſauros hoſce revelarent: extant adhuc hodie rudera magnifici hujus ædificii, quod olim templum fuit
l.6.c.30. Conditoris univerſi, ut ſcribit *Garcilaſſus*, non autem Solis, ut alii fuerunt opinati.

Chilca. *Pachacamam* excipit *Chilca* vallis, quæ licet neque unquam pluviis humectetur, aut ullo amne aut torrente rigetur, tamen Mayzio & edulibus radicibus admodum eſt fertilis & fructiferis arboribus haud infœcunda: idque ſingulari indigenarum induſtria ac labore; qui altas ſcrobes agunt, in iiſque faciunt ſementem; ut autem Mayzium lætius germinet, Sardarum (piſcium id genus, quod proximum mare infinita pene copia ſubminiſtrat) capita pro fimo ſcrobibus indunt, uſu & experientia edocti id fœcunditati plurimum addere. Incolæ autem ex altiſſimis puteis aquam hauriunt ad potandum. Ingæ Peruviæ monarchæ hic quoque Palatium, horrea & hortos habuerunt, & magnam annonæ vim congeſtam. Diſtat decem leucas ab urbe *Lima*, ſex à *Pachacama*; habetque pagum indigenarum, qui gnaviter agris colendis dant operam.

Mala. *Chilcæ* trium leucarum intervallo proxima eſt *Mala* vel *Malla* vallis, quam dividit modicus amnis, & opacæ ſylvæ pene totam obſident. *Acoſta* in ſuis commenta-
l.4.c.32. riis mirabile quiddam commemorat de hac valle. In *Mala* (inquit) tredecim leucis à Civitate Regum ficus arbor viſitur, quæ ab uno quidem latere, quo Auſtrum & montanam regionem adſpicit, germinat & fructus producit, iis menſibus quibus

æſtas

æſtas eſt in montanis, ab altero latere vero contra, iis menſibus qui æſtivi in planicie indicantur: miro naturæ alternantis in tam exiguo intervallo & in una arbore indicio: quanquam alii de pluribus hoc aſſerant.

Quinque porro leucis à valle *Mala*, aditur *Guarco* vel ut *Garcilaſſus Huarcu*, vallis Guarco. non minus in illis partibus celebris, quam præcedentes; maxima enim & latiſſima eſt, arboribuſque plena, imprimis beneolentibus, delicatiſſimis *Guayavis* & longe pluribus *Guavis*. Solum tritici & Mayzii egregie eſt ferax, & reliquorum quæ ſeruntur admodum benigne patiens. Ingæ veteres Peruviæ Monarchæ, hic ſumtuoſiſſimam & longe munitiſſimam arcem, ingentibus quadratis ſaxis ſubſtruxerant ſuper editum collem, qui convalli imminet, cum ſuis atriis atque veſtibulis: à ſumma arce deſcendunt ad mare gradus lapidei, ita ut fluctibus marinis verberarentur, ita ut mirum videatur, quo pacto iſta moles primum jacta fuerit. Palatium elegantiſſimis ſculpturis, pro barbarorum captu, erat ornatum, & ingens Regum Theſaurus hic cuſtodiebatur; auget autem admirationem, quod tam vaſta ſaxa, ſine ulla calce aut cemento ita ſint coagmentata, ut juncturæ vix conſpiciantur; licet autem hæc moles ævo jam conceſſerit, tamen vel ipſa rudera, magnificentiam operis hodieque ſatis demonſtrant. Meminerunt illius plerique ſcriptores, & imprimis *Garcilaſſus*, qui narrat, temporibus Ingæ *Pachacutec*, hanc vallem cum *Chilca* & l.6.c.29. *Mala*, ereptam fuiſſe Principi in illis partibus potenti, cui nomen erat *Chuquimancu*, & imperio *Cuſcenſi* adjunctam: *Guarco* autem imprimis indigenis tum fuiſſe frequentem, ita ut circiter triginta millia incolarum numeraret: & adjunctas valles ad eundem pene modum; nunc vel frequentiſſimam illarum (loquitur de ſuo ævo) vix duo millia numerare. Ingam autem ædificium hoc mirabile propter ſitum, exſtruxiſſe in victoriæ ſuæ memoriam & tanquam trophæum erexiſſe.

In hac valle hodie municipium ab Hiſpanis conditum, quod *Canneten* vel etiam Cannete. antiquo nomine *Guarco* appellant; viginti quinque leucis à Metropoli *Lima* verſus Auſtrum; ſeſqui autem leucam ab ipſo Oceano Meridionali; ager hujus municipii tam eſt fertilis frumenti, & quidem optimi tritici, ut panis hic coctus plurimum celebretur; & maxima optimæ farinæ copia hinc ad alias Auſtralis Americæ provincias navigiis tranſvehatur. Qui nuper hunc locum viderunt, teſtantur oppidulum incoli à trecentis Hiſpanis, pluribus Indigenis & Nigritis; ab hoc iter agi per oram maris ad diverſorium *Aſic* & inde ad *Malam*, ubi varia prædia ruſtica viſuntur, quæ Limanos dominos agnoſcunt.

Cap. XXV.

Via per plana Peruviæ *ſecundum oram maris à* Guarco *ad* Ycam *municipium* Valuerde *&* Caſtro Virreyna, *oppidum.*

DUABUS ab Arce *Guarcenſi* leucis verſus Auſtrum, deſcendit in Oceanum Auſtralem inſignis fluvius, quem, quemadmodum & adjunctam vallem, vulgo appellant *Lunaguanam*, nomine, uti *Acoſta* indicat, à *Guana* mu- Lunaguana. tuato, quod barbarorum idiomate, maritimarum avium fimum deſignat, qualem l.4.c.37. littora hæc legentes obſervant in objectis Continenti inſulis & ſcopulis, magna copia, in tumulos & monticellos coacervatum, qui à barbaris traducitur in Continentem ad agros ſtercorandos; utiliſſimam enim & opportuniſſimam hanc agrorum ſtercorationem docuit illos experientia, adeo ut valles haſce fœcunditatem ſuam huic fimo debere vulgo fateantur. Author meus qui nuper has partes luſtravit, monet fluvium hunc ſatis amplum eſſe, deſcendere autem è jugo *Pariacacæ*, ſive è deſerto ad illius radices, quod vocant *Punam*, quatuor leucis à Cannete; vallem autem Lunaguanam, ad radices montium ſitam eſſe, & optimis fructibus abundare, (præſertim uvis, Granatenſibus malis atque cydoneis) qui cæteris omnino Peruanis fructibus palmam præripiant; unde & optimum vinum hic premitur: non minus tritici, Mayzii & Paparum radicum fœcundum eſſe ſolum: habitatur à pluribus indigenis, & paucis Hiſpanis.

Ad ripas autem hujus fluvii, ſupra oſtium, jacere terras incultas, ob aquarum inopiam, rupto aquæductu cujus beneficio olim rigabantur; quæ tamen per ſe uberes ſint,

ſint, & magnam tritici & aliarum frugum copiam ferre poſſent, ſi induſtria & labor incolarum accederet.

Sex deinde à *Lunaguana* leucis viſitur *Chinca*, magna & amœna vallis, & tam famoſa per totum Peruviæ regnum, ut *Pizarrus* quum haſce provincias regio diplomate ſibi concedi impetraſſet, limites præfecturæ ſuæ, *Tembopulla* quidem ſive
Chinca. *S. Iacobi* flumine ad Arctum, *Chinca* vero ad Auſtrum definiri poſtularet; licet nondum eouſque tum penetraſſet, ſola nominis fama permotus. Porro hæc vallis omnium littorariarum longe maxima eſt, arboribus opaca & imprimis fructiferis, tam domeſticis, quam ex Hiſpania aut aliunde huc tranſlatis: Tritici adhæc perfœcunda, vitiumque quas Hiſpani intulerunt perbenigne tolerans. Indigenarum numerum, civilium bellorum rabies & Hiſpanorum ſævitia multum imminuit, ita ut jam ad ſummam paucitatem ſint redacti. Plurima rudera hic viſuntur antiquorum ædificiorum; multaque monumenta in quibus cadavera viſuntur pene integra,
l.6.c.18. 19. & juxta illa multæ divitiæ conſepultæ. Scribit *Garcilaſſus*, vallem hanc olim frequentem fuiſſe, & proprium habuiſſe *Curacam*, quem *Inga Capac Ypangui* domuit, & pro numine huic genti peculiari, quod vocabant *Chinca Camac*, ſolem adorare docuit, condito in hac valle ſumtuoſiſſimo Solis templo, & veſtalibus illi adjunctis. Hic hodie pagus eſt indigenarum, ad quem à *Guanca Velica Hydrargyron* deducitur, hinc navibus ad Aricam ſubvehendum. Ager eſt campeſtris ita ut plurimæ pecudes hic nutriantur, & plurimum caſei fiat. Diſtat à Cannete novem leucas ut teſtatur author meus, qui nuper vidit. Qui & hoc narrat, Indigenas Hiſpanorum adventum tantopere horruiſſe ut ſponte ſe vivos ſepelirent, & abderent in cavernis, cum ſua ſuppellectile & plurimo argento; quæ quotidie ab Hiſpanis eruantur incorrupta.

Yca. A *Chinca* tranſitur ad *Ycam* vallem ſuperioribus parem, tum ſoli ubertate, tum incolarum frequentia; ſecat illam fluvius amœno blandus alveo, (*Piſco* vocat *Herrera*) verum æſtivis menſibus & quum in montanis non pluit, tenuior, ita ut indigenæ tum aquarum inopiam patiantur: ut autem huic incommodo obviam irent, ſuperioribus ſeculis, indefeſſo labore, in agros ſuos derivaverant foſſam ſive aquæductum inde à montium radicibus, qui jam temporum injuria penitus eſt collapſus; cæterum fructiferis arboribus perfœcunda eſt vallis, & vini copia imprimis commendatur
l.4. c.32. ab *Acoſta*. Secat mediam vallem fluvius è quo plurimæ & grandes foſſæ derivantur, quæ vineas rigant; hic fluvius incipit intumeſcere & inflari menſe Decembri; neq; tamen par eſt toti valli rigandæ, ſed plurimi agri aquarum inopia manent inculti. Sunt in ea aliquot indigenarum pagi, uti *S. Ioannes* & *S. Martinus*; plurimi quoque barbari habitant circum oppidum: de quo jam dicam.

Valuerde. Deducta ab Hiſpanis colonia in hanc vallem, oppidum vocant *Valuerde*, à valle adjuncta ejus nominis longe amœniſſima, quam ad ſex leucas in longitudinem vineis plantatam tradunt, quæ generoſiſſimum vinum maxima copia profundunt; ſunt qui in hac valle quotannis quingenta millia botyarum (menſura eſt Hiſpanica æquans arobam unam liquidi, de qua alibi diximus) vini exprimi teſtentur. Oppidum eſt pulcherrimum & locuples; numerans circiter quingentos Hiſpanos, habet Eccleſiam majorem, tria monaſteria religioſorum, & Hoſpitale. Aër hic ſerenus & imprimis ſalubris; & ſolum expers omnium animantium venenatorum. Fœminæ Peruviæ univerſæ formoſiſſimæ prædicantur. Habet portum ad mare Auſtrale ſex ab urbe leucis, quem vocant *puerto Quemado*, ad quem vina deducuntur, ut navigiis ad alias provincias & *Limam* imprimis deducantur. Vindemia incidit in menſem Septemb. & Octobrem: muſtum primo funditur in grandia vaſa, quæ vocant *Tinajas*, deinde transfunditur in utres; Utraque autem tam vaſa, quam utres, fiunt in hac valle à Nigritis dextris in hac arte. Oppidum hoc habet Vicarium (vocant Corregidor) cui & Lanaſca & Piſco parent: qui ab ipſo Rege Hiſpaniarum conſtituitur; eſt enim magni emolumenti hic vicariatus, & imprimis opulentus. Diſtat oppidum à Metropoli *Lima*, ut *Herrera* tradit, triginta quinque leucis, ut alii, quinquaginta: à *Piſco* duodecim. In medio autem, ut ab idoneo authore accepi, harum duodecim leucarum, jacent quamplures *Mahamares*, id eſt; prata, cum aquis in uſum jumentorum; mirabile autem, quum fluvius qui *Ycam* vallem ſecat, intumeſcit, tunc aquas horum pratorum minui atque areſcere; & contra quando fluvii alveus tenuior eſt, tunc

eſt, tunc aquas in hiſce pratis abundare. Inter arenoſa loca & aquarum indiga jacet *Villacuri*, alia vallis, quæ licet & ipſa aquarum inopia laboret tamen abundat vineis, & optimum fert vinum. Fert quoque ficus; arborum autem ea eſt proprietas, ut medio anni ſpatio fructus ferant ad latus ſuum orientale, reliquo ad occidentale, quod ſupra de una tantum arbore retulimus ex *Acoſta*. A *Villacuri* ad *Piſco* vel *Piſcam*, numerant quatuor leucas: portus eſt ad mare Auſtrale non incelebris, (qui verſus *Puerto Quemado* de quo ſupra, habet Inſulam *de Sangallam*, itemque alteram quam vocant *de Paxaros*;) & ſecuriſſimus; ſtant naves in anchoris mediam leucam à littore, nam quotidie ſub veſperam perflant venti ſatis impetuoſi à terra, quos hic vocant *Paracas*: oppidum juxta portum ejuſdem nominis circiter quadringentos Hiſpanos numerare dicitur; habet monaſterium Franciſcanorum extra oppidum: pluresque apothecas ad oram maris, quibus vina aliæque merces recipiuntur. Oppidum quondam nullis mœnibus fuit cinctum, verum poſtquam Angli & noſtri in Mare Auſtrale cœperunt penetrare, murum duxerunt oppidani, ſecuritati ſuæ conſulentes, circiter quindecim pedes altum; uti à noſtris fuit deprehenſum anno cIɔ Iɔ c xxiv. Corregidor, ut vocant Hiſpani, *Valuerdes* ſive *Ycæ* hic conſtituit qui ſuum teneat locum: habet & vallem adjunctam quæ ab amniculo rigatur, & vina fert præſtantiſſima, & multo generoſiora quam ſunt *Ycenſia*. Pertingit hæc vallis ad *Humay*, (quatuor leucarum diſtantia) municipium barbarorum, per quod Humay. iter ducitur ad *Chocolocochaṁ*, de qua mox dicemus, longe aſperrimum ut fere ſunt omnia montana, viginti ſex leucis à *Piſco*. Sed ad *Valuerden* redeamus: quatuor leucis ab oppido verſus orientem, ſecus viam quæ ducit ad montana, aditur vallis *Tingez*, quæ licet neque amnem neque rivos habeat, atque ne pluviis quidem unquam humectetur, fert tamen ciceres omnium Peruvianorum longe optimos, & plurimum vini, alioſque fructus: plurimum quoque goſſypii; ita ut à frequentibus indigenis habitetur, qui hic prædiola ſua colunt: per hanc vallem tranſit via ad montana, & quidem primo ad pagum ſive municipium *Cordubam*; à quo tranſitur ad *Lucanes*, provinciam indigenis habitatam; per quam iter habent, qui cum variis mercibus à *Lima* tendunt verſus *Cuſco*.

Ab eadem urbe *Valuerde* pertinet iter ad *Guamangam*; ad *Chocolococham*; & *Guancabelicam*, & reflectitur ad vallem *Xauxam* & alias, nam vina *Ycana* pene ad omnes provincias montanas traducuntur.

Cap. XXV.

Chocolococha *ſive* Caſtro Virreyna *& reliquæ valles ab* Yca *ad* Tarapacam *& oppida aut municipia in eiſdem ſita.*

PAULO ante diximus *Chocolocochaṁ*, quæ ab Hiſpanis vocatur *Caſtro Virreyna*, oppidum recentius, diſtare à *Piſco* leucas ſex & viginti itinere aſperrimo, verſus ortum: idem ut plerique tradunt, abeſt à Metropoli *Lima* ſexaginta leucas & à *Guancabelica* quatuordecim verſus Meridiem. Celeberrimum eſt oppidum in hiſce partibus ob magnam copiam abſolutiſſimi argenti, quod eruitur è fodinis, quæ abſunt ab oppido circiter duas leucas; ſitæ autem ſunt fodinæ iſtæ in jugo aridi montis ſive punæ, jugiter nivibus tectæ, & ſupra modum frigidæ, ita ut omnes alias Peruviæ punas nimio ſuo frigore dicatur anteire: regio nihilo ſecius ſaluberrima eſt, & ab omnibus venenatis animantibus immunis, quæque indigenas nutriat imprimis proceros & robuſtos: fœminæ Hiſpanicæ hic parere detrectant, ob nimium algorem, itaque prægnantes & partui propinquæ deſcendunt ad plana: ob eaſdem cauſas & ſolum paucas alit arbores: labitur juxta oppidum exiguus amnis, qui tamen molas agit quibus metallum tundunt franguntque: eſt autem vena ſaxea, quæ maxime commendatur colore cæruleo obſcuro, aut candido ſubfuſco: iſta ſaxa conjiciunt in furnos, uruntque *Ycho*, (quod eſt grammis quoddam genus oblongum, & ductile, quo in hiſce regionibus ædium tecta ſolent concinnare:) aduſta molunt tunduntque in pulverem; quem vaſis indunt, diluuntque aqua & hydrargyro; quod argentum attrahit & cogit in maſſam, ſcoreis intactis; (è quibus

Ff tamen

tamen & quæſtum facere norunt nonnulli; ex iis conficientes metalli quoddam genus quod vocant *Negrillo:)* deinceps argentum vivum igne ſeparant ab argento; quod denique fundunt in laminas, quas vocant *Barras:* eæ deinceps feruntur ad exploratores regios, qui tributo regio prius recepto, imprimunt notas quibus & argenti qualitas, & annus & numerus laminarum exprimitur. Obſervandum autem fodinas haſce argenti minus fœcundas eſſe, quare Rex Hiſpaniarum hic tantum recipit decimas: attamen argentum longe abſolutiſſimum generare, ita ut ſingulæ marcæ octo unciarum, æſtimentur duobus millibus, trecentis & octuaginta maravediſiis: & quotannis edere circiter nongentas *Barras,* argenti decimati;præter illud quod clam ſubducitur aut ab argentariis uſurpatur ad omnis generis vaſa. Habet hoc oppidum ſuum Præfectum, qui maximas divitias hic valet coacervare. In oppido ſunt plurimæ officinæ inſtitorum; & vini cellaria, quod à planis huc adducitur, & (quod mireris)ibi etiam vulgare,hic evadit generoſum,& optimum:eſt enim ſaluberrima & amœniſſima cœli facies, ita ut etiam boves mactatos quam diutiſſime conſervent incorruptos ſine ullo ſalis adminiculo. Ab hoc oppido pertinent calles ad *Piſcum* & *Chincham* atque *Ycam:* itemque ad *Guamangam* per Regiam viam montenſem: præcipue autem ad *Guancabelicam*; tranſeunt autem inter tres lacus, altiſſimos & terribiles; quorum ſinguli pene leucam unam ſunt longi; atque inde tendunt ad molendinum argenti: & rurſus ſecus magnum lacum, & per nivales montes, & tam tremendos ut vix univerſus orbis ſimiles habeat; hi montes jungunt ſe cum *Pariacacca* (de qua alibi.) & mox per cœnoſam paludem, ubi difficile eſt rectum tramitem invenire; & per invios montes & vallem in qua plurimi guaci paſcuntur, pervenitur ad *Guancavelicam.* Invenio ab aliis annotatum inter Sangallam & Cuſcenſe oppidum intereſſe vaſtiſſima illa montium juga quæ vulgo ab Hiſpanis appellantur *la Sierra de Guaytara*, quæ ingens terræ ſpacium occupare neceſſe eſt, ſi *Herrera* recte admonuit, haud ſupra quatuor leucas à *Lima* abeſſe. Sed ad valles littorarias regrediamur.

d.6.l.4. c.1.

Ycenſem vallem excipiunt nobiliſſimæ & amœniſſimæ valles, & limpidi amnes; vocant *Lanaſca*, ſive ut *Garcilaſſus*, *Nanaſca*, (qui hanc vallem ab *Inca Capac Yupanqui* imperio *Cuſcenſi* adjunctam narrat;) infinito pene quondam incolarum numero celebres, quos Hiſpanorum ſeditiones & bella civilia penitus deleverunt. In una harum vallium, quæ peculiari nomine dicebatur *Caxanulca*, Ingæ quondam habuerunt ſtupenda ædificia & largam annonam in omnes uſus ſepoſitam: hodie excoluntur in hiſce vallibus plurimæ Sacchari cannæ ab Hiſpanis, ita ut interdum annuus optimi Sacchari proventus, teſte *Acoſta*, ad triginta millia ducatorum aſcendat, quod mirum in tanta Sacchari vilitate, quam ſupra indicavimus. *Auguſtinus de Zarate* ſcribit has valles diſtare ab urbe *Lima* quinquaginta leucas. Portum habent ad mare Auſtrale, quem vocant *S. Nocalaum*, à quo ad principalem vallem & Villacurin leucæ numerantur octodecim. Per has uti & cæteros ducitur Regia via jam ſæpius à nobis nominata; viſunturque locis arenoſis & impeditis adhuc veſtigia columnarum, quæ rectam ſemitam demonſtrabant.

Lanaſca. l.3.c.18. cap.22.

Atque ut hinc paulum digrediamur, ultra hanc vallem ſecundum viam quæ per montana ducit ad *Cuſco*, habitant *Lucanes* populi, à quibus tranſitur ad provinciam *Parina cocham*, ſive ut *Garcilaſſus* effert, *Parihuana cocham*, (id nomen ſonat paludem volucrum quas Hiſpani vocant Flamencos;) grandem, fœcundam, & auri divitem.

l.3.c.9.

Ab hac autem per vaſtas ſolitudines, & nivoſos colles ad *Aymaraum* provinciam: inde ad *Totoram*; à *Totora* ad regionem *Cumbibilcarum*, atque ita ad *Acham* ſuper fluvium *Apurima*, uti obſervat *Herrera.* Invenio autem apud *Garcilaſſum*, Incam ponte ſtrato ſuper *Apurimam*, tranſiſſe in provinciam ut ille loquitur *Cumpivillcarum* ad occidentem ab urbe *Cuſco*, viginti leucas longam & decem latam. Hinc per deſertum & paludem, locaque uliginoſa, ſedecim leucarum itinere, promoviſſe ad *Allcam*; atque ita porro ad grandes provincias *Tauriſmam*, *Cotahuaci*, *Pumatampu*, *Parihuana cocham:* Ab hac per ſolitudinem *Coropunæ* tranſiſſe ad provinciam *Arunni*, & porro *Collahuam* quæ fines vallis *Arequepæ* attingit, de qua ſtatim.

l.3.c.8.

La Naſcam

Hacari.

La Naſcam excipit vallis *Hacari*, ſeptuaginta leucis ab urbe *Lima*, ut *Didacus Fernandez* numerat: *Garcilaſſus* ſcribit, Ingam à *Guallaripa* (famoſo monte ob copiam auri quæ ex illo fuit eruta) per ſolitudinem quinque ſupra triginta leucas latam, deſcendiſſe in hanc vallem, grandem, fertilem, & tum indigenis valde frequentem.

Oconna. Camana. Quilca.

Hacarin ſequitur *Oconna*, ſive ut *Garcilaſſus* vocat *Vvinna*: inde *Camana* & *Quilca* valles quæ ſuos habent amnes, & olim fuerunt populoſiſſimæ, nunc ob cauſas ſæpe jam dictas pene deſertæ.

S. Michaël.

In *Camanam* autem vallem colonia deducta fuit, *S. Michaëlis de Ribera* nomine, centum & tredecim leucis ab urbe *Lima*, verſus Auſtrum: duas & viginti ab *Arequipa* verſus Arctum, pertinet ad Epiſcopatum *Cuſcenſem*. Ager illius ficuum, vini, & frugum fœcundus.

Arequipa.

Arequipa oppidum conditum eſt in valle *Quilca:* diſtat ab urbe *Lima* ſecundum *Petrum de Cieça* leucas centum & viginti; ſecundum *Auguſt. de Zarate* & *Herreram* in deſcriptione Indiarum, centum & triginta; à *Cuſco* ſeptuaginta aut octuaginta: (quod iter dum res Ingarum ſtarent piſces inde à mari ſubvehebantur, breviſſimo tempore, quum per totum hoc ſpacium barbaris conſiſtentibus, tantum veluti per manus traderentur, ut narrant Hiſpani) à mari denique Auſtrali duodecim aut quatuordecim: agri bonitate & aëris temperie atque ſalubritate nulli Peruvianorum oppidorum concedens: nam & tritici perfertile eſt ſolum & optimi vini ferax: portum habet ad *Chilæ* fluvii oſtium, quod ſecus oppidum deſcendit, ita ut mercibus Europæis & quæ è vicinis provinciis petuntur utplurimum abundet. Diſtat autem ab argentifodinis Potoſianis centum & quinquaginta leucas difficili atque impedito itinere; nihilo tamen ſecius olim omnis gaza per hoc oppidum deducebatur ad mare, uti hodie longe compendioſore via ad *Aricam*. Haud procul ab oppido viſitur Vulcanus, de quo mira narrantur; Eſtque ager hujus oppidi, (ut & omnis planicies quod jam monuimus,) valde obnoxius terræmotibus ita ut anno cIↃIↃ LXXXII oppidum horribili concuſſu pene concideret: Anno autem cIↃ IↃ c flammivomus hic mons tantum pumicum & cinerum eructavit, ut pene per totam Peruviam fructus omnes corrumperet, adeo late ſeſe hunc cinerem diſperſiſſe memorant: In agro ſuburbano vineæ ita fuerunt afflictæ ut quinquennio fructus ſuos negarent: murmur & horrendum boatum *Limæ* auditum ferunt. Quid multa? ingens calamitas tunc urbem pluribus menſibus miſere oppreſſit, quam prolixe deſcribit *Ynca Garcilaſſus*. (l.7.c.25.) Habet oppidum ſuum Epiſcopum, & Corregidorem: Denique Diœceſis illius habet ab Arcto quidem *Hacarin* vallem, ab auſtro vero *Tarapacam*; ad orientem in provinciis Condeſuyo, ut communi nomine ab Indigenis nominantur; complures pagos, quorum præcipui *Hubina*, *Chiqui-Guanita*, *Quimiſtaca*; & partem *Collaguarum* populorum: fuerunt autem hæ provinciæ olim indigenis frequentes, nunc Hiſpanorum diſcordiis & bellicis expeditionibus mirum in modum exhauſtæ: licet *Herrera* ſcribat in hac Diœceſi quinquaginta millia barbarorum vectigalium numerari. Haud longe ab oppido juxta viam quæ ducit *Chuquitum*, jacet vallis Moquegua fertilis & amœna. Denique juxta viam quæ ab oppido ducit ad *Collao*, duo viſuntur lacus, è quorum uno *Apurimam* amnem effluere credunt.

Quilcam vallem ſequitur *Chuli*; inde *Tambopalla* atque *Ylo*; denique ditiſſimæ valles *Tarapacæ*, plures enim hic & opulentæ argentifodinæ reperiri ferunt: Indigenæ valde pauci, qui piſcibus capiendis utplurimum vacant, iiſque victitant. *Garcilaſſus* (l.5.c.13.) has valles hoc ordine commemorat *Vvinnam*, *Camanam*, *Caravilli*, *Pictam*, *Quellcam*; dicitque valles iſtas in longitudinem, à montanis ad oram maritimam, utplurimum extendi ad leucas viginti; in latitudinem vero haud amplius, quam foſſis è fluviis derivatis rigari poſſunt; quod eſt pro fluviorum amplitudine nunc duas, nunc tres, plus minuſve leucas; reperiri denique hic amnes, quos Indigenæ ita derivent, ut ad mare minime pertingant.

Cap. XXVI.

Provinciæ mediterraneæ; via regia per montana Peruviæ *à* Guancabamba: *provincia* Chachapoja; *&* Moyobamba.

SUPERIORIBUS capitibus Planiciem *Peruviæ* ſecundum oræ maritimæ duċtum proſecuti ad extremos Conventus Juridici *Limani* limites, ad mediterraneas, & montanas provincias nos convertemus, facto initio à *Guancabamba*, ad quam viam regiam ſupra deduximus, quum de *Quitenſi* Conventu pertractaremus: quæ porro ſequuntur pertinent ad *Limanum* Conventum.

Caxamalca. A *Guancabamba* ad *Caxamalcam* ſive *Caſſamarcam* leucæ numerantur quinquaginta; via autem intermedia non deſcribitur à *Petro de Cieça*; neque ex prima *Pizarri* expeditione ſatis poteſt intelligi. *Pizarrus* enim cum exercitu movens ex oppido *S. Michaëlis* in valle *Piura*, trajecto flumine, primo intravit provinciam *Curacæ Pavoris*, inter amœnas & herbidas valles, à quibus bidui itinere aberat *Caxa*, vel ut *Garcilaſſus Caſſa*; à *Caxa* autem unius diei itinere *Guancabamba*; interjacet fluvius multis pontibus ſtratus, viaque regia hac ducitur. Ille autem provinciis hiſce ad lævam relictis, è *Pavoris* provincia per deſertum declinans ad pagum *Motux*, bidui itinere proceſſit per frequentiſſimas valles, & poſtero die per arenoſa & deſerta loca pervenit ad fluvium: quo trajecto & tridui itinere per viam regiam, quæ per plana ducitur, abſoluto, deflexit ad ſiniſtram, atque ita per montana magnis itineribus contendit ad *Caxamalcam*.

Almagrus in eundem pene modum à *Caxamalca* ad oppidum *S. Michaëlis* revertens, iter habuit per vallem *Xayanque*. Ut liquido pateat hos duces, maximam partem per plana Peruviæ profectos. Plures autem provinciæ montanæ interſunt inter *Guancabambam* & *Gaxamalcam*, quarum ſitus atque conditio, ex oppidi *Yaën* & provinciarum *Chuquimayo* deſcriptione utcunque patuit.

cap. XIV. *Caxamalca* provincia, ad quam pervenimus, longe maxima olim fuit & magni nominis dum res Ingarum ſtarent; nunc etiam *Pizarri* victoria, & *Athualpæ* poſtremi Peruviæ Monarchæ, clade, carcere & ſupplicio nobilis. Ingæ etenim habuerunt hic ſumtuoſiſſimum Palatium, cum magnificentiſſimo Solis templo, balneis, aliiſque regiis ædificiis, quorum hodie tantum rudera viſuntur; provincia autem hæc Diœceſi *S. Michaëlis* fuit adjuncta. Ager ſupra modum fertilis, & tritici haud minus ferax quam Sicilia; paſcuis abundans & armentis; Mayzii & radicum quibus barbari pro farre utuntur egregie tolerans, nullorumque fructuum quos hæc Americæ pars ſponte producit, indigens: uti nec variorum metallorum venæ hic deſiderantur. Indigenæ placido ſunt ingenio, induſtrii & aulæorum, è lana ovium Peruvianarum, haud minus dextri textores, quam Belgæ. Municipium autem quod provinciæ nomen ſervat, ad radices montium ſitum eſt in patenti campo, qui à duobus amnibus ſecatur, ſuper quos pontes ſtrati ſunt. Diſtat hæc provincia nonaginta leucas à *Lima* & totidem à *Truxillo*. Qui autem à *Caxamalca* per montana, ut vocant, petunt *Limam*, iis iter eſt per provinciam *Guaylas*, in qua pauci degunt Hiſpani; plurimi autem barbari, quibus ſunt ingentes pecudum greges, è quarum lana, varia pannorum genera texunt. Vicariatus eſt *(Corregiemento)* imprimis utilis & locuples.

Præter hanc provinciam *Caxamalcam*, alia via à Peruviæ Regibus ſtrata eſt ad *Chachapoyarum* regionem, de qua antequam progrediamur pauca dicenda. Garci- *l.8.c.1.* laſſus deſcribens nobis expeditionem *Ingæ Tupac Yupanqui*, qui *Chachas* vel *Chachapuyas* primus ſubjugavit; ſcribit illum primò ingreſſum provinciam cujus indigenæ vocabantur *Huacrachuci*, inde penetraſſe in *Chacharum* regionem, ſuperato prius aſperrimo clivo *Pias*; & oppidum ejuſdem nominis vacuum ingreſſos, diu hæſiſſe antequam tranſirent *Chirmac caſſam*, nivoſum per aſperos montes aditum; cepiſſe poſtea *Cuntur marcam*, *Caſſa marquillam*, *Papa marcam*, *Roymy pampam*, *Sutam*, *Llevantu* pagos principales, præter plurimos minores. A *Llevantu* autem *Ingam* miſiſſe copias in *Muyupampam*, eamque imperio ſuo adjeciſſe, uti & *Caſſayuncam* & *Guancabambam*.

In *Cha-*

In *Chachapoyarum* terra oppidum ab Hiſpanis eſt conditum, *S. Ioannis de la Frontera*, centum viginti leucis à Lima verſus Boream : primum quidem loco aſpero & inæquali ſuperſtructum, quem indigenæ appellabant *Llevanto*, poſtea autem ad commodiorem locum in provinciam *Guancarum* tranſlatum : (ita *Herrera*, credo affinitate nominum deceptum pro *Chachis Guancas* dixiſſe, nam *Guancæ* incolunt *Xauxam* uti mox dicetur) pertinent autem ad Diœceſin hujus oppidi latiſſimæ *Chachapoyarum*, *Huacrachucorum* & *Caſſayncæ* provinciæ: in quibus haud paucæ ſunt auri fodinæ; ingens armentorum & pecudum copia, è quarum lanis incolæ optimos faciunt pannos.

In hac provincia naſcitur maxima copia, Amygdalarum quoddam genus, de quibus ita *Acoſta*; Amygdalas omnes atque adeo cæteros Americæ fructus longe ſuperant Amygdalæ *Chachapoyarum* (nam aliud nomen ipſis nequeo imponere:) delicatiſſimus eſt fructus, omnium quos unquam in America guſtaverim, & doctiſſimi Medici judicio omnes omnino tam Americanos quam Hiſpanienſes fructus antecellens: Sunt autem Montenſibus ſive Andinis paulo minores, Hiſpanicis autem majores aut ſaltem craſſiores, teneræ admodum atque molles, ſucci plenæ & ſuaviſſimæ: Arbor quæ has fert procera eſt & ramoſa; fructus autem aculeato cortice tectus inſtar caſtanearum, ſed majore paulum & ſpinoſiore, qui poſtquam aruerit facile ſe pandit. l. 4. c. 26

Porro hæc provincia *Chachapoyarum* fines habet ad orientem ſublimia Andium juga, ultra quæ ingens fluvius *Moyobamba*, vel ut *Garcilaſſus Muyupampa*, aliique minores ex hiſce montibus orti, ad mediterranea decurrunt. Denique in hujus oppidi agro viginti millia barbarorum vectigalium dicuntur habitare, gens magis induſtria & candidiore fere colore quam reliqui Americani; fœminæ autem formoſæ, ita ut ſuperioribus ſeculis in concubinas Peruviæ monarchis ſubmitterentur. Vicinæ provinciæ ad Orientem ſunt *Longa*, *Charaſmal*, & pagi *Gomora* & *Coxon* : ad aliam plagam provinciæ *Haſallao*, *Toncho* atque *Chillao*.

Moyobambæ indigenæ vicatim habitant, ſuntque ingenio obtuſiore, & *Chancarum*, ut communis fert opinio, progenies. Hiſpani in hanc provinciam deduxerunt coloniam; municipio nomen *S. Iago de los Valles* vel etiam à provinciæ nomine *Moyobamba*, ſupra centum leucas ab urbe Lima verſus Aquilonem: viginti quinque ab oppido *S. Ioannis de la Frontera*: in regione ob creberrimas pluvias quidem humida, ſed paſcuis læta. Cæterum hæc provincia inſalubrior judicatur ob amnium multitudinem, montium altitudinem & ſylvarum pene inviam denſitatem. Moyobamba.

Inter utramque autem provinciam *Chachapoyam* & *Moyobambam*, interjacet altera quam Hiſpani vocant *los Motilones*, incolis infrequens, annonæ indiga, & multitudine intercurrentium amnium admodum impedita.

Cap. XXVII.

Via Regia per montana à Caxamalca *ad* Guanucum.

AD *Caxamalcam* revertor, à qua ad *Xauxam* famoſiſſimam totius Peruviæ vallem plures quam octuaginta leucæ numerantur. Ab extremis enim hujus provinciæ finibus ad *Guamachuco* vel *Huamachucu*, ut vocat *Garcilaſſus* à nomine *Curacæ* qui illi imperabat, antequam ab Inca Capac Yupanqui ſubjugaretur; Ampliſſimam vallem atq; indigenis olim frequentiſſimam, undecim leucarum iter eſt. Interjacet autem altera vallis peramœna & fertilis, cujus nomen non proditur, quæ propter montes qui illam cingunt, fervidior exiſtimatur: interſecat illam fluvius, cujus ripæ & tritici fertiles & vitibus, ficubus aliiſque Europæis fructibus peropportunæ. Veteres Peruviæ monarchæ hic Palatium, horreaque conſtruxerant, multaque arva in uſum militaris annonæ ſepoſuerant. Provinciæ *Guamachuco* incolæ neque lingua neque moribus quicquam differunt à *Caxamalcanis*, ſed numerus illorum ſuperioribus annis multum imminutus; cœlum magis frigidum quam calidum; Solum abunde ſubminiſtrat omnia vitæ humanæ neceſſaria. Maxima Peruvianarum ovium copia hic quondam fuit, hodieque in montibus ingens *Guanacorum* & *Vicunnarum* vagatur multitudo. Ab hac provincia, alia via in eundem modum ab *Yngis* com- Guamachuco.

planata fuit quæ ad *Conchucorum* provinciam deflectit & in provincia *Bombon* demum cum priori ſe conjungit.

Cõchuci. *Conchucorum* vel *Cunchucorum*, ut vocat *Garcilaſſus*, provincia abeſt bidui itinere à *Guamachuco*; indigenæ illius ſtatura ſunt modica, olim quidem frequentes, nunc Hiſpanorum vexationibus & crudelitate pene exhauſti. Multa hic auri atque argenti metalla eſſe dicuntur; & Ingæ quidem juxta viam regiam hoſpitia, in medio autem Provinciæ habuerunt Palatium, quæ jam ævo conceſſerunt.

Piſcobãba. A *Conchucis* ad *Piſcobambam* vel *Piſcopampam*, ut vocat *Garcilaſſus*, ſeptemdecim ſunt leucæ, indigenæ hujus provinciæ ſunt moribus bene compoſitis & amantes Chriſtianorum: ager illorum fertilis, omni genere frugum & fructuum abundans.

Guaraz. A *Piſcobamba* ad *Guaraz*, vel ut *Garcilaſſus* vocat, *Huaraz* ſunt octo leucæ; provincia hæc eſt montoſa, adeoque aſpera, ut mirum ſit quomodo hic viam regiam potuerint moliri: indigenæ duri & laborum patientes; ita ut ne à metallicis quidem abhorreant. Arcis quadratæ veſtigia hic videntur, è ſaxis ſatis eleganter pro barbarorum captu exſtructæ.

Pincos. A *Guaraz* tranſitur ad *Pincos*, ſive ut *Garcilaſſus*, *Pincu*; quam provinciam interluit fluvius; indigenæ & decora ſunt facie & moribus minime inurbanis. *Garcilaſſus* meminit & alterius provinciæ prope *Pincos*, quam vocat *Chucurpu*. (l. 6. c. 12.)

Guanco. Sequitur deinde longe maximum & ſumtuoſiſſimum Palatium poſt *Caxamalcam*, quod appellant *Guanco* & *Garcilaſſus Huanucu*; de quo *Petrus de Cieça*; (cap. 80.) In *Guanucu* (inquit) erat Palatium regium, operis admirabilis, nam & ſaxa erant prægrandia & concinnè admodum coagmentata. Id erat caput vicinarum provinciarum uſque ad Andes; adjunctum erat Templum Solis, cum ſuis virginibus, & miniſtris & tantæ fuit dignationis dum res Ingarum ſtabant, ut continuo hic ad triginta millia barbarorum miniſtrarent.

Hic jam cernitur colonia & oppidum Hiſpanorum, vulgo *Leon de Guanuco*; quinquaginta vel ut alii quadraginta leucis à Metropoli *Lima* verſus Aquilonem, ſecus viam regiam quæ ducit per montana. Urbs ab aliis vocatur *Guanuco de los Cavalleros*; eſt imprimis locuples, & amœna, omnibuſque rebus neceſſariis abundans tam ad vitam quam voluptatem: circiter trecentas familias Hiſpanorum numerare teſtantur, qui haud ita nuper videre, & plures barbaros atque Nigritas: habet ſuum *Corregidorem*, & monaſteria religioſorum, & Collegium Jeſuitarum; & caſas nobilium. In ambitu jacent plures indigenarum pagi: & haud longe ab oppido argenti fodina, quæ argentum edit minus abſolutum. Haud longe quoque ab oppido labitur fluvius *Marannon*, ut vocant, qui in montibus *Bombon* oriens, labitur per *Xauxam*, pene ad *Guamangam*, colligens in ſe omnes omnino amnes qui ex altiſſimis illis montibus deſcendunt; & reflectens ſe præterlabitur *Guanucum*. Ager porro urbis, quem quidam vocat Paradyſum, & ſalubri gaudet cœlo & ſolo perquam fertili & pecorum fœcundo; nec argenti venarum inopi. Indigenæ ſunt acri ingenio, impigro, docilique; jam tritici ſementem facere didicerunt ab Hiſpanis, Mayzio ſuo pene abdicato, quippe quod & minus nutriat & craſſiorem & magis copioſum gignat ſanguinem, ut quidam opinantur. Vitem quoque tolerat regio, & ficus aliaſque domeſticas & advenas arbores fructiferas. Armentorum & jumentorum, pecorumque jam ad miraculum dives: Sylvæ ſcatent perdicum aliarumque avium copia; montes vero & ſaltus feris, leonibus, urſis & ſimilibus. Diœceſi hujus oppidi comprehenduntur *Conchuci*, ampliſſima *Guaylarum* provincia, *Tamara*, *Bombon*, & plures aliæ: adeo ut triginta millia barbarorum vectigalium intra fines illius contineri ſcribat *Herrera*. Quæ quidem provinciæ & populi olim ad Metropolim *Limam* pertinuerunt, ſed poſtquam Regni utilitas poſtulavit alterum hoc oppidum condi, multum licet adverſantibus *Limanis*, ut ſcribit *Cieça*, *Guanuci* civibus fuerunt attributæ. (cap. 79.)

Ad eandem quoque Diœceſin referuntur *Vitici* in ſummis Andium jugis, aſperrima & impeditiſſima loca incolentes, ad quos *Mango Inga*, Hiſpanorum ſævitiam declinans poſtquam Ingarum imperio everſo aliquot annos per ludibrium regnaſſet, ſecuritatis cauſa profugit, & Hiſpanis ſæpe ex improviſo magnam intulit cladem; ut Hiſtoriæ Hiſpanorum teſtantur.

Cap. XXVIII.

Via regia per montana, & provinciæ à Guanuco *ad* Guamangam; *itemque à* Lima *ad* Xauxam.

G*Vanucenſem* provinciam excipit *Bombon*, provincia & natura munitiſſima & Bombó. ſitu locorum aſpera, incoliſque imprimis bellicoſis & pugnacibus frequens: editiſſimam eſſe totius Peruviæ regionem & non minus planam, teſtatur *Auguſtinus de Zarate:* ideoque & frigidiſſimam & multa grandine & aſſiduis nivibus rigentem. Hic viſitur Lacus decem leucas ambitu ſuo complectens, in ſolo modice elato, & altiſſimis montibus in ambitu undiquaque ſeptus; indigenæ ripas illius accolunt vicatim, olim quidem frequentiſſimi, nunc vero numero paulum imminuto, præterquam in montanis & aſperis regionibus, ubi hodieque maxima ferociſſimorum barbarorum copia reperitur. Ob ſoli frigiditatem, Mayzii quidem penuria hic laboratur, non deſunt tamen radices, aliaque edulia humanis uſibus comparata. In ipſo lacu eminent ſcopuli, multæque perexiguæ inſulæ, quæ juncos, aliaſque ferunt herbas, quibus indigenæ pecora ſua non modo alunt, ſed & ſaginant: aquis autem hujus lacus famoſum illud flumen, quod vulgo vocant *Marannon*, cujus jam ſupra meminimus, nutriri volunt, nam è lacu profluens amnis & per *Xauxæ* vallem delatus, jam vaſtus per ſe, mox receptis aliis amnibus, *Parco*, *Bilca*, *Abancay*, *Apurima* atque *Yucay* ad orientem citus fertur & pluribus fluminibus in progreſſu auctus, deſcendit in *Marannon* ut vulgo credunt, ut autem magis veri- c.xxvii. ſimile judico in *Paraguayam*. Sunt qui provinciam *Bombon* tantum viginti quatuor leucas abeſſe volunt ab urbe *Lima*. *Garcilaſſus* vocat hanc provinciam *Pumpu*. La-cum autem jam dictum appellant nonnulli *Laguna de Chincha cocha.*

Bombon decem leucarum intervallo excipit provincia *Tarama*, cœlo longe me- Tarama. lior ideoque & Mayzii atque tritici fertilior, cæterorumque fructuum longè feracior: Multa hic olim fuerunt regalia ædificia. Hujus latus claudit provincia *Attavillorum* & ad orientem in ipſis montibus aut paulo ultra *Chupachorum* regio, atque flumen, per quam tranſitur in regionem *Mamæ*, ultra quam ad orientem denſiſſimæ occurrunt ſylvæ & meræ ſolitudines.

A *Tarama* per regiam viam pervenitur ad *Xauxam*, totius Peruviæ celeberri- Xauxa. mam provinciam, per quam *Xauxa* fluvius labitur, quem è lacu *Bombon* aut ſaltem ex illius montibus oriri diximus; & qui vulgo in Peruvia appellatur *Marannon*; credunt enim longiſſimo intervallo per mediterraneas provincias dilapſum & plurimis aliis fluminibus auctum in mare Septentrionale exire. Patet hæc vallis quatuordecim leucas in longitudinem, quatuor aut quinque in latitudinem; olim incolis ita frequens, ut quum primum Hiſpani hac iter agerent, triginta millia barbarorum hic habitaſſe credantur: nunc vero (inquit *Cieça* de ævo ſuo ſcribens) vix decem ſuperſunt millia. Indigenæ uno nomine dicebantur *Guancæ*, vel ut *Garcilaſſus*; l.6.c.16. *Huancæ*, licet *Herrera* eoſdem etiam appellet *Yaos*; verum *Garcilaſſus* longe aliam provinciam videtur facere, in qua *Yauyu* ut ille ſcribit, habitarint: nam poſt *Xauxam* atque adeo *Caxamalcam* jam perdomitas, quum *Ynga* jam triumphabundus repeteret *Cuſco*, ex itinere ad hanc divertiſſe provinciam, quam dicit aſperam ſitu, & bellicoſis barbaris frequentem fuiſſe. Eundem poſt *Xauxam* ſubjugatam, provinciam diviſiſſe in tres regiones, quarum prima dicta fuerit *Sauſa* ſive *Xauxa*, altera *Maricabilca* vel *Marcavilca*, tertia *Laxapalanga* vel *Lacſapallanca:* in ſingulis autem condita fuerunt regia Palatia, in priori autem ad ipſum vallis ingreſſum longe ſumtuoſiſſimum: cingitur hæc vallis undique à nivoſis montibus; abeſt à Metropoli *Lima*, ut *Herrera* numerat, leucas triginta & ſex, vel ut alii quadraginta. Atque ut hoc per digreſſionem moneamus, iter à *Lima* ad *Xauxam* inſtituitur in hunc modum.

A *Lima* tranſitur per vallem *Seneguillam* (quæ diſtat ab urbe quatuor leucas) ad *Chontajo del Mar*, alteram vallem copioſam novem leucis à *Lima*; & deinceps ſuperato amne venitur *Siſicayum*, indigenarum municipium, decem ab urbe leucis: mox

Guadacheri. Pariacacca. Pacacacha.

adverſa fluvii ripa aſcenditur ad *Chorillo*, indigenarum itidem pagum, loco edito ſitum, tredecim leucis ab urbe: hic jam pluere & tonare incipit. Hinc ad *Guadacheri* opulentum indigenarum municipium, qui in pluribus pagis habitant ad clivos & in convallibus, & communi nomine appellantur *Capiyungæ*. Inde per valles & montes aſcenditur ad editiſſimum horum montium jugum, quod appellatur *Pariacacca* duas & viginti leucas ab urbe; itinere longe difficillimo & periculoſiſſimo; & quidem duplici, uno quod vocatur *la Eſcarilla*, quia gradibus quibuſdam è petra exciſis aſcenditur cum ſummo diſcrimine, ruendi in præceps, atque adeo in paludem admodum altam quæ ſubtus jacet; id iter exit ad *Atunxauxam*, ubi fluvius *Marannon*, ut vocant, lapideo tranſitur ponte. Altero (vocant *El Atajo*) quod per amnem (qui per plana delapſus in mare Auſtrale egreditur juxta *Canneten)* ducit, qui ſe abſcondens ſub terra leucam unam, rurſuſque emergens, ponte ab ipſa natura ſtrato tranſitur; & tendit porro callis ad rupem *Pacacacham*, ubi hic amnis de jugo ſe præcipitat per certam rupem in abyſſum cum horrendo murmure; à *Pacacacha* per montes & ſolitudines tandem deſcenditur in vallem *Xauxam*.

Guancajo.

Denique, uti accepi à quodam qui nuper viderat, in hac valle ſunt hodie quatuordecim indigenarum pagi; eſt grande & amplum *Corregiemento*, ut vocant, in quo viſuntur aliquot cœnobia Franciſcanorum & Dominicanorum; qui barbaros inſtituunt: Abundat vallis Mayzio & tritico; optimâ ſuillâ; & fructibus omnis generis. Inter pagos celebratur *Guancajo*, ubi diverſorium ſive *Tambo* viſitur itinerantibus valde opportunum. Licet autem indigenæ hujus vallis, jam plerique Chriſtianis Sacris ſint initiati, ſunt tamen inter eos non pauci qui antiquas gentilitatis ſuæ ſuperſtitiones retinent; quique Dœmonem adorant, quem vocant Supay, non quod malum eſſe diffiteantur, ſed ne ipſis male faciat.

Acos.

A *Xauxa* ad oppidum *Victoriam* ſive *Guamangam* leucæ ſunt triginta. Nam viam regiam ſequentibus, primum occurrunt loca edita ſive montes, qui vallem illam claudunt, in quibus veterum ædificiorum rudera viſuntur: & deinceps pagus *Acos* juxta paludoſum arundinetum: Indigenæ autem degunt paulum extra viam, in aſperis atque incultis montibus qui ad dextram jacent.

Pico. Parcos.

Ab *Acos* tranſitur ad Palatium *Pico*, atque ita per editam planiciem ſenſim deſcenditur ad fluvium *Xauxam*, cujus ripæ hic junguntur ponte, quem barbari vocant *Angojaco*; juxta hunc olim fuit Palatium regium & balneum aquarum calidarum, quæ è vicina ſcaturigine ebulliunt: ab hoc ponte tranſitur ad alterum, qui ſtratus eſt ſuper alterum amnem, æſtivis quidem menſibus tenuem, ſed qui hybernis in immenſum augetur: adverſæ ripæ adſidet pagus *Picoy*: à quo rurſus aſcenditur ad Palatium *Parcos*, quod ſitum eſt in vertice montis, & undique incultis, atque aſperis collibus cinctum, quos indigenæ habitabant. Haud procul hinc in ſolitudine viſuntur rudera *Pucaræ* cujuſdam (nam nomen hoc commune eſt omnibus locis à natura aut arte munitis) regii quondam Caſtelli, ad quod vicini barbari tributa ſua comportare jubebantur. Indigenæ autem harum Regionum, utplurimum domicilia ſua habent in nivoſis montibus, in convallibus vero faciunt ſementem, quæ ab altis montibus à frigore defenduntur: plurima hîc dicuntur reperiri argenti metalla.

Aſſangaro.

A *Parcos* per montes & declives colles ad fluvium ejuſdem nominis deſcenditur, qui ponte tranſitur ſuper lapideas columnas ſtrato. Hoc flumine ſuperato, ducit via regia, primo ad *Aſſangaro*; deinde ad *Guamangam*: A *Parcos* autem ad *Guamangam* numerat *Herrera* leucas undecim; *Auguſtinus de Zarate* ad *Cuſcenſe* oppidum quinquaginta.

Caſma.

Rationem hujus itineris in hunc modum deſcriptam accepi ab uno qui nuper viderat; E *Xauxa* nimirum venitur *Acos*, diverſorium ſive *Tambo*; inde per certos clivos ſecundum ripam fluminis *Marannon*, ut vocant, venitur *Caſmam* ubi pulchri viſuntur horti, & ſequendo fluminis ductum per difficiles tramites, tranſitur pons lapideus, & relinquitur via ad levam qua itur ad *Guanca Velicam*, de qua mox: hinc aſcenditur editum jugum & valde aſperum, veniturque ad diverſorium *de Picois*, unde ſe aperiunt tanti & tam alti montes, ut nullus inde egreſſus videatur, in quibus tamen viſuntur aliquot indigenarum pagi, & flumen ob profunditatem tam anguſtum apparet,

ut tantum rivulus eſſe videatur: hinc tranſitur ad diverſorium *Parcos*, à quo clivus deſcendit, leucas duas & ſemiſſem, unde videtur Inſula in medio fluminis *Marannon*, in qua eſt plumbifodina & frequens pagus indigenarum; atque hîc flûmen quod hactenus, nimirum uſque ad inſulam, labitur ad orientem, cubito flectitur verſus occidentem accipitque hic alterum fluvium, qui ad finem hujus clivi tranſitur ponte ſingulari induſtria facto: tendunt nimirum craſſos funes ab una ripa ad alteram, & tranſverſis alligant faſciis; quæ uti & funes contorti ſunt è pita aut maguey; & ſuperſternunt ſtoream è villis textam; muniuntque ad latera aliis rudentibus & faſciis: ſuſtentant utrimque pontem hunc columnæ ſaxeæ; in medio vero pendet tremulus, ita ut ſæpius Grue aſtringi opus habeat; ubi autem alveus fluminis tenuior eſt, vado tranſitur. Poſtilla pervenitur ad diverſorium *Aſangaro*, & relinquitur ad ſiniſtram *Guanta* & alii pagi indigenarum, quæ ſuum habent *Corregidorem*. Hinc denique, ſi fluvius vado tranſiri poſſit, per vallem *Vinaquen* venitur ad *Guamangam*, de qua jam dicemus.

Guanta.

Guamanga ſive *S. Iuan de la Vittoria* oppidum ſitum eſt ad altitudinem tredecim graduum ab Æquatore verſus Auſtrum; Sexaginta vel ut alii octo ſupra ſeptuaginta leucis ab oppido Lima verſus Eurum, juxta regiam viam quæ per montana ducit, in patenti planicie ad radices monticulorum, qui uno & continuo ductu ad auſtralem plagam urbi prætexuntur: ad ripam limpidiſſimi & potari aptiſſimi torrentis: ædes fere è ſaxis ſubſtructæ & tegulis deſuper tectæ; tria in urbe templa, diverſa monachorum cœnobia, multæque confraternitates, ut vocant, tam barbarorum quam Hiſpanorum: nec non una Nigritarum; & Hoſpitale quod cum pulcherrimis harum regionum facile certat: Habet ſuum Epiſcopum, & Corregidorem ut appellant. Cœlum hic admodum ſalubre nec ſolis ardore nec veſpertino rore noxium, ſed alternante frigore atque calore egregie temperatum: in agro multæ viſuntur Hiſpanorum villæ, in quibus ob paſcuorum bonitatem & amniculorum intercurrentium opportunitatem, ingentes pecorum greges paſcunt. Amniculorum autem maximus dicitur *Vinaque*, ad cujus ripas viſuntur rudera antiquiſſimorum ædificiorum, quæ barbari ſuperioribus ſeculis ab alia natione extructa narrant; nec vero id abſimile, nam Architecturæ modus longe differt ab eo quem poſteriores Peruviæ Reges ſunt ſecuti. In vicinis flumini agris, copia colligitur optimi tritici, & quod cum Europæo certet, è quo præſtantiſſimum panem coquunt. Æſtivis menſibus nonnunquam pabuli inopiam patiuntur jumenta, præſertim quia in America nullum fœnum colligere conſuevere. Andium juga, quæ ab Hiſpanis appellantur *Cordilera*, abſunt ab hoc oppido leucas octodecim.

Indigenæ hujus provinciæ, ſtatura ſunt mediocri, ſubfuſco colore, tardo ingenio, pigri & mendaces; ad nequitiam ſatis induſtrii. Eorum numerus, qui quidem vectigales ſunt, ad triginta millia dicitur aſcendere. *Cocæ* magna copia colligitur in finibus hujus provinciæ, nec non mellis: medicis quoque herbis luxuriat tellus; una autem noxia & venenoſa, *Mio* vocant, quæ animalia, ſi attigerint, enecat. Inter animalia humano victui apta, excellunt damæ, quarum carnes comparant vitulinis: inter noxia unum, cujus urina tam gravem atque adeo peſtilentem fundit odorem, ut è longinquo ſentiatur, & nunquam è veſtimentis elui poſſit. Multæ denique in hac provincia, auri, argenti, hydrargyri, æris, ferri, plumbi, ſulphuris nec non magnetum fodinæ.

Cap. XXIX.

Reliquæ mediterraneæ provinciæ ab oppido Guamanga *ad* Cuſco: Guancabelicæ *fodinæ;* & Chocolococha *ſive* Caſtro Virreyna.

A Provincia & oppido *Guamanga* ad Cuſcenſem Metropolin vulgo ſexaginta numerantur leucæ, ab *Auguſtino* autem *de Zarate* octuaginta; aſpero & permoleſto itinere, ob montium vaſtitatem & petrarum aſperitatem.

Duabus à *Guamanga* leucis planicies *Chupæ* jacet; undecim vero Palatium longe maxi-

Bilcas.

maximum *Bilcas*, quod in ipſo regni Peruviani meditullio ſitum eſſe barbari jam olim judicarunt, & Hiſpanorum itineribus comprobatum, tantundem viæ eſſe à *Quitenſi* oppido ad *Bilcas*, quantum à *Bilcas* ad regnum *Chile*. Palatium autem hoc totius regni longe maximum & ſplendidiſſimum fuit, hodie tantum rudera & miſerum cadaver tantæ molis conſpicitur. Hic jam viſitur municipium indigenarum, multis pagis undiquaque cinctum, quod ſuum habet *Corregidorem*, ut vocant; Solum hoc totius Peruviæ editiſſimum judicatur.

Vramarca.

A *Bilcas* ad *Vramarcam* ſeptem ſunt leucæ, flumine intermedio, quod à ſuperioris Palatii nomine *Bilcas* appellatur & ponte centum & ſexaginta paſſus longo tranſitur. Hoc flumen oritur in provincia *Sorarum*, perfœcunda & rebus omnibus neceſſariis affluente; indigenæ illius bellicoſi, eademque lingua utuntur, qua *Lucanes*, eodemque modo laneis veſtibus amiciuntur, poſſidentque ditiſſimas auri & argenti fodinas. *Vramarcæ* indigenæ olim dicebantur *Chancæ*, provincia autem *Andabaylæ* ſive *Andaguayla*, in qua multa ædificia regalia fuerunt atque horrea. Maxima & latiſſima eſt provincia, armentorumque fœcunda, tritici fertilis, & in calidioribus vallibus multorum fructuum. Jam maxima indigenarum pars ſævitia & civilibus Hiſpanorum bellis pene eſt abſumta. A *Guamanga* ad *Andaguaylam* viginti leucas numerat *Herrera*. *Garcilaſſus* vocat hanc provinciam *Antahuayla*, & ſcribit nationem *Chancam* olim plures populos comprehendiſſe, uti *Hancohuallu*, *Vtunſulla*, *Vramarca*, *Villca* & alios. Notandum autem illarum gentium idiomate *Marcam* ſignificare Caſtellum ſive locum munitum. Per hanc provinciam labitur fluvius, eorum qui in *Marannon*, ut vocant, influunt fere maximus; ad cujus ripas plurimæ cannæ Sacchari naſcuntur, vocatur *Vramarca* à vicino *Tambo*.

Andaguayla.

Ab *Andaguaylas* ad *Abancay* leucas numerant novem: iter jacet ad hunc modum; primo venitur ad diverſorium *Pingos*, & per editum clivum aſcenditur ad *Guancavamam* ubi optimi fiunt ſocci, qui in pleriſque provinciis Peruviæ maximi fiunt.

Pingos.

Hinc per viam regiam, aſcendendo, deſcendendoque editos & aſperos colles tranſitur ad diverſorium *Cochacaxas* ſive *Cocachaca* (*Garcilaſſus* vocat *Cochacaſſam*) diſtans à flumine *Abancay* verſus Arctum tres leucas, aut ut aliis placet, duas, itinere perdifficili, ob aſperos & declives colles, ad quorum latera tamen terræ jacent tritici & Mayzii ſatis uberes.

Cochacaxas.

Flumen *Abancay* tranſitur lapideo ponte, ſuper columnas lapideas barbara induſtria ſtrato; haud procul à ripa viſuntur rudera regalium ædificiorum. Vallis *Abancay* flumini contigua plurimas alit Sacchari cannas; diſtatque à *Cuſco* leucas viginti duas ſecundum *Herreram*, aut viginti quatuor ſecundum alios: habet ſuum diverſorium quod à fluvii nomine appellatur *Abancajo*, juxta quod altiſſimus mons viſitur, quem argenti venis ſcatere opinantur, quæ tamen hactenus non fodiuntur. Secundo flumine deſcenditur ad vallem *Cotabambam*, iter eſt duodecim leucarum.

Abācay.

Ab *Abancay* ad *Apurima* fluvium numerant leucas octo. Itineris ratio, quemadmodum accepi ab eo qui nuper fecerat, ita ſe habet. Ab *Abancajo* tranſitur inter altos montes & profundas valles ad alterum diverſorium & pagum indigenarum: à quo deinceps deſcenditur ad flumen Apurima, omnium Peruvianorum longe rapidiſſimum; ubi duo periculoſiſſima loca tranſeunda; *la Laxa* nimirum, ut vocant, & pons Apurimæ: *Laxa* iſta eſt trames quadringentorum paſſuum, inter duriſſimas petras excisus, qui inſtar ſcalæ deſcenditur, gradibus ita comparatis ut ſingula jumenta in iis poſſint conſiſtere; ab uno latere habens petras & altiſſimos montes ad quatuor leucas, ab altero flumen, cujus ripa itidem petra eſt, præcipiti clivo, quæ veluti muro, aut vallo exciſo ad latus eſt munita, ne viatores in præceps ruant: ad adverſam fluminis ripam jacent montes, & nemora & ſaltus invii. Veteres tamen Peruviæ Reges tramitem per aſperrima hæc loca ita complanaverant, ut per illum, quatuor leucas ab *Laxa*, ſecundo flumine, crebro peterent ſeceſſum quendam, in profunda valle ſitum, juxta quem plurimum auri hodieque ferunt reperiri. Pons admirabili opere eſt factus, ab una enim parte ſuſtentatur à petra, ab altera à mole lapidea; ipſe autem eſt ſublicius, centum & octuaginta paſſus longus, & tanto artificio annulis, clavis, catheniſque ferreis ita concinnatus & connexus, ut licet nullis

Apurima.

columnis

columnis intermedio ſpacio ſuſtentetur, tamen maxima onera ſuſtineat: fluvius enim hic altiſſimus eſt, ita ut nullæ trabes in fundum adigi poſſint: huic ponti reſtaurando præeſt Hiſpanus, cum ſtipendio mille ducatorum: omnes autem merces ſolvunt dimidium ducatum pro ſingulis centenis.

Supra hunc pontem, haud procul à ripa hujus fluminis jacent plurimi pagi barbarorum quos vocant *Alimarranes* vel *Aymaraos*; ad Arctum autem ab ejuſdem ripis ſita eſt *Vilcabamba*, ubi fodina eſt argenti, ſed minus abſoluti, è qua quotannis, plus minuſve, quingentæ barræ, ut vocant, ſive laminæ argenti egeruntur: In hiſce partibus pauci habitant Hiſpani, ſed multi mercatores veniunt huc cum mercibus, redeuntque, qui magnum quæſtum faciunt. Vilcabamba.

Ab *Apurima* ad Metropolin *Cuſco* ſtatuunt *Didacus Fernandes* & *Auguſtinus de Zarate* duodecim leucas. Nam ſuperato ponte primum aditur diverſorium ſive *Tambo:* in jugis autem montium jacet *Mollopata* & plures indigenarum pagi. Hinc tranſitur ad *Limatambo* ubi plurima rudera viſuntur regalium ædificiorum; diſtat novem leucas à *Cuſco*. Hinc per *Bilcacongæ* vaſta juga deſcenditur in vallem *Xaquixaguanam*, (quam *Garcilaſſus* vocat *Sacſahuanam:*) inter altiſſimos montes anguſto ſpacio concluſam. In qua veteres Peruviæ reges hortos ſuos & viridaria habuerunt, in quæ ſæpius ſecedebant animum relaxandi gratia; abeſt ab oppido leucas quinque. Aquæ fluvioli, qui è vicinis montibus oritur, reſtagnant hîc in cœnoſam paludem, perdifficilem tranſitu, niſi Reges per mediam paludem ingenti molimine, viam utrimque muro communiviſſent ac ſilicibus ſtraviſſent, ultra quam colles quidam ad oppidum uſque tranſcenduntur. Hæc vallis ſuperioribus ſeculis fuit frequentiſſima, arvis omnibus atque agris mirabilem in modum diviſis atque diſtinctis: Hiſpani hîc hodie ob inſignem ſoli ubertatem & faciunt ſementem, & exercent pecuariam. Antequam autem ad Cuſcenſis oppidi deſcriptionem procedamus, de Guancabelicæ fodinis neceſſario nobis dicendum. Limatambo. Xaquixaguana. l.7.c.10.

Octo aut decem leucas à *Guamanga* verſus Corum, ſitæ ſunt celeberrimæ fodinæ *Guancabelicæ*, quas Hiſpani hodie vocant *El Aſſiento de Oropeſa*, è quibus ingens vis argenti vivi eruitur. Fuit ſane id metalli genus Peruviæ indigenis penitus incognitum, minium tantum effodiebant, quod ipſi vocant *Limpi*; eoque corpora ſua inficiebant, ſive embixabant (ut barbarorum vocabulo utar,) uti & hodie ad ſingularem ornatum uſurpant. In hunc finem varios cuniculos (*Socabones* vocant Hiſpani) intra montis viſcera per ampla ſpatia egerunt, qui hodieque viſuntur, ita intricati, ut ſi quis ingrediatur, difficulter admodum ſe poſſit explicare. Argenti autem vivi, quod hiſce minii venis continetur, nulla ratio habita fuit, ne quidem ab Hiſpanis, uſque ad annum cIↃ IↃ LXVI & LXVII, quibus res hæc primum in Peruvia innotuit, ut *Acoſta* teſtatur, hac occaſione: *Henricus Garſias Luſitanus* à barbaro quodam dono acceperat maſſam *Limpi*, quam quum verſaret, & rerum metallicarum ſcientiâ, quo pollebat, idem metallum eſſe judicaret è quo in Hiſpania & minium (quod barbare vermiliura vocatur) & hydrargyrum eruitur: ad ipſas fodinas proficiſcitur, & periculo facto, ita ſe rem habere ut ſuſpicabatur, invenit. Metallis *Palcarum*, in finibus oppidi *Guamangæ*, ad hunc modum detectis, magno numero accurrerunt Hiſpani, ut hydrargyrum elicerent ad Novam Hiſpaniam tranſportandum, ubi argenti vena hoc metallo perpurgatur: quæ res & multos opibus auxit, & locum ædificiis & accolis frequentiſſimum fecit. Inter fodinas autem excellit, quæ amedei Cabreræ vel etiam Sanctorum nomen ſervat, duriſſima rupes, & infinitis hydrargyri venis per totam molem diſcurrentibus tumens, octuaginta quidem olnas Hiſpanicas in longitudinem, quadraginta in latitudinem occupans, & quaqua patet octuaginta cubitos in profundum ſuffoſſa, ita ut trecenti metallici hic ſimul operi poſſint vacare. Hanc *Amador Cabrera* à ſervo ſuo *Mavincopa* primum detectam, à Pro-Rege Peruviæ, Advocato Fiſci nonnihil licet reluctante, habendam atque poſſidendam accepit: eamque poſtilla ducentis & quinquagita millibus ducatorum venditam, facti pœnitens (nam duplum valere judicabatur ab omnibus rei metallicæ gnaris) redhiberi ſibi poſtulavit atque evicit: quum autem, *Franciſco Toletano* Peruviæ Pro-Rege, *Franciſcus Fernandez de Velaſco*. in Nova Hiſpania hydrargyri uſum in argento purgando edoctus, idem in Potoſia feliciter tentaſſet, anno demum cIↃ IↃ LXXI magnum Guancavelica. l.3.c.17.

magnum argenti vivi pondus ad Potoſianas fodinas ſubvehi cœpit; cujus ope non tantum metallum recens effoſſum majori compendio eliquatum, ſed & vetera recrementa, quæ Hiſpani appellant *des Montes*, perpurgata ſunt, major enim copia argenti, hujus metalli ope extrahitur, quam alias flamma educeret. E fodinis denique *Guancavelicæ* decies centena millia pondo hydrargyri quotannis hauriuntur, & terreſtri itinere deducuntur Limam, dein, maritimo Aricam, & inde rurſus Potoſiam: unde utplurimum Ærario Regis accedunt quadringenta millia ducatorum, præter alia emolumenta.

Haud procul à *Guancavelica*, viſitur fons, cujus aquæ calidiſſimæ ſunt & ſimulac profluunt, lapideſcunt: hoc lapide plurimum utuntur ad ædificia, eſt enim mollior, facileque cæditur, haud ſecus quam lignum, & licet levis ſit, ævi tamen haud minus patiens: Nec homo nec ullum animal has aquas haurit ſine noxa, nam etiam intra viſcera ſtatim convertitur in lapides.

Qui haud ita nuper viderunt *Guancavelicam*, teſtantur oppidum eſſe imprimis opulentum, habitarique à duobus millibus Hiſpanorum, & longe pluribus barbaris qui in metallis occupantur. Hydrargyrum autem ab hoc loco deduci, ovium Peruvianarum ope ad portum Maris Auſtralis, qui appellatur *Chincha*, atque inde navibus *Aricam* & ita porro *Potoſiam*. Diſtat oppidum ſexaginta leucas à *Lima*.

Porro quatuordecim leucas à *Guancabelica* aditur oppidum *Caſtro Virreyna* & barbarorum lingua *Chocolococha*; itidem ſexaginta leucas diſtans à *Lima*, juxta hanc urbem jacent fodinæ argenti abſolutiſſimi; quæ quotannis dant ad minimum nongentas laminas argenti quintati: diſtant ab urbe duas leucas in vertice editi & deſerti montis ſive *Punæ*, ut vocant, totius Peruviæ longe frigidiſſimæ, ſalubertimæ tamen, quippe ubi nulla animalia noxia generantur, ne quidem pulices aut araneæ; ſecus urbem labitur amniculus qui machinas agit, quibus argenti vena frangitur. Præfectum habet urbs, qui hic magnas divitias cogit. Ab ea variæ ſemitæ pertinent ad *Ycam*, *Piſcamque* quæ ad mare Auſtrale jacent.

Choco-lococha.

Cap. XXX.

Cuſco *Peruviæ quondam Metropolis: Regionum adjacentium ſitus & qualitates: Oppidum* S. Franciſci de la Vittoria; *&* S. Juan del Oro *in* Caravaya.

CUsco, olim Regni Peruviani metropolis & *Yngarum* domicilium, nobiliſſima civitas, ſita eſt ad decimum tertium gradum & ſemiſſem altitudinis Auſtralis; ad ſeptuageſimum autem octavum longitudinis à Meridiano Toletano, ut *Herrera* numerat, ad occidentem productæ; centum & viginti, vel ut alii quadraginta leucis ab oppido *Lima* verſus ortum: in duro atque aſpero ſolo & undique montibus incincto. Prima illius ædificia ſtructa fuerunt in clivis montis *Sacſahuaman* qui jacet inter ortum & Arctum à civitate, in cujus faſtigio ſive vertice Yngæ moliti ſunt mirabilem illam Arcem de qua poſt. Civitas autem diviſa eſt in duas partes, *Hanam Cuſco*, id eſt, ſuperiorem, & *Hurin Cuſco*, id eſt, inferiorem, per ſemitam *Antiſuyo* quæ ducit ad orientaliores provincias, ita ut illa pars ad ſeptentriones vergeret, hæc ad Meridiem. Principalis regio Civitatis appellabatur *Collcampata*, in qua *Mancocapac* palatium ſuum exſtruxerat: altera huic ad ortum vicina *Cantutpata*: & tertia *Pumacurcu*: quam excipit quarta & maxima *Tococachi*; deinceps verſus meridiem *Munaycenca*, & ad eandem plagam *Rimacpampa* in cujus medio area erat in qua præcones Regis mandata proclamabant; & demum *Pumapchupan*. Mille autem aut circiter paſſus ab hac regione, urbis ſuburbium erat *Cayaucachi*; & magis ad occidentem alterum *Chaquillchaca*, per quam ſalit ſemita *Cuntiſuyo*. Ad arctum habuit *Pichu* & *Quillipatan*, utramque extra civitatem. Et paulo ulterius *Carmencam*, per hanc egreditur ſemita *Chinchaſuyo*: declinando autem ad ortum occurrit regio *Huacapuncu*, per quam ingreditur torrens qui ſecat principalem aream civitatis, & juxta illam trames latus & longus, qui ſeſquileucam extra civitatem ſe conjungit cum via regia *Collaſuyo*. A *Sacſahuaman* itidem deſcendit tenuis rivus; ſecundum quem

Garcil. l.7. c.8.

ſemita

ſemita *S. Auguſtini* urbem permeat ab Arcto ad Auſtrum,uſq; ad *Rimacpampam*. Tres præterea aut quatuor calles dividunt ampliſſimum illud ſpatium inter ſemitam illam & rivulum; ubi olim ſolebant habitare omnes è regia proſapia, ſecundum ſuas *Ayllus*, ut vocabant,id eſt,gradus,quum totam regiam familiam appellarēt *Capac-Ayllu*. Porro ſecundum ſemitam *S. Auguſtini* ſitus eſt conventus *S. Claræ:* item domus Epiſcopi;& imprimis Eccleſia Cathedralis quæ exit in Aream principalem. Forum principale dicebatur *Haucaypata*, patens in longitudinem inter arctum & auſtrum paſſus quadringentos:& in latitudinem inter ortum & occaſum centum quinquaginta. Atque hæc quidem ædificia & loca ab eo torrente pertinent ad ortum ; ad occidentem primo jacet area *Cuſſipata*,quam hodie vocant *de Nueſtra Sennora de las Mercedes*; & ita porro alia ædificia.

Garcilaſſ. l.7. c.27.

Diximus ſupra,*Yngas* munitiſſimam arcem molitos fuiſſe in vertice montis *Sacſahuaman*, cujus licet hodie bona pars collapſa ſit, ſatis tamen apparet ſtupendum opus fuiſſe;nam murus illius congeſtus eſt è tam ingentibus ſaxis, ut vix cogitatione quiſquam aſſequi poſſit, quo modo barbari omnium ferramentorum indigi, tanta ſaxa potuerint excidere ; aut ſine jumentorum , carrorum aut ſimilium machinarum ope ſex aut decem & nonnunquam plures leucas deducere, & quidem trans flumina ſatis vaſta, aut denique ſaxa mole & forma inter ſe minime congruentia, tamen ita inter ſe ſine ulla calce aut cemento aptare. Nam quum Arx hæc ſtructa ſit in vertice montis qui civitati imminet ab Arcto, & ab hac parte ad perpendiculum præruptus eſt, hic tantum murum eduxerunt è grandibus ſaxis magna induſtria connexis,& politis, ducentas aut circiter orgyas longum; diverſa autem parte,ubi mons leni clivo aſcendit, tres muros ſtruxerunt, æqualibus intervallis, qui ſemilunari forma cum priore muro conjunguntur ; extimus autem factus erat è grandioribus ſaxis & ita porro, quorum ſingula ita reliquerunt uti nata erant, niſi quod concava, aliis convexis implerent, & quatuor veluti digitis conſererent: In medio uniuſcujuſque horum murorum porta erat, quam uno ingenti ſaxo concludere poterant; primam & extimam portam vocabant *Tiupuncu (Puncu* ſonat portam , *Tiu* arenam) quia mons ea parte arenoſus eſt: Secundam *Acahuana Puncu* ab Architecti nomine. Tertiam *Viracocha Puncu* ab Idoli ſui aut Principis nomine: inter ſingulos muros intervallum erat viginti quinque aut triginta pedum, terra aut arena aggeſtum, uſque ad faſtigium, ſinguli autem habebant loricam ſive antimurale ulnam unam altum. Intra muros area erat, & in illa tres turres ſive caſtella, in triangulo diſpoſita; quorum medium & principale vocabant *Moyoc Marca*, id eſt, caſtellum rotundum à formâ; in quo fons erat limpidus, è longinquo ſub terra huc deductus: in hoc caſtello regis erat domicilium,parietibus auro atque argento obductis, variiſque animalium formis ad tapeti modum variegatis: Secundum *Paucar marca*, & tertium *Sacllac marca*; utrumque quadratum: in quibus plurima erant conclavia in uſum præſidiariorum. Ab uno autem caſtello ad alterum ibatur per cavernas ſubterraneas, in quibus & plurimæ erant portæ & varii flexus atque reflexus inſtar labirynthi. Quid multa; opus tam ſtupendum erat, ut magis à dæmoniis quam hominibus factum crederetur. Hiſpani mirabilem hanc ſtructuram mirum in modum deformarunt, plurimis ſaxis ad ædificia intra civitatem traductis, ita ut hodie tantum muri qui ambiebant ſuperſint, quorum ſaxa adeo ſunt grandia ut ea amoliri minime potuerint. Sed de hiſce antiquitatibus Peruvianorum hactenus.

Plateæ hujus civitatis longæ, ſed anguſtæ; ædes lapideæ & è vivis ſaxis magnæ molis induſtriè concinnatæ: multa hic erant ædificia regia; & imprimis Templum Soli dedicatum, longe ſumtuoſiſſimum, quod vocabant *Curiacanchen*; auro atque argento locupletiſſimum, cujus fundamentis hodie inædificatum cernitur monaſterium *S. Dominici* longe famoſiſſimum, nec ullum in tota hac Americæ parte oppidum inventum, quod aliquam urbis formam haberet præter hoc: cæterum omnium oppidorum Peruviæ longe opulentiſſimum fuiſſe, haud mirum debet videri, quum omnis auri atque argenti gaza ex diverſis & longe diſſitis provinciis ad hanc regiam ſedem deduceretur: multæ hodieque caveæ & ſubterraneæ cellæ viſuntur, in quibus immenſum auri atque argenti pondus à multis annis depoſitum Hiſpani repererunt.

Quatuor ſunt hodie in urbe templa quatuorque monaſteria ordinum mendicantium, collegiumque Societatis: Et Hoſpitalia aliquot, inter quæ unum Indigenarum l.7.c.12. imprimis opulentum, de quo mira narrat *Garcilaſſus*. Aër licet hic frigidior ſit, tamen longe ſaluberrimus: Annonæ atque omnium rerum quæ ad vitam humanam neceſſariæ ſunt, ſumma abundantia: Hiſpani autem qui hoc oppidum incolunt, poſſident plures barbaros vectigales (*Encomiendas* vocant ipſi) quam uſquam alibi in tota Peruvia. Suburbanus ager & valles vicinæ non modo herbarum & florum amœna varietate ſpectabiles, ſed & fructiferarum arborum tam domeſticarum quam peregrinarum copia delectabiles. Super rivum qui oppidum dividit aliquot molæ conſtructæ in uſum oppidanorum: in medio denique urbis fons ſcaturit, cujus aquæ in optimum & candidiſſimum ſalem coagulantur, è quo alibi maximus queſtus fieri poſſet, hic ob copiam vilior eſt. Quatuor denique ab urbe leucis Lapicidinæ ſunt, è quibus oppidani ſibi lapides petunt ad ſtructuras. Accepi à quodam qui haud ita nuper viderat, habitare in hac urbe circiter tria millia Hiſpanorum, & decem millia barbarorum: Regi autem à Corregidore, ut vocant, magni imprimis nominis: Et Epiſcopatum habere, olim quidem longe opulentiſſimum, ſed qui hodie, poſtquam *Guamangenſis* & *Arequipenſis*, Epiſcopatus ſunt inſtituti, tantum quotannis percipiat viginti millia ducatorum. Continet præterea in ſua Diœceſi octo aut decem *Corregiementos*, ut vocant, quę ſunt præfecturę admodum queſtuoſæ, ita ut inter eas ſit, quæ triennio valeat centum millia ducat.; conferuntur autem omnes à Pro-Rege.

Toyma. Ad oppidi hujus diſtrictum pertinet vallis *Toyma*, pluresque aliæ in quibus *Coca* illa tantopere barbaris dilecta, infinita carpitur copia: plura hic indicia venarum auri, argenti, hydrargyri: Indigenarum centum millia, qui Hiſpanis tributum & operam pendunt, ut *Herrera* ſcriptum reliquit.

Yucay. Vallis *Yucay* abeſt ab urbe quatuor leucas ut ſcribit *Garcilaſſus*, verſus aquilonem; inter arduos montes veluti concluſa & ab eiſdem adverſus omnes aëris injurias tam inſigniter munita, ut temperatiſſima & ſaluberrima merito æſtimetur: & Cuſcenſes proceres ſæpe deliberaverint oppidanos ad hanc vallem traducere: plurimi in illa horti & viridaria; Ingæ hic olim ſeceſſum ſuum habuerunt, plurimaque ædificia imprimis magnifica, quorum veſtigia hodieque apparent, præſertim in *Tambo* tres infra hanc vallem leucas, inter duos editos montes, ad ripam torrentis, qui è montibus deſcendit. Licet autem vallis ipſa tam egregie ſit temperata, tamen cacumina montium quibus cingitur, multa candent nive, omnibus fere anni menſibus. Ingæ in eadem valle arcem habuere à natura ita munitam ut à paucis contra ingentem multitudinem defendi poſſet: erat enim edito ſcopulo ſuperſtructa, & duriſſimis petris in ambitu veluti vallo cincta, & à ſummo clivo ad imas radices, pluribus ejuſmodi petrarum ordinibus per intervalla circumdata, è quibus leonum aliarumque ferarum effigies exciſæ erant, diverſa arma ungulis tenentium: ſinguli autem petrarum ordines areas includebant ad ſementem faciendam comparatas; parietes denique Palatii ab una parte bitumine quodam cementati erant, è quo aureus pulvis emicabat. Habet hæc vallis ad ortum quidem editiſſima montium juga, quæ pars ſive ramentum Andium creduntur; de quibus plures torrentes deſcendunt; ad occaſum autem montes editos quidem, ſed leniter declives, ad quorum radices labitur amnis *Yucay* placido alveo. Hiſpani hodieque maximi faciunt hanc vallem & ſumma induſtria excolunt illius agros, in quibus plurimas Sacchari cannas jam conſeverunt: Creduntque Cuſcenſes male cum oppidanis actum, qui non aliquid terrarum in hac poſſident: Denique ægros ſuos huc ſolent traducere ut facilius & citius convaleſcant.

Verſus occaſum & mare Auſtrale habet hæc civitas *Cumbibilcas*, quæ eſt provincia ut ſcribit *Garcilaſſus*, viginti leucas longa & ſupra decem lata: *Vbinas*, *Aymeraes*, alioſque populos, quorum aliqui ſuperioribus ſeculis ſtrenui fuere bellatores & pecoris divites, quod ob paſcuorum bonitatem hic admodum proficiebat: in fluviis quoque qui *Aymeraum* provinciam ſecant, multa auri ramenta olim inventa. In *Pomatambo* autem & vicinis pagis, elegantiſſima texuntur aulea ob lanæ tenuitatem & tincturarum quæ ibidem reperiuntur exquiſitam varietatem juxta ac bonitatem.

Ad ortum & verſus Andes habet vallem *Vilcabambam*, ubi in regione montoſa atque aſpera,

aſpera, Hiſpani condiderunt oppidum *S. Franciſci de la Vittoria*, inter ipſa Andium juga, viginti pene leucis ab urbe *Cuſco:* quæ præfectum accipit à Peruviæ Pro-Rege Epiſcopum autem agnoſcit Cuſcenſem. Tredecim autem leucis ab urbe directè verſus ortum labitur amnis *Paucar tampu*, ut vocat *Garcilaſſus*. S.Franciſcus de la Vittoria. l. 3. c. 17.

Ad Eurum & quidem quadraginta leucas ab urbe Cuſco, habet *Caravayam*, ſive ut *Garcilaſſus* vocat *Callavayam*, vallem, inter aſperrimos montes ſitam, in quo reperiuntur famoſiſſimæ fodinæ auri longe abſolutiſſimi, (viginti quatuor aut viginti trium & ſemis ceratiorum ut loquuntur metallici,) quod magnis interdum ramentis eruitur: narrat *Garcilaſſus* anno cIↃ IↃ LVI hic ſaxum erutum, ex eorum genere, quæ metalli venis annaſcuntur, mole capitis humani, colore pulmonis, atque adeo forma non multum abludens, multis poris & foraminibus pervium, quibus auri ramenta inerant acuminata, quorum quædam extabant, alia intus concludebantur: judicabant metallici futurum fuiſſe ut totum ſaxum in aurum converteretur, niſi ante tempus fuiſſet exemtum è terræ venis. Hiſpani juxta has fodinas condiderunt oppidum ſeu municipium *S. Ioannis del Oro*. quod *Herrera* ſcribit, octuaginta leucas diſtare ab urbe *Cuſco*, haud dubio falſus, nam *Garcilaſſus* & qui nuper viderat, conſtanter ab urbe ad vallem *Caravayam* deſignant tantum quadraginta. Caravaya. l. 8. c. 24.

Cap. XXXI.

Itinera trans Andes ad varias provincias quæ nondum ſatis ſunt cognitæ, & expeditiones aliquot Hiſpanorum.

QUIA ultra vaſta Andium juga, cõplures provincias jacere fama erat, (quarum quædam jam ab Hiſpanis habitantur) argenti divites & imprimis amœnas; diverſa itinera quæſiverunt & aperuerunt Hiſpani, quibus in eaſdem penetrarent: Quatuor autem enumerat *Herrera*, quæ omnes inter *Opotari* & *Cochabambam*, ſpatio ſeptuaginta leucarum, inter Arctum & Auſtrum, comprehenduntur. Eorum primum vocant *Opotari*, tredecim ab Æquatore gradibus verſus Auſtrum, per Andium juga, quæ peculiari nomine appellant *Tono*, XXX leucis vel ut ſcribit *Garcilaſſus* viginti & ſex ab urbe Cuſco: iter autem inſtituitur ad hunc modum: ab oppido Cuſco ad vallem *Paqual* leucas decem: à *Paqual* ad Andium radices, quinque; ad ſummum *Toni* Jugum & ab eo ad flumen *Opotari*, tres, ubi quondam pagus indigenarum fuit, valde frequens: deinceps per denſa nemora, editiſſimos montes & præcipites petras, difficillimo atque impeditiſſimo itinere proceditur ad provinciam *Abyſcam*, in qua plures calidiores & commeatu abundantes valles reperiuntur, quæ à ſolitudine pene invia clauduntur. Scribit *Garcilaſſus*, *Yncam Yupanqui* primum tentaſſe per Andes pervadere in provincias tranſmontanas, de quarum divitiis multa acceperat; præſertim de unâ quam barbari vocabant *Muſu*, Hiſpani hodie *Moxos*; perſuaſiſſe autem ſibi facillime ad eas perveniri poſſe ſecundo flumine *Amarumayu*, quod ad ortum à *Cuſco* è compluribus fluviis in unum alveum colligitur, & fluere creditur verſus Oceanum Septemtrionalem; nomen accepit ab angue, quem vocant *Amaru*; *Mayu* enim ipſis ſonat amnem. In hunc finem plures rates paraſſe è materie arboris, quam Hiſpani vocant *Higuera* (non quod ſit ficus, ſed quod lignum illius ſit leviſſimum:) quibus ſecundo flumine *Amarumayo*, dimiſerit plures duces è regia proſapia; qui non ſine variis conflictibus, cum indigenis, qui dicebantur *Chunchu*, (à quorum nomine & flumen ſæpe appellatur) iiſque ſubjugatis pervenerint ad provinciam *Muſu*, ducentas, ut opinantur, leucas à *Cuſco*; ibique conſederint & indigenis permiſti hodieq; habitent. d. 6. l. 6. c. 2. Tono. Paqual. Abiſca. l. 7. c. 13. Moxos.

Secundum iter agitur per *Caravayæ* fines, ſecundum *Sandiam* & oppidum *S. Ioannis del Oro*, triginta circiter leucis à priori verſus Auſtrum: per quod Hiſpani ſæpius jam ab anno cIↃ IↃ XXXVIII conati ſunt penetrare in provincias ditiſſimas, quarum obſcura fama ad ipſos pervenerat. Eo enim anno, *Petrus Anzurez*, quum per *Caravayam* in *Zamæ* provinciam non ſine ſumma moleſtia penetraſſet, aſperrima juga, niveos ſaltus & meram ſolitudinẽ offendit; iis tamen ſuperatis *Tacanam* provinciam intravit, & ſummo cum labore atq; diſcrimine pervenit ad flumen *Omopalcarum*, quod in Moxis oriri creditur ad radices Andium qua orientem ſpectant; & in Oceanum Septen- Omopalcæ.

Cheriobonæ. Marquires. trionalem deſcendere. Hinc per *Cheriobonarum* fines profectus, ratibus in adverſam fluminis ripam trajecit, illius accolis, quos *Marquires* vocant, acriter, ſed incaſſum repugnantibus: verum quum hic nihil præter ſolitudines & loca inviis ſilvis horrida offendiſſet, adverſo flumine aſcendere viſum, ut ita per *Moxos* & *Cochabambam* in *Chuquiabo* penetrarent: ſed poſt longos errores, pluribus, partim morbis, partim inedia abſumtis, ad *Tacamæ* provinciam, & denique *Ayaviren*, provinciæ *Collao* pagum redierunt.

Camata. Tertium iter tendit per *Camatam* octodecim aut viginti leucis à Sandia magis verſus Auſtrum.

Quartum denique per *Cochabambam* (de qua poſtea) ſeptemdecim ab Æquatore gradibus verſus Auſtrum, & tribus ſupra viginti leucis à *Camata*. Hanc Hiſpani vulgo vocant *la Entrada de los Moxos*, quia per hoc iter primum aditus ad has gentes fuit apertus.

l. 7. c.17. Narrat *Garcilaſſus* anno cIↃ IↃ LXIV *Didacum Alemanum*, oppidi *de la Paz* civem, cum Curaca quodam & duodecim Hiſpanis iter ſuſcepiſſe ad *Moxos*, quos perſuaſus fuerat ab hoc Curaca, multo auro abundare: profectum per *Cochabambam*, & poſtquam octo & viginti dies per montes & ſaltus ægre eſſet eluctatus, in conſpectu primi pagi provinciæ, quam quærebat, perveniſſe; atque inconſulto cum tam paucis in barbaros noctu impetum feciſſe; à quibus captus fuerit, pleriſque ſuorum cæſis, adeo ut tantum unus meſtiſus *Franciſcus Morenus* incolumis domum rediret. Ab hoc plures fuiſſe permotos ut eandem expeditionem ſuſciperent, & inter primos *Gomeſium de Tordoya*, impetrata prius venia à Pro-Rege Comite de Nieva, & mox ſuſpenſa, quia militum ſeditio, qui plures ſe illi conjunxerant, metuebatur. Anno dein cIↃ IↃ LXVI eadem venia conceſſa, à Pro-Rege Licentiato de Caſtro, *Gaſpari de Sotelo*; qui plures delectos milites coëgit, & ſocietatem iniit cum *Ynca Tupac amaru*, qui ſeceſſerat in *Vilcabambam*: propoſitum erat ipſis ratibus deſcendere flumen *Vilcabambam*; ſed & huic venia abrogata, & denuo conceſſa *Ioanni Alvarez Maldonato*. Qui ſupra ducentos & quinquaginta milites coëgit, & ſupra centum equos, quos magnis ratibus impoſitos flumen *Amarumayo* deduxit. *Tordoya* qui rem familiarem graviter apparatu ſuo afflixerat, ſibi injuriam factam queſtus, cum ſexaginta quos ægre adunaverat, invito licet Pro-Rege, expeditionem aggreditur, facto itinere per *Camatam*; & per aſperos montes & paludes eluctatus pervenit ad ripas *Amarumayo*; cognoſcenſque æmulum ſuum nondum adveniſſe, hic illum ſtatuit operiri. *Maldonatus* interim ſecundo flumine deſcendens, incidit in *Tordoyam*; & ſine mora acre prælium inter ipſos fuit commiſſum; pugnatum fortiter ab utraque parte tribus diebus; ita ut plerique ab utraque parte caderent, & reliqui inutiles bello fierent. *Chunchi*, in quorum provincia hæc gerebantur, hac occaſione utendum rati, faciunt impetum in reliquos, cæduntque omnes, atque inter eos ipſum *Tordoyam*: tres omnino ſuperſtites ab ipſis capti, *Maldonatus*, & frater *Didacus Martinus Luſitanus*, & *Simon Lopez* ſumma in bombardis concinnandis induſtria: quos tamen poſt duos annos in *Caravayam* reduxerunt.

Cap. XXXII.

Promontoria, ſinus, portus, flumina, atque ora omnis maritima Conventus Iuridici Limani.

ORA maritima hujus Conventus Juridici, ſumit exordium, ab Angulo ſive Promontorio *del Aguja*, ubi *Quitenſis* deſinit: Atque hic primum objacent Continenti Inſulæ luporum marinorum, vulgo *de Lobos Marinos*, ſeptem gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; quarum una abeſt quatuor leucis à Continente, altera paulo pluribus, (Angli collocant utramque ad altitudinem ſex graduum Auſtralium.) Ab his verſus eurum abeſt Inſula *S. Rochi*, è regione fluminis *Paſcamayo*. Noſtri Belgæ qui anno cIↃ IↃ XCIX hæc littora legerunt, inſulam obſervarunt ad altitudinem ſex graduum & triginta ſcrupulorum, in qua infinitam volucrum copiam invenerunt, quas vulgo vocant *Penguins*, & vitulorum marinorum;

S.Rocho.

rum; cæterum nec arbores neque quicquam herbidi ferentem, exterius quidem duriſſimis petris ſeptam, interius arenoſam; Angulo qui Eurum adſpicit duæ adjacent inſulæ vel potius ſcopuli, totidemque angulo qui ad Corum vergit.

Malabrigo.
Ad Continentem primo occurrit portus *Malabrigo*, adverſus incerta ventorum, quod nomen indicat, male munitus: *Richardo Hawkino* obſervatus ad altitudinem ſeptem graduum ab Æquatore verſus Auſtrum.

Decem à *Malabrigo* leucis, alia ſtatio aditur, quam vocant *el Arrecife de Trugillo*, à tempeſtatibus minus tuta, abeſt ab hac *Truxillo* oppidum intra Continentem leucas duas: quod tamen & alterum habere portum, *Guancacho* nomine, ſupra indicavimus. cap. xx.

Guanape.
Septem deinde leucas ſecundum orarum ductum provectis, occurrit *Guanape* portus, diſtans ab Æquatore verſus Auſtrum octo gradibus & viginti ſcrupula, ut *Petrus de Cieça* obſervat: in quo illum aut nonnihil falli, aut diſtantiam oportet eſſe majorem.

Santa.
Hinc ad Auſtrum provectis obvius fit *Santa* portus ad altitudinem novem graduum Auſtralium, juxta quem amnis exit in Oceanum; ora hæc humilis eſt, ſine montibus, arenoſa & ſcopulorum atque vadorum expers.

Ferrol.
A *Santa* portu ad *Ferrol* leucæ ſunt quinque, commodus quidem hic eſt portus & tutus, ſed neque aquationi neque lignationi opportunus.

Cazma.
Ab hoc ad *Cazmæ* portum, leucæ ſunt ſex; juxta hunc exit fluvius, è quo limpidiſſimæ aquæ peti poſſunt, & lignorum copia cædi, magno navigantium ſolatio. *Cieça* conſtituit ad altitudinem decem graduum. Hactenus pertinet ora ad Euro-auſtrum, uti à curioſis obſervatum invenio.

Guarmey.
A *Caſma* ad *Guarmey* leucas numerant octo, hîc quoque fluvius egreditur in Oceanum, cætera locus eſt ignobilior, & carbonum tantum copia notus, uti ab *Oliverio* noſtrate eſt obſervatum, quum mare Auſtrale enavigaret.

Barrãca.
A *Guarmey* ad *Barrancam* numerantur viginti leucæ, quam *Oliverius* ad altitudinem undecim graduum agnoſcit, & triticea meſſe teſtatur abundare. *Auguſtinus de Zarate* ſcribit illam diſtare à Lima quatuor & viginti leucas.

Gaura.
A *Baranca* ad *Gauræ* portum ſunt ſex leucæ, juxta hunc jacent ſalinæ, quas idem *Oliverius* duas à portu leucas, octodecim autem dirimit à Lima: Scribit autem ex Hiſpanorum relatione, ſalem hic in valle quadam reperiri, ad quam marini fluctus neutiquam penetrent, magnis & duriſſimis maſſis in tumulos erectum.

Farallones.
A *Gaura* ad *Farallones* leucas conſtituunt quatuor; hi ſcopuli objacent continenti longo intervallo: nam extimus octo leucis abeſſe dicitur verſus Africum.

Sequitur deinde *Callao* portus, de quo jam ante diximus; intermedio autem ſpacio, ſed propius ad *Callao*, jacet *Salmerina* vorticoſum vadum, novem aut decem leucis à Continenti Peruviæ. c.xxiii.

Guarco.
Ab inſula *Callao* ad promontorium *Guarco* colligunt viginti leucas, huic quoque objacet inſula parva luporum marinorum: Ab hoc autem promontorio ad portum *Sangallæ* leucas quindecim.

Sangallã.
Portus hic tutiſſimus eſt & opportuniſſimus, diſtans ab Æquatore quatuordecim gradus aut circiter: adjacet modica Inſula *de Lobos* & ſeptem octove aliæ minores, partim humiles, partim editæ, omnes autem potabilium aquarum indigæ, nec arbores neque quicquam herbidi ſortitæ, phocarum tantum ſtatio & littoralium volucrum.

la Naſca.
Alia deinde modica inſula occurrit, & ipſa nomen à lupis marinis ſortita, quatuordecim gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore: à qua ad *la Naſcæ* promontorium, (quatuordecim gradibus & quinque ſupra quadraginta ſcrupulis ab Æquatore) duodecim numerantur leucæ: Hic ſtatio quidem navibus bene fida habetur, ſed difficilis ad littus appulſus, oceano hic ingentes fluctus ad terram agente, qui ſcaphas evertunt nonnunquam.

S. Nicolas. Hacari.
Sequitur deinceps promontorium *S. Nicolai*, quindecim gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum; à quo ad *Hacari* portum, duodecim conſtituunt leucas, ſedecim gradibus ab Æquatore. Hic qui hoc mare navigant annonæ gratia ſolent appellere, quam vicina vallis liberaliſſimè ſubminiſtrat.

 Hinc

Oconna. Hinc provectos excipit fluvius *Oconnæ* & modico intervallo *Camanæ* amnis, & denique *Quilca*; quemadmodum *Petrus de Cieça* hanc oram deſcripſit. *Oliverius* autem à *Noort*, Belga, *Naſcæ* adjungit tutiſſimum portum *S. Nicolai*, ubi præſtantiſſima totius Peruviæ vina in naves accipiantur.

S. Laurens. *Quilcæ* autem vallis projicit in altum Promontorium *S. Laurentii*, pone quod fluvius, anguſto ore & inter editos montes veluti concluſo; portum pandit *Arequipæ* (de qua mox) ſeptendecim gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum.

Chuli. A *Quilca* ad *Chuli* inſulam, perexiguo quidem, ſed ſatis alto freto à Continenti diviſam, duodecim numerantur leucæ; & ab hac ad flumen *Tambopallam* (quod hodie ab Hiſpanis appellatur *Nombre de Dios*) duæ: Hic terminatur ora Conventus Juridici *Limani*, & incipit *Charcenſis*.

Ab Anglis atque Belgis noſtris, aliquoties obſervatum, hanc Peruviæ oram, inde à decimo tertio gradu & dimidio ab Æquatore verſus Auſtrum, ad decimum octavum uſque, ſenſim ad Eurum ſe ſubducere, licet *Cieça* aliique Hiſpani longe aliter prodiderint, quod non leves errores hactenus peperit in Tabulis Hydrographicis.

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER UNDECIMUS.

PERUVIÆ ſive CHARCÆ.

CAP. I.

Charcenſis *Conventus Juridici limites, cœli ſolique qualitates.*

TERTIUS Peruviani regni Conventus Juridicus, vulgo dicitur *de los Charcas*, vel etiam *de la Plata*, à nomine principalis harum provinciarum urbis: dividitur autem à *Limæ* Conventu, ſecus oram quidem Oceani Auſtralis, flumine *Tambopalla*, (de quo paulo ante) in mediterraneis autem extremis & ſeptentrionalioribus *Collao* provinciæ terminis. Patet in longitudinem à dictis finibus, ad *Copiapo* vallem, ubi *Chilenſe* regnum orditur, (xx ſeptem ab Æquatore gradibus) ſecundum rectam lineam trecentas leucas; (nam ſi orarum ductum aut viarum devia ſequaris, ſupra quadringentas reperies:) in latitudinem autem, ortum atque occaſum inter, ab Oceano Auſtrali, ad fluminis argentei provincias, indefinitum leucarum numerum. Complectitur enim Conventus Juridicus plurimas & vaſtas provincias extra Peruviam proprie dictam, *Sanctam Crucem de la Sierras*, *Tucumanam*, *Iurias* atque *Diagutas* populos, de quibus hic parcè, alibi plenius agemus: *Charcarum* autem provincia, de qua nobis potiſſimum propoſitum hic agere, longe anguſtioribus continetur terminis, neque ultra centum quinquaginta leucas patet in longitudinem, ab extremis Limani Conventus finibus, ad Potoſianarum argentifodinarum terminum auſtralem. Pleræque autem hujus Conventus provinciæ magis frigidæ ſunt quam calidæ: & æſtatis atque hyemis viciſſitudines hic fere diverſæ ſunt ab Europæis.

Solum maxima ſui parte minus fœcundum, & tritici atque aliarum frugum malignè admodum patiens; ſed paſcuis lætum, maxime in latiſſimis *Collao* provinciis, & ad oras *Titicacæ* lacus, qui magnam *Collao* partem occupat: & pecori imprimis bonum, quod hic & numeroſum eſt admodum, & tenuiſſimam geſtat lanam. Licet autem regio hæc frigidior ſit utplurimum; non tamen deſunt & calidiſſimæ fertiliſſimæque valles, altis montibus incinctæ: Magna autem hujus Conventus Juridici pars ſcatet ad miraculum argenti & aliorum metallorum venis, uti ad ſingulas provincias commodius dicetur.

Reperiuntur paſſim in hiſce provinciis apiculæ quædam quæ in ſpecubus ſubterraneis mellificant; mel autem eorum acidiuſculum eſt & fuſci coloris, quemadmodum & favi (quos barbari ſuo idiomate vocant *Leciguanas*,) qui & aridiores ſunt & magis ſimiles ſtramentis, quam Europæis favis.

Ex *Charcis* (inquit *Monardes*) advehuntur quædam radices, iridis radicibus valde ſimiles, ſed minores & ficulnei folii odore. Hiſpani qui Indias habitant, vocant *Contrayerva*, quaſi dicas Alexipharmacum, quoniam earum pulvis ex albo vino ſumtus, adverſus omne venenum, cujuſcunque tandem ſit generis, præſentiſſimum eſt remedium, (uno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione extinguitur) vomitione illud rejicere faciens, aut evacuans per ſudores. Ventris etiam pellit animalia.

Parent hæ provinciæ Peruviæ Pro-Regi, uti & cæteræ: Sunt tamen in iis duæ præfe-

præfecturæ quæ per Legatos adminiſtrantur, Charcenſis & Tucumana: & duo Epiſcopatus.

Denique in Charcenſi præfectura proprie dicta, (nam de Tucumana alibi dicetur) hæc oppida incoluntur ab Hiſpanis; Metropolis *la Plata*; *Nueſtra Sennora de la Paz*; *Oropeſa* & *Potoſia*: & aliquot municipia, *Chaqui*, *Porco*, *Arica*, *Arequipa*, *Miſque*, *Tarixa*, *Tomina*, *Lagunilla*, *Sicaſica*, &c. Quæ uti commodius à nobis deſcribantur, regiam viam repetemus, eamque ſequemur uti à *Cieça* monſtratur, ſingularumque provinciarum & oppidorum rationem habebimus ſuis locis, uti & ante fecimus.

Cap. II.

Via Regia ab oppido Cuſco *ad urbem* de la Paz: *provinciæ quæ adjacent & imprimis* Collao.

A Metropoli *Cuſcenſi* ad urbem *de la Paz* numerantur paulo plures aut pauciores quam octuaginta leucæ: iterque inſtituitur ad hunc modum.

A *Cuſco* ducit via regia (quæ ab indigenis dicitur *Collaſuyo*,) primo ad anguſtias *Mohinæ*, relicto ad lævam Palatio regio *Quiſpichance*. hæc via ingentibus ſaxis ſtrata eſt, per vaſtam Mohinæ paludem etiam muro utrimque coërcita: Mohinæ quondam ſplendida fuerunt ædificia, quorum hodie tantum rudera viſuntur; è quibus *Pizarrus* magnum auri atque argenti pondus rapuit, quum has provincias ſubjugaret. *Garcilaſſus* vocat *Muynam*, & ante memorat Salinas, leucam ab urbe, prœlio inter *Almagrum* & *Pizarrum* notatas.

Mohina.

Vrcos.

Sex porro à *Cuſco* leucis occurrit *Vrcòs*, antiquus pagus, & quondam regio palatio quod in vertice montis extructum erat, nobilis.

Quiquixana.

Ab *Vrcos* ad *Quiquixanam* (ſive ut *Garcilaſſus* vocat *Quequeſanam*) ſunt tres leucæ, itinere aſpero atque montoſo: pene mediam ſecat fluvius *Yucay* ponte ſtratus, diſtat à Cuſco ut volunt novem leucas. *Cavinæ* populi incolunt hanc regionem, monticolæ, quique lapideas ſtruunt ædes.

Cavinæ.

Canches.

Cavinas excipiunt *Canches*, induſtria natio & placido ingenio minimeque doloſo, adhæc laborum patientiſſima, quos ſuperioribus annis in metallis exantlavit; pecudum denique Peruvianarum locuples. Ager ipſorum tritici & Mayzii fertilis, perdicibus aliiſque volucribus abundans: amnes ſupra modum piſcoſi.

Canæ.

Chiquana.

Canches ſequuntur *Canæ*, alia natio & à ſuperiore diverſa, quorum pagi ſunt *Hatuncana*, *Chiquana*, *Horuro*, *Cacha* & plures alii: in Cacha autem Reges magnificum habuere Palatium. In utraque provincia tam Canchium quam Canarum, nonnihil frigetur, licet omnis generis frugibus & pecoribus affluant. *Hatuncana* ſecundum *Herreram* deflectit nonnihil à regia via & diſtat ab *Ayabire* tantum duas leucas.

Ayavire.

A *Chiquana* ad *Ayabiren* iter eſt quindecim leucarum per plures Canarum pagos. *Ayavire* pagus olim uti & hodie multis ſplendidis ædificiis nobilis, præſertim monumentis defunctorum, quæ reliqua ædificia numero longe ſuperant: ſed incolæ illius, per Hiſpanorum bella civilia, pene funditus deleti: præterlabitur pagum amniculus cujus nomen non produnt. Credo hunc locum eſſe, quem Author meus qui has partes ſuperioribus annis peragravit, Hiſpanis dicit vocari *las Sepulturas*, ubi totius Peruviæ antiquiſſima viſuntur monumenta, & ſaxa ingentis molis, & tam eleganter polita, ut monſtro ſimile videatur barbaros ſine ferreis aut chalybeis inſtrumentis eadem ita potuiſſe polire, quod tamen attritu perfeciſſe ſatis conſtat.

Collæ.

Ab *Ayavire* incipiunt *Collæ*, qui maximam & frequentiſſimam regionem poſſident totius Peruviæ, ab hoc loco uſque ad *Caracallo*: habent autem fines ad ortum quidem vaſta Andium juga, ab occaſu autem montes nivales: qui duo montium ordines ab oppido Cuſco utrimque paulatim ſe deducunt & relinquunt in medio latiſſimam planitiem, quam vulgo vocant *El Collao*.

Parinacocha.

l. 3. c. 9.

Porro inter *Ayaviren* & mare pacificum ſeu plana Peruviæ, interjacet ingens ſolitudo, quam vocabant *Parinacocham*, triginta & duas leucas occupans, ut tradit *Herrera*: *Garcilaſſus* ſcribit *Cocha* Peruvianis ſignificare mare aut paludem lacumve, *Parihuana* eſſe volucres illas quas Hiſpani vocant Flamencos: barbaros autem id nomen dediſſe provinciæ grandi, fertili & amœnæ, atque auri diviti: alii contra ſcribunt, frigidam

frigidam eſſe regionem, & nivoſis montibus paſſim obſitam, vallibus item paludoſis & triſti uligine pene inviam: per quam tamen, atque per Lucanes populos ſemita aperta fuerit ad Naſcam vallem & Mare Auſtrale. Ab extremis hujus provinciæ finibus ad fodinas *Guallaripæ*, ſive ut *Garcilaſſus* vocat *Huallaripæ* ſedecim ſunt leucæ: à *Guallaripa* ad *Chuquingam* quatuor: eſt autem *Chuquinga* locus natura munitiſſimus Guallaripa.
& pene inacceſſus, quippe ad quem ducat trames anguſtiſſimus, & unius tantum hominis capax, trium leucarum ſpacio; claudunt ab uno latere altiſſimi montes, ab Chuquinga.
altero fluminis *Abancay* prærupta ripæ; quo fit ut valde ſit præceps. *Garcilaſſus* deſcribens expeditionem *Incæ Maytæ Capac* ad provincias *Conteſuyo* ſubjugandas, narrat l.3.c.9.10.
illum è *Chumpivillca*, ut vocat, profectum, primo obvium habuiſſe cænoſam paludem, per quam neceſſe fuerit iter ſilicibus ſternere, (quod hodieque manet, ſumma inter barbaros veneratione, quia ipſum *Yncam* una laboraſſe fama eſt) atque ita ingreſſum in provinciam *Alcam*, per anguſtias imprimis difficiles; atque in alias provincias *Tauriſinam, Cotahuacin, Pumatampu, Parihuana cocham*: è qua per deſertum *Coropunæ* venit in provinciam *Aruni*, & ita porro in *Collahuam*, quæ jungit fines cum valle *Arequipa*. Coropuna.
Idem deſcribens alteram expeditionem in eaſdem partes; narrat *Auqui Titu* cum copiis tranſiiſſe per pontem *Huaca chacam* in provincias *Cotapampam*, *Cotaneram* & *Huamanpalpam*; quarum duæ priores habitabantur à *Quechuis*. Inde tranſiiſſe flumen *Abancay*, ſive ut ille vocat *Amancay*, (cujus unum brachium deſcendat juxta *Chuquimcam*, duobus præliis Hiſpanorum nobilem;) & ingreſſum ſolitudines *Hualla ripæ*, aurifodinis quondam celebris, & triginta quinque leucarum itinere penetraſſe in vallem *Hacari*. Atque hæc per digreſſionem dicta ſunto, (nam hæ provinciæ ad Limanum pertinent conventum) regrediamur ad viam regiam & iter inſtitutum. l.3.c.12.

CAP. III.

Provinciæ Collao *particularior deſcriptio.*

TOTA regio *Collao* plana eſt, & crebris amnibus interſecta, paſcuis imprimis Collao.
læta, unde hic plures ſunt pecudum greges, quam in aliis Peruviæ provinciis; gramen æſtate haud ſecus quam in Hiſpania areſcit. Hyems illorum ab Octobri durat in Aprilem; magis hic alget, quam in ulla Peruviæ regione, ſi nivoſos montes excipias. Hujus cauſam comminiſcuntur hanc: quod planicies hæc editiſſima ſit inſtar montium; vento paulo vehementius flante, iter hic permoleſtum, ſed ſudo atque ſereno cœlo longe jucundiſſimum, ob amœniſſimam camporum faciem. Cœli autem frigiditate fit, ut neque Mayzii neque aliarum frugum ſatis fertile ſit ſolum, nec arboribus fœcundum. Annona ipſorum principalis, ſunt Papæ radices, quas ad ſolem ſiccatas in penuariis recondunt & vocant *Chunno*. Hiſpani harum radicum commercio, rem familiarem ſupra modum augent, maxima enim copia ducunt illas ad fodinas Potoſianas: hiſce ſuccedaneam habent alteram, quam vocant *Ocam*; nec *Quinua*, de qua alibi diximus, deſtituuntur. Tritico autem & Mayzio utuntur advectitio; quamquam ſunt qui utrumque etiam pluribus *Collao* regionibus naſci teſtentur. In eadem regione reperiuntur certa animalia, quæ vocant *Biſcachos*, quorum caro ſimilis eſt noſtratibus cuniculis; caudas habent oblongas inſtar ſciuri. Itemque certæ aves, mole ſturnorum, plumis alaudæ, ſed ſub ventre viridibus, longo roſtro atq; cauda, vocant *Pito*; ſolet autem roſtro ſuo petras excavare ut in iis niduletur: Sunt qui naturali induſtria certam herbam ad hoc opus adhibere narrent, quam propterea Hiſpani vocant *Ierva del Pito*; cui miras tribuunt vires, ad ferrum & duriſſima quæque perforanda. *Collæ*, (id barbarorum eſt gentile nomen,) ingenio ſunt ſatis promto & mediocri induſtria: nam & ante Hiſpanorum adventum Solis Lunæque curſus diſtinguere noverant, & annorum menſiumque rationes & numerum inire: Annum *Mari*, diem *Auro*, Lunam *Aleſpaquexe* appellantes.

Ab *Ayavire* ſecundum Regiæ viæ ductum ad *Pucaram* leucæ numerantur quatuor, Pucara.
Pucara, ut alibi jam notavimus, ipſis ſonat locum munitum; hodie hic tantum magnorum ædificiorum ruinæ, lapideaque viſuntur hominum ſimulacra: rariſſimi incolæ, quum locus ſuperiori ſeculo frequentiſſimus fuerit. Hic memorabili prœlio victus fuit *Franciſcus Hernandez de Giron*, de quo in Hiſtoriis Hiſpanorum.

A *Pucara*

Hatuncolla. A *Pucara* ad *Hatuncollam* leucæ colliguntur quindecim. Interjacent minores aliquot pagi, *Nicaſio, Sullaca,* alii: *Hatuncolla* caput gentis, nam *Hatun* Peruvianorum idiomate ſonat magnum; nunc tantum umbra illius, quod quondam fuit. Notandum autem ab *Ayavire* aut à *Chuncara* ut ſcribit *Garcilaſſus*, viam regiam Collaſuyo ſe diſpeſcere in duas ſemitas *Vmaſuyo* & *Orcoſuyo*, quæ *Lacum Titicacam* mediam complectuntur; quarum illa jacet ad ortum illius, hæc ad occaſum. Illa tendit ad pagos *Horuro*, *Aſſillo*, *Aſſangaro*, alioſque quamplures & pecore divites & annona abundantes. Haud procul ab hiſce in montana regione oritur fluvius *Caravayæ*, è quo magnam copiam abſolutiſſimi auri & olim hauſtam fuiſſe ferunt & quotidie hauriri; ſed provincia illa valetudine incolarum infamis habetur. Qui à Potoſia veniunt, poſtquam *Ayaviren* attigerint, iter flectunt ad dexteram ut *Caravayam* adeant.

Denique in provincia *Collao* (inquit *Monardes*) locus eſt prorſus nudus, in quo nulla arbor, nulla planta naſcitur, quoniam terra bituminoſa eſt, ex qua Indi liquorem eliciunt, ad plurimos morbos curandos utilem, hac ratione: Scindunt terram in ceſpites, quos loco Soli expoſito, ſupra perticas aut craſſiores arundines diſponunt & vaſa ad excipiendum liquorem apta ſubjiciunt: nam ſolis ardoribus liqueſcit hoc bitumen aut ſuccus terræ incluſus, remanentibus ceſpitibus ſiccis & ſine pingui aliquo humore, ad focum ſtruendum aptis, quia eo loco & ligna & alia ſtruendo igni idonea deſunt; is tamen ignis noxius eſt, ob denſam fumi nigredinem & tetrum quem exhalat odorem: nihilominus alterius materiæ penuria his ceſpitibus utuntur.

CAP. IV.

Maximi Lacus Titicacæ *deſcriptio.*

IN medio *Callao* ſitus eſt *Lacus*, omnium Americanorum, quorum quidem certa notitia ad nos pervenit, longe maximus atque latiſſimus, ad cujus ripas plerique harum provinciarum pagi aſſident; & in majoribus inſulis, quæ quamplurimæ in hoc ſparguntur, ſementem faciunt indigenæ, & pretioſiora quæque recondunt in iiſdem. In Juncetis autem atque arundinetis quamplurimæ nidulantur omnis generis volucres, præſertim paluſtres, interque eas grandes admodum anſeres. Ambit octuaginta aut plures leucas, tantæ quibuſdam in locis altitudinis ut ſeptuaginta aut octuaginta orgyas capiat; & ventis agitatus ingentes fluctus & æquoreis pares tollat, ita ut fretum quoddam videatur, licet circiter ſexaginta leucas abſit à Mari Auſtrali; deſcendunt in illum ab altis utrimque montibus plures amnes & infiniti pene rivuli. Dicitur vulgo *Titicaca*, *Gomaræ* autem *Tiquicaca*, quæ vox ſonat inſulam plumbi, ut *Tiqui* plumbum, quod in inſulis hujus lacus volunt reperiri. Caput illius
l.2.c.6. abeſt à Metropoli *Cuſco* leucas quadraginta. *Acoſta* deſcribit illum diligenter, quem audire operæprecium fuerit.

In hunc Lacum (inquit) ſupra decem deſcendunt juſtæ magnitudinis flumina, unum autem tantum habet emiſſarium, haud valde latum, verum ſupra modum altum, per quem aqua tam perniciter decurrit, ut pontem hic moliri lapideum aut ſublicium plane ſit impoſſibile, ne ratibus quidem aut cymbis trajici poſſe affirmant: verumtamen barbari mira induſtria pontem ſtramineum funibus utrique ripæ firmiter alligatum ſuperſtruxerunt, qui & levitate ſua facile ſuſtentatur & vinculorum tenacitate, nullo diſcrimine ab hominibus atque jumentis tranſitur. Triginta & quinque leucas patet in longitudinem Lacus, in latitudinem, qua maxime ſe pandit, quindecim; multæ in eo viſuntur Inſulæ, & cultæ olim & habitatæ, nunc vero vaſtæ & va-
Totora. cuæ: Juncorum quædam ſpecies in illo naſcitur, quam accolæ vocant *Totoram*; hiſce ad quamplurima utuntur, nam & in cibis uſurpant barbari; iiſdem & porcos ſaginant, aluntque jumenta: integunt iiſdem tuguria ſua, conſuunt ex illis lintres, in-
Vri. ſtruunt focum, denique *Vri* adhibent pene ad omnia quæ vita humana flagitat. *Vri* (inquam) brutale hominum genus, & vix quicquam humani præter formam ſortiti, qui olim junceta Lacus incolebant, & ſuper juncos ratium in modum connexos per Lacum fluitabant & à fluctibus nunc in hanc nunc in illam impellebantur partem.
l.3.c.16. Aqua hujus Lacus (inquit idem) neque penitus amara aut ſalſa eſt inſtar maris, turbida

bida tamen & craſſa & potari prorſus inidonea. Duas ſpecies piſcium nutrit, quorum primam vocant indigenæ *Suchos*, qui majores ſunt & ſaporis neutiquam ingrati, ſed phlegmatici atque inſalubres: alteræ ab Hiſpanis *Bogæ*, multo ſalubriores, licet minores & pluribus oſſibus prædici. Scribit *Garcilaſſus* ab his multum diverſa; *Suchos* l.8.c.22. admodum pingues eſſe, ita ut non alia pinguedine ad friendos opus ſit; Bogas, minutos eſſe, mala forma & pejore ſapore. Nutrit præterea paluſtres aves pene infinitas, anſeres, anates & ſimiles. Quum accolæ hoſpitibus ſuis, qui ſecundum utramque Lacus ripam iter agunt, gratificari volunt, plurimas rates, quas vocant *Balſas*, contrahunt in unum, iiſque anſeres & anates in ambitu veluti indagine cingunt, donec eaſdem manu capiant. Poſtquam autem emiſſarium pene quinquaginta leucarum iter deſcenderit, alterum ſed minorem facit Lacum, quem vocant *Pariam* vel *de Aulagis*, multæ hic quoque viſuntur inſulæ, nullum autem emiſſarium, ita ut multis perſuaſum ſit, hunc Lacum per occultos terræ meatus, in Auſtralem Oceanum ſeſe exonerare, idque eo potiſſimum argumento, quod fluvius quidam, haud procul hinc in mare exeat, cujus fontes ignorantur. Ager qui Lacum majorem ambit, pecore abundat, maxime autem ſuibus, ob Totoræ copiam, qua pecus hoc mirum in modum delectatur atque pingueſcit.

Cap. V.

Reliquæ provinciæ Collao *ſecundum Regiam viam quæ ducit à* Cuſco *ad oppidum* de la Paz: Chiquito *provincia &* Nueſtra Sennora de la Paz *in* Chuquiabo.

AB Hatuncolla ducit via Regia per *Paucarcollam* & reliquos Collarum pagos ad Provinciam *Chiquito*, vel ut *Garcil.* vocat, *Chucuytu*; quæ frequentiſſima eſt omnium harum regionum & amœniſſima: pagi qui hic viſuntur ſunt ſequentes: primo *Xuli* ſive *Zule*, locus frequentiſſimus, adeo ut author quem jam crebro citavi, Xuli. affirmet, ibidem habitare triginta millia barbarorum; & patres Societatis hic tres habere ſcholas, & immenſis opibus affluere. Dein *Chilane*, *Acos*; tum *Pomata* itidem Pomata. frequens & opulentus pagus: *Cepita* denique juxta emiſſarium Lacus, à quo & nomen meruit. Ingæ hic quondam ſuos habuerunt publicanos qui portorium exigebant ab iis qui ſtramineum pontem tranſibant. Incolæ abundant pecore, præſertim hiſce regionibus domeſtico; in pleriſque pagis jam templa ſunt condita; indigenæque præſertim nobiliores avide amplectuntur religionem Chriſtianam.

Chiquito oppidum Hiſpanorum, diſtat à Metropoli Charcarum *la Plata* ſupra centum leucas verſus Corum; ad ripam Lacus Titicacæ: habet Præfectum (uti ab eo accepi qui nuper viderat) primæ dignationis, ubi ab ipſo Hiſpaniarum rege conſtituitur, eſt enim præfectura imprimis quæſtuoſa; nam quum ſtipendium annuum ſit decem millium, emolumenta illius ad quadraginta millia ducatorum putantur aſcendere: Epiſcopum Charcenſem agnoſcit urbs. Chiquito.

Haud procul à *Cepita* jacet *Quaqui* pagus, ubi Reges Peruviæ olim habuere Palatium, Hiſpani autem Templum & Scholam in qua barbarorum juventus, principiis religionis Chriſtianæ imbuitur. Quaqui.

Tiaguanaco ſive ut *Garcilaſſus* ſcribit, *Tiahuanaco* jacet trans dictum emiſſarium, Tiaguanaco. mediocris quidem pagus, ſed ſtupendis ædificiorum molibus viſendus: præter quas hic cernitur quidam collis, valido muro cinctus, ſupra quem duæ ſtatuæ humanæ ſunt collocatæ, è ſaxo tam eleganter cælatæ, ut à periciſſimis ſtatuariis merito videantur effictæ, præterea gigantea mole, & veſtibus oblongis, & velamentis capitum peregrinis, atque à conſuetudine vulgari Peruvianorum multum diverſis; juxta has ſtatuas videntur veſtigia antiquiſſimi ædificii, cujus hodie tantum parietes ſuperſunt, è prægrandibus ſaxis compoſiti, pluraque antiquitatis monumenta, ut jure antiquiſſimum totius Peruviæ municipium poſſit videri: à quibus populis ſit conditum in tanta antiquitatis ignorantia, deprehendi non poteſt. Scribit de hiſce antiquitatibus *Cieça* capit. CV: & *Garcilaſſus* lib. III. cap. I.

A *Tiaguanaco* ad *Viacham*, ſive ut *Garcilaſſus* vocat, *Huaycu* pagum ſecundum viam Viacham. regiam

regiam ſunt leucæ ſeptem. Prætereuntur autem ad ſiniſtram *Cacayavire*, *Caquingera* (*Garcilaſſo* ut opinor *Cauquicura*) *Mallama* & plures alii pagi. Haud longe hinc jacet

Guarina. planicies *Guarinæ* vel *Huarinæ* (ut ſcribit *Garcilaſſus*;) prœlio Hiſpanorum inter ſe memorabilis. Qui oppidum *de la Paz* petunt, hic paululum divertunt à Regia via ad Pagum *Laxam*, qui unius tantum diei itinere diſtat ab oppido illo.

la Paz. Oppidum *Nueſtra Sennora de la Paz*, quod & *Pueblo Neuvo* dicitur ab Hiſpanis, atque etiam *Chuquiabo* à provinciæ gentili nomine, ſitum eſt in medio *Collao*; à *Cuſco* centum ut *Herrera*, aut ut *Cieça* tradit circiter octuaginta leucas: ab oppido *de la Plata* octuaginta aut nonaginta; à *Lima* ducentas & viginti; à *Potoſia* octuaginta; ab *Oropeſa* in valle *Cochabamba* quinquaginta. Occupat modicam vallem inter editos montes, & aquarum ſcaturigine, & lignorum copia imprimis laudatam; aliqua hîc arva, in quibus Mayzii ſementem faciunt; & plures fructiferæ arbores: reliqua annona ex calidioribus vallibus & vicinis provinciis ſubvectatur: Labitur præter oppidum amniculus limpidus & potari pulcherrimus. Provinciam *Chuquiabo* ab Aurifodinis

d.8.l.5.c.3. nomen accepiſſe opinantur *Herrera* & *Chuquiabo* barbarorum lingua ſonare auri hæreditatem, ſed repugnat *Garcilaſſus* & interpretatur lanceam principalem. Cœlum hic frigidius & ſolum ſatis aridum: Pluit hic à Decembri ad Martium, ab Aprili autem ad Auguſtum friget & gelat interdum, ita ut herbæ atque arbores areſcant: September, October, November maxime ſudi & temperati; his menſibus germinant hic arbores uti in Hiſpania Martio. Venti hic haudquaquam graves & cœlum fere ſudum, aërque temperatus & ſalubris; præterquam frigidiſſimis menſibus, tum enim catharris & hypochondriorum doloribus hic laboratur. Oppidum ipſum ad radicem montis conditum, ut à ventorum injuria magis tutum eſſet; in profundam vallem & quæ vix dimidiam leucam ambit, deſpiciens. Plures habet fontes; paſcuaque longe optima: alit ager vites & ficus, aliaſque fructiferas arbores: menſe Januario incipiunt omnes fructus matureſcere; uvæ autem à medio Aprili ad exitum May.

Indigenæ hujus provinciæ mediocris ſunt induſtriæ, puſillanimes, & ut facillime quid addiſcunt, ita cito ejuſdem obliviſcuntur: utuntur jam veſtibus coluntq; Chriſtiana Sacra. Andes diſtant ab ipſorum finibus leucas decem. Præſtantiſſima hic dicuntur eſſe auri metalla, & ſalinæ quoque, quæ copiam ſalis vicinis provinciis magno compendio ſubminiſtrant.

Vallis *Caracato*, quæ ad provinciam hanc pertinet, longe optimas fert uvas, & harum regionum primas.

l.3.c.26. Anno cIↃ IↃ LXXXI (inquit *Acoſta*) mirabile quid accidit in hac provincia; bona quippe pars pagi *Angoango*, cujus incolæ habentur inſignes præſtigiatores, ex improviſo à vicino monte fuit obruta, ita ut multi mortales ſuffocarentur; terra autem decidua in modum aquæ effuſæ, ſpatio unius & dimidiæ leucæ ita procurrit, ut exiguum lacum totum oppleret, totaque via qua inceſſerat, ſpargeretur.

Cap. VI.

Viæ Regiæ Collaſuyo *progreſſus uſque ad oppidum* la Plata.

SUPERIORE Capite viam regiam ſequuti uſque ad *Viacham*, paululum ab illa divertimus ut oppidum *la Paz* in tranſitu ſalutaremus; nunc viam repetimus.

Hayo-Hayo. A *Viacha* tranſitur ad *Hayo-Hayum*, ubi *Yngæ* quondam Palatium habuerunt imprimis magnificum.

Siquiſica. A *Hayo-Hayo* ad *Siquiſicam* olim tantum pagum, nunc municipium ſatis frequens, poſtquam hic argenti venæ fuerunt inventæ ſatis opulentæ, uti accepi ab iis qui ſuperioribus annis hic fuerunt: diſtat à Potoſia ſex & ſexaginta leucas.

Caracollo. A *Siquiſica* ad *Caracollum* undecim numerant leucas, pagus eſt in patenti planicie ſitus haud longe ab ampliſſima provincia *Paria*. *Garcilaſſus* deſcribens quo pacto *Ynca Loque Ypanqui* has regiones *Collao* imperio ſuo adjunxerit, narrat illum ex *Pucara* profectum, primo adiiſſe *Paucarcollam* & *Hatuncollam*; atque inde *Chicuyto*; cujus præcipui pagi tum fuerint *Hillavi*, *Chulli*, *Pumata*, *Cipita*, alii. A quibus deflectens ad occidentem, adiit atque ſubjugavit provinciam *Hurin capam*: Subjungit deinceps

Incam

Incam Mayta Capac, veniſſe ad emiſſarium *Titicacæ* & illo ſuperato, primò imperio *Yncarum* adjunxiſſe *Tiahuanacu*, atque inde moviſſe in provinciam *Hatun pacaſſam*, eaque ſubjugata, veniſſe *Cacyaviren* atque hic ipſi ultro ſe ſubjecerunt tres grandes provinciæ, pecoris divites, & frequentes gente bellicoſa; nimirum *Cauquicura*, *Mallama* & *Huarina*. Deinceps miſiſſe duces ſuarum copiarum ab *Hatuncolla* verſus occidentem; qui ægre ſuperata ſolitudine *Hatunpuna*, quæ hic patet in latitudinem circiter triginta leucas, penetrarunt in provinciam *Cuchunam*, eoque deduxerunt duas colonias *Cuchunam* & *Moquehuam*, quæ diſtant à ſe invicem quinque leucas. Poſtilla idem Rex movens è *Pucara Omaſuyo*, (quæ eſt diverſa ab illa cujus ante meminimus) profectus eſt verſus ortum, ſubjugavitque provinciam *Llaricaſſam*, & mox *Sancavan*, quæ provinciæ ampliſſimæ erant: patebant enim in longitudinem quinquaginta leucas, in latitudinem partim triginta, partim viginti. Inde tranſiit in *Pacaſſam* cujus pars jam ante fuerat domita, rediitque ad viam Regiam quæ dicitur *Omaſuyo* juxta pagum qui hodieque dicitur *Huaychu* ſive *Viacha*. Et poſt acre certamen cum incolis ad ripas fluvii *Huaychu*, adjunxit imperio ſuo pagos omnes ab *Huaychu* ad *Callamarcam*, qui occupant triginta leucas verſus meridiem. Inde promovit quatuor & viginti leucas ad *Caracollo*, & ſubjugavit pagos omnes ad dextram & lævam à via Regia uſque ad lacum *Pariæ*.

Paria, uti diximus, ampliſſima eſt provincia, habens oppidulum ejuſdem nominis, diſtans à *Potoſia* ſexaginta aut circiter leucas, ad quam oppidani plurimos caſeos venum ducunt. Cæteri hujus provinciæ pagi, jacent ad ripam emiſſarii magni Lacus *Titicacæ*, aut paulum ab illo diſcreti, uti *Coponata* & alii. Ultra *Pariam* quoque varii incoluntur pagi *Pocoara*, *Macha*, *Caracara*, atque *Moromoro*. Sub Andibus autem plures populi degunt in diverſis provinciis, de quibus nihil ſingulare accepimus. Paria.

Cap. VII.

Urbis la Plata *ſive* Chuquiſacæ *deſcriptio; nec non minorum aliquot oppidorum.*

Metropolis hujus Conventus Juridici *la Plata*, diſtat ab Æquatore verſus Auſtrum gradus novemdecim ſecundum *Herreram* (in quo tamen & falli & ſui immemorem eſſe ſuſpicor, ſiquidem ipſe alio loco cum *Acoſta*, hanc ad eandem altitudinem collocat cum *Potoſia*) & duos ſupra ſeptuaginta gradus à Meridiano Toletano verſus Occidentem. In diſtantia ab urbe *Cuſco* variant authores, *Didacus Fernandez* numerat centum octuaginta leucas, *Herrera* centum & quinque ſupra ſeptuaginta; *Auguſtinus de Zarate* centum & quinquaginta. Provincia barbarorum lingua dicebatur *Chuquiſaca* (quod nomen etiam urbi non raro tribuunt ſcriptores Hiſpani:) Ager frugum fertilis, tritici atque hordei ferax, vitiumque & aliorum fructuum patiens. De cœli qualitatibus diverſa tradit *Herrera*, hîc enim temperiem aëris egregie laudat, *Cieçam* haud dubio authorem ſecutus, alibi autem contra (forte *Auguſtino de Zarate* credens) ſupra modum frigidum dicit, idque contra clymatis naturam: in quo haud dubio fallitur, nam *Acoſta* & diligens & idoneus Author, inter admiranda hujus regionis recenſet, quum *la Plata* & *Potoſia* ad eandem Poli altitudinem ſint conſtitutæ, & non ſupra octodecim leucarum intervallo diſcretæ; quod tamen ager *Potoſianus* ſupra modum frigidus, aridus atque infœcundus ſit; Platæ vero contra calidior, temperatus, fœcundus & amœniſſimus, quippe qui & fructus Hiſpanienſes benigne ferat. Porro in hoc oppido celebratur Conventus Juridicus totius provinciæ *Charcarum*, unde & incolis valde frequens eſt: hic & Cathedralis Eccleſia & aliquot monaſteria Dominicanorum, Franciſcanorum & aliorum ordinum viſuntur. (Epiſcopi reditus annui dicuntur eſſe octuaginta millia ducatorum.) Limites hujus Diœceſeos longe lateque patent, variiſque rigantur amnibus: antiqui indigenæ dicebantur *Charcæ* & *Carangues*, bellicoſæ gentes atque feroces. Peruviæ Monarchæ ſuperioribus ſeculis hîc multa mancipia occuparunt in metallis eruendis & eliquandis, imprimis è monte la Plata.

Parco ſive *Porco*; è quo ingentem illam argenti copiam, quam Hiſpani in Peruviæ theſauris repererunt, egeſtam ſatis liquet: Metalla hujus montis à *Pizarro* denuo ſunt tentata, antiquis cuniculis egeſtis & repurgatis; nec dubium eſt quotannis ducenta millia ducatorum egerere potuiſſe, ſi, ut cœperat, pertendiſſet. Plurima præterea hic ſunt metalla, atque adeo totam hanc regionem ditiſſimas argenti venas abſcondere, conſtans eſt fama, unde & urbi nomen inditum. In agro denique hujus oppidi, ſi *Herreram* audiamus, degunt in variis prædiis & villis, quas vocant *Chacaras*, Hiſpani ſupra octingentos: & in Diœceſi ſupra ſexaginta millia barbarorum vectigalium; qui in viginti novem portiones, *Repartiementos* vocant Hiſpani, ſunt diviſi: ita ut hujus oppidi atque agri incolæ divitiis atque omnium rerum opulentia cæteros Peruviæ incolas præcellant.

l.3.c.14. Tapacri. Ad hanc Diœceſin præter pagos jam ante enumeratos, pertinent *Totora. Tapacri* provincia (ut ſcribit *Garcilaſſus*) fertiliſſima, & indigenis frequens, & pecoris dives, patens in longitudinem viginti leucas, in latitudinem pluſquam duodecim. Notandum autem inter hanc provinciam & *Collao* interjacere vaſtam ſolitudinem, & circiter triginta leucas latam, in qua plurimæ reperiuntur ſcaturigines admodum ferventes; diſtat *Tapacri* octo leucas à *Cochabamba*. *Sipſipe* de qua nihil accepi. Cochabamba. *Cochabamba* vallis imprimis fertilis & tritici atque Mayzii ferax, paſcuiſque abundans: in qua Oropeſa. oppidulum à Pro-Rege *Franciſco Toletano* conditum *Oropeſæ* nomine, viginti leucis ab oppido *la Plata*, cujus incolæ agris colendis & pecuariæ gnaviter incumbentes magnum faciunt quæſtum: accepi ab iis qui hac iter habuerunt, diſtare à *Potoſia* ſecus viam quæ ducit ad *Cuſco*, leucas duas ſupra triginta: fruges autem ſuas & pecora potiſſimum ducere *Potoſiam*.

l.3.c.14. Scribit *Garcilaſſus*, in valle *Cochapampa*, ut ille effert, ob inſignem ubertatem ab Hiſpanis anno cIↃ IↃ LXV conditum fuiſſe oppidum *S. Petri de Cardenna*, quod an idem ſit cum *Oropeſa*, ambigo.

l.5.c.15. Præterea *los Carangues*; *Chayanta*, de qua *Garcilaſſus* ſcribit, à *Cochabamba* tranſiri in hanc provinciam per deſertum longe ſteriliſſimum, triginta pene leucarum, in quo nihil viſitur præter petras & præcipitia, & tribulis quo aculeos ferunt oblongos inſtar digiti humani & ita validos atque acutos, ut acuum & acicularum uſum ſuppleant; ſunt autem toti Americæ familiares: provinciam autem *Chayantam* patere in longitudinem leucas viginti, in latitudinem fere totidem.

Chaqui. *Chaqui* provincia, proprie *Charcarum*, in qua Hiſpani hodie oppidulum incolunt ejuſdem nominis, quatuor leucis à *Potoſia*; cœlum hic frigidius, ſed ager paſcuis lætus; unde oppidani hic potiſſimum pecuariæ dant operam.

Los Chicas populi, qui plures pagos incolunt.

Auguſtinus de Zarate addit his *Poconam*, quadraginta leucis à *la Plata* & Moxtoro. octuaginta à *Paria*. Alii quoque prope *Chicarum* regionem vallem *Moxotoro*, in qua plurima ſunt viridaria, & fructuum omnis generis, vini & Sacchari copia.

Chacomayo. Inter oppidum *de la Plata* & *Potoſiam* labuntur duo fluvii; quorum unus diſtat ab urbe circiter duas leucas, *Chacomayo* vocant Indigenæ, qui ponte ſublicio jungitur & plures agit molas. Alter *Pilcomayo* diſtat à *Potoſia* duodecim leucas, à *Plata* ſex, cujus ripæ lapideo ponte junguntur, quia pluviis menſibus intumeſcit, ut vado non poſſit tranſiri.

In hac regione nulli ſunt lupi, ſed alia ferocia animalia, quæ Hiſpani quidem vocant tigres, barbari autem *Ottorongos*, ſimilia ſunt leonibus pardis, mole vitulorum, quæ pecudes, atque adeo armenta atque jumenta dilaniant, nec abſtinent ab hominibus, ſi obvios habeant. Nec deſunt leones, ſed neutiquam tam feroces quam Africani, ita ut à canibus facile ſuperentur.

Circiter triginta leucis à *Chuquiſaca* verſus ortum, jacent tria oppidula, præſidia contra *Cheriguanas*, *Tomina*, *la Lagunilla*, & *Tarixa*; quæ plurimum tritici, Mayzii, fructuum variorum, Sacchari & ſimilium ferunt; quæ univerſa ad hanc urbem aut *Potoſiam* ſubvehunt.

Miſque. Præterea circiter quinque & viginti milliaria à *la Plata*, jacet oppidulum *Miſque* à quo

à quo multa vina ad *Potoſiam* ſubvectantur: intermedio itinere labitur fluvius quem Hiſpani vocant *de Condorillo*, octo quidem leucas à *la Plata*, ſeptemdecim autem à *Miſque*; ager hujus oppiduli & tritici fertilis & vitium tolerans.

Cap. VIII.

Urbs Potoſia *& opulentiſſimæ illius Argentifodinæ.*

IMPERIALIS (ut Hiſpani vulgo loquuntur) civitas *Potoſia*, ſita eſt ad altitudinem unius & viginti graduum & quadraginta ſcrupulorum ab Æquatore verſus Auſtrum, ut teſtatur *Acoſta*, quem ut accuratum ſcriptorem in hoc lubenter ſequimur, licet alii hanc magis ad æquatorem retrahant. Octodecim leucas ab oppido *la Plata*: octo à *Lacu Pariæ* ſive *de Aulagis*, denique ſexaginta ſupra centum à *Cuſco*, itinere ſatis expedito & per provincias incolis frequentes: octuaginta autem circiter ab *Arica* ad mare Auſtrale; denique à *Buenos Ayres* ad flumen Argenteum oppidum, ut plerique tradunt, trecentas & quinquaginta & plures, ut ſuo loco dicetur. Cives Hiſpanos numerat circiter ſex aut quatuor mille; & longe plures advenas: ingens enim hic eſt concurſus mercatorum, atque etiam otioſorum hominum qui tantum aleæ & voluptatibus dant operam. In ſuburbiis ac vicinis agris degunt utplurimum triginta aut plura millia barbarorum, qui in metallis occupantur, & etiam è valde longinquis provinciis adveniunt,ut Hiſpanis hanc ſervitutem ſerviant. Regitur à ſuis magiſtratibus; quorum caput eſt Præfectus,Hiſpanis *Corregidor*, quem Rex Hiſpaniarum mittit ad triennium, cujus annuum ſtipendium alii ſcribunt eſſe tria millia ducatorum quotannis, alii decem millium, nam emolumenta immenſa ſunt. Cœnobia monachorum hic plura ſunt & opulentiſſima, nec deeſt collegium Societatis, & monialium conventus. Licet autem ager ſit frigidiſſimus & valde ſterilis, quippe qui nullas fruges ferat, præter avenam, quæ tamen raro matureſcit, ſed fere ſecatur inſtar fœni ut jumentis ſerviat: tamen hic omnium rerum ſumma eſt copia, nihilque deeſt non modo ad neceſſitatem ſed & ad voluptatem.

Famoſiſſimum autem montem deſcribit *Acoſta* ad hunc modum: Celeberrimus *Potoſi* mons ſitus eſt ad altitudinem unius & viginti graduum & quadraginta ſcrupulorum, intra Tropicum Capricorni, & in torridæ Zonæ pene extremo; nihilo tamen ſecius, regio hæc longe frigidior eſt, quàm Belgium, ne dicam Hiſpania; quum pro ratione clymatis calidam vel ſaltem temperatam eſſe oporteret; in cauſa eſt Soli altitudo & frigidorum atque tempeſtuoſorum ventorum fere continuus flatus; præcipue illius quem hic vocant *Tomohavi*, longe frigidiſſimi, qui hic Maio, Junio, Julio atque Auguſto regnat. Solum in ambitu aridum, frigidum, inamœnum, ſquallens & non modo frugum, ſed graminis quoque & herbarum infœcundum, ita ut per ſe inhabitabile ſit: verum argenti ſitis non modo hunc locum totius Peruviæ frequentiſſimum, ſed & omnibus rebus affluentiſſimum fecit: nam licet vicina regio etiam neceſſariorum indiga ſit, omniaque è longinquis provinciis ſubvehere neceſſarium ſit, tamen fora venalium, nunquam non omnimodis fructibus, cupediis, optimis vinis, pannis ſericis, aliiſque rebus omnibus & ad ornatum & ad voluptatem neceſſariis ad miraculum ſunt plena. Mons Potoſi eminet ſupra vicinos, tentorii aut panis Sacchari in modum, colore obſcure rubenti, jucundo aſpectu; aſcenſu per ſe difficilis, licet jam equis quoque aſcendatur: radices illius occupant unam leucam; vertex deſinit in conum, à quo ad imas radices mille ſexcentæ & viginti quatuor decempedæ numerantur, quæ ad menſuram Hiſpanicam revocatæ quartam leucæ partem conſtituunt. Hujus radicibus adhæret ramentum montis, quod à majori oritur, ubi quondam argenti maſſæ veluti in loculis quibuſdam & ſolutæ extra venas fuerunt repertæ, ditiſſimæ quidem, ſed paucæ: Ramentum hoc vocant barbarorum lingua *Potoſi guaynam*, id eſt, minorem; ab hujus declivi incipiunt Hiſpanorum & barbarorũ ædificia, quæ pene duas leucas ambitu ſuo complectuntur, ita ut hoc oppidum totius Peruviæ ſit ampliſſimum. Metalla hæc ignorata fuerunt Peruviæ Monarchis, & duodecimo demum anno poſt Hiſpanorum in Peruviam ingreſſum, caſu à barbaro quodam inventa: Anno autem cIɔ Iɔ XLV duæ fodinæ à *Villaroele* Hiſpano & *Guanca* barbaro primum inchoatæ, quarum una

Rica, altera vena *Didaci Centeni* dicitur: paulo poſt & tertia quam ob duritiam pene ſiliciam vocant *del Eſtanno*; denique menſe Auguſto ejuſdem anni quarta, quam *Mendietam* appellant. Atque hæ quatuor præcipuæ hujus montis fodinæ. De prima quam divitem diximus appellari, narrant, argenti venam lanceæ altitudine ſupra terræ ſuperficiem inſtar criſtæ galli gallinacei protuberaſſe, longitudine trecentorum pedum & latitudine tredecim, opinanturque ita à diluvii tempore nudam relictam, ob inſignem duritiem nihil à fluctibus paſſam. Tanta autem hujus metalli opulentia erat, ut dimidia pene pars purum putum eſſet argentum, idque ad quinquaginta aut ſexaginta orgyas in profundum, ubi nonnihil mutari cœpit. Divitiæ famoſiſſimarum totius orbis fodinarum, quarum quidem veteres ſcriptores meminerunt, cum hujus opulentia nequaquam comparandæ: nam & libri regii loquuntur & ſenes fide digni teſtantur, quum Licentiatus Polus hic præſideret, pluribus annis poſt primam inventionem jam exactis, ſingulis Sabbathi diebus, ad ipſum adferri ſolita, ut quinta Regis portio deduceretur, centum quinquaginta & interdum ducenta millia pezorum (quorum ſinguli valent octo regales Hiſpanienſes) ita ut hæ fodinæ triginta ad minimum millia ſubminiſtrarent in ſingulos dies: nec tamen omne argentum, & forte ne dimidia quidem pars ad Præfectum fuit allata: Uſitatum namque in Peruvia argento ſignato (quod vocant *Corriente*) quo in commerciis utuntur, quintam non deducere: Satiſque conſtat primis illis temporibus maximam argenti partem in pecuniam verſam fuiſſe. Id quoque harum fodinarum præſtantiam arguit, quod putei nonnulli jam ad ducentas orgyas in profundum acti, nullis dum aquis infeſtentur: quum in nobiliſſimo Hiſpaniæ puteo *Bebelo*, qui Hannibali CCC pondo ſubminiſtravit in dies, ad mille quingentos paſſus cavato monte, per omne id ſpatium Aquitani ſtantes diebus noctibuſque egerere aquas, lucernarum menſura, amnemque facere l.33.c.6. coacti fuerunt, ut *Plinius* ſcriptum reliquit: & *Porcenſes* putei, ditiſſimis alioquin venis referti, ob aquarum copiam jam deſerti fuerint. Quid multa? Rex Hiſpaniarum ex fodinis *Potoſianis* quotannis percipit millionem ducatorum, idque ex quinta parte argenti tantum, ut interim taceam cætera emolumenta quæ ex argento vivo & vectigalibus conſequitur. Ita ut rationibus per viros harum rerum ſcientiſſimos accurate ſubductis, tempore Pro-Regis *Franciſci Toletani*, certo conſtiterit à prima inventione ad annum CIↃ IↃ LXXIV ſeptuaginta & ſex milliones hic fuiſſe quintatas; poſt illa adhuc majorem argenti vim egeſtam volunt. Siquidem *Acoſta* alibi teſtatur anno CIↃ IↃ LXXXVII utraque claſſe, tam Peruviana quam Novæ Hiſpaniæ, undecim milliones in Hiſpaniam advectas, quarum pene dimidia pars ad Regem pertinebat, & fere duæ tertiæ è Peruvia venerant.

Cap. IX.

Alia obſervatu digna de Argenti fodinis Potoſiæ.

l.4.c.8. *Joſephus de Acoſta* ſcribit, quatuor principales illas venas, quas ſupra deſignavimus, ſitas eſſe ad orientale montis latus; extendi autem ab Arcto ad Auſtrum; latas eſſe ubi maxime, pedes ſex, ubi minimum, unum; ſpargere autem ſe in plures minores veluti ramos; qui diverſos dominos agnoſcunt. Maximam venam tenere octuaginta ulnas; minimam quatuor. In vena *Rica* numerantur ſeptuaginta octo putei, qui deſcendunt in profundum ad centum & octuaginta, & interdum ducentas altitudines corporis humani. In vena Centeni numerantur quatuor & viginti putei, quæ deſcendunt ad ſexaginta & octuaginta ejuſmodi altitudines. Ut tantæ altitudini obviam iretur, inventi ſunt cuniculi, quos vocant *Socabones*, per quos à latere montis penetratur ad venas. Credunt enim illas ad radicem uſque montis deſcendere, & in fundo longe opulentiores futuras, licet experientia hactenus contrarium docuerit. Ejuſmodi cuniculi fere ad altitudinem corporis humani ſunt egeſti, latitudine octo pedum: clauduntur ſuis portis; & domini cuniculorum accipiunt quintam partem metalli quod educitur. Erant, quum *Acoſta* ſcriberet, nimirum anno CIↃ IↃ XC, jam novem aperti, plureſque aperiebantur. Eorum unus quem vocant *del Venino*, qui ducit ad venam Ricam, perfectus fuerat annis viginti novem, improbo ſane labore: licet os illius à loco, ubi puteo jungitur (vocant *El Cruzero*) tantum

tantum abſit ducentas & quinquaginta ulnas Hiſpanienſes. Porro Vena argenti utplurimum concluſa reperitur inter duas veluti rupes, (vocant *la Caxa)* quarum una duriſſima eſt inſtar ſilicis, altera mollior: metallum autem medium diverſi eſt valoris: eſt enim quoddam opulentum, (vocant *Cacilla* ſive *Tacana,)* quod plurimum argenti abſoluti; alterum inops, quod pauxillum edit. Opulentum metallum eodem eſt colore quo ſuccinum.

Iter denique à *Potoſia* ad *Cuſco* (quemadmodum à Belga quodam accepi) inſtituitur in hunc modum; per provincias *Collao*, ad *Chuquiabo*; tranſeundum autem per *Sicaſicam*; nec tamen neceſſe eſt ingredi *Chuquiabo*, ſed relinqui poteſt ad dexteram; hic ſingulis V, VI aut VII leucis occurrunt *Tambos* & barbari, qui gratis miniſtrant advenis. A *Chuquiabo* ad *Tiahuanaco* numerant novem leucas; hic jam ingens ille Lacus viſitur, & agitur iter ſecundum illius ripas, donec perveniatur ad pontem, qui ſtratus eſt ſuper illius emiſſarium; à quo ad *Chicuito* numerant leucas tres; hinc pergunt ad *Ayaviren*, à qua via declinat ad dexteram quæ ducit ad *Caravayam*; pergit via ab *Ayavire* ad *Chongaram* & inde ad *Lunacachen*, duo municipia barbarorum, quæ diſtant à ſe invicem ſex leucas: Hæc regio editiſſima totius Peruviæ judicatur: à qua ad metropolin *Cuſco* ſuperſunt tres & triginta leucæ.

Accepi à Belga qui anno cIↄ Iↄ c & poſtea hic vixerat, venam jam in dies parciorem fieri, & quum ſoleret è centum libris, ducentos atque adeo trecentos pezos abſoluti argenti reddere, nunc vix decem, imo & pauciores eliquari: Rationem item eliquandi jam multum diverſam eſſe ab ea quam olim uſurpabant, tunc enim venam in pulverem redactam in exiguis furnis, Hiſpanis *Guayros*, ore anguſto ventis expoſito, ignis vi excoxiſſe: Nunc autem multo labore pulverem hunc in ciſternis ad id comparatis, & aqua ſubigi, & miſceri cum raſuris ferri, æris, & potiſſimum cum hydrargyro, pluribuſque diebus verſari, lavari, & tandem uri in fornacibus, ut hydrargyrum conſumatur & abeat in fumum. Porro ad venam metalli frangendam pluribus machinis opus eſt, quæ ab aquis aguntur inſtar molarum; aquarum autem indigus eſt ager, præterquam pluviarum; itaque neceſſe eſt illas pluviis menſibus colligere in ingens ſtagnum, & reductis repagulis emittere certo ordine & menſura; ad molas circumagendas, quas hic ſexaginta numerant. In valle quoque *Tarapaya*, quæ duas treſve leucas diſtat ab oppido, aliquot ejuſmodi molæ, ab amniculo circumaguntur. Ad caput denique hujus vallis viſitur lacus plane rotundus, cujus ſcaturigines, licet ſolum in ambitu frigidius ſit, ad ripam quidem modice calent, in medio vero ita fervent, ut ab hominibus tolerari non poſſint: ebullit aqua in medio viginti pedum ambitu: nec tamen, quod mirabile, lacus unquam augeri aut minui cernitur; ne nunc quidem cum canalis ex illo deductus eſt ad molam agendam.

Porcenſes fodinæ abſunt ſex leucas à *Potoſianis*, ſecus viam quæ ducit *Aricam*, & duas à Lacu Pariæ: quem vocant de Aulagis; quæ olim totius Peruviæ celeberrimæ fuerunt, & hodieque valde abſolutum argentum edunt; verum ab aquis mirum in modum infeſtantur.

Sunt & aliæ in hiſce partibus fodinæ argenti, quæ *Oruro* aut *Horuro*; & quæ *Berengela* dicuntur, ſed de ſitu earum non ſatis mihi conſtat. Dicemus adhuc pauca de finibus *Charcarum*, ubi ad *Tucamanam* pervenerimus, quæ neceſſario videnda ut Lib. XII. regionum vicinarum ſitus melius percipiatur.

CAP. X.

Provinciæ Charcenſis *littus, promontoria, ſinus, portus atque ſtationes.*

DIXIMUS ſupra Conventus Juridici Limani littus deſinere in *Tambopalla*; ubi *Charcenſis* Conventus incipit. Decem à *Tambopalla* leucis verſus Auſtrum, littus ſupra leucam in altum progrediens facit Promontorium, quod tribus eminentibus ſcopulis tegitur; eo ſuperato aperit ſe *Ylo* ſive *Hilo*, commodus portus, Hilo. juxta quem fluvius egreditur, XVIII gradibus aut circiter ab Æquatore verſus Auſtrum. Ab hoc ad editum montem qui littori imminet & ab Hiſpanis dicitur *Morro de*

 los

los Diablos (cauſa mihi non liquet) ſunt leucæ ſeptem. Ab hoc ad modicum amnem cujus nomen non proditur, ſed aquæ commendantur, ſunt leucæ quinque. Dein ad alterum excelſum montem cui inſula objacet ad Euronotum, leucæ decem. Juxta hunc jacet nobiliſſimus *Aricæ* portus: quem *Petrus de Cieça* & *Herrera* collocant ad decimum nonum gradum & viginti ſcrupula: verum Angli qui cum *Draco* & *Candiſchio* orbem circumnavigârunt & hæc littora legerunt, ad decimum octavum & triginta ſcrupula: *Oliverius* autem *à Noort* ad XVIII gradus & quadraginta ſcrupula; itaque ſecundum accuratas Anglorum & Noſtratum dimenſiones ad decimum octavum gradum & dimidium aut circiter cenſemus collocandum.

Arica.

Noſtrates qui anno cIↃ IↃ XCIX hunc locum adierunt ſinum eſſe teſtantur, & non tam portum quam ſtationem eſſe appellandam: eſt autem ab Auſtralibus, orientalibus & aquilonaribus ventis egregiè defenſus, ab occidentalibus non item; & facile adiri poteſt & ſine diſcrimine, præterquam quod ſe prodit. *Acoſta* ſcribit illum diſtare ab Argentifodinis *Potoſianis* leucas ſeptuaginta: alii octuaginta, quod magis probo. Maximus hujus portus eſt uſus; nam omnis argenti gaza quæ è *Potoſianis* & vicinis fodinis eruitur, huc ab ovibus Peruvianis bajulari & à paucis Hiſpanis & barbaris ſolet conduci, medio Martii ita ut ſub finem illius menſis aut exordium ſequentis veniat Aricam; unde claſſe paucarum navium portatur Limam, ubi utplurimum ſolent appellere ſub initium May aut circiter. Itaque hunc locum hactenus apertum, diligenter ſuperioribus annis muniverunt Hiſpani, & plura majora tormenta locis idoneis ad littus collocarunt, ut naves hoſtiles è portu arceant, & exſcenſum prohibeant. Regitur à Corregidore, ut vocant, quem accipit ab ipſo Rege ad ſexennium, magnæ utplurimum dignationis.

Franciſcus Dracus memorabili illa in Mare Pacificum expeditione, hunc portum inopinantibus Hiſpanis ingreſſus tres ibidem celoces intercepit, in quarum una ſeptem ſupra quinquaginta argenti maſſas invenit, viginti librarum ſingulas: teſtaturque municipium quod portui adjacet, viginti tantum domiciliis conſtitiſſe: verum alii centum aut circiter tribuunt; quod magis veriſimile, propter commercia quæ hic exercentur & portus opportunitatem, qua reliquos hujus maris portus aut æquat aut ſuperat: nam omnis argenti gaza è Charcis quotannis huc traducitur & minoribus navigiis vectatur ad portum Limanum; & viciſſim omnes Europææ & Americanæ merces, quas ora Peruviæ fert, hic exponuntur & terreſtri itinere ad fodinas Potoſianas & alia loca conducuntur.

Piſagua. Ab *Aricæ* portu tendit littus ad Africum leucas novem: ubi fluvius *Piſagua* in Oceanum exit: quem *Oliverius* noſter ad vigeſimum gradum Auſtralem conſtituit, neſcio an accurate. Porro noſtrates qui anno cIↃ IↃ XCIX hæc littora adierunt, hæc obſervarunt: ad altitudinem novendecim graduum & aliquot ſcrupulorum, ſinum ſemicircularem, pone editum & præruptum terræ cornu: ad altitudinem viginti graduum; pagum *Hickahic*, in terra aſpera, ſterili & vix quicquam herbidi ſortita: atque ita porro ad vigeſimum gradum & dimidium, littus præruptum vergens ad Africum, & inſulam eidem objectam arenoſam & ſterilem.

Hickahic.

Tarapaca. Hiſpani à *Piſagua* ad *Tarapacæ* portum ſtatuunt leucas XXV; hic objacet continenti Inſula leucam aut circiter ambiens, concluditque quendam ſinum quo portus hic continetur ad altitudinem unius & XX graduum ab Æquatore verſus Auſtrum.

A *Tarapaca* ad *Tacamæ* promontorium ſunt quinque leucæ. Ab hoc ad portum, vulgo *de los Moxillones*, ad altitudinem duorum & viginti graduum, & triginta ſcrupulorum leucæ numerantur ſedecim. Omnis hæc ora edita eſt & prærupta. Inter utrumque autem locum, deſcendit in Oceanum fluvius *Pica*; itemque fluvius *de la Hoya* (quem *Oliverius* noſter vocat *de Loa*, & ad vigeſimum ſecundum gradum collocat, illiuſque terræ indigenas omnium rerum indigos, piſcibus ægre teſtatur vitam ſuſtentare) denique amnis *Montelo*.

Pica fluv.

Noſtrates, ut ſupra, agnoſcunt ad altitudinem duorum & viginti graduum & quadraginta quinque ſcrupulorum Angulum *Agamæ*, & pone ipſum inſignem ſinum: & quinque ab hoc leucis verſus Africum, *Morromoreno* ampliſſimum ſinum atque portum, qui ab inſula objecta veluti clauditur, & adverſus incerta ventorum egregie defenditur: facilis eſt aditu & in ipſo ingreſſu ab Auſtrali plaga quinque ſupra viginti

Morromoreno.

orgyas

orgyas altus, plurimarum navium intus capax: verum neque aqua hic hauriri neque ligna cœdi poſſunt, ob ſoli infœcunditatem atque ariditatem; habitatur tamen tellus à barbaris, qui crudis piſcibus victitant, cæterarum rerum inopes, ingenio ſtupido, Hiſpanos ſupra modum metuentes, quibus & tributum de piſcatu ſuo pendunt, natandi atque urinandi peritiſſimi, & aquam marinam bibere ſueti abſque noxa: Denique ut *Richardus Hawkinus* teſtatur, nihil humani ſortiti præter formam & loquelam, cætera brutis magis affines.

Hinc porro ad Auſtrum recenſet *Herrera*; *Quebradam*, *Puntam blancam*, *Quebradam hondam*, fluvium *S. Claræ* triginta leucas à *Copiapo* valle provinciæ *Chilenſis*; cæterum incertis intervallis.

Noſtrates vero numerant à *Morromoreno* ad alterum terræ cornu milliaria duo, & juxta hoc ad Euro-notum exiguum portum & vix trium quatuorve navium capacem, pone inſulam quam vocant *de Guana*; in continenti, ſed longius à littore multum ſalis jacet (Polonico haud abſimile) in ſolo infœcundo, nudo, minimeque herbido. Ulterius verſus Auſtrum obſervant inſulam *de Lobos*, quæ præruptæ Continentis potius ripæ quam littori prætenditur, mari prope terram ita alto, ut bolide fundum incaſſum periclitarentur. Dehinc Anguli *Michaëlis Dias* & Promontorii *de Lopéz* meminerunt, & ut paucis abſolvam, regionem hanc omnem uſque ad *Chilen*, ſterilem, petream, aſperam, quæque nec farra nec ullam herbam pariat, & merum deſertum eſſe declarant: altas autem ad mare ripas nec aditu faciles nec humanis veſtigiis aptas.

Sa CRUX DE LA SIERRA.

Cap. XI.

Sancta Crux de la Sierra, *& aliquot aliæ vicinæ provinciæ.*

SUPEREST ut de interioribus quibuſdam Provinciis agamus, quæ huic Conventui Juridico accenſentur, & præſertim una, quam Hiſpani à Coloniæ illo deductæ nomine, vocant *Sancta Crux de la Sierra.*

Hoc oppidum (ut teſtatur *Herrera*) centum pene leucas diſtat à provincia *Charcarum* proprie dicta, verſus orientem, juxta viam quæ ducit ad urbem *Aſſumcionis* ad flumen *de la Plata*. Provincia autem ſuum habet Subpræfectum qui à Pro-Rege Peruviæ delegatur. Ager hujus oppidi, aquarum quidem indigens, non tamen infœcundus, tritici, Mayzii atque adeo vini ferax; Oppidum ad radicem montis ſitum in patenti campo, à quo cæteræ planicies, & valles aquarum inopes producuntur: ædes incolarum ſunt palmarum foliis tectæ; juxta currit torrens è petra ſcaturiens, qui reſtagnat in lacum, quatuor leucis ab oppido, admodum piſcoſum, adeo ut magna optimorum piſcium copia quotidie ad oppidum ſubvehatur. Solum abundat variis fructibus domeſticis & Americæ familiaribus, *Platanis*, *Guayavis*, *Pinnis*, *Granadillis*, *Ambabayis*, *Luiumis*, *Tucumaiis*, qui omnes & ſaporis bonitate & ſalubritate commendantur. Palmarum quædam ſpecies hic frequens: è quarum truncis farina conficitur magnâ copiâ, boni & grati nutrimenti. His accedunt Europæi fructus, uvæ, ficus, melones: Verum arbores hic fere ſunt brevis ævi: mala Granatenſia & Cidonia maligne patitur tellus, uti & frumentum: licet conſtans opinio ſit in *Chiquitorum* terris; quæ ad hanc provinciam pertinent, non inutiliter ſeri poſſe.

Indigenæ olim incolebant luteas caſas, & pluviales aquas cogebant in puteos, peribant nonnunquam ſiti, aut trucidabant alii alios aquarum cauſa: exagitabantur denique à vicinis populis *Cheriguanis* miſerum in modum: nec minus à *Titanibus*, qui regionem incolunt perfœcundam, & plumbi, æris, atque adeo argenti ut credunt haud expertem, quinque ſupra triginta ab oppido *S. Crucis* leucis.

Chiquiti autem dicuntur eſſe induſtrii, bellicoſi, & laborum tolerantes: abundant Mayzio, phaſeolis, & ſimilibus frugibus & plurimo goſſypio: fœminæ utuntur veſtibus; mares in bello venenatis ſagittis. Plurimi horum barbarorum uti & campeſtrium *Cheriguanorum*, haud inviti in viciniam atque ſuburbia hujus oppidi Chiquiti.

commigrarunt; Monticolarũ *Cheriguanorum* ſęvitiam fugięntes, qui humanis carnibus tantopere capiuntur, ut ne cognatis quidem gentibus parcant. Indigenæ porro hujus provinciæ abundant variis tincturis, quas è certis radicibus & virgultorum frondibus
l. 4. c. 3. exprimere & coquere noverunt, quibus goſſypium ſuum inficiunt. Unde & *Acoſta* diſerte teſtatur, goſſypium in fila ductum, textumve in hac provincia nummorum vicem ſupplere.

Paicani. In *Paicanorum* provincia, quæ diſtat XX leucas ab oppido *S. Crucis*, naſcuntur *Cucurbitæ* quædam lagenarię, perpulchrę aſpectu & tam grandes, ut cadum vini capiant, in quibus incolæ, veſtes aliamque ſupellectilem recondunt. Regio & ſummum calorem patitur & frigus: nam frigus hic à menſe Mayo durat ad principium Auguſti, ita penetrabile interdum, ut omnes arbores quæ goſſypium ferunt extinguat, *Ambaybas* autem ad imas radices adurat; idque Auſtrali vento pertinacius flante, qui hic à medio Junio ad exitum Julii, veluti imperium obtinet ſolus. Calor autem maxime intenditur circa feſtum Nativitatis: feſto quoque *S. Franciſci* hic plurimum pluit; initio Novembris faciunt ſementem, metunt ſub finem Martii.

Moleſtiſſimum eſt iter ad provinciam *S. Crucis*, pluviis quidem & hybernis menſibus ob fluminũ exundationes & crebras paludes, maxime ob Palmetum, quod quatridui itinere vix tranſitur, multaque uligine & cœno pene invium quod diſtat ab oppido quinq; & viginti leucas verſus occaſum. Æſtivis vero menſibus imprimis ab exitu Junii ad initium Octobris, ob ſiccitatem & aquarum inopiam iter itidem eſt difficile, quo fit ut aquam in lagenulis, ſumma cum moleſtia, ſecum ferre neceſſe ſit, aut ſiti in itinere deficere. In finibus oppidi creſcunt hodie multæ Sacchari cannæ, è quibus incolæ Saccharum conficiunt & longe optimum apozema. Saltus haud longe ab oppido diſtans abundat variis feris; nemus avibus: inter quas una commemoratur *Picæ* ſimilis, ſed roſtro tam grandi ut è ſuperiori illius parte elegantes lagenulas faciant.

Indigenæ harum provinciarum ingenio ſunt bardo, humili, nullaque pene induſtria; olim quidem Dœmoniorum cultui addicti, nunc Chriſtianorum ſacra cœperunt amplecti. Diaguitarum linguam loquuntur ut communem, alias præterea quatuor peculiares, pro diverſitate nationum uſurpantes. Mares quidem laxis tunicis, quas è ſtruthionum plumis contexunt, amiciebantur, fœminæ vero multo arctioribus è paleis aut ovium Peruvianarum lana; nunc goſſypii uſum edocti, pannis goſſypinis utplurimum utuntur.

Nuflo de Chaves primus per hanc provinciam, è Peruvia penetravit in provincias quæ flumini *de la Plata* adjacent anno CIↃ IↃ XLVIII. Abeſt enim provincia *Ytatin* metallorum dives tantum triginta leucas ab hac verſus ortum.

Plures denique provinciæ barbarorum hanc proxime contingunt, *Chinici cocorum*,
l. 7. c. 17. *Moxorum*, *Cheriguanorum*, *Tipionum*. Narrat *Garcil. Yncam-Ypanqui* olim tentaſſe *Cheriguanos* monticolas ſubjugare & urbanioribus moribus imbuere: Itaque miſiſſe ſuos ad Andes, quibus vicini degebant, in aſperis itidem montibus, omnium frugum indigi, adhæc ita feri & humanarum carnium appetentes, ut non modo hoſtes raptos devorarent crudos, ſed & cognatos mortuos ad eundem modum intra viſcera ſua ſepelirent: ſed difficultate itineris & aſperitate locorum deterritum, deſtitiſſe. Idem aggreſſum Pro-Regem Peruviæ *Franciſcum Toletanum* anno CIↃ IↃ LXXII, ſed tam inauſpicato ſucceſſu, ut pluribus ſuorum inedia & laboribus ſuccumbentibus, relictis impedimentis propere fugere cogeretur & ægre evaderet.

Hiſpani ſuperioribus annis etiam aliud oppidum in hac provincia conſtruxerant, vulgo *Nova Riöia*, itemque municipium *Barrancam*; quæ loca à vicinis barbaris, præſertim *Cheriguanis* haud multo poſt deleta fuerunt, quum *Comes de Neyva* Peruviam Pro-Rege adminiſtraret; *Nuflo de Chaves*, qui præfectum ibidem agebat, ante à barbaro quodam ex inſidiis trucidato.

Video, ab iis qui nuper has partes viderunt, in provincia *S. Crucis de la Sierra* duo tantum oppida commemorari; oppidum nimirum *S. Crucis*, & *Barrancam*: Diſtare autem à *Potoſia* circiter ſexaginta leucas. Sed alia quædam oppidula circiter triginta leucis à *Potoſia* jacere, veluti præſidia adverſus feroces *Cheriguanos*, *Tominam*, *Lagunillam* & *Tarixam*; in quorum agris plurimum tritici, Mayzii, aliarumque

rumque

rumque frugum & fructuum naſcatur, etiam ſaccharum. Quum ager *S. Crucis* fruges minime toleret, *Barrancæ* autem parcè. Denique *S. Crucem* præfecturam eſſe, *Tarixam* Corregiementum, ut ipſi vocant.

Cap. XII.

Peruvianorum *Monarcharum origo & ſeries uſque ad decimum* Yncam Yupanqui.

ANTEQUAM ad reliquas provincias Americæ Meridionalis deſcribendas pergamus operæpretium facturi videmur, ſi de Peruvianorum Monarchis, eorum ſerie; deque eorundem inſtitutis & regimine pauca dicamus, ſicuti jam ante de Mexicanis fecimus, ſiquidem & hi quoque bene conſtitutum regimen habuere.

Narrant Peruviani, ut fere ſolent omnes gentes, plurima fabuloſa, de Regum & Reginarum ſuarum prima origine, quam à Sole derivant, uti videre eſt apud *Yncam Garcilaſſum de la Vega*, libro primo, capite decimo quinto & ſequentibus, quæ non eſt neceſſe hic referre; ſcripſerunt de Monarcharum horum ſerie & ſucceſſione etiam alii; in eo fere conveniunt omnes, uti ſequitur.

Primus Peruvianorum Rex, qui tamen ſatis anguſtis limitibus imperavit, fuit I.
Ynca, Manco-Capac, & conjux illius *Coya Mama Oello Huaco* ipſius Germana: à quibus Metropolis *Cuſco* condita dicitur, circiter quadringentis annis antequam Hiſpani Peruviam ingrederentur, eamque ſubjugarent.

Obſervandum autem Peruvianos Reges ſuos appellaſſe *Yncas*, id eſt, Reges vel Imperatores & per excellentiam *Capa-Yncas*, id eſt, Solos Reges: deſcendentes autem à Regibus in linea maſculina ſimpliciter *Yncas*: Eundem Regem vocabant *Huaccha-Cuyac*, id eſt, beneficum in pauperes; itemque *Capac*, id eſt, magnificum; denique *Yntip-Chutim*, id eſt, filium Solis; affectabant enim divinæ originis opinionem: Liberos autem regum mares & ab illis per lineam maſculinam deſcendentes appellabant *Auqui*, id eſt, infantes, donec ducerent uxores, tum, ut ſupra, vocabant *Yncas*: Reginam vocabant *Coyam*; concubinas Regis, ſi conſanguineæ eſſent, *Pallas*, cæteras vero *Mamacunas*, id eſt, matronas: Filias legitimas aut ex illis natas *Nuſtas*, id eſt, puellas è ſanguine regio; illegitimas adjecto nomine provinciæ, è qua matres earum erant oriundæ, ut *Colla-Nuſta*, *Quitu-Nuſta*, &c. magnates denique Regni vocabant *Curacas*.

Huic ſucceſſit *Sinchi-Rocha* primogenitus, qui duxit in uxorem Germanam ſuam II.
Mama Oello, vel ut alii, *Cora*: hic promovit terminos imperii in *Collao*, uſque ad *Chuncaram* atque etiam alibi: anni regni illius ſunt incerti, quidam tamen volunt fuiſſe triginta.

Lloque-Yupanqui ſucceſſit parenti ſuo *Sinchi Rocæ*: hic ſubjugavit *Canas*: domuit III.
Ayavirios & in eorum finibus condidit *Pucaram*: ſubjecit ſibi *Collas*; *Chicuytum* & reliquos populos qui accolunt Lacum *Titicacam*: uxor illi fuit *Mama Cava* è qua unicum reliquit hæredem, & duas treſve filias.

Mayta Capac ſucceſſit patri: adjecit imperio ſuo *Hatun-pacaſſam*, ad levam emiſ- IV.
ſarii *Titicacæ*: itemque *Cauquicuram*, *Mallamam* & *Huarinam*; *Llaricaſſam*, *Sancavan*, *Charcaſque* uſque ad Lacum *Pariam*: *Chuquiapu* quoque & alias provincias: fuit illi uxor *Mama-Cuca*, quæ plures illi peperit liberos.

Capac Ypanqui ſucceſſit patri, & promovit imperii limites verſus occidentem, ſub- V.
jugando provincias *Yanahuaram*, *Aymaram*, *Cotapampam*: Itemque provincias omnes ad utramque fluvji ripam, quem vocant *Amancay* (aliis *Abancay*.) Deinde per ſolitudines *Huallaripæ* pervenit ad planiciem, quæ Mari Auſtrali adjacet, & nominatim ad vallem *Hacari*; à qua tranſiit & ſubjugavit *Vvinnam*, *Camanam*, *Caravillin*, *Piſtan*, *Quellcan* & alias valles. Uxor fuit *Coya-mama Curi-ypalli* ipſius Germana, quæ plures illi genuit liberos.

Inca Roca primogenitus ſucceſſit patri, multis rebus jam ante feliciter geſtis: hic VI.
promovit fines imperii verſus ſeptentriones; ſubjugando *Tacmaram*, *Quinuallam*, *Cochacaſſam*, *Curampam*, *Antahuyallam* maximam provinciam, quam *Chanæ* incolebant:

bant: & plures alias. Uxor illius & germana fuit *Mama-micay*; è qua plures illi nati ſunt liberi.

VII. *Iahuar-Huacac* ſucceſſit parenti; qui paucas res per ſe geſſit, augurio quodam ſiniſtro deterritus; præfecit autem copiis ſuis fratrem ſuum *Mayta*, qui deinceps dictus fuit *Apic-Mayta*, id eſt, Capitaneus generalis. & adjectum fuit Imperio quantum reſtabat verſus Auſtrum ab *Arequipa* ad *Tacamam*. Dein plures gentes quæ à *Cuſco* verſus Arctum degebant rebellarunt, ita ut Rex *Cuſcum* cogeretur deſerere, verum ſuccurrit illi primogenitus ipſius *Vira-Cocha*; qui rebelles maximâ clade afflixit; & *Cuſcum* reverſus, Patrem compulit imperio ſe abdicare.

VIII. *Vira-Cocha Inca* (de quo mira narrant Hiſpani, & quem falſo principalem Peruvianorũ deum ſuſpicantur) patre exauthorato, & rebellibus ad obſequium reductis; plures adjunxit Imperio provincias; perfecitque mirabilia opera; inter alia ſtupendos aquæductus. Illo autem imperante profugit *Hancohuallu* Rex *Chancarum* cum multis ſuorum millibus, in provincias remotiores; de quo multa, ſed incerta, narrant Peruviani. Huic fuit uxor *Mama-Runtu*, quæ plures illi dedit liberos.

IX. *Pachacutec-Ynca* ſucceſſit patri in imperio; domuitque *Huancas* famoſæ vallis *Xauxæ* (vel ut *Garcilaſſus* vocat, *Sauſæ*) indigenas, per germanum ſuum *Capac-Yupanqui*: itemque *Tarma* & *Pampu* (vel *Taramam* & *Bombon*) provincias fertiliſſimas; aliaſque plures verſus *Andes*: item *Huamacuchu* & *Caxamalcam* (quam *Garcillaſſus* vocat *Caſſamarcam*) verſus Arctum. Et verſus occidentem *Nanaſcam*, *Yncam*, *Piſco* & *Chincam* & reliquas valles ad mare Auſtrale. Huic fuit uxor & germana *Coya-Anahuarque*.

Cap. XIII.

Reliqui Peruvianorum *Monarchæ uſque ad* Atahualpam; *& cæteri deſcendentes ab* Incis.

X. INca-*Yupanqui* ſucceſſit patri; ſubjugavitque *Conchos* & *Moxos*: atque animum adjecit ad *Chilem*, cujus etiam partem domuit, uſque ad fluvium *Maulen*. Huic fuit uxor & germana *Coya Chimpu Oello*.

XI. *Tupac Inca Yupanqui* patri ſuccedens, petiit per *Caxamalcam*, *Chacapuyas* & *Huacracuchos*, ut vocat *Garcilaſſus*, & ſubjugavit utroſque. Adjecit quoque ſuo Imperio *Muyupampam* vel *Moyobambam*, *Huancapampam*, *Caſſam*, *Ayahuacam* & *Calluam*; & denique *Cannarum* provinciam atque *Paltas*; aliaſque complures provincias uſque ad *Quito*. Huic fuit uxor *Mama Oello*.

XII. *Huayna-Capac* patri ſuccedens, rebus jam ante præclarè geſtis, *Quitenſi* regno aliiſque vicinis provinciis perdomitis, plurimum dilatavit imperii ſui fines. Huic prima uxor fuit ſoror illius major natu *Pillcu Huaco*, è qua nullos ſuſtulit liberos: altera ſecundò genita *Rava Oello*; cui acceſſit tertia *Mama Runtu* patrui ſui filia. Ex *Rava* ſuſtulit *Huaſcar Incam*: ex *Mama* autem *Manco Incam*; ex filia denique & hærede Regis *Quitenſis*, *Atahualpan*. Huic Regi tribuuntur duæ illæ ſemitæ regales, de quibus alibi diximus. Moriturus denique ſubſtituit ſibi in Regno *Quitenſi* filium *Atahualpam* valde ſibi dilectum, reliquo imperio *Huaſcari* demandato.

XIII. Mortuo *Huana-Capac*, filii illius *Huaſcar* & *Atahualpa*, annis quatuor aut quinque regnarunt in ſuis quique regnis ſine ulla notabili diſcordia: Verum uti omnis poteſtas impatiens eſt conſortis; *Huaſcar* quem pœnitebat fratri *Atahualpæ* tam facile non minimam Regni partem ceſſiſſe, Legatum mittit ad fratrem, poſtulatum ut ſe Vaſallum ſuum agnoſceret, neque regni ſui fines ulterius dilataret. *Atahualpa* fingit ſe lubentem accipere condiciones præſcriptas, atque adeo paratum eſſe fratri, ut ſupremo domino obedire; petitque ut ſibi cum majore comitatu *Cuſcum* venire liceat ad exequias mortuo Parenti ſumma frequentia & ſolemnitate perſolvendas; id à *Huaſcare* doli ignaro impetrat cum gratia: Quare quam ocyſſime ex omnibus ſuis provinciis, bellicoſiſſimum quemque & maxime Parentis ſui Veteranos præmittit *Cuſcum*, eventum in regni ſui finibus præſtolari certus. Supra triginta millia fuiſſe tradunt: neque *Huaſcar* ante perſenſit dolum, quam quum jam fratris ſui copiæ vix centum leucis abeſſent à *Cuſco*: Tunc enim à fidis provinciarum ſuarum præfectis monitus, fratrem cum majoribus copiis advenire quàm exequiarum ſolemnitas requireret, atque adeo cum

cum armatis, quibus nihil opus eſſet, ſi ad obſequium majoris fratris, quod ſimulabat, properaret: Quare ille, licet ſerius, ſibi impoſitum ſentiens, quam celerrime delectum indicit, & ex omnibus vicinis provinciis advocat copias: verum *Atahualpæ* copiis interea feſtinantibus ex improviſo ab illis fuit oppreſſus & captus, pluribus ſuorum in prœlio haud longe à Cuſco deſideratis. Crudeliſſime uſus eſt hac victoria *Atahualpa*; nam omnes principes è proſapia regia, quos quidem nanciſci potuit, variis ſuppliciis ſuſtulit, idque ante fratris ſui oculos, ut miſerum magis excruciaret; neque fœminis parcitum fuit aut infantibus, nec denique ipſi Huaſcari, quum jam Hiſpan Regnum illius eſſent ingreſſi; ipſique imminerent. Quæ prolixe commemorantur ab Ynca Garcilaſſo. Veruntamen non tulit hanc crudelitatem impunitam, ab Hiſpanis imperio & vita privatus in Caxamalca. Cæteri poſt illum Yncæ magis in ſpeciem, quam revera aliquot annis poſt regnarunt; de quibus conſulendæ hiſtoriæ Hiſpanorum. Atque hæc quidem è commentariis Yncæ Garcilaſſi de la Vega, qui ſe ex illorum proſapia genus duxiſſe profitetur, compendio retulimus.

Cap. XIII.

Peruvianorum Regum ſeries & familiæ ex Joſepho de Acoſta.

I*oſephus de Acoſta* in libris de Hiſtoria naturali & morali Indiarum, ſeriem Regum Peruvianorum paulo aliter deſignat, quam hic compendio referemus.

Primum Regem itidem vocat *Mangocapa*: hic author fuit duarum familia- I.
rum regiarum *Hanancuzco* & *Vrincuzco*, è quarum prima deſcendunt Reges qui Imperium hoc ſummopere dilatarunt.

Secundum vocat *Ingaroca*, authorem familiæ, (ipſi vocant *Ayllo) Viçoquirao*; hic II.
primus uſus fuit vaſis aureis, & idola aurea conſecravit.

Succeſſit *Yaguarquaque*, quem ab hoſtibus ſuperatum & captum, ſanguinem plo- III.
raſſe produnt, unde illi nomen partum: ab hoc deſcendit familia *Aocailli panaca*.

Huic ſucceſſit filius *Viracocha Inga*, à quo familia *Coccopanaca* deſcendit; hujus ca- IV.
daver, quia ingens theſaurus cum ipſo inhumatus credebatur, anxie quæſitum fuit à Gonſalvo Pizarro, & tandem inventum in *Xaquixaguana*, atque crematum; cineres autem in ſumma veneratione dudum tenuerunt barbari, donec ab Hiſpanis vetarentur, qui aliorum quoque Ingarum corpora inventa deleverunt. V.

Pachacuti Inga Yupangi ſucceſſit, qui regnaſſe dicitur ſexaginta annis & imperii limites ſupra modum dilataſſe: de hoc memorant multas fabulas, quas hic referre nihil attinet. Hic fuit author familiæ *Ynacapanaca*: fabricavitque aureum idolum *Indiillapa*, quod in aurea ſella circumferebant.

Succeſſit *Topa Inga Yupangui*; atque illi filius ejuſdem nominis, qui fuit caput fa- VI.
miliæ, quam barbari vocabant *Capac Ayllo*. VII.

Huic ſucceſſit *Guaynapaca*, omnium Regum longe opulentiſſimus; ita ut huic po- VIII.
tiſſimum tribuantur ſumtuoſiſſima ædificia hujus Regni: Author fuit familiæ *Temebamba*.

Guaynacapæ ſucceſſit in urbe Cuſco *Tito Cuſci Gualpa*, quem poſtea vocarunt *Guaſ-* IX.
car; hic à ducibus *Atahualpæ* fratris ſui, *Quixquiz* & *Chilicucima* captus fuit & concrematus, quum jam Hiſpani Peruviam eſſent ingreſſi. X.

Atahualpa ab Hiſpanis in Caxamalca capto & ſtrangulato; quum Pizarrus jam regni potens eſſet; ſupervenit *Mangocapa* filius itidem *Guaynacapæ*, qui aliquandiu Hiſpanos arcta obſidione cinxit in urbe Cuſco; verum fugere coactus, recepit ſe in *Vilcabambam* inter aſperrimos montes, ubi ipſe & ſucceſſores illius pluribus annis ſe ab Hiſpanis ſunt tutati, donec tandem *Amaro* caperetur, quem Hiſpani in urbe Cuſco publico ſupplicio ſuſtulerunt. Habuit Guaynacapa & plures filios, quorum unus baptiſmo initiatus, *Pauli* nomen aſſumſit, huic filius fuit *Carolus*, qui ſicuti & Pater Hiſpanos juvit contra cognatos ſuos.

Marchione autem de Cannete Peruviam Pro-Rege adminiſtrante è *Vilcabamba* ultro venit Limam *Sayritopa Inga*, cui Rex Hiſpaniarum dedit vallem *Yucay*.

Familiæ denique *Vrincuzco*, quæ, ut ſupra, Magocapam quoq; authorem agnoſcit, princi-

principes numerat *Ioſephus de Acoſta*, *Chinchirocam*, *Capac Yupangui*, *Lluqui Yupangui*, *Mayta capam*, *Tarco guaman*, anonymum, & denique *Tambo Maytapanacam*, qui Chriſtianis Sacris initiatus dictus fuit Joannes; Hactenus ille; quæ quamplurimum differunt ab iis quæ *Garcilaſſus* tradidit; neque mirum quum literis & libris caruerint Peruviani, ſine quibus difficulter rerum memoria conſervatur.

Ut autem obiter hic referam, captus fuit *Atahualpa* ab Hiſpanis, menſe Mayo, anni cIↄ Iↄ xxxiii & paulo ante à ducibus *Atahualpæ*, frater illius *Guaſcar* in urbe *Cuſco:* quem deinde barbari mandato *Atahualpæ*, ut referunt Hiſpani, ſuffocarunt in fluvio *Andamarca*; Hiſpani autem inaudita crudelitate, paulo poſt ipſum *Atahualpam*, ſuſtulerunt; deinde *Pizarrus* per ludibrium filium illius *Toparpam* conſuetis ceremoniis à primoribus voluit inaugurari: ſed ſubrogavit ipſi anno cIↄ Iↄ xxxiv *Mangonem* filium *Guaynacavæ* uti legitimum imperii hæredem. Verum diſcordia inter *Pizarrum* & *Almagrum* paulo poſt orta, animos quoque barbarorum diſtraxit in partes, ita ut *Mango* potiſſimum ad *Almagrum* ſe applicaret; neque deſperaret avitum imperium, pulſis Hiſpanis poſſe recuperare; unde factum fuit, ut anno cIↄ Iↄ xxxv clam è *Cuſco* ſe proriperet, & maximis copiis Hiſpanos in illa urbe obſideret, & variis modis infeſtaret: Rediit poſtilla *Almagrus* ab expeditione *Chilenſi*, quem *Mango* ſperaverat, ut *Pizarris* infeſtum, ita demereri, ut cum ipſo *Cuſcenſes* expugnaret, verum quum id minime procederet, etiam in *Almagri* copias irruit, ſed exiguo profectu: Qui poſtquam cum *Pizarris* in gratiam, ut putabat, rediiſſet, *Mangonem* qui è *Tambo* ſe receperat in vallem *Amayabambam*, per *Tribunum* ſuum *Rodericum Orgonnez* ita terruit, ut in aſperrimam provinciam viginti quinque leucis à *Cuſco* profugeret, quam vocant *de Viticos*, haud longe à provincia in qua urbs *Guanuco* condita fuit. Certatum dein aliquot annis inter Hiſpanos mutuis cædibus. *Almagrus* publico ſupplicio ſublatus, *Franciſcus Pizarrus* ab *Almagrianis* in oppido *Lima* trucidatus. Anno cIↄ Iↄ xli advenit ex Hiſpaniis à Rege miſſus *Vaca de Caſtro* qui Peruviam eſt ingreſſus, & quum varii duces cum ſuis copiis illi ſe adjunxiſſent, Præfecturam iniit ſub initium anni cIↄ Iↄ xlii, & promovit exercitum ad vallem *Xauxam*, & deinde ad *Chupas*, ubi prœlium fuit commiſſum, in quo *Almagriani* fuerunt profligati, & paulo poſt *Almagrus Iunior* captus, & anno cIↄ Iↄ xliii ſupplicio affectus. Miſſus deinceps à Rege *Blaſco Nunnez Vela*, ut Peruviam Pro-Rege adminiſtraret, cui mandatum, ut *Mangonem* ad officium reduceret, & anteacta condonaret: Hic venit in Peruviam anno cIↄ Iↄ xliv: *Gonzalus* autem *Pizarrus* rebellavit in urbe *Cuſco* ſeque Ducem profeſſus eſt contra *Mangonem*; verum quum copias ſuas eduxiſſet è *Cuſco* & contra Pro-Regem feſtinaret; *Mango* opportunum ratus urbem pene vacuam uti opinabatur, intercipere; dum in eo eſt, à paucis Hiſpanis, qui aliquandiu apud illum latitaverant, fuit interfectus, & copiæ illius ſe inter Andium juga ſubduxerunt. Pro-Rex interim à regiis Judicibus captus, & rurſus ab uno illorum in libertatem reſtitutus; *Pizarrus* à reliquis Præfectus Peruviæ proclamatus, ita ut Pro-Rex verſus *Quito* profugeret, & quum à copiis *Pizarri* urgeretur, ad *Popayan*; unde reverſus ad provinciam *Quitenſem*, in *Anaquito* à *Pizarri* copiis profligatur, & cæditur à Nigrita ex mandato *Carvajalis*, anno cIↄ Iↄ xlvi. Advenit deinde Licenciatus *Petrus de la Gaſca*, qui conſilio atq; armis tantum effecit, ut *Pizarrum* ſuperaret, caperet & ſupplicio afficeret, in *Guaynarima:* atque ita *Pizarri* terris penitus exciderunt quas Regno Hiſpaniarum acquiſiverant, anno cIↄ Iↄ xlviii.

Cap. XII.

De Regimine politico Peruvianorum, ex Commentariis Yncæ.

l.2.c.11. Diviserant jam olim Reges Peruviæ, imperium ſuum in quatuor partes, ſecundum quatuor mundi plagas: Partem orientalem vocabant *Antiſuyo*, à provincia *Anti*, quam nomen ſuum vaſtis illis montibus communicaſſe volunt, quia ab Hiſpanis appellantur *la Cordillera:* Occidentalem *Cundiſuyo* ab altera provincia *Cunti:* Septentrionalem *Chincaſuyo* ab ampla quadam provincia quæ ab urbe jacet verſus Arctum; Meridionalem denique *Collaſuyo* à *Collao*. Populum autem (cap.12.) diſtribuebant in decurias, ita ut ſingulis decem unus præeſſet; & rurſus quinque decuriis

curiis ſuperior aliquis miniſter, atque ita porro centenis, quingentis, & millenis generalis dabatur præfectus,neque facile excedebant hunc numerum.Decurionum munus erat ſingulorum curam gerere, & operam dare, ne quicquam eorum, quibus opus erat ipſis, deeſſet: itemque ſi quid peccaſſent,ad ſupremum præfectum deferre: nec non naſcentium & morientium nomina & numerum ſingulis menſibus indicare. Decuriones autem vocabant *Chunca Camayu* à *Chunca* decem & *Camayu*, id eſt, procurator; & ita de aliis pro numerorum ratione. In ſingulis pagis erant judices qui lites terminabant citra appellationem; ſi tamen controverſiæ inter provincias orirentur, de iis ipſe Inga agnoſcebat.

Ingens erat legum reverentia; nec otioſos patiebantur aut vagabundos: Regem autem inſtar numinis obſervabant, nam per decuriones iſtos exactè noverat numerum ſuorum ſubditorum, ſexum & ætates: & ut inferiores miniſtri melius in officio continerentur, ſecretos viſitatores ablegabat, qui in actiones illorum inquirebant & plectebant delinquentes: hos vocabant *Tucuyricoc*, quaſi dicas omnia pervidentes: gravius autem plectebantur miniſtri illi delinquentes, quam vulgus.

Regum autem poteſtas abſolutiſſima erat,ſiquidem non tantum omnium rerum domini erant ſed & perſonarum; ita ut non tantum ſibi ſumerent quantum libebat, ſed & virgines quaſvis ſibi peterent & impetrarent cum gratia, ſive in concubinas ſive in ancillas.

Obtinuit autem inde à primo rege conſuetudo, ut regni hæres duceret in uxo- l. 4. c. 9.
rem germanam ſuam majorem ex utroque parente,aut ſi illa deeſſet aut ſterilis comperiretur, ſecundo genitam, & tertiam; vel ſi ſorores deeſſent, cognatam vel etiam amitam, aut propinquo ſanguine conjunctam: cæteri autem principes conſanguineas ducebant uxores, exceptis tamen ſororibus, ut hoc Regibus & illorum primogenitis eſſet peculiare. Semper autem ſuccedebat in Regnum primogenitus, neque aliter factum in duodecim illis Regibus, inquit *Garcilaſſus:* licet aliter prodat *Acoſta.* Succeſſio autem Curacarum ſive minorum principum pro diverſitate provinciarum variabat; nam in aliis primogeniti ſuccedebant parentibus: in aliis unus filiorum qui populo magis placebat, ita ut potius ex electione, quam ſanguine videretur ſurrogari: in quibuſdam omnes fratres ex ordine ſuccedebant, & poſt illos majoris natu nepos & ita porro: quod Hiſpani licet falſo etiam de Monarcha crediderunt.

Primogenitos ſuos magna ſolemnitate ablactabant, poſtquam ſecundum ætatis annum ſuperarent: & tum capillum attondebant, & imponebant nomen: patrino præeunte, qui ex conſanguineorum numero aſſumebatur quidem in reliquis, in primogenito autem Principis erat ſummus ſacerdos Solis.

Maximam dabant operam Ingæ ut in omnibus provinciis; quas imperio ſuo adji- l. 5. c. 1.
ciebant, agri quam diligentiſſime colerentur, & larga Mayzii ſementis fieret; & quia hic aquarum penuria eſt, famoſiſſimos ubique moliebantur aquæductus, qui licet ævo & Hiſpanorum indiligentia, plerique jam conciderint, tamen ruderibus ſuis magnificentiam operum ſatis demonſtrant. In eundem uſum & campos diligenter complanabant. Agros autem univerſo ſementi faciendæ idoneos, partiebantur in tres partes, quam prima Soli, altera Regi, tertia colonis cedebat, ita tamen ut numero colonorum aucto, Soli Regique detraheretur, quod ipſis videbatur deeſſe: Solum autem quod rigari nequibat,radicibus & aliis fructibus occupabant,& ad eundem modum dividebant;eamque diviſionem ſingulis bienniis aut trienniis mutabant, ne terræ nimia cultura redderentur effœtæ.In colendis denique agris hunc ſervabant ordinem, ut primum colerent agros Soli dicatos: Dein terras viduarum & orphanorum, qui uti diligentius colerentur, erat in ſingulis pagis Curator pauperum,quem vocabant *Llacta Camayu*, qui è turricula ad id comparata veſperi denunciabat, quæ pars agrorum poſtero die colenda foret: in viduarum autem numero cenſebantur etiam militum conjuges quandiu mariti in caſtris principis militabant. Secundo loco colebat quiſque ſuos agros; & poſtremo loco Curacæ aut Principis.

Attribuebant autem ſingulis ſubditis tantum terræ,quantum poterat ferre ſeſqui modium; id vocabant *Tupu:* licet id nomen etiam milliare, itemque fibulam qua fœminæ utebantur, denotet; & verbi naturam induens denotet metiri. Ad eundem modum & ſolum minime riguum partiebantur. Agros autem ſuos ſtercorabant

fimo humano; aut ovillo: in planicie autem quæ mari adjacet avium marinarum; quare nefas erat illas occidere: in quibuſdam denique vallibus littoralibus capitibus piſcium.

Princeps nullas decimas aut aliud tributum capiebat à ſuis ſubditis, præterquam quod gratis ſementem illius facerent & meſſem colligerent & in horrea ad id in ſingulis pagis & municipiis comparata inferrent: & veſtes atq; arma tam militibus quam pauperibus providerent, pro ratione provinciarum, quibus ea potiſſimum imperabantur, quibus abundabant: A pauperibus autem pro tributo exigebant certum numerum pediculorum, ne ſordibus ſuis ſibi ipſis miſeriam augerent. Erant autem liberi ab omni tributo omnes è familia regia; item domini provinciales, Iudices, reliquique regii miniſtri: milites denique in caſtris agentes omneſque viduæ & pauperes. Aurum aut argentum à ſubditis accipiebant non ut tributum, ſed ut munus, quum nullum illius uſum noſſent quam templa ſua & palatia illis exornare. Tributa annonaria, uti & veſtes & arma, primo quidem in ſingulis pagis collecta ibidem in apothecis condebantur, deinde ad diverſoria publica, quæ ſingulis tribus quatuorve leucis conſtructa erant, quantum opus erat, deducebant, ita ut quantovis exercitu tranſeunte, miles ſine gravamine vulgi, ex apothecis regiis ali poſſet: ſpacio autem quinquaginta leucarum in ambitu *Cuſco*, omne tributum conducebatur ad urbem in uſum aulæ regiæ, & ſacerdotum Solis.

Cap. XVI.

De Regalibus ædificiis quæ paſſim in Peruvia *viſebantur, & de Religione* Peruvianorum.

REGALIA ædificia ſupra modum magnifica fuerunt & longe ſumtuoſiſſima: nam primo conſtructa erant è grandibus ſaxis elegantiſſime politis & levigatis; quod mirabile in gentibus quæ ferri uſum ignorabant; & tam apte conjunctis & concinnatis, ut juncturæ vix apparerent: unde Hiſpani fuerunt opinati nullo cemento fuiſſe colligata; Verum quidem eſt, Peruvianos calcis aut cementi uſum ignoraſſe; utriuſque tamen loco adhibuerunt nunc argillæ quoddam genus valde tenue & glutinoſum, quod vocabant *Llancac-Allpa*, id eſt, lutum glutinoſum, quod ob tenuitatem tandem diſparebat: nunc plumbo, argento & auro permixto: quæ res occaſionem dedit ut plurima maxima ædificia ab avaris Hiſpanis penitus corrupta fuerint atque deſtructa, ut narrat *Petrus de Cieça* cap. XLII & LX atque XCIV.

Parietes cubiculi regii, ut & templi Solis aureis laminis erant incruſtati, in quibus ſculptæ erant variæ figuræ hominum atque animantium. Sella regalis, quam vocabant *Tianam*, tota aurea erat & aureo ſolo impoſita. Vaſa omnia domeſtica, tam majora quam minora, aut argentea erant aut aurea; taliaque magno numero in omnibus & ſingulis Palatiis repoſita erant, ita ut Rege iter faciente, nihil neceſſe eſſet quicquam vaſorum aut ſuppellectilis ſecum ducere. Præterea ex auro atque argento efformabant omnis generis animantia, plantas, adeoque grandes arbores cum ſuis frondibus, floribus & fructu: & quod fidem pene ſuperat, etiam ſtrues grandes lignorum. de quibus præter *Garcilaſſum* lib. VI. cap. VII videndi *Petrus de Cieça* cap. XXI. XXXVII. XLI. *Auguſtinus de Zarate* lib. I. cap. XIV. *Gomara* cap. CXXV.

Ingentes autem hos theſauros maximam partem ab indigenis poſt Regem *Atahualpam* captum, fuiſſe abſconditos, neque hactenus inventos (niſi forte caſu quicquam eorum in cujuſquam manus inciderit) uno conſenſu tradunt ſcriptores.

His accedebant magnifica templa, quæ paſſim ſoli, ſummo ipſorum numini, conſtruxerant; imprimis autem ſumtuoſiſſimum illud in urbe *Cuſco*, cujus parietes laminis aureis à ſolo ad faſtigium tecti erant. Figura quoque ſolis quemadmodum vulgo pingitur, tota aurea erat cum ſuis radiis: quam Hiſpanus quidam nactus integram alea decoxit una nocte. Id templum hodie ſupereſt, pars monaſterii *S. Dominici.* Juxta principale templum erant & alia quatuor, quorum primum lunæ uti ſolis conjugi & germanæ dedicatum erat, cujus fores atque parietes laminis argenteis erant

erant obducti. Alterum Stellæ Veneris quam vocabant *Chaſca*, cujus parietes itidem argento tecti erant; Tertium fulmini, tonitruo & fulguri, quæ communi nomine vocabant *Yllapa:* Quartum Iridi quam vocant *Cuychu*,quod totum auro obductum erat. Præter hæc & domus his conjuncta erat itidem à ſolo ad faſtigium auro polita,in qua ſummi ſacerdotes conveniebant, de rebus Sacris acturi, quos omnes è proſapia regia eſſe neceſſe erat. Ad eundem modum & alia templa Soli dicata viſebantur in variis provinciis, licet non tam magnifica, quam hoc *Cuſcenſe*; niſi forte excipias longe antiquiſſimum in Inſula Lacus *Titicacæ* conditum, quod ſicuti & ipſam inſulam barbari imprimis venerabantur, quia reges ſuos inde ortos fabulantur: Id enim templum ad eundem modum auro argentoque erat ornatum,tantaque præterea vis auri atque argenti congeſta, ut barbarorum narratio pene fidem ſuperet.

Quia autem de templis eorum diximus, non abs re fuerit pauca hic addere de illorum ſuperſtitionibus: Peruvianos Solem tantum pro numine coluiſſe ſuperiore libro dictum: Huic immolabant omne pene genus animalium, potiſſimum autem oves ipſis domeſticas; item omnis generis fruges, & potiones veſteſque. Abhorrebant autem Incæ ab hoſtiis humanis: non minus quam humanarum carnium uſu in cibis, quem vetabant;licet Hiſpani quidam aliter memoriæ tradiderint. Plures habuerunt ſacerdotes, quorum ſummum vocabant *Villac Vmu*, id eſt, hariolum ſive prophetam; horum autem amictus nihil differebat à communi. Soli itidem conſecrabant virgines ab octavo ætatis anno, quas concludebant certis ædibus ad id deſtinatis, in quas mares intrare nefas erat, haud minus quam fœminis vetitum erat intrare in templum Solis, ut multum falſi fuerint Hiſpani qui ſcripſerunt, virgines has unà cum ſacerdotibus in templo Solis ſacris miniſtraſſe: Harum numerus in urbe *Cuſco*, utplurimum erat ſupra mille, & fere è ſanguine regali, quæ autem inter eas ætate præcellebant, vocabantur *Mamacunæ*, quaſi dicas matronæ & matres juniorum: Servabant perpetuam Virginitatem, neque unquam prodibant in publicum, aut ab aliis fœminis, ut mares taceam, videbantur; præterquam à Regina aut regiis filiabus. Principale earum exercitium erat nere veſtes in uſum Regis & Reginæ. Amictus autem Regis erat primo induſium ad genua uſque deſcendens, quod vocabant *Vncu*; & mantile quadratum, quod dicebant *Yacolla*; geſtabant præterea burſam, ut ita dicam quadratam, & ab humero ſiniſtro pendulam verſus latus dextrum, in qua Cucam ſuam circumferebant, quam dum res Ingarum ſtarent, ipſis ſolis & ipſorum conſanguineis maſticare fas erat, præter paucos primores quibus Rex ſingulari privilegio indulgebat. Caput denique redimibant tænia quadam quam vocabant *Llautu*; ea erat digitum tranſverſum lata & ſatis groſſa, ambiebatque ter quaterve caput; quibus accedebat rubra faſcia, quæ diadema inter utraque tempora conjungebat.

Eædem virgines & panes coquebant, quibus in ſolemnibus ſacrificiis utebantur, ipſis *Cancu*, quoſque Soli offerebant in feſtis majoribus *Raymi* & *Cittua:* nec non potum quem feſtis diebus Inga & illius conſanguinei uſurpabant, ipſis *Aca*. Vaſa autem omnia quibus hæ Virgines utebantur, erant argentea aut aurea, haud minus quam in templo Solis.

In cæteris regni partibus erant ſimilia monaſteria, in quæ filiæ *Curacarum* & aliorum quoq;, quæ forma aut elegantia cæteras excedebant, recludebantur;non tamen Soli erant ſacræ, aut ſervabant virginitatem, verum Regis erant concubinæ, & è clauſtris exibant quoties à Rege vocabantur: cuſtodiebantur tamen à ſuis mamaconis, & exercebantur variis operis; & texebant pannos, veſteſque & alia elaborabant Regi; quæ ille, ſummi muneris loco impertiebatur conſanguineis ſuis, aulicis, & militibus qui ſtrenue rem geſſerant.

Quas autem Rex ſemel exciverat aut cognoverat, eæ nunquam ad clauſtrum remittebantur, ſed aut in aula miniſtrabant Reginæ, aut cum ſingulari dignatione ablegabantur ad conſanguineos ſuos. Si quæ autem virginum, (quod tamen nunquam accidiſſe volunt) ſe corrumpi paſſa eſſet, illam lex vivam defodere jubebat; corruptorem autem laqueo tolli, una cum tota familia ſua, atque adeo ſi *Garcilaſſo* & aliis credimus, cum toto pago in quo habitabat. Denique nunquam hæ recluſæ ſive adhuc virgines ſive ab Inca corruptæ ullis aliis in uxores dabantur,

aut concubinas: tanta erat Principis & ipſius mulierum veneratio: licet quidam ſecus tradiderint, quos decepit quod Inga interdum ſubditorum ſuorum, maxime procerum, filias ob ſpeciales cauſas ipſe elocaret; ſed quæ nunquam virginum clauſtra fuerant ingreſſæ.

Cap. XVII.

De Peruvianorum *feſto principali, quod vocant* Yntip Raymi.

INTER quatuor feſta principalia, quæ ab Incis celebrabantur in urbe *Cuſco*, eminebat unum, quod vocabant *Yntip Raymi*, id eſt, Solis feſtum ſolemne, & ſimpliciter *Raymi:* id celebrabatur menſe Junio poſt ſolſtitium ſumma ſolemnitate: nam tum confluebant ex omnibus regni partibus ad urbem, omnes militares tribuni & duces exercituum, omneſque Curacæ & primores Regni, aut per ſe aut per liberos ſuos & conſanguineos, ſi ſenio aut aliis occupationibus impedirentur. Ceremonias ordiebatur ipſe Rex, tanquam filius Solis & ſummus ſacerdos, licet ſemper præter Regem haberent alium ſummum ſacerdotem è proſapia regia. Certabant inter ſe proceres, ut quam elegantiſſime ornati & amicti peregrinum in modum ad hoc feſtum accederent.

Parabant ſe univerſi ad hoc feſtum triduano jejunio, quo & à fœminarum conſortio penitus abſtinebant, neq; quicquam guſtabant, præter paululum Mayzii candidi, & Cucam herbam & puram aquam: neque toto illo triduo fas erat focum in urbe accendere. Abſoluto jejunio, nocte quæ ipſum feſtum præcedebat, Sacerdotes quidem parabant agnos & oves, aliaque neceſſaria ad ſacrificia, pro numero eorum qui confluxerant; Virgines autem Soli dicatæ, panem illum *Cancu*, & potum quem Inca & illius conſanguinei uſurpaturi erant; nam ad panem cæteris parandum plures aliæ fœminæ deputatæ erant.

Summo dein mane, Inca cum ſuis conſanguineis, ſecundum ordinem ætatis & dignitatis procedebat in aream majorem urbis, quam vocabant *Haucaypato*, ibidemque attente converſi ad orientem & nudi pedes, præſtolabantur, donec Sol aſcenderet ſupra Horiſontem; ad primum illius conſpectum, conſidebant humi, & brachiis apertis & elatis manibus, atque ori objectis, aërem veluti oſculabantur ſolem ut ſupremum Numen & Parentem venerantes. Cæteri proceres, in vicina area quæ dicebatur *Cuſſipata* eadem ſolemnia obibant. Rex deinde aſſurgebat, cæteris conſidentibus, & ſumebat in manus duo grandia vaſa aurea, quæ vocabant *Aquilla*, plena potu illo, quo utuntur; & vas dexterum propinabat Soli & conſanguineis ſuis, dein potum illius vaſis effundebat in cadum aureum, à quo canna lapidea eleganter polita pertinebat ad templum Solis, ut ipſe illum potum haurire videretur. E vaſi autem ſiniſtræ manus, primum libabat Inca, dein conſanguineis ſuis effundebat, ſingulis exiguum hauſtum, in ſcyphos ad id comparatos, de ſacro hoc liquore. Curacæ autem & alii qui non erant è proſapia regia, bibebant alium liquorem à Virginibus præparatum. Hac ceremonia abſoluta, procedebant omnes verſus templum: Solus autem Inga, & illius conſanguinei ingrediebantur, & ſolus Rex per ſe offerebat Soli vaſa in quibus libaverat, illumque veluti coram adorabat: cæteri Incæ uti & proceres reliqui qui conſiſtebant in area ante fores, tradebant vaſa ſua ſacerdotibus, per ipſorum manus Soli offerenda, unà cum variis animalibus ex auro & argento affabre concinnatis.

Oblationibus jam perfectis redibant ſinguli ad ſua loca: & accedebant Sacerdotes cum magno numero agnorum & ovium illius terræ, quæ Soli erant conſecratæ: ex horum numero ſumebant agnum nigrum, (hunc enim colorem maximi faciebant barbari) ut ex illo auſpicia caperent: & humi ſtrato, capite verſo ad orientem, aperiebant latus ſiniſtrum, & ocyſſime manibus eruebant cor & pulmones cum arteria aſpera; auſpicatiſſimum autem ducebant, pulmones exire palpitantes adhuc & plenos vitali ſpiritu: inauſpicatum vero ſi agnus, dum aperiunt latus, è tenentium manibus eluctando in pedes ſe erigeret, præter alia quæ ut inauſpicata notabant. Si agnus inauſpicatus videretur, ſumebant ovem & ita porro. Deinceps plures agnos & pecudes immolabant, ſed non ea ſolemnitate, ſiquidem jugulabant tantum, & cor

atque

atque ſanguinem flammis abſumebant, quas artificio quodam naturali à ſole fœnerabantur. Carnes autem aſſabant in publico & aſſas comedebant cum ſingulari ordine & feſtivitate: & poſt cibum captum demum largo potu ſe invicem ingurgitabant, familiari & pene agnato hiſce barbaris vitio. Novem diebus durabat hæc feſtivitas, quæ maxime conviviis & ſympoſiis abſolvebatur; quibus abſolutis ſinguli revertebantur ad ſua.

Cap. XVIII.

De Peruvianorum Idiomate atque Poëſi.

IDIOMA Peruvianorum, præſertim commune ſive Cuſcenſe, valde fuiſſe conciſum & inops verborum, ita ut uno nomine ſæpe diverſas res explicarent, & uno verbo non raro integram ſententiam exprimerent, pluribus locis monet *Ynca Garcilaſſus* qui optime potuit ſcire. Tamen ad eundem modum, quem in Nova Hiſpania indicavimus, de lingua Mexicana, commune fuit toti Peruviæ, Regibus illud una cum legibus ſuis & inſtitutis, in domitas provincias inferentibus. Obſervat *Garcilaſſus*, Patres liberos ſuos vocare *Churi*, matres autem *Vava:* Sexus autem diſtinguere adjectione particulæ quæ ſexus diſcriminet. Item fratres ſe invicem appellare *Huauque*, ſorores *Nanna:* ſi autem frater ſororem alloquatur, dicit *Pana*, non autem *Nana*, ne & ipſe fœminam ſe faciat; Soror autem ob ſimilem cauſam fratrem compellans non dicet *Huauque* ſed *Tora:* nec ſororem compellans *Pana*, ſed *Nanna.* Idem monet, Cuſcenſe idioma caruiſſe aliquot literis Alphabeti Latini & Caſtellani atque Vulgaris, puta b.d.f.g.i.l, niſi quod ll uterentur duplice, & x. & r. itidem uterentur tantum ſimplice, nunquam duplice; quas dum Hiſpani ſupplent pro ſuo arbitrio, multa vocabula illius idiomatis depravaverint. Secundo habuiſſe tres pronuntiandi modos, quibus & ſignificationem ſingulorum nominum & verborum variabant; nimirum intra labia, palatum & intra fauces, qui modi omnino ſint obſervandi, ut differentia ſignificationum deprehendatur. Tertiò non reperiri in hac lingua ſyllabas quæ duas conſonantes habeant, ſive mutam cum liquida; & ſi quædam vocabula ejuſmodi ſyllabas videantur habere, in pronunciatione mutam à liquida eſſe dividendam, ut Pap-ri, Poc-ra, Chac-ra, &c. Verum lingua hæc communis, poſtquam Hiſpani Peruvia ſunt potiti, apud plures nationes obſolevit, quæ jam propriis utuntur; quæ res inſigne impedimentum adfert religioſis in inſtituendo barbaros principia religionis Chriſtianæ.

Porro hanc communem linguam plurimum excoluerunt ipſorum litteratores & philoſophi, quos vocabant *Amautas*, ita ut ad Poëſin accommodarent: quos poëtas ſingulari nomine appellabant *Havarec.* Verſus autem illorum fere tribus aut quatuor ſyllabis conſtabant, quos ita diſponebant, ut interdum omnes quatuor ſyllabis conſtarent; interdum eſſent mixti. Utriuſque compoſitionis exempla proponit *Garcilaſſus*; & quidem mixti generis cantilenam hanc brevem; l.2. c.17.

Caylla llapi	id eſt	Ad canticum
Punnunqui		Dormies
Chaupituta		Media nocte
Samuſac		Veniam.

Alterius autem hanc longiorem, cum interpretatione latina *Blaſii Valeræ*, qui verſuum modum ſervans ſenſum minus expreſſit, & ſua ad verbum:

Cumac Nuſta	Pulchra Nympha	Formoſa domicella
Torallayquin	Frater tuus	Aqua implevit germanus tuus
Puynnuy quita	Urnam tuam	Cantharum tuum
Paquiz cayan	Nunc infringit	Quem nunc frangit
Hina mantar	Cujus ictus	Qua ex cauſa
Cunun nunun	Tonat fulget	Tonat & fulgurat
Ylla pantac	Fulminatque	Fulminatque
Camri nuſta	Sed tu nympha	Tu regia domicella
Vnuy quita	Tuam lympham	Tuas pulchras aquas

Para munqui	Fundens pluis	Nobis das pluendo
Riti munqui	Interdumque	Et certis vicibus
Pacha rurac	Grandinem ſeu	Ninges nobis
Pacha camac	Nivem mittis	Et grandinem fundes
Vira cocha	Mundi factor	Deus qui animat
Cay hinapac	Vira cocha	Magnuſque viracocha
Chura ſunqui	Ad hoc munus	Ad hoc officium
Cama ſunqui	Te ſufficit	Te collocarunt
	Ac præfecit.	Et te animarunt.

Argumentum eſt fabula, quam philoſophi illorum commenti fuerant; Puellam è regia proſapia à ſummo Deo in regione aëris fuiſſe collocatam, cum phiala aquis plenâ, ut illam in terram profunderet quum opus eſſet: hanc phialam à puellæ germano interdum frangi valido ictu, atque ita generari tonitrua, fulmina atque fulgura. *Yllapantac* enim unico nomine concludit tonitru, fulmen atque fulgur. *Cunnunnuni* ſignificat ſtrepitum edere. *Vnu* notat aquam, *Para* pluere, *Chiti* grandinare; *Riti* ningere: *Chura* ſignificat ponere: *Cama* animare. Unde ſupremum numen *Pachacamac* dixerunt. Idem author teſtatur, Peruvianorum *Amautas* dramata compoſuiſſe & egiſſe coram aulicis, in quibus illuſtria defunctorum Regum geſta celebrabantur.

Cap. XX.

Scientiæ, quarum Peruvianorum Philoſophi gnari fuerunt; & quo pacto rerum geſtarum memoriam conſervaverint, & illorum Arithmetica.

VETERES Peruvianorum *Amautæ*, Aſtrologiæ haud penitus fuerunt ignari, trium tamen ſiderum tantum habuerunt rationem; Solis quem vocabant *Ynti*, Lunæ quam *Quilla*, Veneris *Chaſca*: Stellas autem omnes communi nomine dicebant *Coyllur*. Itaque & anni ambitum, quem nominabant *Huata*, obſervarunt, quem vulgus meſſibus diſtinguebat. Et ſolſtitiorum rationem habuerunt, uti apparet è turriculis, quæ & ad orientem & occidentem urbis *Cuſco* erant poſitæ; de quibus *Ioſephus de Acoſta* videndus. Verum in numero turricularum & illarum uſu plurimum ab illo diſcrepat *Garcilaſſus*; ſcribit enim fuiſſe duodecim, & ſignaſſe duodecim menſes: *Acoſta* vero tantum octo ad unam, & itidem octo ad alteram urbis plagam: eaſque ita fuiſſe diſpoſitas, ut quatuor minores in medio, octodecim aut viginti pedes à ſe invicem diſtarent, & majores æquali pene ſpacio utrimque ab hiſce abeſſent; ita ut minorum umbra ſolſtitium proderet, permoleſta obſervatione. Æquinoctia ad eundem fere modum obſervabant, columnis elegantis operis erectis ante templum Solis, & circulo circumducto. Obſervabant & Ecclypſes tam Solis quam Lunæ, licet cauſas penitus ignorarent, ſed ridiculas comminiſcerentur; nimirum Solem ipſis iratum faciem ſuam abſcondere & malum minari: Lunam ægrotare, & ſi totalis eſſet Ecclypſis mortuam aut moribundam; idque unice pertimeſcebant, caſuram enim & mortales omnes obruituram: itaque plorabant, clamabant, & verberibus canes ad ululandum adigebant, perſuaſi Lunam canibus delectari.

l. 6. c. 3.

Menſes lunares habuerunt, & *Lunæ* nomine vocabant *Quilla*, partiebanturque in quatuor partes. Iiſque, ut ſcribit *Acoſta*, propria nomina & ſingularia feſta attribuebant. Annumque inchoabant olim à Januario; ſed poſt Regem *Pachacutec*, quem anni reformatorem vocant, à Decembri.

Medicinæ parum ſcientes fuiſſe haud dubium eſt; herbarum tamen quarumdam vires & facultates à quibuſdam haud ignoratas, qui in ſumma æſtimatione propterea fuere apud Regem & magnates: cæterum fere duobus remediis utebantur, venæ ſectione & purgatione; venam utplurimum ſecabant in parte affecta: in purgatione adhibebant radicem quandam candidam inſtar rapi, utplurimum duarum unciarum quantitate; atque ita valide & vomitum ciebant & ſedes, non ſine inſigni languentium diſcrimine. Medicamenta in initio morborum tantum adhibebant; ubi invaluerant,

valuerant, diœtam præſcribebant aut inediam: nec niſi ſimplicibus utebantur, mixtionis plane ignari.

Geometriam utcunque calluerunt, ſed rudi modo; uti & Geographiam: & muſicam pneumaticam, præſertim in Collarum regione, ſed ita inconcinnam & indigeſtam, ut vix Harmoniæ nomen mereretur; utebantur cannis utplurimum quatuor conjunctis & diverſorum tonorum, nonnunquam & una fiſtula ad unam tantum cantilenam comparata.

Peruviani (inquit *Ioſephus de Acoſta*) nullum genus ſcripturæ noverant ante Hiſpanorum adventum, neque per literas, neque per characteres aut picturas, ut Chinenſes & Mexicani: nihilo tamen ſecius & memoriam antiquitatis conſervabant, & rationem dabant de omnibus tam pace quam bello geſtis. Diligentiſſimi enim erant in tradendo minoribus quæ à majoribus acceperant, & minores in conſervando quæ ipſis tradebantur. Litterarum autem defectum ſupplebant, partim picturis, (quemadmodum & Mexicani) licet valde rudibus; potiſſimum autem *Quipis*. Sunt autem *Quipi* memorialia ſive regiſtra facta è funibus, in quibus diverſi nodi & diverſi colores, res diverſas denotabant. Incredibile videtur quantum illis perfecerint; etenim quicquid ſcriptura & libris explicari poteſt, Hiſtoriæ, leges, ceremoniæ, rationes mercimoniorum & ſimilia, id omne ſumma dexteritate & explicatiſſime illis nodis adnotabant: quin & circumſtantias omnes variis funiculis annexis deſignabant. Ad hæc memorialia conſervanda certi erant deputati miniſtri, quos vocabant *Quipa-Camayo*, qui rationem reddere tenebantur, quemadmodum apud nos Notarii publici, aut Secretarii, neq; minor fides ipſis habebatur. Ad diverſa autem rerum genera, puta bellum, regimen politicum, tributa, ceremonias, agros, &c. diverſi adhibebantur *Quipi* ſive funes: & in ſingulis eorum tot nodi & noduli & funiculi penduli, alii virides, cærulii, candidi & in ſumma tot modis variegati, ut quemadmodum nos per viginti quatuor literas variis modis diſpoſitas, infinita vocabula producimus, ita illi per varietatem nodorum & colorum, infinitas rerum ſignificationes denotarent. Ita (ut notat *Garcilaſſus*) per luteum colorem notabant aurum, per candidum argentum, per rubrum milites.

l. 6. c. 3.

Monſtro autem ſimile (inquit *Acoſta*) quod barbaros hos videas, granis Mayzii rationes etiam difficillimas nullo negotio ſubducere & expedire: Exempli gratia; ut inveniant quantum ſingulis pro certa proportione, pendendum ſit de integra tributi ſumma pluribus imperata; arripient grana ſua & ponent hic unum, illic tria & alibi octo; tranſponent unum granum hinc, tria permutabunt inde; & in ſumma tam accurate explicabunt rationes, ut ne hilum quidem aberrent; & non minus dextre invenient quid, quantumque unumquemque dare aut accipere oporteat, quam noſtrates pluma aut àtramento.

Cap. XXI.

De moribus & inſtitutis eorum domeſticis pauca.

PERUVIANI, tam proceres quam plebei, educabant liberos ſuos frugaliter; primum natos abluebant frigida: uti & ſingulis diebus antequam faſciis illos vincirent; neque ante tertium menſem brachia ipſis libera dimittebant, id robori prodeſſe autumantes, reclinabant in cunas ligneas, ſuper reticulos, lectorũ loco. Nunquam illos in brachia attollebant aut in gremium, ne quidẽ quum mammam dabant. ſed ſe ad illos inclinabant: idq; ter tantum quotidie. Ipſæ matres, etiam Reginæ, lactabant liberos ſuos, niſi forte morbo aut alia ſontica cauſa impedirentur: & à maritorum conſuetudine fere abſtinebant, ne liberos ante tempus ablactare tenerentur; nam ejuſmodi ob cauſam ante tẽpus ablactatos, propudioſo nomine vocabant *Ayuſca*, quaſi dicas nothos. Fœminæ hic facillime pariebant, etiam ſine obſtetricibus, & poſt partum abluebant ſe frigida, neq; domeſticis exercitiis vel tantillum abſtinebant. In quibus univerſæ admodum diligentes erant; ſuetæ nere & texere, in calidioribus quidem provinciis goſſypium, in frigidioribus lanam. Texebant autem in uſum tantum familiæ ſuæ, telas utplurimum quadratas, & pro ratione & modo veſtimentorum; ſuere inſuetæ, quia fibulis quibuſdam veſtes connectebant. Quemadmodum autem fœminæ veſtes, ita mares calceos aut ocreas parabant; nulli enim hîc reperiebantur artifi-

artifices communes, unuſquiſque ſibi ipſi & ſuis operabatur ea quibus opus erat: Agriculturam, tam mares quam fœminæ, adminiſtrabant.

Mira autem erat fœminarum diligentia, nam & prodeuntes in publicum aut fila ducebant, aut jam ducta torquebant, aut ſemper aliquid operis agebant; ne quidem quum vicinas aut opulentiores inviſerent, ab opere vacantes.

Summam quoque honeſtatis publicæ rationem habebant Reges & proceres, neque ſcorta publica intra oppidorum aut pagorum limites habitare permittebant, ſed per agros in vilibus & abjectis caſulis; Scorta autem ejuſmodi appellabant *Pampayruna*, id eſt, proſtibula publica; eaque tantopere contemnebant, ut fœminæ cum ipſis ſermones ſerere formidarent, ne forte ſuſpicionem incurrerent: & viri indignis interdum modis ipſa tractarent.


Matrimonia contrahebantur ad hunc modum: Imperator ipſe in oppido *Cuſco* ſingulis annis, aut interdum ſecundo anno, rationem inibat eorum qui nubiles erant, id eſt, marium qui vigeſimum quartum, & puellarum quæ decimum octavum annum ætatis ſuperabant; deinde die deſtinato, primo omnes è regia proſapia in loco publico conveniebant, atque ab *Ynca* ipſo, dexterarum contactu, copulabantur; & ad ſponſorum parentes divertebant, aliquot diebus epulis operam daturi: poſtero aut tertio deinceps die, reliqui nubiles, ad eundem modum, copulabantur à miniſtris ad hoc ſpecialiter à Rege delegatis. Eadem pene ratio obſervabatur in cæteris provinciis, ubi Curacæ Regis vice fungebantur. Vetitum denique erat extra provincias aut cognationes nubere: neque præter unam, legitima conjux habebatur.


Id quoque ad regni ſui robur & concordiæ inter ſubditos vinculum rebantur, nequaquam permittere, ut ex uno pago in alterum, (ne dicam ex provincia in provinciam) commigrarent, niſi à Rege juſſi; qui ut domitas provincias melius in officio contineret, ejuſmodi migrationes aliquando imperabat.

Plura addit *Garcilaſſus*, quæ nos tanquam jam obſoleta prætermittimus, quum ex iis quæ diximus ſatis putemus liquere, gentem hanc, pro modulo eorum qui literis tam ſacris quam profanis deſtituuntur, Rempublicam habuiſſe ſatis juſtè & ſapienter conſtitutam, & multis Europæis pudorem poſſe incutere.

DESCRIPTIO

RPJCB


CHILI
Sierra Nevada de los Andes.
Mendoça
Chucuito
S. Iuan
Val de Copayapo
Val de Guaſco
Val de Chile,
Val de Quillota
Mapocho
Iago dela nueva Eſtremadura
El Guasco
La Serena
I. Totoral
I. de Muxillones
I. de Paxaros
B. de Coquimbo
R. de Limara
R. de Copayapo
B. de Nueſtro Señor
Pᵗᵒ de Copayapo
Muyramor
Val Parayſo
Pᵗᵃ del Governador
R. de Maypo
Salinas
Pᵗᵒ de Corona
R. Topocalma
Quintero
C. de Concon
R. de la Ligua
Choapa
Toral
MAR DE
NOORDT
Ylas de Guan
26 27 28 29 30 31 32 33 34
WE 35



Anglica milliaria 20 in vno gradu
Hispanicæ leucæ 17½ in vno gradu
Germanica milliaria 15 in gradu
1. Pto. de Talcaguana
2. I. Quiriquina
3. R. Biobio
4. R. Llandalien
5. R. de la Laxa
ZUYDT
Sierra Nevada delos Andes
Pulches
Lago Mallobauquen
Villa Rica
Mariquina Val.
Agualay, Provincia de Ancud
Osorno
Castro
Po de S Domingo
Cabo de Islas
I. de Nuestra Señora del Socorro
C. de Diego Gallego
Concepcion
Quilacoya
Arauco
Casa fuerte
R. Labapi
Tucapel
Imperial
Puren
R. Tolten
B. Queule
Baldivia
La Mocha
Pto de Galera
R. Bueno
C. de Changui
Golfo de los Coronados
C. Felix
Pto S. Ciprian
Pto de Sta Clara
I. de Sta Maria
R. de Lebo
Po del Carnero
ILI

05097-1119

RPJCB

DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER DUODECIMUS.
CHILE.
CAP. I.
Chilenſis *Præfecturæ limites, cœli ſolique qualitates.*

PRÆFECTURA *Chilenſis*, ſi paulo latius ſumatur, (quemadmodum illam fere ſumit *Herrera*) pertingit ab extremis Peruviæ finibus ad Fretum uſque Magallanicum; patetque in longitudinem quidem inter Arctum atque Auſtrum, inde ab exordio vallis *Copiapo* ſive vigeſimo ſexto gradu latitudinis Auſtralis, ad ipſum Freti os, leucas circiter quingentas; in latitudinem vero inter Occaſum atque ortum, à Mari Auſtrali ad Atlanticum, ubi maxime quadringentas aut quingentas leucas, ubi minimum nonaginta vel paulo plures aut pauciores; quibus limitibus plurimæ vaſtæ regiones atque provinciæ continentur, quarum pleræque nondum ab Hiſpanis domitæ, multæ quoque ne quidem unquam fuerunt luſtratæ. Si vero proprie & ſtrictius accipiatur, pro ea regione quam Hiſpani jam à multis annis, pauculis oppidis colere cœperunt, longe anguſtioribus limitibus comprehenditur, quippe quæ ſecundum littorum ductum in longitudine non ſupra trecentas leucas contineat, in latitudine tantum viginti & nonnullibi pauciores: ab ora nimirum Maris Auſtralis ad vaſta Andium juga, quæ uno & contiguo pene ordine ſecus orientalem harum regionum plagam, ad Fretum uſque Magallanicum diſcurrunt & hic imprimis vaſte ſeſe attollunt & perenni nive tecta viſuntur. De ea autem potiſſimum nobis propoſitum hoc libro agere, de Magallanica ſequenti.

Nominis rationem explicat *Auguſtinus de Zarate* in Hiſtoria Peruviæ: *Chilem* dici à frigore, quia è Peruvia non niſi per frigidos & nivoſos montes poteſt adiri, *Chili* enim Peruvianis ſignificat frigidum. Tota autem hæc regio extra torridam Zonam & ultra Tropicum Capricorni ſita, pro variis à Polo Antarctico ſive Auſtrali diſtantiis, varias aëris temperies & tempeſtatum viciſſitudines perpetitur: quumque pene totidem gradibus à Polo Antarctico, quot Hiſpania ab Arctico divergat, contrarias plane anni tempeſtates experitur, ita ut hic hyems ſit, quum æſtas eſt in Hiſpania & contra. Nam quum Sol ſuperato Æquatore ad Cancri Tropicum properat, tum & pluviæ ingruunt & frigus hic ſentitur; nempe à menſe Aprili ad Septembrem; & contra quum Sol ad Tropicum Capricorni revertitur, raræ hic pluviæ, ſudum plerumque cœlum & modici æſtus percipiuntur. Hac anni tempeſtatum viciſſitudine fit ut & Indigenæ harum provinciarum, ingenio atque induſtria ad Europæos propius accedant, quam cæteri Americani, & major frugum atque fructuum ſimilitudo deprehendatur.

Solum harum provinciarum ſecundum oram Maris Auſtralis magna ſui parte planum aut in modicos colles aſſurgens, montes autem, quos in Peruvia *la Serrania* appellari diximus, tribus quatuorve leucis à littore communiter abſunt, nonnunquam & deſcendunt ad ipſum littus & à fluctibus marinis pulſantur, ut ſuo loco annotabitur. Amœniſſima porro eſt regio & perfœcunda, atque omnium frugum haud ſecus quam Hiſpania ferax, Tritici meſſe atque vindemia juxta abundans,

paſcuis denique ſupra modum luxurians: ſalubris quoque & egregium inter æſtum atque frigus ſortita temperamentum, æſtatis atque hyemis pro tempeſtatum mutatione æqualiter compos: Ver illorum inchoatur à Septembri, æſtas à Decembri, autumnus à Martio, hyems à Junio: longiſſimum diem feſto *S. Luciæ*, breviſſimum *S. Barnabæ* experiuntur: majorem tamen æſtivis menſibus calorem quam hybernis frigus tolerant, rara tonitrua aut fulgura. In quibuſdam vallibus, ſtato tempore ros quidam decidit ita ſpiſſus ut coaguletur & frondibus plantarum inſtar ſacchari adhærere videatur, qui collectus & ſuavis admodum eſt & eundem pene uſum præſtat, quem Manna. Gramina hic propter idoneam humiditatem fere perpetuo virent, & arbores in montanis nunquam frondes ſuas deponunt: paſcua, Rege Hiſpaniarum ita volente, communia ſunt omnibus & ſingulis colonis: Venationis & piſcationis jus promiſcuum, tam in mari quam in fluminibus, lacubus & ſtagnis: Iter hac agentibus in oppidis atque prædiis, victus atque hoſpitium gratis præbere conſuetudo obtinet.

Cap. II.

Animalia, fruges, plantæ hujus præfecturæ, Indigenarum mores.

IN tota *Chilenſi* regione ovium quoddam genus reperitur, tam domeſticarum quam ſilveſtrium, quæ formâ ad Camelos magis accedunt, niſi quod gibbo careant, cæterum longe majores quam Europææ & plerumque ulnam Hiſpanicam proceræ, collo oblongo & tereti, rictu fiſſo, per quem ſpumam, quum iraſcuntur, ejaculantur in illos à quibus ſe lædi opinantur; caro illarum paulo ſiccior quam Europæarum; cicures colore utplurimum ſunt candido aut nigro, interdum & cinericio; ſilveſtres vero & montenſes colore ſunt igneo aut fulvo; longa, levi atque adeo nitenti lana veſtiuntur, quæ precio Hiſpanienſem longe ſuperat: nam quum vellus ovillum in Hiſpaniis uno regali venundetur (Hiſpani authoris ſunt verba) harum ſingula vellera aureo æſtimantur. Ex hac lana certi panni texuntur, quorum ſplendor ad Camelottorum nitorem quam proxime accedere dicitur. Porro ovibus hiſce aures perforant, & foraminibus innectunt funes, quorum attractu eaſdem regunt & educunt quo libet; ſolutæ enim velociter admodum currunt, præſertim ſilveſtres, quæ equis pernicitate pares eſſe feruntur. Sed de his in Peruvia plura diximus.

Chincilla. *Richardus Hawkinus*, meminit hic cujuſdam animalculi, quod appellant *Chincillam*, magnitudine ſciuri, colore fuſco, ſed pilo adeo levi & glabro, ut omnes aliorum animalium pelles ſuperet, & in hiſce regionibus & vicina Peruvia ab omnibus maximi fiat.

Præter triticum, hordeum, Mayzium, quæ tellus abunde producit, naſcitur in Teca. hiſce provinciis aliud quoddam genus farris, quod ab Indigenis nominatur *Teca*; folium illius parum differt ab hordei fronde; culmus inſtar avenæ aſſurgit ad dimidiæ ulnæ Hiſpanicæ altitudinem, frumentum illius paulo minus eſt ſiligine: Barbari ſolent illud demetere antequam plane maturuerit & in ariſtis ſiccare ad ſolem, dein excuſſum quum opus habent, ſub cineribus torrere, denique toſtum ſuper ſaxum quadratum, rotula lapidea redigere in pollinem; hanc circumgeſtant iter facientes, nutrit enim egregie, ita ut modiolus viro ad octiduum ſufficiat; hæc & cibum & potum ipſis ſubminiſtrat; nam modica aqua miſtam pro obſonio, copioſiore autem dilutam pro potione uſurpant.

Præterea & genus quoddam ſilveſtrium arborum hic paſſim reperitur, inde à triginta & ſex gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, ad Fretum Magallanicum uſque, quæ fructus ferunt uvarum in modum racematim collectos & pendulos, piſorum magnitudine, granorum mali Granatenſis forma, atque adeo colore: Indi-
Murtilla. genæ vocant hanc arborem *Vnni*, Hiſpani *Murtillam*; fructus ſunt ſapore inter ſuavem atque acrem medio; quique & calefaciunt & exſiccant: Liquor autem quidam ex ipſis exprimitur, qui quam proxime accedit ad vinum, non modo palato gratus, ſed & ventriculo propitius: digerit ſuperfluos corporis & præſertim capitis humores; adjuvatque ventriculi appetitum; clarus eſt atque dilutus, quippe feces ſuas ſponte & ſine ulla ignis ope egerens; etiam acetum ex iiſdem fructibus

ctibus fit, odore & ſapore longè præſtantius, quam quod ex uvis immaturis conficitur.

Nihil autem haſce provincias ita commendat quam auri copia, & quidem ita abſoluti, ut omnium aliarum provinciarum aurum longe ſuperet.

Ibidem jam poſtquam Hiſpani ſunt ingreſſi, tanta dicitur reperiri caprarum copia, ut ſingulis annis ſupra quinquaginta millia mactent tantummodo vellerum gratia, & ſevi. Triticum quoque ſupra modum commendatur: habeo enim authorem, qui far tritici mole ad pineas nuces dicat accedere; unde non raro Peruviam annona juvant; quod Chilenſibus perfacile eſt, aura ſemper ſecunda à Chile ad Peruviam flante.

Indigenæ colore ſunt candido, ſed fronte hirſuta & capillata, quod ipſis ab aëris nimia humiditate volunt accidere: olim quidem pene nudi agebant, nunc vero amiciri & veſtibus uti gaudent: pecuariæ quoque ſtudioſiſſime dant operam, carpunt lanas & texunt pannos. Cæterum ob continua bella, quæ Araucani & illorum confœderati jam à pluribus annis continuo cum Hiſpanis gerunt, regio magna ſui parte malè culta & incolis eſt infrequentior; nulla enim orbis Americani pars carius Hiſpanis conſtat, quam *Chile*, nullibi hodieque incertiores ſedes habent; nuſquam plures aut graviores clades ſunt perpeſſi, & adhuc hodie perpetiuntur, uti mox plenius dicemus.

CAP. III.

Atacama *deſertum, & itinera è Peruvia ad Chilen, primaque Almagri expeditio in has provincias.*

Charcenſem Conventum Juridicum ſive Auſtraliorem Peruviæ partem, dirimit à Chilenſibus provinciis, vaſta ſolitudo, quæ vulgo *Atacama* appellatur: à Peruvia enim ad Chilen, ducunt duo terreſtria itinera, (quibus tamen quam rariſſime utuntur Hiſpani,) unum per hanc ſolitudinem, alterum per montana. Patet hæc *Atacamæ* ſolitudo in longitudinem, inter Arctum & Auſtrum, ſecundum oram Maris Pacifici nonaginta ſive centum leucas, Tropico Capricorni quaſi mediam ſecante: Regio triſti & inamœno aſpectu, aridiſſima & propter aquarum penuriam effœta, & arborum non modo fructiferarum, ſed & ſylveſtrium plane impatiens, tellure nuda neque herbida, præterquam tribus quatuorve locis, ubi nonnihil graminis naſcitur, & paucæ oves illarum regionum (*Guanacos* dici ſupra meminimus) vagantur: hibernis vero menſibus tam aſpero cœlo, tamque nivibus & pruinis eſt horrida, ut ſine ſummo diſcrimine & præſenti nonnunquam exitio iter hac agi non poſſit.

Pene mediam interluit torrens ſive amniculus quem Hiſpani vulgo vocant *Rio* R. de la
de la Sal, viginti tribus gradibus & quadraginta & quinque ſcrupulis ab Æquatore Sal.
verſus Auſtrum, qui è montibus, qui ad orientem hanc ſolitudinem claudunt, deſcendens, per ſiticuloſam hanc terram atque adeo profundiſſimam convallem verſus occaſum devolvitur, & egreditur tandem in Oceanum Meridionalem, viginti duabus leucis à *Xaguyes* (ita dicuntur putei quidam, è quibus hac iter habentes aquam hauriunt, nulla alia toto illi viginti duarum leucarum intervallo obviâ.) Dicitur autem *de la Sal*, quia aquæ illius ita amaræ ſunt & ſalſæ, ut in vaſis atque adeo in manibus haurientium ſtatim convertantur in ſalem, ripæque illius perpetuò multo ſale candicent.

Secundum iter quod à Peruvia ad Chilem ducit per montana, multo prolixius eſt atque impeditius, longeque periculoſiſſimum; nam Andium ſummum jugum cum ſummo diſcrimine ſuperandum, quod perenni nive tectum eſt atque ita frigidum, ut ab ullo mortalium ſine præſenti exitio, præterquam pauciſſimis anni menſibus, ne tentari quidem poſſit. Perflat hic enim (ut *Acoſta* teſtatur) tenuis quæ- l.3.c.9.
dam & debilis aura, quæ corpora humana in eum modum pervadit & penetrat; ut homines hac afflati ex improviſo concidant, ſtatimque emoriantur antequam mori ſe ſentiunt; omni vitali calore, uti veriſimile eſt, ſubito ab hac aura extincto: quemadmodum prima illa *Didaci Almagri* in *Chilenſes* provincias expeditione acci-

diſſe

diſſe accepimus, & plurimos mortales ab hac aura enectos, quorum cadavera poſt plurimos annos integra fuiſſe reperta, & nullam graviorem odorem fudiſſe ab Hiſpanis obſervatur: plura & mirabilia hujuſce rei exempla producuntur ab *Acoſta*, quæ nos brevitatis cauſa hic præteribimus.

Her.d.5. l.10.c.1. Itineris autem à *Didaco Almagro* inſtituti ratio ita ſe habuit: Anno à Chriſto nato cIↃ IↃ XXXVI è *Charcarum* provincia cum copiis ſuis profectus, primo venit *Topiſam*, is pagus eſt in provincia *Chicarum*; à quo tranſiit ad provinciam barbarorum qui *Xuxuyes* appellantur (de qua alibi quoque agemus,) gentis bellicoſæ & humanis carnibus veſci ſuetæ: ab hac pervaſit in provinciam *Chaquanam*; atque inde porro per vaſtas & deſertas regiones, (ſolo omni aſperrimo, nitroſo & penitus infœcundo) difficillimo & moleſtiſſimo itinere pervenit ad radices montium, quorum ſumma juga multa nive candicabant: & jam exantlatis incommodis nihil fractus, aut majoribus quæ haud dubio imminebant deterritus, inexplicabili pene difficultate progreditur per editos & præcipites colles; ubi magnam hominum atque jumentorum jacturam eſt paſſus, quæ ab intenſo frigore & lethali illa, quam diximus, aura conſtricta derepente corruebant: nihilo tamen ſecius ad ſummum Andium verticem evaſit; atque ab illo deſcendit in vallem *Copiapo*, ubi *Chilenſes* provinciæ ordiuntur, duodecimo circiter leucarum deſcenſu. Rediens denique in Peruviam, per ſolitudinem *Atacamæ* pervaſit, non ſine jactura hominum atque jumentorum. Per hanc enim *Inca Yupanqui* jam olim in *Chilenſes* provincias fuerat ingreſſus & penetraverat uſque ad fluvium *Maule*, de quo ſuo loco dicetur. Hiſpani autem hodie ob utriuſque hujus itineris difficultates & pericula, mari fere utuntur; rariſſime tantum ſecundum oram maritimam, per *Atacamæ* ſolitudinem, terreſtri itinere proficiſcuntur, periculoſiſſimo illo per montana penitus abdicato; præterquam ea parte, quam poſtea deſignabo.

Obſervatum porro ab Hiſpanis, à viginti tribus gradibus aut circiter ab Æquatore verſus Auſtrum, ad Fretum pene Magallanicum uſque, communiter ventos perflare à tribus tantum mundi plagis: Africum nimirum vernis & æſtivis menſibus, & paucis aliis diebus quibus ſudum eſt cœlum; à Septentrionali autem plaga hybernis menſibus & pluvia tempeſtate; Favonium denique, qui hanc oram legentibus maxime infeſtus eſt & adverſus, quique interdum validos cogit nimbos, quum ſeptentrionales venti remittunt.

Chilenſis provincia ſuum habet Præfectum, qui Peruviæ Pro Regi paret, ab eoque deſignatur; oppidani autem atque coloni aliquando jus petierunt à Conventu Juridico Limæ, quum nullus dum Conventus Juridicus hic eſſet inſtitutus; nunc proprium Tribunal habent in oppido *S. Iacobi*: duos præterea habent Epiſcopatus, undecim oppida ſeu municipia ab Hiſpanis habitata, de quibus porro ſuo ordine dicemus, prout jacent ad mare Auſtrale.

Cap. IV.

Primarum vallium Chilenſis *præfecturæ*, Copiapo, Guaſco *&* Chili *deſcriptio.*

Copyapo. Extremos *Atacamæ* ſolitudinis limites (quam ſupra abſolvimus) excipit vallis *Copiapo*, quæ *Chilenſis* regni (ut vulgo vocant) provincias inchoat. Id nomen ajunt barbarorum lingua ſonare Agrum cyaneorum lapidum (quos vulgo vocamus *Turcinos*) harum enim gemmarum maxima copia eruitur è monte quodam qui valli huic imminet, quæ præſtantiſſimæ quidem ſunt, ſed ob nimiam copiam hodie viliores; neque æſtimantur ut olim. Hæc vallis omnium quæ in *Chilenſi* præfectura cenſentur, longe fœcundiſſima prædicatur, quippe quæ Mayzii altiſſimos culmos ferat inſtar lancearum, ariſtas autem dimidiam ulnam longas; ita ut meſſis ingenti fœnore trecenties ſementem dicatur ſuperare, ut ſcribunt Hiſpani: Quod tamen non incredibile neque mirum iis qui farris hujus ubertatem noverunt. Neque minus aliarum frugum fertilis eſt vallis, tam domeſticarum, quam exoticarum quas Hiſpani intulerunt. Secat illam amniculus, qui è ſummis montium nivalium jugis devolutus, per viginti leucarum ſpatia hanc vallem rigat, & denique in patentem ſinum ad mare Meridionale deſcendit, ibidem percommodum & latum portum

portum navigantibus aperiens: diſtat autem ab Æquatore ſex & viginti gradus verſus Auſtrum, ut memoriæ prodidit *Herrera*.

Lupus Vazius teſtatur, in hac valle modicum jacere portum & juxta illum indigenarum pagum, qui Hiſpanis ſunt vectigales; ibidemque eſſe machinam qua Saccharum conficitur.

A portu vallis *Copiapo*, ad vallis *Guaſco* itidem portum, numerantur leucæ quinq; ſupra triginta. Portus hic ſive ſtatio diſtat ab Æquatore gradus novem & viginti verſus Auſtrum, ut teſtatur *Herrera*: contineturque gremio patentis ad Mare Meridionale ſinus, per quem amniculus in Oceanum Auſtralem ſeſe exonerat, è montibus nivalibus, qui vallem hanc ab Oriente tegunt, exiens & agros hujus vallis ad eum modum permeans atque irrigans, ut fœcunditate, & frugum bonitate ad Copiapenſem vallem (de qua ſupra) quamproximè accedat. In hac valle, uti fere in reliquis, reperiuntur innumeræ perdices; & quod præcipuum, hic alitur magna ovium illarum (de quibus diximus) copia: præterea ingens copia ſciurorum, coloris è fuſco cinericei, quorum pelles magno ſunt uſui. Guaſco. cap. 2.

Valdivia quum primum ad *Chilenſes* provincias ſubjugandas cum exercitu advenisset, in hac *Guaſcenſi* valle coloniam Hiſpanorum depoſuerat, condito oppido *S. Iago de la Neuva Eſtremadura*, ut ipſe vocabat, & idoneo caſtello adverſus barbarorum impetum communito, in agro quem Indigenæ appellabant *Mapocho*, circiter quatuordecim leucis ab Oceano Auſtrali, & modico ſed opportuno ad eundem portu: verum hoc oppidum haud diu perennavit, ſed alio fuit tranſlatum, ut proximo capite dicetur.

Oliverius noſter obſervat in commentariis ſuis, *Guaſco* portum ſitum eſſe viginti octo gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ejuſque ſtationem eſſe percommodam & à ventorum injuria tutam, pone certos ſcopulos, qui faucibus ſinus objacent: in hunc ſinum deſcendit pulcherrimus amniculus, qui & vulgo vallis nomine appellatur, ſed aquatio hic perdifficilis eſt: veſtiunt hanc oram raræ arbores; domiciliaque indigenarum longius diſtant ab ora Oceani Auſtralis.

Guaſcenſem vallem excipit Vallis *Chile*, omnium vicinarum facile princeps, unde & nomen toti huic oræ & provinciæ dediſſe veriſimile fit: in hac valle olim fuerunt celeberrimæ aurifodinæ, quas vocant *de Quillota*, è quibus Valdivia opulentam auri gazam quondam hauſit; quare & Caſtellum hic communiverat, ut foſſores ab hoſtium injuria tutaretur. Chile.

Cap. V.

La Serena & Sant Jago *oppida deſcripta.*

PRIMUM oppidum *Chilenſis* Præfecturæ, quodque omnium proximè abeſt à Peruvia, appellatur ab Hiſpanis *Serena*: Conditum fuit à Præfecto Valdivia anno cIↃ IↃ XLIV, in valle *Coquimbo* (unde non raro *Coquimbo*, vallis nomine, appellatur ſcriptoribus Hiſpanis & Noſtratibus:) haud ita longe ab ora Oceani Meridionalis; & triginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum ſecundum *Herreram*; à quo & obſervatum invenio, Solſtitium quidem æſtivum hic incidere in XI Decembris (& longiſſimum diem eſſe horarum quatuordecim) hyemale vero in undecimum Junii. Diſtat ab oppido *S. Iago* leucas ſexaginta verſus Arctoam plagam. Portum obtinet amplum & peropportunum, ad patentem & latum ſinum, qui diſtat ab oppido circiter duas leucas; hic omnia onera exponuntur è navibus. Agrum oppidi permeat mediocris amnis, quo pleraq; arva & ſata rigantur, ita ut omnes fruges, plantæque hîc lætiſſime proveniant: maxima itaque hic annonæ copia & vilitas frumenti, vini, carnium, piſciumque atque adeo omnium rerum quæ vitæ uſus poſtulat, ſumma abundantia. Rariſſime quidem hic pluit, vix ter quaterve quotannis, nihilo tamen ſecius ſunt hic pulcherrima arva, quæ ſata feliciſſime reddunt. Serena. Coquimbo.

In Agro hujus oppidi, multa ſunt auri metalla; imprimis ſeptem ab oppido leucis jacet editus mons, è quo Hiſpani jam dudum multum auri eruerunt. Adhæc quemadmodum à quodam Belga accepi, qui viderat, haud longe ab oppido, mons optimi

æris venis ſcatens. *Lupus Vazius* ſcribit oppidum *Serenam* ſupra ducenta domicilia continere:& certe ſatis frequens eſſe oportet, quum in Hiſtoria memorabilis illius expeditionis navalis *Franciſci Draci*, qua orbem univerſum circumnavigavit, narretur, quum Anglorum naves portum *Coquimbo* eſſent ingreſſæ,ibidemque in anchoris conſiſterent aquandi gratia, trecentos equites & ducentos pedites ex oppido ſeſe effudiſſe, Angloſque ad naves ſuas ſe recipere coëgiſſe. Regio hæc omnis quondam indigenis fuit frequens, ſed jam longe maxima pars (ſi non omnes,ut nonnulli tradunt) ab Hiſpanis aut laboribus in metallis fracta, aut ſumma ſævitia exciſa eſt atque deleta, ita ut jam oppidani auri venis ſcrutandis & elaborandis præ operarum inopia, ſint impares & plurima auri atque æris metalla intacta ſinere compellantur.

S. Jago. Principale porro hujus Chilenſis Præfecturæ oppidum vulgo appellatur *S. Iago*: quod ſitum eſt triginta quatuor gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; & ſeptuaginta & ſeptem à Meridiano Toletano verſus ſolis Occaſum: quindecim leucis à Mari Meridionali. Præfectus totius Provinciæ hic ſibi aliquando domicilium elegit; nunc utplurimum ob bella cum Chilenſibus Araucanis commoratur in oppido *Concepcionis:* Sed hic jam ab aliquot annis Conventus Juridicus ſuum habet tribunal: Denique cernitur hic Cathedralis Eccleſia & aliquot cœnobia Dominicanorum & Franciſcanorum; & ſi *Lupum Vazium* audiamus, octingenta domicilia privatorum.

Ager ſuburbanus fertilis, & tritici, vini & aliarum frugum abundans: auri venis admodum locuples & indigenis hodieque frequentiſſimus, quum in illius Diœceſi fere octuaginta millia barbarorum numerentur,qui in ſex & viginti tribus partiti;Hiſpanis tributum pendunt & gratuitam ſerviunt ſervitutem. Plurimi hîc reperiuntur equi, ita ut multi in campis & ſylvis ſine certis dominis vagentur, atque ita efferentur, ut non facile domari poſſint.

Daule fl. Flumen *Daule* per montium declivia eluctari & hac tranſire, atque demum Mari Auſtrali ſe miſcere teſtatur *Didacus Fernandez* in Peruviæ Hiſtoria: alii flumen quod oppidum ſecat aut præterlabitur vocant *Topocalma:* quod & poſtea deſcendit in oppidi hujus portum, univerſæ hujus oræ famoſiſſimum & optimum, appel-

Valparayſo. lant vulgo *Valparayſo*, diſtat ab Æquatore tres & triginta gradus & quadraginta ſcrupula verſus Auſtrum, uti ab Anglis diligentiſſime & accurate eſt obſervatum. In hoc portu exponuntur omnes merces quæ mari veniunt ab urbe Lima & reliquis Peruviæ portubus; & viciſſim omnis auri gaza quæ in vicinis provinciis colligitur huc conducta, imponitur in naves.

Fortiſſimus eques *Franciſcus Dracus*, hunc portum inopinantibus Hiſpanis invectus, navem hic intercepit, in qua invenit viginti & quinque milli à pezorum, ut vocant, auri Valdivienſis abſolutiſſimi, & magnam Chilenſis vini copiam: & exſcenſione facta, ibidem invenit novem aut decem ædes cum exigua capella, quas illius milites diripuerunt & incenderunt.

Belgicæ quoque Claſſis præfectus *Georgius Spilbergius* hic appellens, navem in anchoris ſtantem offendit, quam Hiſpani quantocius, ne noſtris uſui eſſet, flammis injectis corruperunt: multi præterea equites pediteſque ad portum accurrerant, & tuguria aliquot incenderant,ita ut nihil memorabile hic à noſtris perpetrari poſſet.

Denique quatuordecim ab oppido leucis flumen decurrit, quod indigenæ vocant *Chacapol.* Valli autem in qua urbs *S. Iago* communita eſt, vicina eſt provincia populorum, quos gentilitio nomine appellant *Parmacanes*, ſive ut *Garcilaſſus* effert *Purumaucas*; per quam tranſitur ad flumen *Maule*, & ad pagos *Gueler* atque *Tatam*; atque ita porro ad *Quilacuram*.

CAP. VI.

Oppidum Concepcionis *&* *Inſula* S. Mariæ *deſcripta.*

OPPIDUM tertium hujus Præfecturæ quod dicitur *Concepcion*,ſitum eſt ad oram Oceani Meridionalis, ad patentem ſinum & juxta percommodum portum: Ager illius fines habet ad Arctum quidem fluvium *Maulen*,ad Auſtrum autem fluvium *Biobio*; (nam *Herreram* falli haud dubium eſt, qui ipſi fluvium *Itaten* ſive

Itatayan

Itatayan pro limite Auſtrali tribuit, quum fluvium hunc aliquot leucis ab oppido verſus Arctum in Oceanum exire certiſſimum ſit, niſi forte olim oppidum alio loco ſitum fuerit.) Abeſt ab Æquatore ſex & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis verſus Auſtrum: ora maritima vergit hic ad viginti & trium leucarum ſpacium verſus Libonotum.

A fluvio *Ytaten* ad portum quem Hiſpani vocant *de la Herradura*, (quia ſoleam equinam forma repræſentat) numerantur tres leucæ: portus hic peridoneus eſt & adverſus incerta ventorum egregiè munitus; diſtat ab Æquatore verſus Auſtrum triginta & ſex gradus & triginta ſcrupula: ab hoc ad ſinum *Penco*, juxta quem oppidum *Concepcion* conditum eſt, ſunt quatuor leucæ. Exeunt in hunc ſinum duo pertenues amnes vel potius rivuli, quorum minimus dividit oppidum, alter vero labitur paululum ab oppido verſus Auſtrum, vocaturque vulgo *Rio de Landalien*, à vicina valle quæ *Andalien* audit. Ytaten.

Littori autem, quod hic anguſtius eſt, imminent colles & montes modicè editi, qui portum undique muniunt, præterquam contra Aquilonem & Arctoam plagam, verſus quam ſinus hic tempeſtatibus eſt expoſitus.

Licet autem hi colles, atque adeo ſuburbanus ager per ſe neque fœcundus neque amœnus ſit adſpectu, tamen hominum induſtria & cultura jam amœniſſimus eſt factus; plurimi enim horti cum ſuis viridariis ab Hiſpanis hîc exculti viſuntur, & pulchri aſpectu & omnibus omnium generum fructibus abundantes. Mare oppido vicinum ſupra modum eſt piſcoſum; juxta littus quoque viſitur lapicidina; è qua lapides quidam nigri & bituminoſi cæduntur, qui oppidanis carbonum uſum præſtant. Quia autem portus hic Septentrionalibus ventis eſt expoſitus, & illis perflantibus intutior, periti navarchæ naves ſuas pone inſulam quandam exiguam, quæ ſinui prætenditur, in anchoris ſolent conſtituere, ut ab aquilonibus defendantur.

Ab oppido ad flumen *Biobio* duæ ſunt leucæ; flumen hoc valde latum eſt & altum, ita ut vado tranſiri nequeat, nec tamen navium eſt patiens: ab hoc ad flumen *Labapi* quindecim numerantur leucæ; intermedio vero ſpacio, admittit Continens ampliſſimum ſinum, ad quem provincia *Araucana* ſita eſt. Biobio. Labapi.

Porro oppidum *Concepcion* abeſt ab oppido *Sancti Iacobi* leucas, ut volunt, ſeptuaginta verſus Auſtrum. Præfectus univerſæ provinciæ hodiè hic reſidet, poſtquam Conventus Juridicus, qui tribunal hic habuit ab anno cIↃ IↃ LXVII ad annum cIↃ IↃ LXXIV, ad oppidum *S. Iacobi* fuit tranſlatus. In oppido ſunt aliquot monaſteria Dominicanorum & Franciſcanorum.

In Diœceſi hujus oppidi & illius finibus ſunt plurima auri metalla, è quibus magna vis auri olim fuit eruta, ita ut oppidum hoc longe florentiſſimum & opulentiſſimum fuerit; verum hodie ut *Lupus Vazius* teſtatur, penè ad inopiam eſt redactum, quippe ad minimum quater à Chilenſibus direptum & concrematum, adeo ut hodie vix ducentas ædes numeret; & quia *Araucanos* infenſiſſimos Hiſpanorum hoſtes tam vicinos habet, cinctum eſt hodie latericio muro, habetque arcem adjunctam, in qua utplurimum quingenti præſidiarii dicuntur agere.

Fodinæ *Quilacoyæ* ſive *Quilacuræ*, è quibus Valdivia dum hic præfectum ageret, magnam auri vim eruit, abſunt ab oppido quatuor leucas. Quilacoya.

Oliverius à Noord narrat anno cIↃ IↃ C ſeptingentos Hiſpanos à Pro-Rege Peruviæ ad hoc oppidum miſſos, ob novos Chilenſium motus, & Auracanorum imprimis, qui oppido imminebant, & quotidie laceſſebant præſidiarios. *Georgius* itidem *Spilbergius* Belgicæ Claſſis Archithalaſſus, applicuit hic anno cIↃ IↃ CXV, jecitque anchoras pone inſulam quæ ſinui objacet (quam *Quiriquinam* ſcribit appellari) vento vero adverſante non potuit propius ad oppidum accedere, tantum è captivis didicit, circiter ducentos præſidiarios in oppido agere & magnum numerum vectigalium barbarorum.

Ab extremo ſinus, de quo jam diximus, oſtio, ad Inſulam *S. Mariæ* leucæ numerantur tredecim: vel ut *Petrus de Cieça* ſcribit quindecim; qui hanc inſulam à barbaris dicit appellari *Lucengo*: Sita autem eſt ab Æquatore ſeptem & triginta gradibus & viginti aut paulo paucioribus ſcrupulis verſus Auſtrum: ex adverſo S. Mariæ Inſul.

Provinciæ *Araucanæ*, (ubi Continentem magnum & amplum Sinum admittere jam diximus) prænuptis & à fluctibus Oceani exeſis rupibus incincta, ita ut olim hæc inſula Continenti connexa fuiſſe quibuſdam videatur & ſenſim ab interluente freto, quod jam circiter tres leucas latum eſt, ab illa diviſa; quod tamen mihi non fit veriſimile. Solum hujus inſulæ uberrimum eſt, tritici & hordei ferax: mare vicinum pluribus piſcibus fœtum, præſertim uno è ſepiarum genere, è cujus oculis calloſa quædam ſubſtantia eximitur, quæ candore & nitore ad uniones quam proxime accedit, ſed non habet illarum duritiem: fœminæ tamen pro unionibus ſolent uſurpare in monilibus: Hic & teſtacei quidam piſces reperiuntur, quos *Choros* appellant, in quorum teſtis, unionum quoddam genus reperitur, magnitudine ſeminis Cannabini & ſingulari candore, verum quia artem perforandi ignorant barbari, nullius pretii habentur.

Thomas Candiſchius cum navibus ſuis hic appellens, ad occidentalem inſulæ plagam conſtitit, loco figendis anchoris peridoneo; & exſcenſione facta, magnam invenit tritici copiam. Incolæ autem barbari Hiſpanis adeo ſunt obnoxii, ut ne gallinam quidem, ne dicam porcum, mactare aut manducare auſint, licet utriſque vel maxime abundent: jam Chriſtiana ſacra amplectuntur, habentque ſacellum & in eo altare cum ſuis ornamentis ad Romanum morem. Mayzium quoque hic abunde creſcit, uti & varii fructus: ita ut omnis generis commeatus hinc peti poſſit, ab iis qui viribus potiores ſunt. *Georgius* ſane *Spilbergius*, cujus jam aliquoties meminimus, anno cIↃ IↃ CXV Inſulæ compos factus, ſupra quingentas oves, magnum gallinarum numerum, & cæteræ annonæ copiam hinc abduxit.

Cap. VII.

Provinciæ Arauco, Tucapel *&* Puren *deſcriptæ, & clades ab Hiſpanis in hac parte* Chiles *acceptæ.*

INTER oppidum *Concepcion*, de quo jam egimus, & oppidum *Imperial* de quo mox ſumus dicturi, mediæ ſunt populoſiſſimæ provinciæ *Arauco, Tucapel* & *Puren*; quarum indigenæ bellicoſiſſimi ſunt & Hiſpanis ſupra modum infeſti, utpote quibus magnas clades ſæpe intulerint, & hodieque cum ipſis pro libertate magnis animis certent: Quæ autem ſuperioribus annis hic geſta fuerunt, operæprecium fuerit commemorare.

Valdivia primus harum Provinciarum domitor, poſtquam oppida *Imperial* atque *Valdiviam* condidiſſet, anno cIↃ IↃ LI ad oppidum *Concepcion* reverſus, conſultum exiſtimabat, tria inſuper munimenta ſive caſtella, octo leucarum intervallo, excitare: Unum quidem in Provincia *Tucapel*, alterum in *Purene*, tertium denique in *Aurauco*; ut his veluti compedibus, ferociſſimas nationes & nunquam ante à Peruviæ monarchis domitas, coërceret & vel invitiſſimos in officio contineret, aut ad obſequium cogeret: Et quum haud longe poſt ditiſſimas auri venas in planicie quam barbari vocant *Ongol*, obſervaſſet, huc quoque coloniam in municipium *de los Confines*, ut vocant, deduxit; ut inter duo jam dicta oppida veluti medium eſſet, quod tamen ſtatim fuit deſertum & alio tranſlatum. Indigenæ interea advenarum pertœſi & ſervitutis impatientes, omni ope ſibi annitendum putabant, ut peregrinorum jugum à ſuis & vicinorum ſuorum cervicibus depellerent; crebriſque clandeſtinis coitionibus inter ſe confœderati, Hiſpanos inopinantes aggrediuntur, & primo Caſtellum in provincia *Purene* oppugnant magno conatu; Hiſpani enim tantæ barbarorum multitudini impares jam ſponte ſua deſeruerant alterum in *Tucapele*, ſeque conjunxerant cum præſidiariis Purenis: atque hîc Hiſpani, accitis inſuper è caſtro Araucano auxiliis, ultro hoſtibus obviam iverunt, atque ab ipſis cœſi, fugatique, unicum receptum habuerunt ad caſtellum Araucanum. Præfectus, eorum quæ geſta fuerant certior factus, quantocius ad caſtellum advolat, & ſuis nequicquam diſſuadentibus, magnis itineribus, cum quinquaginta & tribus tantum militibus, contendit ad hoſtes, qui circum Tucapelis caſtellum hærebant: Quumque *Cotonem* perveniſſet, notiſſimum illa regione campum, unum ſuorum tribunorum cum tantum decem militibus præmittit, qui hoſtium caſtra & molitiones è propinquo ſpecularetur, qui cum ſuis in inſidias præcipitans, ab hoſtibus cæditur: Præfectus hac

hac ſuorum clade nihil dum territus proceſſit, verum à barbaris profligatus, cum quatuordecim ſuorum qui è clade ſupererant, arripuit fugam, & ad ripam fluvii *Ledi* ſe ſubduxit; ubi & ipſe cum ſuis cæſus fuit, nullo è tanta clade ſuperſtite præter unum *Chilenſem* adoleſcentem jam Chriſtianum, qui præſidiariis, qui in caſtello *Araucano* ſubſtiterant, cladem hanc nunciavit. Memorabile eſt quod *Lupus Vazius* aliique narrant, *Valdiviam* quum vivus in hoſtium poteſtatem perveniſſet, ab iiſdem auro liquefacto in os illius effuſo, enecatum, barbaris inſultantibus, ut tandem aliquando auri ſatur fieret, quod tantopere ſitiverat. Quod tamen ab aliis non proditur. Hiſpani præſidiarii qui in *Araucano* caſtello relicti fuerant, quum nullum aliud imminentis diſcriminis remedium invenirent, loco deſerto ad oppidum *Concepcionis* ſe receperunt: Purenenſes autem præſidiarii ad oppidum *Imperial.*

Poſtilla *Franciſcus de la Villagra* Valdiviæ Legatus, ducis ſui & tot commilitonum cædem ulciſci ſatagens, cum centum & ſexaginta militibus movit ex oppido *Conceptionis*; verum quum ſuperato flumine *Biobio*, jam in conſpectum caſtelli *Araucani* veniſſet, juxta terræ cornu, quod à Maris Auſtralis fluctibus pulſatur, & ab Hiſpanis vulgo appellatur *la Raquette*, magnam hoſtium multitudinem obviam habuit, qui tam ferociter illum ſunt agreſſi, ut nonaginta & ſex ſuorum in conflictu deſideratis, cum reliquis magnam partem ſauciis, ad *Conceptionem* præpropera fuga ſe recipere cogeretur. Hiſpani tot cladibus tam brevi tempore acceptis animo linqui cœperunt, & quum adhuc pejora ab imminentibus barbaris metuerent, oppido *Conceptionis* deſerto, ad urbem *S. Iacobi* ſe receperunt: alia præterea oppida tunc ab Hiſpanis deſerta, *Villa Rica*, *Los Confines*, quum ſe vix oppidis *S. Iacobi* & Imperiali tutandis pares eſſe cognoſcerent.

Barbari autem hi longe aliter quam cæteri belligerare noverunt, nam & ordines ſervare & arma ſcite tractare callent: arma ipſis ſunt arcus & ſagittæ, prælongæ haſtæ, bipennes; quin & galeas & ſcuta, thoraceſque ex phocarum tergoribus eleganter parant: haſtas ſuas quondam ære, nunc etiam ferro, cujus copiam ab Hiſpanis nacti ſunt, aſperant: etiam armis, quæ Hiſpanis in præliis ademerunt, dextere uti didicerunt. Cæterum in præliis & acies ordinant Europæorum pene ad modum, & ordines atque militarem diſciplinam obſervant; etiam vallum ducere & caſtra per intervalla communire didicerunt: adhæc ex inſidiis hoſtem aggredi & ex improviſo oppida illorum, villas & prædia aggredi, capere & concremare: In præliis fortes atque impavidi, magnas ſæpe ſtrages Hiſpanis dederunt, nonnunquam & ſunt paſſi: quæ omnia ab Hiſpanis ſcriptoribus commemorata & fere in majus aucta, hic commemorare longum & forte præter inſtitutum noſtrum foret. Hoc ſaltem obiter hic dicemus, horum barbarorum armis & virtute factum eſſe, ut Hiſpani hodieque longe minimam harum regionum partem poſſideant, & plurima oppida deſerere, & variis provinciis excedere fuerint coacti & ſe vix ab eorum armis tueantur. Nam licet poſt Valdiviæ miſerandum caſum & tot clades ab Araucanis & ipſorum confœderatis acceptas, Hiſpani nonnihil reſpiraverint, *Garſia de Mendoza*, Pro-Regis Peruviæ filio, hic præfectum agente (qui bonam partem barbarorum ad obſequium redire compulerat) tamen barbari majori conatu bellum redintegrarunt, & tam fortiter atque pertinaciter geſſerunt, ut hodie pauca oppida Hiſpanis reliquerint, eaque ita intuta, ut quotidie hoſtes ad ipſa mœnia expectare, & ſollicite noctu atque interdiu excubias agere cogantur.

Cæterum provincia hæc *Araucana*, cum *Tucapele* & *Purene*, quæ fere ſimul accipiuntur, & ab Hiſpanis vulgo appellatur *El Eſtado de Arauco*, quemadmodum *Alfonſus de Erzilla* in famoſo ſuo poëmate prodidit, anguſtis admodum limitibus continetur, ſiquidem in longitudinem tantum patet circiter viginti leucas, in latitudinem vix ſeptem. Auri metallis locuples eſſe creditur, ſed ad quæ Hiſpanis hactenus acceſſus minime patuit, ideoque etiam hodie intacta. Maxima ſui parte aſſurgit in montes aut editos colles; qua mare meridionale attingit, præruptis potius ripis, quam littoribus; fluctus admittit magno & amplo ſinu, in quo ſtatio haud infida navibus exiſtimatur, ſed deſcenſus in terram difficilior. Denique Provincia hæc inde à trigeſimo & ſeptimo gradu Auſtralis latitudinis, ad breve tantum ſpatium exporrigitur verſus Auſtrum.

In vicinis porro montibus, qui *Araucanam* ab ortu tegunt, agunt barbari qui vulgo *Pulches* appellantur, gens velox & pugnandi avida, nec minus ferox, veruntamen nequaquam eo ingenio atque induſtria, qua *Araucanos* eſſe diximus, à quibus omnibus modis ſuperantur, cæterum animis in Hiſpanos haud minus iniquis atque infeſtis; quo fit ut ſe cum reliquis ipſorum hoſtibus lubenter conjungant.

Cap. VIII.

Mocha *Inſula deſcripta, indigenarum ingenia & mores, & variorum ad eam navigationes.*

AD provinciam *Araucanam* quam jam deſcripſimus, pertinet Inſula, quam vulgo appellant *Mocham*; incoliturque ab ejuſdem gentis populis, qui è Continente ſe huc receperunt & jugum Hiſpanorum hactenus effugerunt. Diſtat hæc inſula ab Æquatore octo & triginta gradibus & aliquot ſcrupulis, prout à diverſis tam Hiſpanis, quam Anglis & Belgis varie eſt obſervatum, qui omnes in ſcrupulorum numero nonnihil diſcrepant, prout variis locis altitudinem ſunt dimenſi; de gradibus conveniunt: A Continente quidem leucas quinque, à flumine autem *Lebo*, quod fere ex adverſo è Continente exit in Mare Auſtrale, ſex leucas verſus Zephyro-notum, ab Inſula denique *S. Mariæ* (de qua ſupra egimus) octodecim verſus Africum aut Libonotum. Fretum quod interluit utplurimum duodecim orgyas eſt altum, non raro & pauciores, eſtque nonnullis partibus certis brevibus atque vadis inquinatum.

Inſula hæc ſatis ampla eſt; in medio pene ipſius, attollit ſe mons in ſummam altitudinem, juxta verticem veluti diviſus aut bifurcatus; à quo amniculus delabitur limpidiſſimus & potari pulcherrimus: à radice autem montis ad oram uſque ambientis maris, reliqua tellus declivior eſt & in planiciem ſtrata; ſolum fœcundum & non modo omnimodarum frugum patiens, ſed & paſcuis lætum. Sub Inſula haud incommoda ſtatio eſt, & facilis anchorarum jactus, in mari ſeptem aut octo orgyas alto; ſed in anchoris ſtantibus, aquilones maxime metuendi ſunt, qui tamen rariſſimè hic perflant.

Franciſcus Dracus, quum hic cum navibus ſuis conſiſteret, indigenis primum ſatis propitiis eſt uſus, & aliquantulum commeatuum ab ipſis permutatione mercium accepit, verum quum poſtridie duos ſuorum ad terram ablegaſſet, Inſulares (uti veriſimile fit) aut Hiſpanos aut eorundem vel amicos vel fœderatos ſuſpicati, eos trucidarunt & Anglos poſt illa in terram deſcendere prohibuerunt. *Thomas Candiſchius* Anglus ad eandem poſtea appellens, pene ad eundem modum ab Indigenis fuit acceptus, in terram deſcendere vetitus.

Belgarum noſtrorum longe melior fortuna fuit; nam primum *Oliverius à Noord*, quum hic applicuiſſet, peramice cum inſularibus exercuit commercia & pro ſecuribus, cultelliſque, oves accepit atque omnis generis annonam: pro ſecuri quidem ovem, pro cultello gallinam aut interdum binas; cætera Mayzium, batatas, cucurbitas & alios fructus, quos inſula fert, ad eundem modum. Barbari juxta ſtationem incolebant pagum, qui circiter quinquaginta domiciliis conſtabat; quæ è ſtramentis affabre erant contexta, oblonga & in medio veſtibulo quodam ornata. Licet autem noſtrates perbenigne acciperent, tamen ædes ſuas ingredi minimè permittebant, aut cum fœminis ſermones ſerere; ſed fœminas omnes boatu quodam ex ædibus in vicinam aream excitas, in genua procumbere per varios ordines jubebant in noſtrorum conſpectu. Conſuetudo ipſis tot conjuges ſibi aſſumere, quod lubet; & quo quis plures filias habet, eo opulentior judicatur, nam proci ſponſas ſuas à parentibus mercari ſolent, & bovem aut oves aut aliud quid de quo ante inter ipſos convenerit, pro filiabus redhibere. Amiciunt ſe longis tunicis, ab humeris ad talos uſque demiſſis, tam mares quam fœminæ; quas conſuunt è panno, contexto è lana illarum ovium, de quibus jam ante diximus. Mares quidem promittunt comam uſq; ad humeros; fœminæ vero eandem ſuccingunt, & pone cervicē componunt nodis quibuſdam.

Georgius Spilbergius Belga, ad eundem modum inſulæ incolas, propitios fuit exper-

expertus, atque ab iis omnis generis accepit commeatum: Qui navigationem illius deſcripſit, teſtatur Inſulam hanc, qua Arctum adſpicit, humili eſſe ſolo atque campeſtri, qua vero Auſtrum ſpectat, pluribus ſcopulis & petris incinctam eſſe, & à fluctibus marinis valide pulſari. Qui exactè Inſulæ amplitudinem explicaret aut ambitum illius leucis definiret, nondum vidi.

Cap. IX.

Inſularum Joannis Fernandez *deſcriptio.*

QUONIAM jam in Inſulas incidimus, peropportunum fuerit: antequam ad Continentem revertamur, earum meminiſſe, quæ à primo inventore *Ioanne Fernandez* nomen acceperunt: Eæ omnino ſunt duæ, triginta & tribus gradibus & octo ſupra quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum ſitæ, ut a *Iacobo Lemairio* Belga fuit obſervatum, ambæ valde edito ſolo; occidentalior autem minima eſt, infœcunda & vix quicquam herbidi ſortita, meræ petræ atque aridi colles: orientalior vero major eſt & ipſa quoque montibus edita, verum pluribus arboribus veſtita & grata amœnitate virens, neque infœcunda eſſe creditur: magna hic reperitur caprarum & porcorum copia: mare in ambitu ita omnis generis piſcibus fœtum, ut Hiſpani hanc non raro piſcandi cauſa accedant, & brevi tempore magnum piſcium numerum capiant, & ad Continentem atque Peruviam venales traducant.

Commodiſſima ſtatio habetur pone orientale illius cornu: itaque ut hic anchoræ jaciantur, orientalis ora radenda eſt; nam ſi quis occidentalem legerit, ob malaciam facile abripitur ab æſtu marino, & præter inſulam vectatur, ita ut illam aſſequi nequaquam poſſit. Sub ora quidem quæ Occidentem adſpicit, haud longe à littore, mare quadraginta, mox triginta & ſenſim aſcendendo, tantum tres orgyas eſt altum, tutoque hic conſiſtitur loco anchoris tenendis peridoneo; ex adverſo viridis & peramœnæ vallis, quæ virentium arborum nemore veſtita eſt, gratioſiſſimo proſpectu. Anno porro cIↃ IↃ CXXIV Noſtrates cum Naſſovica, ut vulgo vocabant, claſſe has Inſulas adnavigarunt, à quibus ſequentia accepimus. Inſulæ *Ioannis Fernandez* duæ ſunt, quarum orientalior diſtat ab Æquatore verſus Auſtrum tribus & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis, à Continente autem Americæ Meridionalis milliaria germanica circiter ſeptuaginta: altera vero inſula, ſecundum Hiſpanos, viginti circiter leucas ab hac verſus Corum: hanc *Iſola de Fuera*, illam vero *Iſola de Tierra* ſolent appellare, cauſa manifeſta eſt, quod nimirum orientalior propius à Continenti abſit: quare inſigniter erratur ab iis, qui ſcopulum potius quam inſulam, qui orientaliori inſulæ adjacet, pro ſecunda *Ioannis Fernandez* inſula accipiunt, quum viginti leucarum intervallo hæ duæ inſulæ diſcretæ ſint, & occidentalior haud minus ejuſmodi ſcopulos adſitos habeat.

Orientalior (inquit author qui navigationem illam in commentarios retulit) ſub qua nos anchoras fiximus, complectitur ſuo ambitu circiter ſex milliaria, in longitudinem inter ortum & occaſum duo aut tria milliaria patens: Stationem habet ad borealem plagam, ubi valles quædam viſuntur gramine & trifolio, grata amœnitate virentes: Sinus autem fundo eſt admodum declivi, & partim ſcopulis & vadorum brevibus inquinato, partim nigris arenis conſpicuo; permoleſtum vero eſt propius ad terram accedere & locum figendis anchoris idoneum capere. Abundat hæc Inſula dulcium & potabilium aquarum ſcaturiginibus: vicinum mare optimis piſcibus fœtum, qui nullo pene negotio hic maxima copia capiuntur. Phocarum quoque & leonum, ut vocant, marinorum infinitus eſt numerus. In nemoribus ingens caprarum multitudo, ſed harum caro neutiquam tam grati eſt ſaporis quam quas inſula *S. Vincentii*, *Heſperidum* una, nutrit: difficillimeque hic capiuntur ob arbuſtorum denſitatem, quæ itinera omnia impediunt & pene invia faciunt. Alterius generis animalia hic nulla à nobis viſa. In Montanis multæ naſcuntur Palmæ, prope littus autem hujus ſtationis tres mali cydoniæ viſuntur. Reperitur hic præterea ingens copia Sandalii ligni, ſed quod ab illo, quod *Timor* inſula gignit, plurimum ſuperatur: aliæque materies & duritie & tenacitate inſigni & ad quævis fabrilia

opera peridoneæ: verum proceriores arbores, quarum trunci navigiorum malis inſervire poſſint, nullas hic vidimus. Hic quondam decem aut duodecim barbaros habitaſſe ſatis conſtat, qui oleo è phocarum & ejuſmodi belluarum pinguedine excoquendo operam dabant, nunc penitus deſerta eſt inſula; niſi quod ſex noſtrorum, qua milites, qua nautæ, longæ navigationis pertœſi aut aliam ob cauſam nobis ignotam, hic ſponte ſe è navibus ſurripuerunt & invito præfecto ſubſtiterunt. Hæc ille.

Bartholomæus Leonardi de Argenſola, libro tertio de Moluccis Inſulis, facit mentionem duarum inſularum, à *Ioanne Fernandez*, quum anno cIↃ IↃ LXXIV Chilen peteret, caſu inventarum, quæ hodie *San Felix* & *Sant Ambor* appellentur; ſed hæ non poſſunt eſſe illæ, de quibus hic agimus, ſiquidem ſcribit has ab Æquatore verſus Auſtrum diſtare tantum viginti quinque gradus & viginti ſcrupula; niſi forte hic illum ratio fugerit. Utramque autem ſcribit ab Hiſpanis vocari *Deſuenturadas*, id eſt, infortunatas.

Cap. X.

Oppidorum de los Confines *vel etiam* de los Infantes, *&* *Imperialis deſcriptio.*

Oppidum, quod *Villagranius* poſt *Valdiviam* harum provinciarum præfectus, quum primum conderetur, *de los Confines* appellaverat, & *Garſias de Mendoza* poſtea *Villam Novam de los Infantes* nominavit; in mediterraneis ſitum eſt; triginta & ſeptem gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ſecundum *Herreram:* Octodecim quidem leucis ab Oceano Meridionali; viginti autem ab oppido Conceptionis verſus Euro-Auſtrum: in planicie conditum, quæ ab indigenis
Ongol. vulgo appellatur *Ongol*, unde & non raro id nomen huic oppido tribuitur à ſcriptoribus Hiſpanis. Amnis qui à nivoſis montibus ſive Andibus deſcendens, hanc planiciem dividit, præterlabitur oppidum ad Auſtralem plagam; alter vero torrens qui aliquot molas in oppidanorum uſum circumagit, ad Arctoam: ita ut oppidum inter utrumque jaceat.

Ager hujus oppidi & frugum eſt fertilis & paſcuis dives; omniſque generis fructus & feliciſſime hic naſcuntur & tempeſtivè maturantur. Unde hic non modo optimum vinum premitur, ſed & ficus & uvæ paſſæ ſiccantur. Concluditur utrimq; altis montibus, ita ut oppidum ab Andibus quidem ſive nivalibus montibus abſit leucas octo, ab alteris autem montibus qui propius ad littus maris Auſtralis accedunt, vulgo *la Serrania*, duabus aut ad ſummum tribus: & ager hic in latitudine inter ortum & occaſum x pateat leucas; in longitudinem inter Arctum & Auſtrum octodecim: verſus Arctum quidem leucas octo, ab oppido ad flumen quod vocant *de la Laxa* (quia certo loco *de Cataracte* ſe præcipitat in altitudinem orgyarum pene xx) verſus Auſtrum vero x leucas, ab eodem oppido ad fines oppidi Imperialis, ſecundum viam quæ ad illud ducit.

Magna hic cupreſſorum copia, quæ non modo materie beneolente, ſed & *Lacca*, ut vocant, lacryma commendantur.

Biobio. Secant hanc provinciam plures fluvii, imprimis *Biobio*, qui plures minores acceptos ſecum devehit, & is qui *Nivequeten* appellatur ab indigenis. Nec deſunt præſtantia auri metalla, licet ob operarum & mancipiorum inopiam fere intacta. Duo deniq; ſunt in oppido monaſteria, Dominicanorum & Franciſcanorum: & quia barbari indigenæ, qui continuo cum Hiſpanis bellum gerunt, haud longe ab oppido agunt, utplurimum ducenti præſidiarii Hiſpani hic ſtativa dicuntur habere.

Imperial. *Imperiale* oppidum, abeſt ab Æquatore verſus Auſtrum VIII & XXX gradibus & XL ſcrupulis: ab oppido *de los Confines* verſus Africum aut Zephyro-notum leucas xx: ab
Cauten fl. Oceano denique Auſtrali leucas IV. Conditum eſt ad ripam fluminis *Cauten*, quod è ſummis nivalium montium jugis præcipitans, & ad occaſum properans, latus Auſtrale hujus oppidi præterlabitur, & cum altero amne, qui occiduum illius latus radit conjunctum, efficit cornu quoddam terræ, convexum & præceps, difficileque aſcenſu, ſuper quod oppidum conſtructum cernitur.

Ager hujus oppidi patet in longitudinem leucas XVIII, ab oppido quidem verſus
Queule fl. Arctum leucas decem; ad Auſtrum vero ad ripas fluvii *Queule* (qui ab Æquatore

tore diſtare dicitur novem & triginta gradibus & ſemiſſe) leucas octo: In latitudinem leucas viginti inter occaſum atque ortum, ab oceano nimirum Auſtrali, ad Andium uſque radices. Eſt autem paſſim frumentorum feraciſſimus; nec malignè tolerat vites, licet cœlum uvas haud bene maturet, præterquam unius generis, quas vulgo vocant muſcatas. Paſcua quoque ſubminiſtrat armentis læta; nulli tamen hic caſei premuntur, quia vaccæ lac haud ſatis idoneum dicuntur edere.

Minora navigia ad oppidum uſque poſſunt aſcendere; cæterum littus eſt importuoſum & arenarum puluillis inquinatum, nec ſupra dimidiam orgyam ſub ipſa ora altum.

Secundus *Chilenſis* præfecturæ Epiſcopatus ab hoc oppido nomen habet. In Diœceſi autem ſupra octuaginta millia barbarorum eſſe dicuntur, qui Hiſpanis non minus quam cæteri ſunt infenſi, ita ut ſuperioribus annis ab ipſis hoc oppidum dicatur fuiſſe exciſum.

Opulentiſſima denique hic ſunt auri metalla, è quibus maxima auri vis erui poſſet ſi per indigenas liceret, aut operarum copia ſuppeteret.

Cap. XI.

Vrbes Villa Rica, *&* Valdivia, *& regiones adjacentes.*

VRBS, quæ *Villa Rica* Hiſpanis appellatur, abeſt ab Æquatore verſus Auſtrum novem & triginta gradibus, ab oppido *Imperiali* circiter leucas ſedecim verſus Euro-Auſtrum: ab Oceano Auſtrali viginti & quinque verſus ortum; ab Andibus ſive nivalibus montibus verſus occidentem tribus. Sita eſt ad occidentale latus Lacus quem Indigenæ vocant *Mallabauquen* & illius emiſſarium, quem vulgo dicunt *Rio Tolten:* patet autem hic Lacus inter ortum & occaſum leucas tres, inter Tolten fl.
Arctum vero atque Auſtrum duas. Ad caput illius, quod Euro-Auſtrum adſpicit, ſitus eſt mons flammivomus ſive Vulcanus, ad cujus radices fons cernitur, qui duabus ingentibus ſcaturiginibus exſiliens, torrentem producit, qui brevi intervallo Lacui miſcetur.

Ager ſuburbanus ſatis fœcundus fertur, ſolo argilloſo, è quo optimi fiunt lateres: cætera aſſurgunt in colles & fere ſterili ſunt ſolo; licet plurimas pinus alat, quas Hiſpani *Pinnones de Libano* appellant: harum fructus ita ſaginant ſues, ut vix ulla alia regio præſtantiorem ſuillam generet, aut gratioris ſaporis.

Sub radicibus montium degunt barbari, qui nominantur *Pulches*; ferox homi- Pulches.
num genus & omnium rerum indigum, venatu utplurimum vitam tolerans & in feras ſagittis ſuis exanimando ſatis gnavum & induſtrium. Trans nivoſa autem Andium juga verſus ortum, jacet planicies arenoſa, deſerta penitus & aquarum inops & mera ſolitudo.

Porro Agri ſive Diœceſeos hujus oppidi fines ſunt, ad Arctum quidem fluvius *Tolten*, qui ab oppido abeſt leucas octo: ad Auſtrum vero ſecus viam quæ *Valdiviam* ducit, ad vallem uſque *Marequinam*, totidem. Regio maxima ſui parte frigidior eſt, & frumenti vitiumque minus fœcunda: Oppidani fere dant operam linificio, texuntque optimos pannos & amicula linea, quibus commercia tum in hac præfectura tum alibi exercent.

Valdivia, urbs toto hoc terrarum tractu celeberrima, pene media jacet inter Valdivia.
arctoum *Chilenſis* Præfecturæ limitem & Fretum Magallanicum: Sita eſt in provincia quam Indigenæ peculiari nomine vocabant *Guadallanquen*; duabus circiter leucis ab Oceano Auſtrali, & quadraginta non plenis gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum ſecundum *Herreram*; qui & hoc à curioſis obſervatum prodit, quum in urbe Hiſpalenſi Hiſpaniæ jam meridies eſt, in hac urbe ſolem adhuc quinque horis & tertia parte horæ à meridie abeſſe; id eſt, ſi recte rationem ineas, octuaginta gradibus à meridiano Hiſpalenſi verſus occidentem diſtare.

Percommodum habet portum, qui ad arctum patet & grandiores quoque naves admittit; fluvius placidus, limpidus & amœnus, ſupra urbem in duos alveos diviſus, totidem oſtiis in portum egreditur: majorem autem alveum ſubire poſſunt navigia ad leucas duas; ad minorem tamen urbs condita, ſuper convexam & præ-

ruptam

ruptam planiciem, quæque reliquam ſoli ſuperficiem circiter quinque orgyis ſupergreditur, æſtus autem marini aſcendunt utrumque alveum, ad planiciem illam, undique collibus incinctam, quam ſupra diximus vocari *Guada-llanquen*.

Ager hujus urbis (qui tamen quam longiſſime abeſt ab ipſa urbe & ut quidam produnt, circiter leucas decem) maxima ſui parte humilis & planus, perfœcundus & tritici atque hordei feraciſſimus, fructuum quoque omnis generis, præterquam uvarum, quas cœlum hic non ſatis mitigat aut maturat. Fines habet, ad Arctum quidem vallem *Marequinam*, à qua ad urbem numerantur leucæ octo: ad auſtrum vero ab urbe leucas decem; ita ut in longitudinem inter Arctum atque Auſtrum pateat leucas octodecim: & fere totidem in latitudinem, nimirum ab Oceano Auſtrali ad urbem leucas duas, ab urbe porro ad Andium radices ſedecim.

Marequina.

Nulla hujus *Chilenſis* Præfecturæ pars tam copioſo, tamque abſoluto auro abundat: nam conſtans fama eſt, quum Præfectus *Valdivia*, à quo urbi nomen hæſit, hic primum pedem figeret, tam divites auri venas hic fuiſſe; ut ſingula barbara ſervitia indies viginti quinque, nonnunquam & triginta aureos ut vocant pezos eliquarent. Anno denique cIↃ IↃ XCIX (ut Hiſpanus nauclerus *Oliverio à Noord* retulit) vicini barbari Hiſpanos inopinantes aggreſſi, urbem ceperunt & incolas omnes trucidarunt: poſtilla tamen Hiſpani eodem rediiſſe & urbem reſtauraſſe dicuntur & ibidem ducentorum militum præſidium alere.

Cap. XII.

Oppida Oſorno *&* Chilue *ſive* Caſtro, *Provinciæ vicinæ & præſertim* Chucuito.

Oſorno.

SEXAGINTA aut paulo pluribus leucis ab oppido *Concepcionis* verſus Auſtrum & Fretum Magallanicum ſita eſt urbs *Oſorno* (ut ab *Herrera* traditur) ſeptem circiter leucis ab ora maris Meridionalis; duobus & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: in regione frigidiuſcula & annonæ omniumque rerum ad vitam humanam neceſſariarum indiga; ſed auri metallis opulenta; unde fit ut hæc urbs (teſte Hiſpano nauclero, quem *Oliverius à Noord* in illis partibus ceperat) multo amplior & frequentior ſit ipſa Valdivia: oppidani præterea pannorum tam laneorum quam lineorum copiam texunt: In agro atque adeo limitibus hujus urbis, ſupra ducenta millia barbarorum dicuntur habitare, qui Hiſpanis tributum pendunt & gratis inſerviunt.

Caſtro.

Urbium denique quæ ab Hiſpanis in hac regione habitantur extrema eſt, quæ vulgo *Caſtro* appellatur, barbaris autem *Chilue*: ea ſita eſt in una inſularum, quæ magno numero ſparſæ ſunt in Lacu ſive freto *Ancud* vel *Chilue*, ut ab indigenis nominatur, quadraginta duabus leucis ab oppido *Oſorno* verſus Auſtrum. Archipelagus autem harum inſularum initium ſumit quadraginta & tribus gradibus ab Æquatore verſus polum Antarcticum. In vicinia hujus oppidi *Caſtro* ſupra duodecim millia barbarorum incolunt, qui Hiſpanis ſunt attributi; nam inſulam in qua urbs condita eſt, ad quinquaginta leucas in longitudinem patere ſcribunt Hiſpani (quod tamen minus veriſimile eſt) & in latitudinem, ubi latiſſima eſt, novem; ubi anguſtior eſt, tantummodo duas.

Omnis autem hæc ora æſtuariis & intercurrentibus alveis eſt diviſa, multæque inſulæ hic objacent continenti, uſque ad altiſſima Andium juga, quæ hic ipſi Lacui ſive Freto imminent. Solum harum Inſularum, montibus undique eſt concluſum, Mayzii fertile, neque triticum malignè tolerans: Auri vero ſupra modum locuples, ita ut ramenta illius ad ipſum uſque littus deprehendantur, quod alibi rariſſime ſolet accidere.

Nauclerus ille, de quo ſupra, urbem hanc teſtatur quatuor & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum diſtare, & in inſula ſitam eſſe quæ ab Hiſpanis quaqua verſum colitur, abundareque lanis ovium Chilenſium, è quibus ibidem optimos pannos & togas conficiant.

Hæc urbs (uti è commentariis *Georgii Spilbergii* didicimus) à Belgis noſtris, non

non magno negotio intercepta fuit, ducibus *Balthaſare de Cordes* & *Antonio Antonide* cognomento *Nigro*, (qui cum navi, cui Fidei nomen erat, Fretum Magallanicum penetraverant) rurſusque amiſſa. Verum rei geſtæ ſeries non ſatis mihi comperta eſt: niſi quod à quibuſdam accepi, noſtros quum incautius agerent, ab Hiſpanis qui ab Oſorno ſuis auxilio venerant inopinantes fuiſſe oppreſſos. Vidi tamen hujus loci delineationem ab hoc *Antonio Nigro* ſatis accurate factam, è qua obſervavi, hoc oppidulum quadraginta & tribus gradibus ab Æquatore diſtare verſus Auſtrum; inſulamque in qua ſitum eſt, in longitudinem pene inter Arctum atque Auſtrum expanſam eſſe, ſecus oram Maris Meridionalis. Oppidum non niſi una aut altera leuca diſſitum eſt ab eadem ora, licet longo & ſinuoſo itinere ad ipſum perveniendum ſit: nam ad Septentrionale Inſulæ cornu, canalis ſeſe inſinuat tendens ab occaſu in ortum (ore circiter duas leucas & dimidiam lato) & circa gremium orbicularis & incurvus, ubi in anguſtum alveum contrahitur, rurſuſque ſe diducit in ampliſſimum fretum, crebris minoribus inſulis diviſum: oppidum autem *Caſtro* petentibus, inſulæ ora quæ orientem reſpicit primum radenda eſt verſus Eurum, uſque ad anguſtum Inſulæ promontorium, quo ſuperato deflectendum eſt ad dexteram & Africum verſus, & paulo ulterius provectis rurſus vela ſunt vertenda verſus Corum, uſque ad ſtationem ipſius oppidi, quod jacet inter duos torrentes, cum exigua arce, quæ ipſi ſtationi ſive portui incumbit; reliquæ oppidi ædes hac illac ſunt ſparſæ, & repræſentant magis pagum aliquem, quam oppidum, quippe quæ nullis mœnibus aut vallo ſint incinctæ.

Præter hæc *Chilenſis* Præfecturæ oppida jam à nobis commemorata, alia inſuper duo pertinent ad præfecturam *Chilenſem*, trans Andium juga & ad orientalem eorundem montium plagam ſita, in provincia quam vulgo vocant *Chuciuto* (*Herrera* etiam alibi appellat *Cuyo*) regione frigida & infœcunda; nempe *Mendoza* & *Sant Iuan de la Frontera*; utraque à *Garſia de Mendoza*, ut ferunt, condit, quum præfectus eſſet *Chilenſis*. Chuciuto.

Oppidum *Mendoza*, pene ex adverſo oppidi *Sant Iago* Chilenſis provinciæ ſitum eſt, quod ſupra deſcripſimus, circiter quadraginta leucis ab ipſo diſſitum verſus ortum ſolis; quo perdifficili itinere & per alta Andium juga & perenni pene nive tecta proficiſcendum eſt è provincia Chilenſi; nam è provincia fluminis *de la Plata* ad hoc quoque iter pertinet, ut mox dicetur. Mendoza.

Alterum oppidum *S. Iuan de la Frontera* à ſuperiori paulum divergit verſus Auſtrum. Quantum è Belga quodam, qui ex provincia fluminis *de la Plata* hac iter habuit & penetravit in Chilen, potui expiſcari; oppidum hoc *S. Ioannis* haud ſupra centum & decem leucas diſtat ab oppido *Buenos Ayres* (de quo ſuo loco dicemus) recto quidem, ſed ſolitario itinere; quare hoc oppidum petentes utplurimum à *Buenos Ayres* per *Cordubam* inſtituunt iter, longius quidem illud, ſed longe frequentius accolis ideoque & ſecurius. lib. XIII.

Idem teſtatur, Chilenſem provinciam circa oppidum *S. Iacobi* latiſſimam eſſe, & ab illo ad pontem è viminibus textum, & inter convalles montium, flumini quod illac diſcurrit ſuperſtratum, ſexaginta milliaria numerari; ita ut oppidum hoc *S. Ioannis de la Frontera* longius à Mari Meridionali abeſſe neceſſe ſit, quam vulgo in Tabulis Geographicis collocetur.

Quot autem gradibus hæc oppida ab Æquatore verſus Auſtrum abſint, & quæ agrorum facies aut conditio ſit, à nemine adhuc inveni deſcriptum, quare de his hactenus hæc dicta ſunto.

CAP.

Cap. XIII.

Oræ omnis maritimæ Chilenſis, *Portuum, ſtationum, ſinuum & Promontoriorum deſcriptio ad trigeſimum tertium gradum Auſtralis latitudinis.*

CHilenſis Præfecturæ ora maritima, ut ſupra diximus; ſumit initium à ſinu & valle *Copiapo*, viginti ſex gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: ab hoc ſinu verſus meridiem oram legentibus (ſecundum *Petrum de Cieça*) primo occurrit Angulus quidam Continentis nonnihil prominens, & pone illum ſinus, ſupra quem duo ſcopuli eminent, & ſinu hoc enavigato fluvius, quem vocant *Guaſco*; viginti & octo gradibus & quindecim ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum. Intervallum inter *Copiapo* vallem & *Guaſco* eſt triginta leucarum, ut ſcribit *Herrera*, qui *Guaſco* collocat viginti novem gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: *Oliverius* noſter obſervat *Guaſco* ad vigeſimum octavum gradum & dimidium; ſcribitque ibidem ſatis commodam eſſe ſtationem navibus, pone ſcopulos qui hic Continenti objiciuntur, fluviumque ejuſdem nominis in ſinum ſe evolvere, optimæ quidem aquæ, ſed aquationi minime opportunum eſſe, ob difficilem aditum; cæterum regionem hanc ad oram pauciſſimis arboribus veſtitam eſſe, nec ulla hominum habitatione cultam, niſi procul à littore.

Guaſco.

Hactenus ora fere ad Africum pertinet: A *Guaſco* vero paulo magis ſe flectit ad Auſtrum, uſque ad portum *Coquimbo*, triginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, uti ab *Herrera* traditur, & ab Equite Anglo *Richardo Hawkino* eſt obſervatum: *Petrus* vero *Cieça* qui hanc oram particulatim proſequitur, dicit hunc portum tantum viginti & novem gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore diſtare; cui & *Fullerus* adſtipulatur, qui cum *Candiſchio* hanc oram viſitavit. Portus autem hic, à *Richardo Hawkino*, inter præcipuos hujus Meridionalis Americæ portus celebratur, tum ob inſignem capacitatem, tum potiſſimum, ob ſummam illius ſecuritatem; eſt enim adverſus incerta ventorum undiquaque tutus, & commodiſſimam præbet navibus ſtationem inter Continentis oram & ſcopulum illi objectum.

Coquimbo.

Decem ab hoc portu leucis (ut *Petrus de Cieça* annotat) rurſus prominet cornu, quod ſinum pone ſe aperit, quem vulgo vocant *Atongayo*, à quo ad *Limaram* amnem quinque numerantur leucæ; ab hoc porro novem ad alium ſinum, qui *Choapa* vocatur, triginta & uno gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; ubi nulla datur aquandi opportunitas; ab iſto denique una & viginti leucæ ad portum *Quintero* triginta duobus gradibus ab Æquatore.

Quintero.

Angli obſervant eundem portum ad trigeſimum tertium gradum & aliquot ſcrupula: *Georgius Spilbergius* noſter quum hanc oram legeret, conſtitit cum claſſe ſua in hoc portu; teſtaturque pulcherrimum & longe amœniſſimum eſſe ſinum & ab omni parte tam egregie adverſus incerta ventorum & tempeſtates munitum, ut opportunam & ſecuram navibus ſtationem præbeat. Summa præterea eſt hic aquandi opportunitas: nam ad Auſtrale illius latus, amniculus evolvitur in ſinum limpidiſſimæ aquæ, & haud longe inde alter optimorum piſcium copiam nutriens; nec lignandi commoditas deeſt; ita ut merito inter præſtantiſſimos hujus oræ portus cenſeri debeat. Dum noſtri hic aquationi darent operam; plures intra Continentem conſpexerunt equos ſilveſtres & indomitos, qui gregatim ad rivulum, (qui haud procul inde de jugis montium præcipitans in amniculum ſupradictum deſcendit) potandi gratia accedere ſoliti, poſtquam noſtros viderant, celeri fuga in ſylvas ſe ſubduxerunt, nec poſtilla comparuerunt; pauci admodum hic habitant Hiſpani & fere procul à littore.

Valparayſo.

A *Quintero* ad *Valparayſo*, ſeptem leucas numerat *Herrera*; *Petrus de Cieça*, cum quo *Hawkinus* conſentit, decem: De latitudine multum variant inter ſe authores: A *Cieça* enim obſervatur ad trigeſimum ſecundum gradum & quadraginta ſcrupula;

Pula; à *Fullero* Anglo ad trigeſimum tertium & quadraginta ſcrupula; ab *Oliverio à Noord*, ad trigeſimum tertium tantum: ut difficile ſit dictu, quid potiſſimum ſequendum ſit in tanta varietate, ſed de hoc portu jam ſupra plura diximus. cap. 5.

Cap. XIV.

Ora Chilenſis *reliqua à* Valparayſo *ad quadrageſimum ſecundum gradum latitudinis Auſtralis aut paulum ultra.*

A Portu *Valparayſo*, procedendo verſus Auſtrum, ora aliquot ſinubus & promontoriolis lancinatur uſque ad fluvium *Maypam* & intervallum eſt circiter quinque leucarum: Ab hoc ad fluvium *Chacapol* leucarum circiter ſedecim: à *Chacapol* ad cornu terræ quod in Tabulis Hydrographicis vulgo *Punta de Bairres* appellatur, leucæ conſtituuntur quatuor; à cornu ad hoc flumen *Maule* viginti quatuor: hic fluvius claudit limitem Diœceſeos oppidi *Concepcionis* verſus Arctum, ut ſupra diximus. Maypa. Maule.

A *Maule* ad fluvium *Ytaten* ab *Herrera* quidem tres ſupra viginti, à *Petro de Cieça* autem quindecim numerantur leucæ; qui diſtat ab Æquatore ſex & triginta gradibus & quindecim ſcrupulis, ut bene ab eodem *Cieça* fuit obſervatum. Ytaten.

Ab hujus fluvii oſtio paululum ſe ſubducit ora verſus Eurum, panditque primò, (trium pene leucarum intervallo) portum ſive ſinum quem à ſoleæ equinæ forma vulgo ab Hiſpanis diximus appellari *la Herradura:* ab hoc ad *Concepcionis* portum, qui barbaris appellatur *Penco*; quatuor aut quinque reſtant leucæ. Penco.

Angli juxta atque noſtrates ſcribunt, hunc portum vel potius ſtationem diſtare ab Æquatore ſex & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis. Portus denique hic valde commendatur à noſtratibus qui illum anno cIↃ IↃ c ſubjerunt; teſtantur enim in ipſo aditu eſſe ad triginta orgyas altum, nullumque ingredientibus diſcrimen à vadis aut ſcopulis metuendum eſſe; niſi quod manifeſte in omnium oculos incurrit; pone angulum, qui ab auſtro venientibus & ingredientibus dexter eſt, jacet exigua inſula, haud ſupra unum milliare longa & vix dimidium lata, inter Aquilonem pene & Africum expanſa, & freto circiter unum milliare lato à Continente diviſa: in hac aquandi facultas peropportuna eſt: alit inſuper diverſas fruges, legumina & optimas radices quas vocant potatos: ibidem & gallinarum reperitur copia & non exiguus numerus ovium: Denique quum latitudinem accuratiſſimè fuiſſent dimenſi, ſex & triginta gradibus, duobus & quinquaginta ſcrupulis ab Æquatore verſus polum Antarcticum divergere obſervarunt.

Continentis autem ſolum hîc non ita editum eſt, verum ubi paululum provectus fueris verſus Auſtrum, triplici ordine in altiſſima montium juga aſcendere deprehenditur, quæ perenni nive tecta viſuntur & eminentibus rupibus hic illic aſpera: qui ſub hiſce montibus apparent colles, neque ita editi ſunt, neque nivoſi, ſed denſis arborum lucis opaci amœniſſimo proſpectu. Ad ipſam quoque maris oram, tellus cernitur modice elata, verum arboribus nuda, & quantum eminus diſcernere datur infœcundior.

De Inſulis *S. Mariæ* & *la Mocha* quæ Continenti objacent, ſupra ſatis multa diximus, itaque nobis propoſitum hic, ab ora neutiquam declinare.

A ſinu *Penco* ad flumen *Biobio*, tantum duæ numerantur leucæ, itinere terreſtri, maritimo enim paulo plures ſunt, ob bicorne Continentis promontorium, quod hic in altum ſe exſerit vaſto ſpatio. Biobio fl.

A *Biobio* ad flumen *Labapi*, numerat *Herrera* leucas quindecim (quæ duo flumina patenti & ſpatioſo ſinu dirimuntur, ad quem Araucana provincia jacet) flumen autem *Labapi* diſtat triginta & ſeptem gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ſecundum *Herreram:* labitur autem ab arce quam Hiſpani hic tenent contra Araucanos, verſus Africum; ita ut in ipſum ſinum videatur exire: ceterum tantum minoribus navigiis navigatur; plurimis piſcibus fœtum. Labapi fl.

Ab oſtio *Labapi*, vel promontorio ejuſdem nominis ad amnem *Lebum*, ſex numerantur leucæ; ad hujus ripam oppidulum *Cannete* conditum fuerat à *Garſia de* Lebo fl.

 Mendoza,

Mendoza, pene octo & triginta gradibus ab Æquatore; quod tamen oppidani ob ingruentia bella cum barbaris vicinarum provinciarum poſtea coacti fuerunt deſerere, ut nunc vix memoria illius ſuperſit.

Carnero. Sequitur deinceps ad eandem oram incerto intervallo portus *Carnero*, ubi ii, quibus propoſitum eſt Confinium oppidum petere, ſolent exſcendere.

Cauten fl. Hunc non longo intervallo excipit promontorium *Cauten*; à quo ad fluvium ejuſdem nominis leucæ quatuor numerantur ab *Herrera*; diſtat autem ab Æquatore, ut volunt, octo & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis, hunc fluvium aditum Cap. 10. aperire ad oppidum Imperiale, diximus ſupra.

Tolten fl. A *Cauten* ad fluvium *Tolten*, ſex numerant leucas; latitudo illius dicitur novem & triginta graduum ab Æquatore verſus Auſtrum. hic fluvius navigiis ferendis idoneus judicatur, licet non ita grandibus.

Queule fl. A *Tolten* ad *Queulen* itidem amnem, octo ſtatuuntur leucæ; & latitudo novem & triginta graduum & triginta ſcrupulorum: patet hic amnis mediocri oſtio adverſus Arctum, non niſi mediocribus navigiis ferendis idoneus.

Valdivia. A *Queule* ad *Valdiviam*, novem ſtatuuntur leucæ; diſtat ab Æquatore quadraginta gradibus, demtis pauculis ſcrupulis; totoque illo ſpacio vaſtiſſima Andium juga videntur ipſi pene littori incumbere.

Vidi delineationem *Valdiviæ* & illius oræ atque portus, ſed ſatis rudem; è qua tamen obſervavi; inter duo Continentis veluti cornua, quorum arctoum vocant *Punta S. Nicolai*, Auſtrale autem *Punta Coral*, mare ſe intra Continentem inſinuare alveo tertiam partem leucæ lato, in patentiſſimum ſinum, qui & ab Auſtro & ab Ortu vaſtis montibus concluditur; inter quos tamen egreditur fluvius *Chabin*, aut ut tabula illa præferebat *Rio Denlay Cabrero:* cornu autem *S. Nicolai* ad ortum objacet exigua inſula quam vocant *Conſtantini*; inter utrumque autem ingrediuntur naves quæ *Valdiviam* petunt per canalem, qui ubi inſulam *Conſtantini* poſt tergum reliqueris, rurſus dividitur ab Inſula, quam vocant *de Don Pedro*; in duo veluti brachia, quorum ſiniſtrum, quod vocant *Porto Claro*, minora aſcendunt navigia; dextrum grandiora, coëuntque rurſus ante ipſam urbem: dexterum autem ſubeuntibus, occurrunt duo amnes, quorum unus ab ortu videtur deſcendere & vocatur *Rio de Tenſuelen*, alter à Coro, *Rio de Auſachilla* (vereor ne hæc nomina corrupta ſint à ſcriptoribus) à quibus oppidum petentibus, flectendum eſt ad ſiniſtram, ubi fluvius, qui proprie *Valdivia* dicitur, ſecus urbem delabitur, è Lacu *Guadalauquen*. Denique inter Auſtrale cornu *de Coral*, & promontorium *de la Galera*, cui aliquot ſcopuli objacent, interjacet *Morro de Gonzalo*, ut vocant, qui ſunt editi montes, & pone illos Continens omnis in vaſta juga dicitur aſſurgere.

Chabin fl. A *Valdivia* ad fluvium *Chabin*, qui quantævis magnitudinis naves admittit, tres numerantur leucæ, & ab illo ad Promontorium quod vocant *de Galera* duæ; à quo R. Bueno. ora directè fertur verſus Auſtrum: & porro ad amnem, qui *Rio Bueno* dicitur, leucæ ſeptem. Hic amnis recipit ſupra oſtium ſuum ſeptem minores amnes, & imprimis unum qui haud longe ab oppido *Valdivia* labitur.

Villiva. A *Rio Bueno* ad promontorium (ſive Angulum *Villivæ*) quod diſtat ab Æquatore uno & quadraginta gradibus verſus Auſtrum, leucæ numerantur decem: & ab hoc ad promontorium *S. Marcelli* ſeptem: Omne hoc littus ob imminentia altiſſima Andium juga præceps eſt; & mare quod alluit altum, licet nullis ſcopulis vadiſque contaminatum ſit, tamen importuoſum habetur; aut ſi aliqui hic reperiuntur portus, parvi admodum ſunt, momenti neque hactenus, quod ſciam, luſtrati aut obſervati.

Chanqui. A promontorio *S. Marcelli* ad *Chanqui* itidem promontorium, numerantur octo leucæ, diſtat ab Æquatore verſus Auſtrum unum & quadraginta gradibus & triginta ſcrupulis & circiter dimidiam leucam ab hoc promontorio verſus Arctum objacet continenti modica inſula à barbaris culta, & tres aliæ minores & incultæ, quæ univerſæ paulum plus quam unam leucam occupant.

A *Chanqui* ad promontorium *de la Vallena*, numerantur leucæ quatuor, inter utrumque autem promontorium inſinuat ſe mare, efficitque Fretum quoddam, quod Hiſpani vocant *de los Coronados*; id vaſto impetu in Continentem invadens, pone oblongam

longam inſulam, (de qua ſupra diximus quum de *Caſtro* ſive *Chilue* ageremus) implet Lacum illum, qui ab aliis *Ancud*, ab aliis *Agulay* appellatur, nominibus, uti veriſimile eſt, barbaris. cap. 12.

A Promontorio *de la Vallena* ad Promontorium *S. Felicis*, colligunt novem vel decem leucas, id diſtat ab Æquatore verſus polum Antarcticum tribus & quadraginta gradibus: ora autem hic ſe incurvans ſinum admittit; in continenti vero plurimas auri venas reperiri conſtans fama eſt.

Hactenus ora maritima Præfecturæ Chilenſis, quatenus ad hunc diem aut ab Hiſpanis habitatur, aut paulo accuratius fuit obſervata, pertinet. Nunc antequam ad ſequentem provinciam & Magallanicum Fretum progrediamur, obiter attexenda ſunt quæ *Ynca Garcilaſſus* de hac Præfectura ſcribit, imprimis obſervanda, licet ſuperius obiter quædam de hiſce meminerimus.

CAP. XV.

Excidium urbis Valdiviæ *& aliorum oppidorum* Chilenſis *præfecturæ quemadmodum narrantur ab* Ynca Garcilaſſo.

RELATIO de excidio urbis Valdiviæ, quod accidit anno cIↃ IↃ xcix vigeſimo quarto Novembris. lib. 7. c. 25. Sub auroram illius diei incubuit urbi exercitus quinque millium barbarorum, qui in vicinia degunt, & circa oppidum *Imperial, Picam* & *Puren*; in quo erant ter mille equites & reliqui pedites, inter quos fuiſſe dicuntur ſeptuaginta ſclopetarii, & ſupra ducentos ferreis thoracibus muniti. Supervenerunt autem oppidanis inopinatibus, quia ſpeculatores ex ipſa urbe adduxerant: & oppidani ſomno ſepulti, excubitores extra oppidum diſponere neglexerant præterquam duos: quia nihil ſibi ab hoſtibus metuebant, quibus circiter viginti diebus ante, caſtellum quod communiverant in loco dicto *la Vega*, abſtulerant; pluresque eorundem cæciderant juxta paludem *Paperlen*, ita ut ſibi perſuaderent, intra octo leucarum ſpatium non ſupereſſe hoſtes, qui adverſus ipſos auderent hiſcere aut quos merito deberent metuere. Barbari itaque Hiſpanis inopinantibus oppidum ingreſſi, ſingulos calles occuparunt, & portarum aditus obſepſerunt, & flammis in domos injectis, omnes ædes concremarunt & ſolo tenus everterunt, quin & arcem interceperunt jam deſertam, & machinarum bellicarum compotes ſunt facti. Cœſorum & captivorum numerus fuit, quadringentorum Hiſpanorum, qua virorum, qua fœminarum & infantium; pauci admodum evaſerunt ad tres naves, quæ commodum in vicino flumine in anchoris conſiſtebant, abſque quibus fuiſſet vix unum qui nuntium tantæ cladis ad Hiſpanos perferret, feciſſent reliquum. Efferaverant barbaros clades plures jam ante acceptæ, imprimis vero quod Hiſpani fœminas eorum & liberos captos vendiderant, & in miſeram ſervitutem alio traduxerant: licet jam à quinquaginta annis Hiſpanis obſequentes, plerique eorum baptizati & à ſacerdotibus in religione Chriſtiana fuiſſent inſtituti.

Decimo poſt hoc excidium die, advenit Tribunus militum *Franciſcus de Campo* à Pro-Rege miſſus cum ſupplemento trecentorum militum; qui nihil prius habuit quam reliquis oppidis, quæ barbari poſt Valdiviæ excidium validis copiis obſederant & arcte premebant, ſuccurrere; & imprimis *Oſorno*; quod oppidum tum à ſimili excidio feliciter defendit. *Imperialis* enim incolæ poſt obſidionem pene integro anno toleratam, & magnam partem inedia & aliis incommodis enecti, & pauci admodum ſuperſtites deditionem jam fecerant, à barbaris in miſeram ſervitutem abrepti.

Altera Relatio apud eundem extans è Peruvia miſſa anno cIↃ IↃ cii, quæ pervenit in Hiſpaniam anno cIↃ IↃ civ ita ſe habet.

Barbari de tredecim urbibus quas Hiſpani in Chilenſi præfectura poſſidebant, ſex omnino deſtruxerunt, *Valdiviam, Imperiale, Angol, Sanctam Crucem, Chillam,* & *la Concepcion.* Demoliti fuerunt & deſolarunt omnes ædes, profanarunt templa, imaginibus omnibus confractis, & agris ſummam intulerunt vaſtitatem; atque animis propter hunc ſucceſſum, mirum in modum auctis, obſidione cinxerunt oppidum *Oſorno*, Hiſpanoſque compulerunt in caſtellum, & aliquandiu fame obſeſſos macc-

macerarunt, tandemque illos oppreſſerunt, atque omnes captivos abduxiſſent, niſi à ſupervenientibus auxiliaribus magnam partem fuiſſent è manibus illorum liberati.

Denique interceperunt Villam Ricam, eamque penitus everterunt, injecto in quatuor urbis partes incendio, & pluribus incolarum trucidatis, fœminiſque & pueris in miſeram ſervitutem abductis; atque ita quoque excidium intulerunt oppido illi imprimis opulento & florentiſſimo.

Denique barbari Chilenſes tantos ſumſerunt ob felices hos ſucceſſus, animos, tantumque in armis profecerunt, ut jam equo vehi & lanceis atque aliis Europæorum armis tam dextre uti didicerint, ut nulli non Hiſpano jam in os obſiſtere audeant: quotannis autem ſupplementa militum è Peruvia mittuntur ad Chilen, quorum pauciſſimi incolumes revertuntur. E quibus ſatis liquet, quod ante monuimus, Chilen multo ſanguine Hiſpanis & conſtitiſſe olim, hodieque conſtare: nec ullam partem hujus Continentis facilius Regi Hiſpaniarum eripi poſſe, nec majori operæpretio, quam hanc, niſi tam longa navigatione ad illam opus eſſet, quæ tamen compendioſior multo eſſe cœpit, poſtquam Belgæ noſtri fretum illud novum invenerunt, de quo proximo libro dicemus.

DESCRIPTIO

RPJCB



ZVYDT
TROPICVS CAPRICORNI
CAPITANIA DE S. VINCENT.
Pories
Miramu:
mins.
CAPITANIA DE RIO DE IANEIRO.
Tououpi:
nambauti.
Molo: paques.
CAP. DE SPIRITV SANTO.
Tapuias
CAPITANIA DE PORTO SEGVRO.
Aymures
S. Paulo
Ubatuba
Angra dos Reyes
Rio de Ianeyro
C. Frio
C. de S. Thome
Ilha de Sta Catherina
R. de S. Francisco
Ilha de Cananea
I. dos Francesas
I. Salvage
I. de S. Catharina
Os Abrolhos
Porguoma
Baxos de S. Antonio



SIL
IBVS
Anglicæ leucæ
Hiſpanicæ leucæ
Germanica milliar.
14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1
R. Comajuru
R. Comaguasu
R. Sapoghiuba Retama
R. Pinare, Retama
MARAGNAN.
R. Miary
R. Tapicuru
R. Mounin
I. Tatittepe ra
I. Maranhan
I. S. Anna
C. des Arbres secs
Quabay R. Aperegha
Canorohug R.
Camindey R.
Ototoy, B. met de Clippen
R. Para
R. Iguarasu
R. Tapucuru
R. Pemona
R. Marandahug
Camucipi, R. de S. Fr.co
Tortugas
R. Saituba
R. Acuracu, R. da Cruz
R. Girutinhaja
R. Aracatiguasu
B. Mendahug
R. Tarairig
R. Curu
R. Siope
R. Hupotem
Siara
R. Canigui
C. Blanco
Vlackebay
C. Baxo, Pta Mocuripe
Propea
Parip
Swartehoeck
R. Paribuera
R. Iaguarib
C. Cors
Cap. de Siara o' Ciara
R. Upanema
Moggeron
Dobbelbay
Roobay
Wittebay, Salinas, Caruaratama
B. Tortugo
Groenbay
R. Pequihnga
R. Iacualug
R. Senapatumeri
CAPITAN DE RIO GRANDE
R. Siara
Potengi, o' R. grande
R. Perangi
Baxos de S. Roque
Pta dos Touros
Pta dos Busios
Pta de Pipa
B. da Treiçaõ
I. de Mangues
Pta de Lucena
C. Blanco
Pedra Furada
Pto dos Françezes
I. Tamaraca
Pao Amarello
Ponta de Marim
Barreta
CAP. DE PARAYBA
CAP. DE TAMARACA
CAP. DE PERNAMBVC
S. Alexio
Ponta de Mercahipe
C. de S. Agoſtinho
Baxos de Don Rodrigo
Serogipo del Rey
R. San Francisco
R. Real
R. Tapicuru
R. das Pedras
Topimanbazes
Maraquites
CAP. DE LA BAHIA
Roca
Vigia
Ilha de Fernão de Noronha
NOORDT

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER DECIMUS TERTIUS.

MAGALLANICA.

CAP. I.

Magallanicæ *Provinciæ limites & generalis deſcriptio.*

SUPERIORI libro Chilenſem Præfecturam abſolvimus, ſequitur nunc *Magallanica*: hujus autem nomine vulgo cēſentur provinciæ illæ & Regiones, quæ ad Mare quidem Auſtrale, à Præfectura Chilenſi, ſive quadrageſimo tertio aut quarto gradu ab Æquatore verſus Auſtrum, ad Fretum Magallanicum ſive ad quinquageſimum tertium ejuſdem latitudinis gradum aut etiam ultra excurrunt: ad Mare vero Septentrionale ſive Atlanticum quæ ab ingenti Fluminis *de la Plata* æſtuario, ad idem Fretum pertinent. Vaſtæ quidem & ampliſſimæ regiones, ſed parum vel ſecundum oram utriuſqué maris cognitæ, nullatenus autem hactenus in mediterraneis vel luſtratæ: Conditionis vero variæ, ſive cœli ſive ſoli qualitates ſpectes; nam quo magis ab Æquatore verſus Polum Antarcticum divergunt, horridæ aſperæque ſunt & incultæ, & acerrimo frigori obnoxiæ, præſertim qua Fretum Magallanicum attingunt, ubi pleriſque anni menſibus videre eſt juga montium alta & perenni nive contecta; cætera ſuis locis commodius perſequemur.

Porro in hac parte Americæ Auſtralis deſcribenda tria à nobis præſtabuntur, nam primo deſcribemus illam partem, quæ Oceanum Meridionalem ſive Pacificum attingit, ab extremis Præfecturæ Chilenſis finibus ad Fretum uſque Magallanicum; deinde ipſum Fretum Magallanicum, & alterum illud quod ſuperioribus annis à Belgis noſtris inventum & perluſtratum eſt, quod vulgo *Lemarium* appellamus: tertio denique illam partem quæ à Freto Magallanico, ad magnum æſtuarium Fluminis *de la Plata* pertingit.

Priorem partem à ſolis Hiſpanis hactenus luſtratam & obiter delineatam invenio: nam Angli & Belgæ noſtri qui per Fretum Magallanicum in Oceanum Auſtralem penetrarunt, aut ab ora hac penitus abſtinuerunt, aut tantum obiter ſunt prætervecti. Primus autem Hiſpanorum, qui è Mari Auſtrali per Fretum Magallanicum in Mare Atlanticum regredi eſt conatus, fuit Tribunus militum *Ladrillerus*, qui *Garſiæ de Mendoza*, Chilenſis provinciæ Præfecti juſſu, ex Chilenſi provincia profectus, Fretum quidem Magallanicum eſt ingreſſus, illudque ad Septentrionalem uſque Oceanum penetravit, ſed Fretum egredi nequaquam auſus ob ingruentem in illis partibus hyemem & ſævas tempeſtates, eadem pene via, quā venerat, ad Chilenſem præfecturam eſt reverſus.

Hunc ſequutus eſt *Petrus Sarmientus*, à *Franciſco Toletano* Peruviæ Pro-Rege miſſus, poſtquam fortiſſimus Eques *Franciſcus Dracus* per Fretum Magallanicum in Oceanum Meridionalem penetraſſet & opulenta ſpolia pluribus navibus interceptis & direptis ex illo mari abduxiſſet. Qui Sarmientus quum duabus cum navibus è Peruvia eſſet profectus, cum una quidem nave per Fretum Magallanicum in Hiſpaniam pervenit; altera autem illius navis, antequam Fretum ingredi poſſet, à tempeſtatibus & æſtuoſo mari verſus Polum Antarcticum abrepta, ad quinquageſimum & ſextum Auſtralis latitudinis gradum pervaſit, neque tamen ullas terras, ut

ſcribunt obvias habuit: tempeſtate vero remittente vela verſus Arctum convertit, & licet alveum patentem inveniret, qui haud dubio in Fretum Magallanicum deſinebat, tamen navalibus ſociis refragantibus, eundem ingredi prætermiſit, ſed voti irritus ad Chilenſem Præfecturam rediit. Quia autem hæc *Petri Sarmienti* navigatio primum lucem aliquam huic Magallanicæ parti attulit, illam hic compendio inſeremus, quemadmodum à *Leonardo ab Argenſola* deſcriptam invenimus libro tertio cap. XI. operis ſui, quod inſcribitur, *Conquiſta de las Iſlas Malucas*, & impreſſum fuit Hiſpanico idiomate Madriti anno Domini cIↃ IↃ.CIX.

CAP. II.

Petri Sarmienti *navigatio ſecundum oram Magallanicæ ad mare Auſtrale ſitæ, è commentariis* Leonardi de Argenſola.

POSTQUAM *Franciſcus Dracus* in Oceanum Auſtralem hactenus ab aliis nationibus, præter Hiſpanos, intentatum, per Fretum Magallanicum penetraſſet; à *Franciſco Toletano* Peruviæ Pro-Rege duæ naves inſtructæ fuerunt, iiſque *Petrus Sarmientus* præpoſitus, ut *Dracum* cum ſuis, quem ad Fretum Magallanicum reverti communis opinio erat, perſequeretur. *Sarmientus* cum utraque navi è *Callao* Limæ portu ſolvit menſe Octobri anni cIↃ IↃ LXXIX: & Kalend. Novembris inſulas conſpexit quas Hiſpani vulgo *Deſuenturadas* vocant, viginti quinque gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, ut ille obſervat, anno primum cIↃ IↃ LXXIV à *Ioanne Fernandez* dum Chilen è Peruvia peteret, caſu inventas, quæ hodie *S. Felix* & *S. Ambor* dicuntur. Hinc ad Continentem divergens, in illius conſpectum primum venit novem & quadraginta gradibus & triginta ſcrupul. ab Æquatore verſus Auſtrum: hic appellens & difficulter admodum in littus egreſſus, veſtigia quidem hominum, ſagittas, remos & retia offendit, cæterum ipſos barbaros nuſquam conſpexit: dein magno labore ad ſumma montium juga enixus, oras omnes variis alveis & ſinubus lancinatas, & plurimas inſulas continenti objectas, deſpexit, ita ut non dubitaret hic Archipelagum inſularum eſſe (quarum ſupra octuaginta ab illo faſtigio dinumerare poterat) & hac tranſitum quoque patere ad Fretum Magallanicum fuit opinatus. Portui nomen *Nueſtra Sennora del Roſario*, vicinæ inſulæ *S. Trinitatis* nomen inditum & conſuetis ceremoniis poſſeſſio harum terrarum Regi Hiſpaniarum vindicata: Dehinc cymba canalem qui inſulas inter & continentem labitur ingreſſus, portus omnes, ſtationeſque luſtravit & variis locis nomina impoſuit, præſertim uni cui à vicini amnis arenis, portus *Bermejo*, id eſt, rubri nomen indidit: hic quoque hominum veſtigia reperta fuerunt: alvei autem omnes qui inſulas interluunt piſcoſi ſunt, & præſertim grandibus oſtreis fœti, in quibus & uniones repertæ, ſed maximam partem ſubfuſcæ.

A portu *Bermejo* provecti ſinum quendam intrarunt, cui *S. Franciſci* nomen impoſuerunt; quem mons ſatis editus ad Auſtrum claudebat, quem *Punta de la Gente* dixerunt, quia hic primum barbaros aliquot viderant, totum corpus rubrica quadam tinctos, quorum unus quem invitum in cymbam pertraxerant, paulo poſt natando evaſit: Dein rurſus innumeras pene inſulas adierunt, omnes autem incultas; tandem quum ad ſinum *Noſtræ Sennoræ de Guadalupe*, uti vocant & promontorium quod illum ſinum claudit perveniſſent, ibidemque tantum unum humile tuguriolum deprehendiſſent, ſtipitibus undique ſeptum & corticibus arborum atque luporum marinorum coriis deſuper tectum, nullis præterea barbaris conſpectis, ad navem ſuam remearunt.

Deinceps cum navi tantum ſua profectus (nam altera jam ab ipſo aberraverat) portum *Miſericordiæ* & tribus ab hoc leucis portum *Noſtræ Sennoræ de Candelaria* tenuit & tandem Inſulam *S. Ynes*: (hæc nomina tunc locis illis indita) ubi quinque barbaros invenit, qui ſignis quibuſdam ipſi ſignificarunt, haud procul inde in anchoris conſtitiſſe duas naves, quibus homines barbati vehebantur, qui veſtiti erant ad Hiſpanorum modum: De Anglis quos quærebant loqui ipſis viſi fuerunt.

Hinc ad Eurum converſus inſulam adiit quam barbari *Puchachailgua*, itemque alteram

alteram quam *Cayrayxa xylgua* nominabant & tandem alveum ingreſſus, cujus æſtuarium *Xaultequa* appellabant, rurſus in innumeras inſulas incidit, quarum unam barbari *Tinquichiſgua* dicebant, *Sarmientus* verò Inſulam *S. Crucis* appellavit; atque ita unam atque alteram inſulam prætervectus, inſignem portum ſubiit, & è vertice montis perpulchram urbem deſpicere ſibi viſus fuit ad Europæum modum ædificatam, & in ea plurimum virorum in armis.

Hinc iter ſuum proſecutus eſt ad cornu quoddam quatuor & quinquaginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, quod *S. Iſidoro* appellavit: hinc conſpicere erat flammivomum quendam montem, perenni nive deſuper tectum; dein canalem enavigans pervenit ad *S. Annæ* cornu, tribus & quinquaginta gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ubi crucem erexit & literas ad pedem illius depoſuit, quibus cæteris omnibus nationibus denuntiabat, has regiones Hiſpaniarum Regis proprias eſſe & conſuetis ceremoniis poſſeſſionem illarum à ſe vindicatam, ſecundum bullam donationis Alexandri VI Pontificis Romani.

Flumini quod pone dictum cornu in Fretum Magallanicum deſcendit, nomen *S. Ioannis* impoſuit & Freto Magallanico quod inſulas interluit *Madre de Dios*. Anguſtiis autem Freti ad altitudinem trium & quinquaginta graduum & triginta ſcrupulorum ab Æquatore verſus Auſtrum *Nueſtra Sennora del Valle* nomen indidit. Hic cum indigenis cruentum certamen aggreſſus, non ignobilem victoriam reportavit. Et in Continentem deſcendens, regionem hanc *Nueſtram Sennoram del Valle* itidem appellavit & quum in ſummum montem aſcendiſſet, amœniſſimam planiciem ſibi deſpicere viſus fuit & quamplurimos pagos, ædificia magnifica & altas turres, deniq; ſplendida templa, ita ut oculis ſuis vix crederet, & magis urbem quandam in aëre quam in terris ſibi conſpicere videretur.

Nullus dubito quin qui hæc lecturi ſunt, & cum iis quæ ſecundum rei veritatem ab aliis referuntur comparabunt, judicaturi ſint *Sarmientum* hunc vaniſſimum hominem fuiſſe & de aliorum credulitate nimis ſecurum.

Denique Freto Magallanico enavigato, Braſiliam petiit & tandem in Hiſpaniam pervenit, quæ autem ibi Regi ſuo perſuaſerit & quæ inde ſequuta fuerint, paulo poſt dicturi ſumus.

Cap. III.

Oræ hujus omnis à Chilenſis *præfecturæ finibus ad Fretum* Magallanicum *deſcriptio ex* Herrera.

Superiori libro oram hujus Continentis ad Mare Auſtrale ſitam perduximus ad Promontorium *S. Felicis*, à quo porro ſecundum *Herreram* in hunc modum jacet: à dicto Promontorio ad cornu *S. Cypriani*, leucæ numerantur quatuordecim inter Arctum atque Auſtrum. d.8.lib.7. cap.11.

Ab hoc cornu ad cornu *S. Claræ* quatuor leucæ.

Inde ad Promontorium inſularum vulgo *Cabo de las Iſlas* decem leucæ.

Aliquo ad Inſulam *Nueſtræ Sennoræ del Socorro* ſunt octodecim leucæ: hæc inſula exiguo intervallo à continente disjungitur: ab illa paululum verſus ortum declinando ad portum *S. Dominici*, ſtatuuntur ſex leucæ; à quo ad promontorium *Didaci Gallæci* novemdecim leucæ, quod ſex & quadraginta gradibus dicitur abeſſe ab Æquatore verſus Auſtrum.

Ab hoc Promontorio ad portum *S. Stephani* duodecim ſunt leucæ & à portu hoc ad promontorium *S. Andreæ* ſex leucæ: ſeptem & quadraginta grad. ab Æquatore.

Hinc ad Promontorium *Ochiuvary* octo numerantur leucæ, & ab hoc ad vallem noſtræ *Sennoræ* decem leuc. ita vocant ſinum inter duos colles concluſum, octo & quadraginta pene gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum.

Ab eo ſinu ad portum *Ferdinandi Gallæci* octodecim ſtatuuntur leucæ, novem & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: à portu iſto ad *Abra S. Guillen*, (ut vocant) quindecim leucæ, quadraginta novem gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore.

Ab *Abra S. Guillen* ad terræ cornu quod vocant *Punta Delgada* ſex ſunt leucæ, quinquaginta gradibus ab Æquatore.

Sequitur deinceps *Porto de los Reyes* quinquaginta gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquat. & ſex ab hoc leuc. *Portus Innocentum*; & mox cornu *S. Auguſtini*; promontorium *de la Roia* & *S. Catalinæ*; uno & quinquaginta gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore: & ſtatim portus *S. Amari* & *Abra S. Victoriani*, duobus & quinquaginta gradibus & viginti quinque ſcrupulis ab Æquatore, qui canalis inter editas inſulas & juge nive tectas ſe inſinuat. Auſtrali autem illius promontorio tres exiguæ inſulæ adjacent, in triangulum projectæ, indubitatæ indices oſtii Freti Magallanici quod in Mare Auſtrale exit: Hactenus ille decade VIII. lib. VII. cap. XI.

Idem paulo aliter hanc oram delineat in deſcriptione Indiarum: Ora (inquit) quæ à Chilenſi præfectura ad Fretum Magallanicum uſque pertinet & à *Valdivia* pene centum leucarum ſpatio ad zephyro-nothum (W. S. W. vulgo) vergit, habet primo Promontorium *S. Andreæ* ſeptem & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; à quo ora ſeſe flectit ad Auſtrum & recta verſus Fretum Magallanicum.

Secundo Promontorium *S. Romani* quadraginta octo gradibus ab Æquatore; & juxta illud Inſulam *S. Catharinæ*, ad introitum magni ſinus, quem vocant *Alcarchofadam*. In ipſo dein ſinu, receſſum *Noſtræ Sennoræ* & Inſulam *S. Barbaræ*; & paulo ultra Portum *Fernandi Gallæci* quadraginta octo gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore; dein octodecim leucis à dicto portu *Sinum Regum* & *S. Ioannis* quinquaginta gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore. Promontorium *S. Franciſci* uno & quinquaginta gradibus ab Æquatore, pone quod aliquot canales ſeſe intra continentem inſinuant; & inſulam *Campanam* undecim leuc. à Promontorio *S. Fran-*
lib. 3. c. 11. *ciſci* (quam *Acoſta* ita à forma dictam, & introitum Freti Magallanici indicare ſcribit) ſinumque *S. Lazari* duobus & quinquaginta gradibus ab Æquatore, in quem ſex ad minimum alvei exeunt, nondum à quoquam luſtrati, denique Archipelagus Inſularum. Hæc *Herrera*.

Alii adhuc alia nomina huic oræ imponunt, vidimus enim Tabulam Geographicam anno cIↄ Iↄ CXIX in Hiſpania expreſſam & à Coſmographo Regio *Petro Texerra Ealbornas* poſt duarum navium è freto novo Lemario reditum delineatam; in qua hæc nomina appoſita invenimus; ad gradum quintum & quadrageſimum ab Æquatore verſus Auſtrum, flumen *de los Barbudos*, id eſt barbatorum, quod in ſinum *de los Coronados* ſe exonerat: ad altitudinem quadraginta ſex graduum & triginta ſcrupulorum, *Rio ſin fondo*: inter quadrageſimum ſeptimum & octavum gradus certos receſſus ſive ſinus quibus aſſcriptum eſt *Aqui ſe perdio Diego Gallego*, hic periit *Didacus Gallæcus*: ad quadrageſimum nonum & triginta circiter ſcrupula Promontorium *Corca*; à quo terra longo intervallo pene ad ortum recedit & ingentem ſinum aperit, qui ſemicirculari ambitu uſque ad quinquageſimum ſecundum gradum circumducitur, & varios amnes in ſe videtur admittere, ad mare denique Auſtrale quamplurimis inſulis clauditur; nullum huic ſinui nomen additum, ſed in interiori illius gremio receſſus eſt ſatis patens in ipſo aditu, cui nomen additum *Ancon ſin Salida*, quaſi dicas receſſum minime pervium.

In eadem tabula facies harum terrarum pingitur montoſa fere & hac illac nemoribus veſtita. Nunc porro de ipſo Freto dicendum.

CAP. IV.

Ipſius Freti Magallanici *deſcriptio ſecundum Hiſpanos qui primi illud penetrarunt.*

IN deſcriptione ipſius Freti Magallanici, trium nationum obſervationibus utemur, quæ ſingulæ varia nomina eiſdem ſæpe locis indiderunt: nam licet à Belgis noſtris demum accuratiſſime obſervatum & deſcriptum fuerit, tamen non inutile erit ea quoque cognoſcere quæ inde à prima hujus Freti inventione à ſingulis fuerunt prodita.

Ordiemur autem ab Hiſpanis, quibus prima illius luſtratio debetur: *Ferdinandus* namque *Magallanus*, Luſitanus Eques non ignobilis, illud primus anno cIↄ Iↄ XX auſpiciis

auſpiciis Regis Caſtellæ, detexit in hunc modum *Magallanus*, poſtquam in ſinu & portu *S. Iuliani* hybernaſſet (nam quæ ante illi acciderunt, hic prætereo) ex illo cum navibus ſuis ſolvit XXIV Auguſti anni cIↃ IↃ XX ibidem relinquens *Ioannem de Cartagena* & Clericum quendam Gallum ob gravia delicta condemnatos: atque inde petiit Flumen *S. Crucis*, ubi menſibus Septembri & Octobri ſubſtitit & magnam piſcium copiam cepit. Her. d.2. l.9. c.14.

Hinc ſub finem Octobris profectus oram legit verſus Auſtrum, cum multis difficultatibus & ſævis tempeſtatibus conflictatus, tandem pervenit ad Promontorium *Virginum*, ita ab illo appellatum à *S. Vrſula*, cujus feſto die illud detexerat: hic primum magnus receſſus maris viſus in Continentem pervadere, itaque duæ naves dimiſſæ quæ illum perluſtrarent; harum una nihil certi reportavit, altera magnam ſpem fecit, hoc fretum navibus majoribus eſſe pervium. Una circiter leucâ ab ore Freti in continentem exſcenſione facta, tuguriolum ibidem repperit & plurima ſepulcra barbarorum; quippe indigenæ hujus regionis æſtivis menſibus huc accedere ſolent & cadavera ſuorum contumulare, hybernis vero in mediterranea concedere: ingentem itidem cetum in littus ejectum, & plurima oſſa repererunt, è quibus proclive erat judicare, hæc loca ingentibus tempeſtatibus obnoxia eſſe.

Sub finem Octobris Promontorium *S. Severini* (ut vocabant) ſuperarunt, quinquaginta duobus gradibus & quinquaginta quinque ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum: & quia noctu plurimos ignes in continente videre erat, *Terra del Fuego* nomen Continenti illi, ut putabant, indiderunt. Atque per anguſtias Freti eluctati ſub finem demum Novembris in Auſtralem Oceanum penetrarunt. Periit quidem poſtea ipſe *Magallanus* in hac expeditione, ſed non ipſius fama; meruit enim præclaro hoc facto, ut non modo Fretum hoc, ſed & Auſtralior hæc Americæ Meridionalis pars hodieque ab ipſius nomine appelletur.

Poſt illum *Garſias de Loyaſa* anno cIↃ IↃ XXV idem Fretum ingreſſus menſe Aprili, illud ſub finem May ſatis feliciter enavigavit: hic cum accolas barbaros conſpexiſſet ſtatura proceriore, illis Gigantum atque *Patagonum* nomen indidit. Longitudo Freti & anguſtiæ illius, variique receſſus, ſtationes & portus paulo accuratius tum fuerunt obſervati. Nam ſuperatis ſecundis Freti anguſtiis, invenit ibidem portum, cui impoſuit nomen *S. Iorge*, ad quem obſervarunt arbores illas, de quibus poſtea dicetur, quarum corticibus uſi ſunt, & viridem canellam ſunt ſuſpicati. Atque item alterum portum cui nomen dedit, *Puerto Frio*, ob ingens frigus, quod ibidem perpetiebantur, ita ut non pauci illic deficerent. Her. d.3. l.9. c.4.

Hunc jam tertius excepit *Simon de Alcazova*, qui anno cIↃ IↃ XXXIV ſub initium Octobris ex *Gomera* Inſula ſolvens, recto curſu & nulla pene terra conſpecta decimo ſeptimo Januarii die anno cIↃ IↃ XXXV ad flumen *Gallæcorum* pervenit viginti quinque à Freto leucis verſus Arctum, & paulo poſt Fretum ingreſſus, à navalibus ſociis tumultuantibus ad portum *Leonum* reverti coactus fuit, ubi miſere periit. Her. d.5. l.1. c.5.

Anno denique cIↃ IↃ XXXIX ab Epiſcopo Placentino tres naves miſſæ, quæ cum menſe Auguſto ex Hiſpania ſolviſſent, vigeſimo demum Januarii anni cIↃ IↃ XL fretum conſpexerunt, ubi navis Ammiralia (ut vocant) miſere fracta fuit, vectoribus maximam partem ſalvis: altera navis Freto feliciter enavigato *Arequipam* appulit; tertia voti irrita in Hiſpaniam remeavit, poſtquam in ipſo Freto hybernaſſet in portu *de las Zorras* (ut ipſi vocarunt à vulpecularum copia, quas ibidem conſpexerant.) Atque hæ fere Hiſpanorum per hoc Fretum navigationes, antequam ab Anglis idem tentaretur: è quorum relatu *Acoſta* Fretum in hunc modum deſcribit libro III. cap. XIII. Her. d.7. l.1. c.8.

Fretum Magallanicum (inquit) jacet quinquaginta & duobus non plenis gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, patetque in longitudinem ab uno Oceano ad alterum nonaginta, aut ad ſummum, centum leucas, in latitudinem vero ubi maxime anguſtatur tantum unam; atque hic Regi Hiſpaniarum perſuaſum fuerat, ut arcem conderet, ut hoc pacto aliis nationibus aditum in Mare Auſtrale intercluderet; mare hic nonnullis locis ita eſt altum, ut bolide jacta vix fundum ſit reperire, aliis vero tantum quindecim vel octodecim orgyas: leucarum autem illarum centum, quas in longi-

longitudinem patet, triginta quidem ſibi vendicat Oceanus Meridionalis, ſeptuaginta vero Eous ſive Atlanticus;manifeſto inter utriuſque fluctus divortio,& æſtuum quadam reciprocatione: porro triginta illarum leucarum ſpacio Fretum anguſtius eſt & altiſſimis montibus atque perenni nive tectis, utrimque ita concluſum ; ut vertices montium, eminus, pene coïre videantur, & oſtium ipſius Freti ab illis qui ab occidente adnavigant difficulter diſcerni poſſit; eodem ſpatio & altiſſimum eſt & oræ utrimque præruptæ, ita ut anchoræ difficulter hic figi poſſint: Septuaginta vero illarum leucarum ſpacio,paulo latius eſt Fretum & minus altum, & oræ utrimque leniter acclives. Varia tum nomina ab Hiſpanis, locis intra Fretum impoſita, quorum pleraque jam obſoleverunt; præter Promontoriorum ad utrumque Oceanum, quorum illud quidem quod ab Oceano Atlantico ingredientibus dextrum eſt, *Cabo de las Virgines*, id vero quod in Auſtralem Oceanum prominet, *Cabo Deſſeado* hodieque dicitur.

Cap. V.

Anglorum navigationes per Fretum Magallanicum *&* *quidem primum* Franciſci Draci.

Ab anno cIↃ IↃ XL ad annum cIↃ IↃ LXXVII non invenio memoriæ proditum, Fretum hoc à quoquam Hiſpanorum, aut aliarum nationum, tentatum, controverſia enim illa notiſſima de *Molucis* Inſulis, inter Reges Caſtellæ & Portugalliæ ſopitâ, exiguus eſſe illius videbatur uſus & ſumma ſuperandi difficultas & aliorum qui ante tentaverunt, diſcrimina meritò deterrebant;neque quiſquam adhuc è mari Auſtrali in Septentrionale regredi fuerat conatus. Anno demum cIↃ IↃ LXXVII fortiſſimus Eques & maritimarum rerum peritiſſimus *Franciſcus Dracus* Anglus, heroico plane auſu, cum paucis navibus, neque ita magnis, expeditionem in Oceanum Auſtralem per hoc Fretum ſuſcepit. Hic medio Decembri ex Anglia ſolvens, ſub initium Aprilis anni cIↃ IↃ LXXVIII Braſiliam adiit, triginta tribus gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: & ſub finem pene Junii Portum *S. Iuliani* eſt ingreſſus; è quo decimo ſeptimo menſis Auguſti profectus, vigeſimo ejuſdem menſis die, Fretum Magallanicum attigit; illud autem ingreſſus, tres inſulas offendit, quarum uni *Eliſabethæ*, alteri *S. Bartholomæi*, tertiæ *S. Georgii* nomen impoſuit, atque in illis quidem brevi tempore tria millia avium, quas *Penguins* vocant, mactavit.

Sub initium Septembris Fretum ſatis feliciter enavigavit, & ſub inſula quadam quæ oſtium Freti ad Mare Auſtrale veluti concludit, anchoras jecit, ut aditus in mare illud penitius luſtraret: itaque cymba dimiſſa canalis qui verſus Arctum ſe aperit ſedulo inſpectus; hic barbarorum lintrem obvium habuerunt è corticibus arborum mira induſtria conſertum, & cingulis quæ è phocarum tergoribus diſſecta erant, ita conſutum, ut nihil aut perparum undarum per rimulas admitteret; prora atque puppi ſemilunæ in modum recurvis.

Barbari hi ſtatura erant mediocri, membris bene compactis, faciem rubrica quadam picti: in Inſula autem tuguriolum illorum inventum fuit, è ſtipitibus compoſitum & animalium tergoribus tectum; in quo præter ignem & aquam, quam in corticibus ad eundem modum conſutis aſſervabant, luporum marinorum carnes, muſculi & ſimilis annona fuit reperta: Muſculorum autem qui hic ſupra modum grandes ſunt, teſtas ita lapillorum attritu acuunt, ut iiſdem non modo duriſſima ligna, ſed & oſſa dividant.

Sexto demum Septembris Oceanum Auſtralem ſunt ingreſſi. Atque hic illos ſtatim tempeſtas excepit, adeo horrida & pertinax, ut quinquaginta duobus diebus nihil pene remitteret; quare illos cum ſummo diſcrimine ita exagitavit, ut præter inſtitutum ad altitudinem ſeptem & quinquaginta graduum Auſtralium abriperentur; ubi quum in portu quodam anchoras jeciſſent, à violentia ventorum & æſtuoſo mari rurſus in altum ſe ſubducere fuerunt coacti, & una ipſorum navis, & mox altera, ab Ammiralia, qua ipſe *Dracus* vehebatur, ſeparatæ: quare huic ſtationi nomen ab

ab ipſo inditum fuit, **The Bape of Seuering of Friends** / id eſt, amicorum divortium.

Ab hoc eadem tempeſtas illos rurſus abripuit, egitque ad altitudinem quinquaginta quinque graduum ab Æquatore verſus Auſtrum, inter plurimas inſulas, juxta quas porro conſtiterunt donec tempeſtas deſæviret;Inſulas has *Elyſabethides* dixerunt; Sunt autem eæ pars terræ Auſtralis,quæ olim continens eſſe credebatur,tam latis & altis alveis diviſæ, ut totidem freta videri poſſint: hic barbaros ultro citroque lintribus ſuis commeantes offenderunt, mares & fœminas quæ infantes ſuos pellibus tectos ſupra dorſum pendulos circumgeſtabant. Ab iiſdem tum obſervatum, extremas harum inſularum quinquaginta & ſex gradibus ab Æquatore abeſſe verſus Auſtrum, pone quas vaſtum mare jacet, ſecus quam ſuperiori ſeculo fuit creditum. Denique ſub finem Octobris vento jam remittente, verſus Arctum curſum inſtituerunt. Cætera hujus expeditionis, quia non faciunt ad hoc noſtrum inſtitutum, hic omittimus.

Sed nequaquam prætereunda ſunt, quæ à *Ioanne Wintero* ſunt obſervata, qui uni navium hujus claſſis præfuit; Nam cum *Draco* in Mare Auſtrale ingreſſus iter proſecutus eſt verſus Corum, ad ſeptuaginta, ut ipſis videbatur leucas; ubi decimo & quinto die Septembris, hora ſexta matutina Ecclypſin obſervarunt, quæ in Anglia viſa fuit, ante horam primam poſt mediam noctem. Ingruit eo die ſæviſſima tempeſtas, ita ut velis uti non poſſent, quæ duravit octodecim diebus, eoſque impulit verſus Auſtrum uſque ad altitudinem ſeptem & quinquaginta graduum;hic vento nonnihil remittente rurſus vela explicarunt, & curſum inſtituerunt verſus ortum; Septimo Octobris denuo conſpexerunt terram, ſubjeruntq; ſinum multis ſcopulis contaminatum, è quo ſe non ſine diſcrimine abſolverunt, & in Fretum Magallanicum ſunt regreſſi, & omiſſa ulteriori navigatione, domum.

Cap. VI.

Thomæ Candishii *navigatio per Fretum* Magallanicum, *itemque* Richardi Hawkini *Equitis*.

FRanciſcum Dracum ſecutus eſt in eodem conatu *Thomas Candishius*, qui anno cIↃ IↃ LXXXVI cum tribus navibus ex Anglia ſolvens menſe Julio, & circa exitum Decembris ad continentem Americæ delatus, octo & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, Portum ſubiit quem ob opportunitatem *Port Deſire* appellavit; à quo rurſus ſolvens ſexto Januarii ann. cIↃ IↃ LXXXVII Fretum Magallanicum eſt invectus, & cum aliquantulum proceſſiſſet Hiſpanum quendam cepit, qui cum viginti tribus aliis ſuperabat è quadringentis, quos Rex Hiſpaniarum eo miſerat, ut oppida aliquot conderent,de quibus poſtea dicemus: & poſtero die primas anguſtias ſuperavit, quæ ſecundum illius computationem abſunt ab oſtio Freti milliaria Anglica quatuordecim, ab his ad inſulas *Penguinûm* milliaria decem provectus, flexit verſus Africum & Philippopoleos (vulgo *Cuidad del Rey Phelippe*) deſertæ mœnia luſtravit & tormenta aliquot à colonis defoſſa eruit: & quia maxima pars Hiſpanorum hic variis incommodis & maxime inedia interierat, loco *Port Famine* nomen impoſuit: ſitum autem erat oppidum tribus & quinquaginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum.

Itinerarium nauticum Hiſpanorum collocat Promontorium, ipſis *Punta de Santa Ana*, ad altitudinem trium & quinquaginta graduum & triginta ſcrupulorum; notatque oppidum Philippi, eo ſuperato jacuiſſe verſus corum ad angulum quendam terræ.

Movit ab hoc loco decimo quarto Januarii & Promontorium maxime Auſtrale (quod *Cape Frauward* nominavit) prætervectus, quatuor & quinquaginta gradibus ab Æquatore, XXI ejuſdem menſis in arenoſo ſinu ad dextrum Freti latus anchoras fixit, ſinui *Elizabethæ* nomen inditum, ab hoc duorum milliarum ſpatio abeſt fluvius, qui è continenti deſcendit, quem cymba ſubeuntes ad milliaria tria, pulcherrimam planiciem & campeſtrem vernantemque regionem ad utramque illius ripam inuenerunt; quod rarum in hiſce regionibus, nam reliqua ferè regio aſperis atque incultis horret

horret montibus: hic plurimi barbari incolebant, humanis viſceribus & aliis immundis cibis victitantes; quos & Hiſpanos aliquot trucidaſſe & comediſſe veriſimile erat, nam cultelli, aliæque plures Hiſpanorum exuviæ in tuguriolis illorum fuerunt deprehenſæ. Hinc & canalem *S. Hieronymi* (ut Hiſpani vocaverunt) adierunt, qui duobus milliarib. à fluvio abeſt; & pene integrum menſem, ab adverſo vento, in portu quodam ſubſiſtere coacti vigeſimo quarto demum Februarii in oceanum Auſtralem ſunt egreſſi. Idem *Candiſhius* ſecundo per hoc Fretum in Oceanum Auſtralem penetrare inſtituerat anno cIↃ IↃ XCI: Sed voti irritus & variis calamitatibus miſerè exagitatus, in illa expeditione periit.

Hunc ſequutus eſt *Richardus Hawkinus* Eques, qui anno cIↃ IↃ XCIII menſe Aprili ex Anglia profectus, poſtquam Braſiliæ oras & Flumen *de la Plata* luſtraſſet, demum menſe Februario anni cIↃ IↃ XCIV ab adverſo vento ad terram hactenus incognitam, & ut veriſimile fit, Continentis Auſtralis (ſi quæ ibi continens terra) partem fuit delatus, quinquaginta pene gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; & oram illius legit verſus aquilonem ad milliaria pene ſexaginta: Teſtatur autem, Regionem hanc peramœnam ſibi viſam, & haud dubio habitatam ob crebros ignes quos paſſim noctu obſervaverat; præterea & aliquot amnes è continenti in mare exire, tanto impetu ut undarum color inter ipſos fluctus diſcernatur: Promontorium porro quod primum ex alto conſpexerant *Point Tremontaine* appellarunt: à quo XII aut XIV milliar. verſus ortum inſula continenti objacebat, quam ob vernantem & amœnum adſpectum *Faire Iland*, id eſt, pulchram Inſulam dixerunt; totam denique hanc terram *Hawkins Maiden Land*. Sed vento denuo reflante, ab hac diſcedens ad Fretum Magallanicum feliciter pervenit, illudque enavigavit, non ſine diſcrimine, aliquoties ab ipſo ore, quod in Oceanum Auſtralem patet, repulſus. In ipſo denique Mari Auſtrali quum jam non modo Chilenſem oram, ſed & Peruvianam pene totam eſſet prætervectus, ab Hiſpanis poſt longum & acerrimum certamen fuit captus, & multa illos docuit de parte Auſtrali ipſius Freti hactenus ipſis ignorata, nimirum quicquid terrarum Fretum Magallanicum ab Auſtro attingit, nihil niſi inſulas eſſe, variis canalibus & æſtuariis interſectas, quemadmodum quoque poſtea à Belgis noſtris fuit obſervatum, & demum novo illo Freto à *Lemario* noſtro invento, extra dubium fuit poſitum, uti mox dicemus.

CAP. VII.

Belgarum navigationes per Fretum Magallanicum *& quidem prima duce* Simone de Cordes.

ANNO denique cIↃIↃXCVIII Belgæ noſtri navigationem per Fretum Magallanicum auſpicarunt, duabus Claſſibus à diverſis mercatoribus inſtructis; quarum priori Ammiralii nomine præerat *Iacobus Mahuvius* & legati ſive Vice-Ammiralii nomine *Simon de Cordes* Antwerpianus, qui *Mahuvio* in mari Atlantico defuncto, in illius locum ſucceſſit: Ea quinque navibus conſtabat: Solvit autem ex Hollandia menſe Junio: & poſt varias difficultates ſuperatas tandem menſe Aprili anni cIↃ IↃ XCIX ad ipſum Fretum pervenit: Erat ea anni tempeſtas ſatis incommoda, quippe hyeme tum in illis partibus acriter ingruente: hic primum *Pinguinum* inſulas adierunt, & mox decimo tertio ejuſdem menſis anchoras fixerunt in peramplo ſinu, cui Angli jam ante nomen *Muſculorum Sinus* impoſuerant, viginti duobus milliaribus intra Fretum & ad latus ingredientibus dextrum; in hunc ſinum fluvius egreditur, & ora omnis atque inſula quæ ſinui objacet, arboribus obſita eſt, ita ut hic ſumma ſit aquandi & lignandi opportunitas, mare autem ingentium muſculorum copiam ſubminiſtrat.

Aura dein ab oriente flante, verſus Africum & mox verſus Corum curſum inſtituerunt, ſed vento paulo poſt mutante, vela vortere coacti fuerunt & in ſinu ad Septentrionale Freti latus anchoras jacere: Stationi huic *Viridis Sinus* nomen inditum, abeſt autem ab Æquatore quatuor & quinquaginta gradibus verſus Auſtrum: tres parvæ inſulæ in illo viſuntur ſparſæ; hic cum opus eſt, naves in ſiccum ſubduci poſſunt & refici: ora continentis & inſulæ multis arboribus veſtitæ ſunt, de quibus

Sebaldus

Sebaldus de Weert, qui uni navium præfuit, & voti irritus poſt multos errores è Freto domum redire coactus fuit, ad Parentem meum retulit, in Clar. Vir. Car. Cluſii gratiam, l.4.c.1. qui illius epiſtolam Exoticis ſuis inſeruit: è qua hæc obſervanda: Arbor hæc nullam ſimilitudinem habet cum Lauro, ut nonnulli perperam retulerunt, foliorum duntaxat odor laurinorum foliorum odorem æmulatur, ſed ſunt latiora & magis viridia; *R. Hawkinus* populi nigræ foliis comparat, ſed magis dilute virere ſcribit:) arbor autem perpetua coma viret (quemadmodum maxima pars aliarum arborum quæ ad oras illius Freti naſcuntur) atque in altum aſſurgit, adeo interdum craſſa, ut meminerim (inquit) aſſeres ex una ſectos fuiſſe binos pedes cum ſemiſſe latos; valde autem fragile eſt lignum. Nullum fert fructum, quantum quidem obſervare potuimus, licet totis novem & amplius menſibus in Freto hæſerimus, quo ſane temporis ſpatio vel florem vel fructum ſive immaturum ſive maturum obſervare neceſſe fuiſſet. De ligni foliorumve aut corticis facultatibus & natura, nihil nobis conſtat, niſi quod corticem & folia adeo aromatica obſervantes, iis uſi ſumus in noſtris eduliis, exiſtimantes in tam frigida regione noxia eſſe non poſſe, preſertim cum pipere fere deſtitueremur, ad muſculorum quibus veſci cogebamur, aliorũ alimentorum penuriâ, condimentum. Hæc ille. *Hawkinus* vero, cujus jam aliquoties memini, huic arbori (niſi forte de alia loquatur) etiam fructus tribuit virides, & oxyacanthæ baccis forma non abſimiles, qui nucleos aliquot minutos continent intus albos & acrimonia ipſi piperi præſtantes. In eodem ſinu & muſculorum copia reperta, magnitudine facile omnes qui uſquam reperiuntur anteeuntes, nam conchæ illorum fere palmum majorem longę, ſunt & muſculi exemti cocti, terni libram noſtratẽ non raro æquant: plures præterea hic anſeres & anates capiuntur. Hic ob adverſam tempeſtatem ad exitum pene menſis Auguſti ſubſtiterunt, quo tempore ſævos ventorum turbines ſunt perpeſſi, qui illos non ſemel ab anchoris invitos in graviſſima diſcrimina abripuerunt: & ſupra centum illorum variis morbis interierunt. Dum autem hic hærent, cymbâ ad inſulam ex adverſo ſitam profecti, VII lintres barbarorum obvios habuerunt, qui ſtatim ad terram applicuerunt, & noſtros ingentium ſaxorum grandine ita obruerunt, ut retrocedere cogerentur, illi autem audaciores facti lintribus rurſus conſcenſis, inſequi cœperunt, donec ſclopetis quinq; illorum occiderentur, tunc enim rurſus exſcenſione facta, craſſiſimos arborum truncos, nullo pene negotio evulſos, in noſtros jaculari conati ſunt, qui mature ſe ſubduxerunt: Erant hi (ut referunt) ſtatura plane gigantea, decem aut undecim pedes longi, colore rubicundo, prolixis comis, nudi omnes uno excepto, qui phocæ vellus pudendis præcinxerat: arma erant jacula è duriſſima materie quibus ligneæ cuſpides recurvæ, nervis animalium alligarant, hæc ita intorquebant, ut corpora hominum penetrarent. Sinui nomen inditum *Cordes Baye*. Hinc XXIII Auguſti ſolventes, poſtero die ob malaciam ad Auſtralem Freti plagam anchoras jecerunt ad partem orientalem ſinus cujuſdam, quem *Ridders Baye*, id eſt, Equitum Sinum dixerunt, propter equeſtrem ordinem hic ab ipſis inſtitutum, quem *Soluti Leonis* titulo, certis ceremoniis & fidei mutuæ vinculis inter ſe celebrarant. Aliquoties deinde provecti, totieſq; repulſi non ſine ingentibus periculis, tandem III Sept. Freto enavigato in Auſtralem Oceanum penetrarunt; ubi cum ſæva ventorum tẽpeſtas illos excepiſſet, navis qua *Sebaldus* vehebatur, ad Fretum repulſa fuit, & poſt maximas miſerias, per plures menſes, intra Fretum exantlatas, in patriam redire coacta fuit, cui accuratiſſimam Freti delineationem debemus, quæ in Tabula Geographica hujus libri expreſſa eſt.

Cap. VIII.

Sebaldi de Weert *longi in Freto errores*, Penguinum *deſcriptio*.

NON abs re me facturum exiſtimo, ſi ad amiciſſimi viri memoriam, longos illius in hoc Freto errores commemorem. Cum Claſſis, uti dixi, III Septemb. cIↃ IↃ XCIX in Oceanum Auſtralem pervaſiſſet, triduo pene ventis ſatis propitiis uſa fuit; quarto demum die primum vehemens ventus, ingentes fluctus tollere cœpit, ita ut naves valide conquaſſarentur, & craſſa nebula mutuum adſpectũ adimeret, ita ut Ammiralii navis à cæteris aberraret: X autem Sept. horrida tẽpeſtas ingruit,

quæ cæteras quoque ſeparavit, præter duas, quarum una *Sebaldus* hic noſter vehebatur. Sed tempeſtate paulum remittente & aura nonnihil favente duæ hæ naves curſum tenuerunt uſque ad decimum nonum ejuſdem menſis, quo tam ſæva ventorum rabies illas oppreſſit, ut in ſummo diſcrimine verſarentur; ita XXIV diebus in Oceano Auſtrali jactati, tandem intra Fretum repulſi ſunt, & ibidem in ſinu quodam anchoras jecerunt: Hic pene quotidie ventorũ turbines illos ita exagitarunt, ut ab anchoris non ſemel abriperentur, & nonnullas amitterent. Hinc in alium ſinum quem tutiorem eſſe rebantur provecti, non minus diſcrimen adierunt, *Sebaldi* nave à ſubito turbine pene ſcopulis illiſa, & fere miraculo ſervata: acceſſit & aliud incommodum à tumultuantibus nautis, qui domum redire cupiebant & ægre à duce perſuaſi compeſcebantur. Interim muſculorum in ſinu hoc copia, quotidianum victum large ſuppeditabat.


Quum autem hîc uſque ad ſecundum Decembris ſubſtitiſſent, nihil non miſeriarum experti, ventus ab Aquilone flare cœpit, itaque velis expanſis egredi tentarunt, & tandem poſt ſummum diſcrimen & naufragii metum egreſſi, paulo longius ab altera navi anchoras jecerunt, ita ut tandem penitus ab illa ſepararentur.

Dum hic hærent, cymbâ ad proximam terram verſus occidentem delati, barbaros aliquot offenderunt, qui noſtros conſpicati, ſumma pernicitate in vicinos montes enitebantur, ut nullo pacto illos aſſequi poſſent, una tantum fœmina cum duobus liberis deprehenſa fuit & ad navem ducta; Erat illa ſtatura corporis modica, colore rubicundo, projecto ventre, uberibus pendulis, torvo admodum vultu, coma raſa præterquam circa frontem & auriculas, prorſus nuda & tantum humeros & dorſum phocæ vellere tecta: non multum captivitate ſua commoveri viſa, ab omni cocto cibo penitus abhorrebat, ſed avem quandam, leviter deplumatam, muſculi conchâ nonnihil inciſam diſcerpſit & bona viſcerum parte abjecta, jecur & ventriculum & mox reliquam carnem paululum uſtulatam & ſemicrudam non modo ipſa ſed & liberi illius avide dilaniarunt. Hanc biduo in navi retentam rurſus in terram expoſuerunt, filiola quatuor aut quinque annorum, ipſa non multum invita, retenta, quæ poſtea à *Sebaldo* liberaliter educari cœpta Amſtelodami obiit.

Decimo quarto Decembris rurſus ſæviſſima tempeſtas ingruens eos funibus & anchoris amiſſis è ſinu abripuit, ita ut inviti ad *Cordeſii* ſinum retro vehi cogerentur; dum in eo ſunt, nova illos calamitas oppreſſit, cymba illorum ab æſtuoſo Freto hauſta: ſed poſtero die cum jam in illo ſinu in anchoris ſtarent, inſperatum ipſis auxilium affulſit ab *Oliverio à Noord* qui in eodem Freto jam anchoras fixerat: Huic *Sebaldus* ſe conjungens, omnem operam dedit, ut cum illo in Oceanum Auſtralem penetraret, ſed incaſſum, vento fere adverſante atque illos rejiciente; itaque tandem illo deſerto, ob annonæ defectum, verſus *Penguinum* inſulas iter flexit, & duodecimo Januarii anni cIↃ IↃ c ad eaſdem pervenit: hic ſtatim exſcenſione in minorem inſulam facta, dum avibus mactandis dant operam, ſubita tempeſtas emicuit, quæ cymbam illorum, quam priore amiſſa compegerant, tam valide ſcopulis & littori illiſit, ut fracta penitus judicaretur: nihil jam huic calamitati addi poſſe videbatur, nam in navi tantum quinque ſocios reliquerant, maximam partem ægros & invalidos, ipſi vero omnium rerum indigi, quo ſe verterent ignorabant: ſedula tamen nonnullorum induſtria tandem perfectum fuit, ut cymba aliquo modo reficeretur, & vigeſimo quarto ad navem redirent.

In hac inſula fœminam invenerunt quæ ſeſe in caverna illarum avium abſconderat: Ea picta erat facie, pallio è Pinguinum & aliorum animalium pellibus eleganter conſuto amicta ab humeris ad genua uſque, pudenda inſuper ſimili pelle velata; ita ut ex eo proclive ſit judicare, barbaros qui continentem incolunt longe cultiores & minus barbaros eſſe, quam qui in inſulis ex adverſo degunt; ibidem & viri cadaver repertum, qui coma erat prolixa & corona è variis plumis conſerta redimitus, à lumbis pæterea ad genua uſque ſimilibus plumis circumcinctus, quibus reticulum incumbebat variis lapillis & oſſiculis diſtinctum: CCCCL aves tum captæ: poſtero die majorem inſulam adierunt innumeris pene avibus refertam, ita ut breviſſimo tempore nongentas mactarent. Abrepti dein à ventis præter has inſulas, rurſuſque ad eaſdem repulſi, non ſine diſcrimine anchoram amiſerunt, ita ut ipſis jam non niſi unica ſupereſſet, exiguum ſolamen in tam æſtuoſo & tempeſtuoſo Freto: itaque jam domum

domum redire certi, vigeſimo primo Februarii Fretum Magallanicum deſeruerunt; & vigeſimo quarto ejuſdem jam pene ſexaginta mill. à Continente provecti tres inſulas offenderunt, hactenus ignotas, quinquaginta gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, quas *Sebaldi* Inſulas appellarunt; denique decimo tertio Julii in Hollandiam redierunt. Quia vero *Penguinum* jam ſæpius mentionem fecimus, earum avium iconem & deſcriptionem è *Carolo Cluſio* hic adjiciemus. Marina eſt hæc avis (inquit) & ex anſerum genere, tametſi roſtro diſſimilis, in mari victitans, valde pinguis, prægrandis anſeris magnitudine; nam adultiores quaſdam ex eo genere obſervarunt, tredecim, quatuordecim, etiam ſedecim interdum libras pendentes: prona parte nigris pennis tectæ erant, ſupina & in ventre albis: collum quod craſſum & breve, habebant nonnullæ albis pennis, tanquam torque cinctum: earum cutis craſſa & denſa inſtar ſuillæ: alarum erant expertes, ſed earum loco binas parnas corjaceas pinnas habebant, in latera tanquam parva brachia propendentes, prona parte brevibus, anguſtis & rigidis pennulis confertim tectas, ſupina autem, minoribus adhuc & rigidioribus, iiſque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigræ, minime quidem aptas ad volandum, ſed quarum adminiculo velociter natarent; maxima enim ex parte in aqua verſari intelligebam, & terram duntaxat petere fœtificationis vel pullationis tempore & plerumque ternas aut quaternas in una ſcrobe latere: roſtrum corvino majus habent, non adeo tamen elatum, & valde brevem caudam, pedes nigros, planos, anſerinorum pedum formâ, non adeo tamen latos: erectæ, & ſublimi capite incedunt, demiſſis in latera pinnis, tanquam brachiis, ſic ut procul intuentibus homunculi aut pygmæi videantur. Piſcibus duntaxat veſci referebant diaria; non ingrati tamen ſaporis eſſe illarum carnem nec piſcem ſapere: Scrobes porro valde profundas in littore fodere cuniculorum inſtar, totum ſolum adeo cavum interdum efficientes, ut per illud gradientes nautæ, ſæpiuſcule genu tenus in eas ſcrobes inciderent.



Cap. IX.

Secunda & tertia Belgarum *navigatio per Fretum* Magallanicum.

ALTERA noſtratium Claſſis quatuor navibus conſtans ſub Præfecto *Oliverio de Noord* ſoluit eodem ſuperiori anno, medio pene Septembri & poſt varios caſus & diſcrimina tandem ſub finem Septembris anni cIↃ IↃ XCIX portum ſubiit quem Angli *Deſire* appellaverant, è quo ſolventes ſub finem Octobris, quarto demum Novembris Fretum ſunt ingreſſi, & aliquoties repulſi, vigeſimo ſecundo ejuſdem menſis primas anguſtias ſuperarunt, & vigeſimo quinto ſub *Penguinum* inſulis anchoras fixerunt; & poſt multa magnaque diſcrimina tandem pridie Kalend. Martias anni cIↃ IↃ C in Oceanum Auſtralem penetrarunt.

Dum vero cum adverſis ventis & aliis incommodis in Freto hoc luctarentur, in barbaros aliquot inciderunt, à quibus ſe narrant hæcce accepiſſe. Continentem è regione minoris *Penguinum* inſulæ verſus arctum, appellari *Colli*, hic incolere gentem *Enoo*; inſulam minorem à barbaris *Talke* appellari, majorem vero quæ illi adjacet *Caltamme*, in qua magna eſt *Penguinum* copia, è quarum pellibus pallia conſuant barbari, quæ circa humeros geſtant, cætera nudi. Hos barbaros per cognationes ſeparatim degere, quarum plures nominatim recenſebant: *Kemenetes* quidem, qui regionem *Karray* incolunt: *Kennekas* qui *Karamay*: *Karaikas* qui *Morinen* & ita porro. Atque hos univerſos corporis mole Europæos nequaquam ſuperare, ſed lato ſunt pectore atque edito, alii frontem alii totam faciem coloribus quibuſdam pingunt: Mares pudenda ſua filo quodam circa præputium conſtringunt, fæminæ vero etiam Penguinis exuviis velant: eædem comam circa frontem præcidunt, mares contra promittunt. Penguin avis ipſis *Compogre*, velamen è pellibus illarum conſutum *Oripoggre* dicitur; pelles autem iſtas tanta arte aptare & conſuere norunt, quanta

noſtri pelliones. In Mediterraneis porro referebant *Tiremenes* degere in Regione *Coin*, ſtatura plane gigantea, qui reliquis nationibus infeſti, ipſas armis non raro peterent & miſere trucidarent: humanis carnibus veſci veriſimile eſt, licet alioquin ferina & alio commeatu abundare videantur. Hæc ſe accepiſſe narrant à pueris quos ſecum duxerant & noſtrum idioma ex parte docuerant.

Tertia & ultima navigatio per hoc Fretum ſuſcepta fuit à *Georgio Spilbergio*, auſpiciis Societatis Indicæ: qui ex Hollandia ſolvit anno cIɔ Iɔ cxiv menſe Auguſto, & ſecundo demum Martii ann. cIɔ Iɔ cxv plurimis periculis ſuperatis ad Fretum Magallanicum pervenit, & ſæpius ab adverſis ventis & tempeſtatibus repulſus, tertio Aprilis primas anguſtias ſuperavit & decimo ſexto ejuſdem Sinum *Cordes* ſubiit, ubi & aquavit & ligna cæcidit, aliaque neceſſaria in naves impoſuit, & denique poſt multas difficultates in Oceanum Auſtralem penetravit ſexto May. Atque hic quidem omnium pene compendioſiſſimè & breviſſime Fretum hoc enavigavit.

Exiſtimo adhuc alios tam Anglos quam Belgas hanc navigationem tentaſſe, quoſdam etiam perfeciſſe, ſed quia ipſorum diaria videre minime contigit, illorum mentionem hic facere non potuimus.

Cap. X.

Expeditio Didaci Flores de Valdes, *& duæ Coloniæ ab Hiſpanis in Freto* Magallanico *collocatæ.*

cap. 11.

PEtrus Sarmientus, (cujus navigationem è Mari Auſtrali per Fretum Magallanicum in Hiſpaniam ſupra retuli) Philippum II Hiſpaniarum Regem, catum alioquin Principem, ſpecioſis quibuſdam argumentis permovit, ut Freti Magallanici anguſtias, (Duce Albano, ut ſcribit *Herrera*, multum adverſante,) communiendas & aliquot coloniis deductis firmandas decerneret, quo deinceps aliæ omnes nationes aditu Maris Auſtralis per hoc Fretum, arcerentur. Miſſus ad hæc perficienda *Didacus Flores de Valdes*, cum navibus onerariis viginti tribus, hominibus ter mille quingentis, præter quingentos milites veteranos qui è Belgio acciti, novum Præfectum Chilenſem ad ſuam provinciam comitabantur. Hæc expeditio admodum infauſtis auſpiciis fuit inchoata, nam antequam ab ora Hiſpaniæ digrederentur, quinque naves cum octingentis hominibus, qua nautis, qua colonis, à fluctibus abſorptæ fuerunt & reliqua claſſis ad Sinum Gaditanum repulſa eſt. Nihilo tamen ſecius, claſſe refecta, cum ſedecim navibus denuo ſolverunt, ut *Petrum Sarmientum* cum ſuis colonis ad Fretum Magallanicum deducerent.

Quia autem paulo ſerius ex Hiſpania ſolverant, ad oram Braſiliæ in portu *Rio de Ienero* hybernarunt. Hinc profectos, duobus & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, tam ſæva tempeſtas excepit, ut viginti duorum dierum ſpacio ultro citroque jactati & unam è melioribus navibus, cum trecentis viris & viginti fœminis ad colonias Magallanicas deſtinatis, amitterent & ad inſulam *S. Catharinæ* reverti cogerentur.

Hic cum haud vanus rumor ad aures *Valdeſii* perveniſſet, binas Anglorum naves, quibus *Fentonus* vehebatur, adventare aut jam præceſſiſſe, quæ Fretum Magallanicum, uti res erat, peterent; decem ex inſtructiſſimis navibus ſibi ſumſit, quibus Anglos perſequeretur aut anteverteret, tres cum inutili turba & fœminis ad portum *Rio de Ienero* remiſit, & duas penitus conquaſſatas hic deſtituit. Tres porro hæ naves cum Anglos hoſce obvios habuiſſent, una quidem illarum cum hominibus depreſſa eſt, cæteræ potius ab ipſis omiſſæ ſunt, quam evaſerunt.

Valdeſius interim medio jam Februario Fretum Magallanicum petens, primum in tranſcurſu, Fluminis *de la Plata* æſtuarium ſalutavit & ibidem præfectum Chilenſem à ſe dimiſit cum tribus navibus verſus *Buenos Ayres*, ut inde terreſtri itinere ad præfecturam ſuam contenderet; ex hiſce tribus, duæ in hoc flumine fractæ, hominibus & impedimentis ægre ſervatis, tertia in Hiſpaniam remeavit.

Valdeſius autem cum medio Martio ad Fretum Magallanicum perveniſſet, quo tempore jam æſtas deſinit in hiſce partibus, & crebræ tempeſtates, frigora & nives

nives valide ingruunt, *Sarmientum* cum colonis ſuis in terram exponere nequiens, jam ſecundo in Braſiliam & portum *Rio de Ienero* redire coactus fuit & de conatibus Anglorum à ſuis qui evaſerant certior eſt factus. Itaque cum quatuor navibus è ſuis & totidem aliis quæ nuper ex Hiſpania ipſi ſubmiſſæ fuerant, ex *Rio de Ienero* ſolvit ut Anglos inveſtigaret & perſequeretur, in quo cum aliquandiu fruſtra operam ſumſiſſet, verſus *Paraibam* curſum flexit, quumque ibi quinque Gallorum naves offendiſſet, qui hic caſtellum quoddam communiverant, tres quidem illarum depreſſit & duas cepit, & vallum caſtelli disjecit, atque ita in Hiſpaniam rediit. *Ribera* autem *Valdeſii* Legatus & *Sarmientus* Magallanicæ præfectus, opportuno tempore è *Rio de Ienero* proximo anno profecti, ſatis proſpere Fretum Magallanicum adierunt, ibidemque colonos ſuos, quadringentos viros & triginta fœminas, cum octo menſium commeatu in terram expoſuerunt, unâ hic navi amiſsâ, alterâ *Sarmiento* relictâ *Ribera* cum cæteris Hiſpaniam repetiit. Tantæ molis fuit hiſpanam hanc gentem perdere.

Sarmientus primum haud longe ab aditu Freti oppidum molitus eſt, quod *Nombre de Ieſus* appellavit & centum quinquaginta colonis attribuit. Hinc terreſtri itinere profectus, verſus anguſtias hujus Freti, juxta ſtationem haud intutam, alterum oppidum condere aggreſſus eſt, quod *Cuidad del Rey Philippe* nominavit; cui & arcem adjungere in animo habebat & multa tormenta bellica quæ in illum finem adduxerat diſponere, ad nationes omnes peregrinas Freti hujus tranſitu arcendas, ſed hyeme ingruente perficere minime potuit: ſed viginti quinque navalibus ſociis in navem quæ ipſi relicta fuerat aſſumtis verſus primum oppidum navigavit, quumque ibi aliquot dies in anchoris ſubſtitiſſet, anchoralibus funibus aut ruptis, aut (ut magis veriſimile ſit) ultro diſſectis ad portum *Rio de Ienero* rediit; & quum ibidem promiſſa ſubſidia non reperiſſet, *Pernambucum* petiit, atque hic nonnihil ſubſidii nactus, & ad Fretum redire ſatagens, inter *Pernambucum* & *Bahiam* omnium Sanctorum navem fregit: in *Bahia* denique nova navi & ſubſidiis comparatis, rurſus ad Fretum contendit, & denuo à ſæva tempeſtate quatuor & quadraginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum ita jactatus, ut bonam commeatuum partem in altum jacere cogeretur, ad portum *Rio de Ienero* remeavit; è quo iterum ſolvens in Anglorum manus incidit, qui illum captivum abduxerunt.

Exciderat autem penitus è gratia Regis ſui, qui ſe vanis hujus viri perſuaſionibus deluſum dolebat, præſertim cum è *Ribera* intellexiſſet, maximas Freti Magallanici anguſtias, quas *Sarmientus* tantillas eſſe deſcripſerat, ſupra leucam in latitudinem patere, adeo ut totius orbis machinæ bellicæ, naves ſecundo vento & æſtu advenientes arcere aut ſiſtere nequaquam poſſent. Coloni denique omnes qui in hiſce duobus oppidis à *Sarmiento* relicti fuerant pauciſſimis exceptis variis morbis & fame imprimis interierunt; non pauci quoque dum in vicinas provincias contenderent, à ferocibus barbaris mactati, & haud dubio devorati fuerunt, uti ſupra obiter explicavi. Hæc annis CIↃ IↃ LXXXIV LXXXV & LXXXVI geſta fuerunt.

NOVUM FRETUM LEMARIUM.

Cap. XI.

Novi Freti Lemarii *prima inventio.*

HActenus diverſas variarum nationum per Fretum Magallanicum navigationes compendio ediſſeruimus, nunc antequam *Magallanica* continentem ad Oceanum Atlanticum proſequamur, de altero & novo Freto, quod in Oceanum Auſtralem deſinit, nobis dicendum erit: Cujus primum inventi gloria Belgis noſtris debetur. Jam ſupra tam ex Anglorum, noſtrorumque, quam Hiſpanorum relationibus accepimus, communem fere omnium qui Fretum Magallanicum tentarunt aut enavigarunt opinionem fuiſſe, quicquid terrarum Fretum hoc è mari Atlantico ingredientibus ad ſiniſtram jacet, non niſi Inſulas eſſe, & pone illas vaſtum & apertum mare ſupereſſe, quod cum Oceano Auſtrali ſeſe conjungat, nec levia

ejuſce opinionis argumenta jam ante explicavimus. Id demum à noſtris non modo clarum & manifeſtum eſt factum, ſed & novum Fretum inventum, per quod minori cum difficultate & diſcrimine in Oceanum Pacificum poteſt penetrari, id quo pacto à Belgis noſtris inventum ſit, jam ediſſeram.

Iſaacus Lemairius Antwerpianus, mercator imprimis induſtrius, & *Wilhelmus Cornelii Schoutenius* Hornanus, quum novas terras verſus Polum antarcticum indagare & luſtrare in animum induxiſſent, onerariam unam cum celoce pararunt, & rebus omnibus ad diuturnam navigationem neceſſariis probe inſtruxerunt, quibus ipſe *Schoutenus* Navarchus, *Iacobus* autem *Lemairius Iſaaci* filius mercator impoſitus. Solverunt hi è *Texelia* notiſſimo Hollandiæ portu, medio Junio Anni cIↄ Iↄ cxv: Quæ ipſis primis aliquot menſibus acciderint, hic non attingam, quia ad hoc noſtrum inſtitutum non faciunt & ex diario hujus expeditionis, quod jam dudum juris publici factum fuit, à curioſis peti poſſunt: Ordiar ab eorum diſceſſu è Portu *Deſire* (quem ſeptimo Decembris ingreſſi, ibidem celocem ſuam inopinato incendio, magno ſuo detrimento amiſerant) qui incidit in decimum tertium Januarii diem anni cIↄ Iↄ cxvi.

Ex hoc ergo provecti, primum decimo octavo ejuſdem menſis Inſulas quas vocant *Sebaldianas* (ob cauſas jam ante à me explicatas) conſpexerunt, uno & quinquaginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; quas prætervecti & recta verſus Auſtrum tendentes, vigeſimo ejuſdem menſis, latitudine dimenſa, ſe jam tribus & quinquaginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum declinaſſe deprehenderunt, & circiter viginti milliaria jam præter Fretum Magallanicum ſe emenſos conjectabant: hinc curſum proſequentibus vigeſimo tertio ejuſdem menſis undarum color mutari cæpit & è viridi ſuppallidior factus, haud dubio terram non ita longe abeſſe, prædicere: quæ ſub horam tertiam à Meridie demum illis conſpecta verſus Occidentem & Africum, & paulo poſt verſus Auſtrum: aura tum à ſeptentrione flante, curſum ſecundum oram verſus Eurum inſtituerunt; vigeſimo quarto mane rurſus terram ad dextram conſpexere, à qua vix milliare aberant: mare hic altum erat orgyas quadraginta, & aura flabat ab Occidente: ora autem omnis verſus Euronotum ſe ſubducebat, vaſtis & altiſſimis montibus qui multa nive videbantur tecti undequaque obſita.

Hanc oram porro verſus Eurum legentes, tandem ad finem illius pervenerunt circa Meridiem, & è longinquo alias terras verſus ortum conſpicati ſunt, non minus altis & aſperis montibus conſpicuas: inter utramque autem terram Fretum permeabat, octo circiter milliaria, quantum conjectura conſequi poterant, latum; per hoc aditum ad Oceanum Auſtralem pandi haud fruſtra judicarunt, nam & æſtus perſuadebat, qui valide tum fluctus verſus Auſtrum agebat: jam quatuor & quinquaginta gradibus & quadraginta ſex ſcrupulis ab Æquatore diſceſſerant verſus Auſtrum, & vento ab Arcto ſecundante, bonis auſpiciis Fretum ſunt ingreſſi, ſed vento ſub veſperam remittente, tota illa nocte magis ab æſtu quam aura impellebantur. Hic innumeræ Penguines ad oram ab ipſis viſæ, in alto autem tanta grandium cetorum multitudo, ut vix declinarent.

Vigeſimo quinto ejuſdem menſis terræ Orientali appropinquarunt, quæ edita & præruptis atque diviſis montibus aſpera erat, & qua ſeptentriones aſpicit recta ad Eurum tendere viſa, quantum eminus diſcernere dabatur; nec tamen continens credita, itaque illi nomen Inſulæ *Ordinum* impoſuerunt; terram autem ex adverſo illi oppoſitam Principis *Mauritii* nomini conſecrarunt. Ora utriuſque, arenoſo littore & fundo leniter declivi, tutam navibus ſtationem promittere videbatur; avium & piſcium copia obvia erat, nec aquandi opportunitas deeſſe poterat, ſed arbores nullæ ipſis viſæ. Porro aura ab Arcto flante, recta verſus Africum pertendere, & meridie latitudinem dimenſi, jam quinque & quinquaginta gradibus & triginta ſex ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum ſe provectos animadverterunt. Terra autem omnis quæ illis dextra erat, inde ab ipſo Promontorio quod Freto imminet, ad Africum ferebatur, vaſtis & aſperis montibus conſpicua: ſub veſperam aura ab Africo reflante, proram verſus Auſtrum obverterunt, fluctuoſo admodum & æſtuoſo pelago ab Africo illos conquaſſante, è quo proclive erat judicare, vaſtum & profundum gurgitem ad hanc plagam pertinere.

Ingen-

Ingentes hic *Lari* (marinarum avium genus) ipſis viſi & oloribus noſtratibus mole pene pares, qui hominum conſpectum minime formidantes, utpote inſueti, in naves ultro deſcendebant, & ſe à nautis prehendi & mactari patiebantur.

Vigeſimo ſexto ejuſdem menſis ſeptem & quinquaginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum illos horrida tempeſtas ab occidente & Africo excepit, ita ut altum petere cogerentur, terra ipſis nihilominus ad dextram in conſpectu erat, tendens verſus corum, ad quam noctu proram verterunt: vigeſimo ſeptimo, ſex & quinquaginta gradibus & quinquaginta ſcrupul. ab Æquatore ſummum frigus & grandinem experti, vento primum ipſis adverſante, verſus Auſtrum, & mox rurſus verſus corum vela verterunt: vigeſimo octavo, aura ipſis ab ortu favente, verſus occidentem promoverunt & ipſo meridie altitudinem ſex & quinquaginta graduum & quadraginta octo ſcrupul. Auſtralium obſervarunt: vigeſimo nono, Euro vela implente verſus Africum provecti, ſub meridiem duas inſulas obvias habuerunt, quarum latus ſeptentrionale dum legunt, potius ſcopulos quam inſulas eſſe deprehenderunt; his *Barneveldii* nomen ab ipſis inditum; hinc verſus corum provecti ſub veſperam rurſus terram conſpexerunt, quæ Fretum Magallanicum ab Auſtro claudit & hic oras ſuas verſus meridiem producit, nivoſis montibus horridas, uſque ad Promontorium *Hornanum* ab ipſis appellatum, ſeptem & quinquaginta gradibus & quadraginta octo ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum.

Hic ventum ſeptentrionalem nacti, verſus occidentem navigarunt, æſtu maris valide illos ad eandem plagam impellente. Trigeſimo, latitudinem ſeptem & quinquaginta graduum & triginta qnatuor ſcrupulorum obſervarunt; trigeſimo primo, octo & quinquaginta graduum: jamque Promontorio *Hornano* poſt ſe relicto & nulla amplius terra ſeſe aperiente, ventus reflavit ab occidente, ita ut ultro citroque velificare cogerentur & jam novem & quinquaginta gradus ab Æquatore verſus Auſtrum provecti, duodecimo demum Februarii die ſe jam in ipſum Oceanum Auſtralem pervaſiſſe haud fruſtra collegerunt, & recta verſus Inſulas *Ioannis Fernandez* curſum inſtituerunt. Novum hoc Fretum à ſe primum tentatum & tam feliciter enavigatum *Lemairium* appellaverunt.

Cap. XII.

Hiſpanorum navigatio per Novum hoc Fretum.

Dimanavit ſtatim fama novi hujus Freti à Noſtris inventi, & ad aures Regis Hiſpaniarum pervenit, qui ann. cIↃ IↃ cxviii. Duas celoces è Portugallia dimiſit ſub Præfecto *Bartholomæo Garſia de Nodal*, ut idem penitus luſtrarent: qui vigeſimo ſeptimo Sept. Oliſipone ſolventes, recta ad Fretum Magallanicum contenderunt, atque eo uſq; provecti ab Arctoo ejuſdem Freti Promontorio proras verſus Eurum flexere & tribus & quinquaginta gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum æſtuarium offenderunt, quod in ipſo ore circiter tria milliaria latum erat, & in ipſum Fretum Magallanicum deſinere exiſtimatur. Auſtrale Freti Magallanici Promontorium *Cabo del Eſpiritu Sancto* dixerunt: hoc autem æſtuarium *Entrada de S. Sebaſtian*, & Promontorium quod illi imminet *Punta de Arenas*: hinc porro verſus Eurum ſecundum orarum ductum navigantes, primo ſinum obvium habuerunt, multis ſcopulis & vadorum brevibus inquinatū, cujus cornu *Cabo de Pennas* appellarunt.

Ora hæc omnis edita eſt & nivoſis montibus obſita, quatuor & quinquaginta gradibus & quatuor ſcrupul. ab Æquatore verſus Auſtrum: ſed paulo ultra eadem multis arboribus veſtita eſt; & quatuor & quinquaginta gradibus & quindecim ſcrup. ab Æquatore, terra multis ſinubus & Promontoriis lancinatur: quinq; autem & quinquaginta gradibus ab Æquatore ſinum offenderunt in quo duæ parvæ inſulæ jacent; ora hæc omnis albicat, ita ut eminus arenoſa videatur, quum petræ ſint à fluctibus exeſæ.

Sub veſperam ad os novi Freti pervenerunt, è quo æſtus tā valide refluebat, ut aura licet favente & vela valide implente vix ægre illud ingredi poſſent; ſuperato tandem aditu & circiter milliare invecti anchoras jecerunt in arenoſo ſinu, & exſcenſione facta, ſummam tum aquandi tum lignandi opportunitatem nacti ſunt; quippe hic amniculus potari pulcherrimus in ſinum deſcendit, & tellus arboribus opaca eſt: dum hic hærent, ab Auſtrali plaga ad ipſos acceſſerunt quindecim barbari, totum corpus rubrica

brica quadam tincti facie ſolum excepta, (nam frontem & genas creta quadam infecerant) partim nudi, partim ovillo vellere eadem rubrica tincto præcincti: erant inter illos duo provectiores, qui aliis pellibus amicti erant ſubfuſcis, & villis admodum lenibus, capita tecti Larorum exuviis quibus plumas detraxerant, lanugine tantum relicta: arma ipſis erant arcus & ſagittæ, lapillis quibuſdam aſperatæ, è quibus & cultellos geſtabant: collo circumdederant redimicula elegantibus conchulis, albis & ſplendentibus variegata, cingulo coriacio ſupra lumbos cincti: Idioma ipſorum nullatenus intelligere poterant Hiſpani, ſiquid dicerent aut peterent, *Hoo Hoo Hoo* ingeminabant: à cibo & potu Hiſpanorum prorſus abhorrentes, tantum luteis quibuſdam floribus (qui Calthæ noſtrati non abſimiles videbantur) & herba illorum ſubamara, quæ ibi paſſim magna copia creſcit, veſcebantur: à conſortio advenarum non tantum non abſtinebant, ſed & ipſis in aquando & lignando ultro ſubſidio erant, arma ſua antequam propius accederent humi projicientes: in adverſo ſinus latere ſupra quinquaginta ejuſcemodi barbaros videre erat, qui humiles caſas è ſtipitibus coagmentatas & arundinibus tectas habitabant, in quibus nulla ſupellex, tantum vacuæ muſculorum conchæ deprehenſæ: barbari denique hi non indociles viſi, nam nullo pene negotio orationem Dominicam recitare didicerant, antequam Hiſpani diſcederent.

E ſinu hoc provectos æſtus refluens rurſus extra Fretum abripuit & ad terram verſus orientem vexit, ubi mare ita altum erat, ut prope terram bolide fruſtra fundum tentarent: Hinc denuo à fluctibus & vento intra Fretum acti, curſum verſus Africum inſtituerunt: & aliquot diebus ab aura & æſtu hac illac jactati, tandem promontorium *Hornanum* ſuperarunt, & pone illud ſinum ingreſſi, aliquot inſulas offenderunt, meras petras & nihil herbidi ſortitas, ora autem in ipſo ſinu nivoſis montibus vaſte attollitur, ſex & quinquaginta grad. & viginti duobus ſcrupul. ab Æquatore (ut ipſi obſervant:) haud longe hinc portus jacet qui non incommodus viſus; Hic acre frigus & ſævam grandinem atque nivem perpeſſi rurſus à vento & fluctibus verſus Promontorium ſunt retro acti: ſed tandem decimo nono Februar. ad altitudinem ſex & quinquaginta graduum & triginta ſcrupulorum pervenerunt; atque ſenſim declinando vigeſimo tertio ejuſdem menſis ad altitud. trium & quinquaginta graduum & quatuor ſcrupulorum, ſemper verſus Corum profecti; atque hic prora verſus Ortum verſa ad Auſtrale Freti Magallanici oſtium appulerunt, quod vigeſimo quinto ejuſdem menſis ingreſſi, feliciter enavigarunt, & Mare Atlanticum ingreſſi, *Pernambuco* in itinere ſalutato, incolumes Hiſpalim redierunt, nono menſis Julii anno cIↃ IↃ CXIX. Novem menſibus & aliquot diebus memorabili hac expeditione abſoluta.

CAP. XIII.

Expeditio Claſſis Naſſavicæ *per Fretum* Lemarium *in Oceanum Meridionalem.*

PORRO vigeſimo tertio die Aprilis anno cIↃ IↃ CXXIII ſolvit è *Goerea* notiſſimo Hollandiæ portu, undecim magnarum & inſtructiſſimarum navium Claſſis, quam *Naſſavicam* noſtri vocabant, auſpiciis Illuſtriſſ. D.D. Ordinum Generalium & invictiſſimi & æternæ memoriæ Principis Mauritii, Archithalaſſo *Iacobo Heremita*; eo conſilio ut per Fretum hoc *Lemarium* in Oceanum Auſtralem penetrarent: omnia quæ illis primis navigationis menſibus acciderunt, hic non dicam, quippe alieniora ab hoc loco, ſufficiet intelligere, illos cùm paulo maturius quam opus erat, ab ora Africæ ſolviſſent, ab æſtu & malacia verſus *Guineam* & vicinas inſulas abductos, multum miſeriarum & morborum ibidem fuiſſe perpeſſos & alio longe curſu, quam præcedentes ad Fretum *Lemarium* perveniſſe.

Nam America meridionali nequidem viſa, quum XXX Ian. anno cIↃ IↃ CXXIV ad altitudinem duorum & quinquaginta grad. & triginta ſcrupul. ab Æquatore verſus Auſtrum eſſent provecti; primo Februarii *Terram Auſtralem* eminus conſpexerunt, & ſecundo ejuſdem menſis, ipſum Fretum haud dubiis ſignis recognitum ſunt ingreſſi; & meridie quum jam terræ quæ ingredientibus ſiniſtra eſt & à

noſtris

noſtris *D.D. Ordinum* terra vel Inſula appellatur, promontorium Auſtrale pene ſuperaſſent, altitudinem demenſi, quinque & quinquaginta gradus & viginti ſcrupula ab Æquatore verſus Auſtrum deprehenderunt; poſtero autem die ſex & quinquaginta: demum ſexto ejuſdem menſis die Promontorium *Hornanum* eminus viderunt, ſed vento adverſante illud ſuperare non poterant, itaque velis verſus Auſtrum verſis aliquot diebus ultro citroque commearunt; tandem vento remittente decimo quinto ejuſdem Promontorium *Hornanum* ſuperarunt, verum ab hoc ultra tendentes, vento à Coro vehementius incumbente reverti coacti fuerunt, & ne rurſus præter Promontorium ab æſtu traherentur, decimo ſeptimo ejuſdem menſis canalem qui huic promontorio ad occidentem proximus eſt & valide in terras illas irrumpit, ingredi viſum fuit, quem *Naſſavicum* dixerunt.

Dum autem cum adverſo vento luctarentur, duas inſulas offenderant hactenus incognitas, quæ circiter quatuordecim aut quindecim milliaribus à dicto promontorio abſunt verſus occidentem. Hic cum aquandi gratia in terram exſcendiſſent, barbari aliquot ad noſtros venerunt, nihil hoſtile comminantes, verum cum novemdecim noſtrorum noctu in terra fuiſſent relicti & incautius agerent, omnes, duobus tantum exceptis, à barbaris partim ſagittis transfixi, partim clavis ligneis fuerunt mactati, nec ulli barbari hic poſtea viſi: dum hic hærent celocem ſuam dimiſerunt, ut locorum ſitum penitius inſpicerent; ea primum ad Arctum recta profecta, ſinum quendam invenit, ad quem varii barbari incolebant, à quibus nihil hoſtile ſunt paſſi: Dein verſus Ortum flectentes, pone inſulam quandam ab æſtu maris ducti fuerunt, quam *Terhalthenam* dixerunt; & vento ab ortu reflante ad claſſem redierunt.

Hoc loco ſævas tempeſtates & ventorum turbines ab Occidentali plaga venientes perpeſſi ſunt & ad vigeſimum ſeptimum hujus menſis ſubſtiterunt: tum rurſus velis explicatis progreſſi ſunt, ſed vento vehementius ab occaſu impellente, majoribus tantum velis uti dabatur; donec primo Martii vento à Septentrione flante curſum verſus Corum inſtituerunt; & ſecundo quidem ejuſdem menſis latitudinem novem & quinquaginta graduum; tertio novem & quinquaginta graduum & quadraginta quinque ſcrupul. quinto rurſus octo & quinquaginta graduum & quadraginta ſcrupulorum; ſeptimo ſexaginta gradibus & quindecim ſcrupulis: octavo denique unius & ſexaginta gradibus altitudinem dimenſi; deinceps ab ea altitudine ſenſim declinarunt & decimo quarto rurſus octo & quinquaginta graduum altitudine deprehenſa; & vigeſimo quarto ejuſdem ſeptem & quinquaginta graduum; & denique vigeſimo quinto, quinque & quadraginta graduum & triginta ſcrupulorum: Hic conſtantem auram ab Auſtro nacti Inſulas *Ioannis Fernandez* feliciter adnavigarunt.

Cap. XIV.

Terræ Auſtralis & Barbarorum hanc incolentium deſcriptio.

HAud dubiis noſtrorum experimentis demum conſtitit, terram hanc Auſtralem quam Magallanes *Terram del Fuego* appellaverat, in varias inſulas diſſectam eſſe, per quas varii canales partim in Fretum Magallanicum, partim in ipſum Oceanum Auſtralem ducunt. Porro terra hæc Auſtralis maxima ſui parte montoſa eſt: inter montes autem ſubſident valles pulcherrimæ, & vernantes campi, qui à pluribus torrentibus & rivulis, qui ab altiſſimis montibus deſcendunt, irrigantur, ſolo variis locis egregie herbido: inter inſulas autem perplures ſunt ſinus, & ſtationes navibus haud infidæ, ubi & aquandi & lignandi opportunitas eſt & ſaxorum copia ad ſaburram onerandam. Montes qui ex alto proſpicientibus aſperi & infœcundi apparent, variis arboribus amœne veſtiti ſunt, quæ omnes verſus Ortum ſeſe inclinant, à vehementibus ventis qui hic pene continuo ab Occidente aut Africo perflant, impulſæ. Solum horum montium quibus hæ arbores innaſcuntur, leve eſt & ſolutum, & haud ſupra binos aut ternos pedes altum, ſub quo petræ & ſaxa latent.

Temperies aëris hic ſupra modũ ventoſa eſt, nã copioſę exhalationes è vicino oceano qui

qui vaſte patet, & plurimis fretis, quæ inſulas interſecant, creberrimas procellas & tempeſtates generant, dũ fere continuo ab occidente verſus orientem propelluntur.

Indigenæ harum inſularum naturâ candidi ſunt coloris, quemadmodum Europæi, uti in infantibus recens natis videre eſt, ſed cutem rubrica quadam inficiunt, & corpora ſua variis modis pingunt; nam quidam illorum faciem, brachia, crura & alia membra rubrica illa tingunt, cætera candidi aut variegati: alii mediam tantum partem corporis eundem in modum pingunt, alii denique alio modo. Corpore ſunt agili & membris bene compoſitis, ſtatura noſtratibus æquali, aut quæ non multum excedit: capillis ſunt nigris, quos ad terrorem promittunt; acutis dentibus: mares fere nudi agunt nec pudenda ſua ullatenus tegunt: fœminæ vero eadem exiguo corio obvelant, haud ſecus quam mares variis modis pictæ & circa collum conchis quibuſdam ornatæ: Pauci illorum humeros & tergum phocarum exuviis tegunt, exiguo adverſus frigus munimento, ut mirum videri debeat, quo pacto hyeme intenſius frigus perpeti poſſint.

Tuguriola illorum ex arbuſtis in orbem diſpoſitis compacta ſunt & circa tectum tentoriorum in modum faſtigiata & aperta ad fumum emittendum humo interius ad pedes binos egeſta & exterius aggeſta: in his nullam ſuppellectilem invenias, præter corbes è juncis quibuſdam contextos, quibus retia ſua condunt; nam funes aptare norunt, quibus hamos è lapillis affabre factos appendunt & muſculos eſcæ loco affigunt, iiſque abunde piſces in uſum ſuum capiunt.

Arma illorum ſunt arcus & ſagittæ acutis lapillis induſtriè aſperatæ; oblonga jacula oſſiculis acutis & recurvis ut carni infixæ tenacius hæreant, circa cuſpidem armata; præterea ligneæ clavæ & fundæ quas valide contorquent, denique cultelli lapidei admodum acuti: hæc arma perpetuò circumgeſtant, ob bella internecina quæ perpetim gerunt cum aliis barbaris, qui magis verſus ortum incolunt, & corpus nigro colore tingunt, quemadmodum hi rubro.

Cymbæ illorum affabre factæ ſunt, quas è corticibus vaſtæ cujuſdam arboris ita cogunt & conſuunt, ut cymbulæ Venetæ pene formam adipiſcantur, dein carinam interius tranſverſis ſtipitibus firmant & rurſus corticibus deſuper tegunt & firmiter devinciunt: ſunt eæ ut plurimum decem aut duodecim, vel etiam ſedecim pedes longæ & binos latæ, & ſeptem aut octo hominum capaces, has remigio velociſſime impellunt.

Gens hæc admodum barbara eſt, nam præterquam quod crudis, etiam humanis carnibus, veſcantur, ne ſcintillam quidem religionis aut politici regiminis obtineant, ita penitus omni pudore vacui ſunt, ut aſtantibus, niſi caveant, immingant; ingenio ſunt verſipelli, pravoque, nam licet advenis prima facie adblandiri videantur, omnes induſtriæ nervos intendunt, ut incautos obruant & trucident.

In hiſce inſulis & animalia quædam degere, non levibus indiciis conſtitit; nam illi quos pone Inſulam *Terhaltenam* in anchoris ſtetiſſe ſupra retulimus, teſtantur ſe animalium gregem in viridi valle paſcentem eminus conſpexiſſe.

Cap. XV.

Magallanicæ *ora quæ ad Mare* Atlanticum *jacet, deſcripta ſecundum Hiſpanos.*

PARS illa Magallanicæ quæ ad mare Atlanticum jacet, & ab oſtio Freti ſive quinquageſimo ſecundo gradu & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ad trigeſimum ſextum aut circiter ejuſdem latitudinis gradum & æſtuarium magni fluminis *de la Plata* pertinet, vaſtas provincias complexa, tantum obiter nota eſt, & ſicuti à variis nationibus luſtrata fuit, ita & varia nomina diverſis locis ſortitur: Nos hic primum de Hiſpanorum obſervationibus agemus. E quibus *Herrera* in diſcriptione ſua Indiarum iſta prodidit.

In intervallo (inquit) circiter quadringentarum leucarum, ſecundum orarum ductum, à Freto Magallanico ad æſtuarium fluminis *de la Plata*, qua fere inter Aquilonem & Africum jacent, primum ſeſe offert fluvius vulgo *Rio de S. Ileſonſo* duodecim leuc. à Promontorio *Virginum*, dein *Rio Gallego* & ſinus *S. Iacobi*, & quatuordecim ab hoc

hoc leuc. Flumen *S. Crucis*, quinquaginta gradibus ab Æquatore, cujus oſtio inſula exigua objacet quam vulgo vocant *de Los Leones*; deinceps portus *S. Iuliani* novem & quadraginta gradibus ab Æquatore; & fluvius *Ioannis Serrani*, atque inſulæ quas vocant *de los Patos* ſeptem & quadraginta gradibus ab Æquatore, & flumen de *Cananor* quinque & quadraginta gradib. ab Æquatore. Promontorium *S. Dominici* & *de tres Puntas*, & terra *de los Humos* octo & triginta gradib. ab Æquatore; cornu *S. Helenæ* & *S. Apolloniæ* ſeptem & triginta gradib. ab Æquatore. Denique Promontorium *Blancum*; quod auſtrale fluminis *de la Plata* latus claudit.

Alii paulo accuratius eandem oram deſcribunt; & à Promontorio auſtrali fluminis *de la Plata* (quod vocant *S. Antonii*) ad promontorium *de Arenas Gordas* numerant leucas octo & quadraginta: intermedio autem ſpatio deſignant fluvium *S. Annæ*, cujus ori vadorum brevia adjacent.

Porro à Promontorio *de Arenas Gordas* ad Promontorium *S. Andreæ* leuc. triginta & unam; intermedio ſpatio multi ſunt ſinus & varii amnes, ſed omnes importuoſi & arenarum pulvillis atque vadis obſtipati.

A Promontorio *S. Andreæ* ad ſinum *Anegadum* triginta leucæ, quadraginta gradibus ab Æquatore.

A ſinu hoc ad cornu terræ quod vocatur *Punta de Terra Llana* viginti quinq; leuc. uno & quadraginta grad. & triginta ſcrup. ab Æquatore; ab hoc ad ſinum *Sine Fundo* quinq; & triginta leuc. duobus & quadraginta grad. & triginta ſcrup. ab Æquatore.

Ab iſto ad Promontorium *Rotundum* & portum *Leonum* ſeptem & triginta leucæ. Toto hoc intervallo ora omnis importuoſa eſt, nec ulla ſtatio majoribus navigiis fida occurrit. Portus autem *Leonum* abeſt ab Æquatote quatuor & quadraginta gradibus.

Ab hoc ad Promontorium *de Matas* triginta leucis inter Arctum & Auſtrum. Intermedio autem ſpatio ſinus jacet, oblongus & octodecim leucis à Promontorio *Rotundo* exit fluvius in mare qui vulgo dicitur *Rio de Camarones*, oſtium illius deſignant innumeræ cochleæ albæ & exiguæ, quæ fluctibus innatant, unde illi nomen. Promontorium hoc *Rotundum* abeſt ab Æquatore quinque & quadraginta gradibus & triginta ſcrupulis.

Ab hoc ad Promontorium *Blancum* ſunt leucæ duæ & triginta; ab Æquatore verſus Auſtrum gradus ſeptem & quadraginta. Promontorium hoc ſex albicantibus tumulis conſpicuum eſt, ſupra quos planicies eminet, arborum luco opaca: ad hanc oram plurimi barbari degunt, qui à navigantibus caute vitandi ſunt.

Ab hoc promontorio ad portum *S. Iuliani* ſunt leucæ ſeptem & triginta, novem S.Julian.
& quadraginta gradus ab Æquatore verſus Auſtrum: hunc ex alto venientibus indicant præalti montes, qui oſtio imminent & è longinquo turres videntur: ingredientibus dextrum latus ſtringendum potius, quam ſiniſtrum, ibi enim altior & tutior alveus jacet: interius duæ inſulæ ſunt ſparſæ, ſub quibus anchoræ jaciuntur: Inter Promontorium iſtud & hunc Portum in alto objacent octo *Aſcencionis* inſulæ

Ab hoc portu ad *Morro de S. Ynes*, quinquaginta gradibus ab Æquatore, leucæ ſunt quinque & triginta; tota hæc ora humilis eſt & tantum unico monte attollitur: à quo ad fluvium *S. Crucis* ſunt octo leucæ, novem & quadraginta gradibus ab Æ- S.Cruz.
quatore uti à *Magallane* fuit obſervatum, qui hic duos menſes ſubſtitit, & teſtatur indigenas proceritate corporum Europæos multum ſuperare.

Ab hoc ad fluvium *Gallæcorum* ſunt leucæ viginti quinque, duobus & quinquaginta gradibus & decem ſcrupulis ab Æquatore: & denique ab hoc ad Promontorium *Virginum* octo leucæ.

Cap. XVI.

Ejuſdem oræ deſcriptio ſecundum Anglos & Belgas.

FRanciſcus Dracus qui primus poſt Hiſpanos hanc oram attigit, ab æſtuario fluminis *de la Plata* ſex ſeptemve leuc. provectus, ſinum eſt ingreſſus pone Promontorium quod *Cape Ioye* appellavit; & hinc digreſſus alium item ſinum ſex & triginta grad. & viginti ſcrup. ab Æquatore, qui peropportunum portum aperit, & fluvium, quem eouſqve aſcenderunt, donec tantum trium orgyarum altitudinem deprehende-

henderent: ab hoc nullum amplius portum aut Stationem navibus fidam potuerunt invenire, ſed ſeptem & quadraginta gradibus ab Æquatore ob ingruentem tempeſtatem anchoras jacere coacti fuerunt, pone Promontorium, quod *Cape Hope* dixerunt, quaſi dicas Promontorium boni ominis, & mox ſinum ſunt ingreſſi haud importuoſum, ubi & barbaros aliquot viderunt & cum iiſdem perfamiliariter egerunt; erant autem agiles corpore & membris bene compoſitis, pernices & ſatis, ut videbatur, induſtrii. Hinc ad alium portum promoverunt ſeptem & quadraginta gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore; ubi ſimiles barbaros offenderunt, faciem diverſis coloribus pictos, & ſolummodo villoſo feræ alicujus tergore præcinctos; qui cum ipſis quidem perfamiliariter commercium exercebant, ſed nihil ab ipſis ſumere ſuſtinebant, niſi ante in ſolum projectum, id *Toytt* appellabant, uti ipſam permutationem mercium *Zullus*; ſi vero quid minus ipſis placeret, ſtatim ex intimo gutture *Coroh Coroh* ingeminabant.

Ad Auſtralem hujus ſinus plagam fluvius egreditur, plurimis inſulis diviſus, quarum quædam incredibili phocarum copia abundabant, aliæ omnis generis volucribus: Huic nomen *Seale Baye*, id eſt, phocarum ſinus, nomen indiderunt.

Hinc porro ad ſinum *S. Iuliani* pervenerunt novem & quadraginta gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum. Hic quoque varii barbari ab ipſis viſi; teſtantur autem Angli *Magallanum* haud penitus falſum, cum hos gigantes appellaret, quippe, ut plurimum & proceritate corporis & membrorum mole atque robore communem Europæorum ſortem ſuperare, licet non pauci in Anglia repeririri poſſint, qui nihil hiſce concedant. Atque ita denique Fretum attigit.

Thomas Candiskius qui illum ſecutus eſt, primum hanc terram attigit ſeptem & quadraginta gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore, & inde ſecus oram provectus, ſinum ingreſſus eſt quem *Port Deſire* appellavit ſeptem & quadraginta gradibus & quinquaginta ſcrupulis ab Æquatore, uti ab ipſis obſervatum: hic ſinus percommodum & tutum portum præbet, navibuſque reficiendis perquam idoneum, ob inſignem æſtuum reciprocationem: in ipſo aliquot jacent inſulæ, quæ multitudinem phocarum ſubminiſtrant, ſunt autem hæ formæ admodum monſtroſæ, quippe ſuperiori corporis parte Leonibus non abſimiles & longis villis jubatæ: fætus ſuos uberibus lactant, & in terra educant, licet alimenta ex alto petant: juniorum caro admodum tenella & grati ſaporis, ita ut aſſa, coctave à vitulina non multum differre videatur. Hic & Penguinum copiam reperire eſt. Barbari majoris ſtaturæ hic ipſis viſi, ſed qui ipſorum occurſum penitus devitarent.

Adiit eundem portũ poſtea *Oliverius à Noord*; qui nullos quidem barbaros primum ibidem vidit, ſed tantum ſepulchra aliquot eorumdem offendit, grandibus ſaxis atque rubrica deſuper tinctis, accumulata; & ſagittis plumiſque avium in circuitu ornata. Intra continentem cervi ab ipſis conſpecti, & bubali & ſtruthionum greges, & in uno nido ſupra novemdecim ova inventa. Dehinc paulum interius provectus, pone inſulam exiguam naves ſtitit & refecit; ipſe cymba ſubvectus donec vado hærerent, ſepulchra ad eumdem modum repperit, quibus præter cætera aliquot ferri ſciſſuræ impoſitæ erant, haud dubio ab Hiſpanis acceptæ. Reverſi ad naves & ad arctoam plagam barbaros conſpicati, in illam partem exſcenderunt, & cum barbaros non viderent, ad interiora progreſſi ſunt; interim barbari eos qui ad cymbam ſervandam relicti erant inopinantes aggrediuntur, & tres eorum occidunt: Noſtris poſtea incaſſum illos indagantibus.

Poſt hunc *Scoutenus* hunc quoque portum adiit & eumdem accurate delineavit, uti in editis illius commentariis videre eſt.

In latitudine hujus portus tradenda multum inter ſe variant noſtri, *Oliverius* enim ſex & quadraginta gradibus & quinquaginta quinque ſcrupulis ab Æquatore abeſſe ſcribit: *Scoutenus* vero quadraginta ſcrupulis ſupra ſeptem & quadraginta gradus; ita ut dubitem an uterque de eodem ſinu loquatur, quanquam non eſt novum apud nauticos homines interdum in ejuſmodi obſervationibus aliquantum differre, pro inſtrumentorum bonitate aut dimetientium attentione; vel etiam induſtria.

DESCRIPTIO

RPJCB


R. Maiobamba
R. de Iuan de Orelliano
Mama pr.
R. Chupachos
R. Xauxa
R. Opotari
Cusco
XARAYES
Lago de los Xarayes
PERV
R. Omapalcas
Los Andes
Puerto de los Reyes
R. Ygnatu
Xacoaes
Xaqueſſes
Chaneſſes
Guaxarapos
Arica
Deſaguadero
MAR
DEL
ZVR
MOXOS
Paraguaes
Guebecuſis
P.to dela candellaria
Surucuſis
Baſcherepos
Aulagas
Potoſi
La plata
R. Guayay
Titanes
Cordillera delos Chiriguanaes
Ytatyn
Taguamacio
S. Crus dela Sierra
Chiquitos
R. Pilcomayo
S. Bernardo dela frontera
WEST
CHICAS
MAIAS
Yaperues
R. Pilcomayo
Guaicuru
Salta
Val de
Xuxuy
Xuxui
Val de Calchaqui
Yuntas
N.a S.a de Talavera
S. Miguel de Tucuman
R. Ypiti
R. Paranamini
R. Bermejo, o Salado
R. Eſtero
S.t Iago del eſtero
Andes
L. de los Mahomas
CHILI
La Serena
TVCVMAN
Corduba
S. Iago
Mendoça
S. Iuan dela frontera
R. Zarcaranna
Diaguitas
Iuries
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37


PARAGVAY, Ó
PROV. DE RIO DE LA PLATA:
cum adiacentibus Provinciis.
quas vocant
TVCVMAN, ET S^TA. CRVZ DE LA
SIERRA.
Anglicæ leucæ
Hiſpanicæ leucæ
Germanica milliar.
BRASIL
TROPICVS CAPRICORNI
R. Ianeiro
C. frio
S. Paulo
S. Vincent
I. grande
I. de S. Sebaſtian
Cananea
Lagoa de pernagua
R. S. Franciſco
R. Ytabuca
Perna
ca
paba
Cipoyay
Anniriri
Carioes
Tierra
dos
patos
R. Tamarandahu
Iboypetinhi
Ararangua
R. de lagoa
Ypaba
R. de patos
I. de S. Catharina
I. de Gale
Ioiuqua
P. de S. Pedro
R. grande
R. de Martin afo
MAR
DEL NORTE
Rio de la plata
C. de S. Antonio
Baxos do Ingres
Guayra,
Ciudad Real,
Ontiveros
Piqueri
Storting
R. Yguazu
Iocanguzir
Abangobi
R. Paraná
G V A R A N I E S
Assumcion
Peña pobre
Santana
7. corrientes
Quiloacas
R. Vruay
R. negro
R. S. Salvador
Chaurruaes
Buenos ayres
Mata gorda
R. Ortis
R. dos Sanctos
DT
BRASIL
OOSTEN

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER DECIMUS QUARTUS.

RIO DE LA PLATA.

Cap. I.

Præfecturæ ſive Provinciæ Rio de la Plata *generalis deſcriptio, cœli ſolique qualitates.*

SUPERIORI libro Magallanicam abſolvimus, & deſcriptionem hujus Continentis perduximus ad magni Fluminis *de la Plata* æſtuarium, nunc de præfectura provinciarum quæ à magno hoc flumine nomen ſortiuntur, nobis agendum erit. Præfectura hæc quæ plurimas & vaſtiſſimas regiones complectitur, fines habet, ad orientem quidem Oceanum Atlanticum, qui oras illius lambit; ad Auſtrum autem Magallanicę illam partē quam poſtremo deſcripſimus; ad occidentem porro ubi anguſtiſſima eſt, provinciam *Tucumanam*, ubi autem latiſſima, provincias illas quæ ad Peruviam pertinent; ad Septentriones denique ſecundum oram Oceani Atlantici dividitur à Braſiliâ viginti quatuor aut circiter gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; intra continentem vero ab hac plaga incertis limitibus continetur & vaſtis regionibus concluditur nondum ſatis perluſtratis, uti in progreſſu dicturi ſumus.

Solum omnium harum provinciarum admodum fœcundum eſt, & tritici aliarumque Europæarum frugum feraciſſimum, nec vitium impatiens, Sacchari quoque cannarum egregie fertile. Abundat jam regio omnis generis armentis atque pecudibus quæ ob paſcuorum copiam & bonitatem ingens incrementum ceperunt: jumentorum quoque ingens hic copia: *Lupus* enim *Vazius* teſtatur, & res palam eſt, triginta equas & ſeptem caballos ab Hiſpanis, quum *Buenos Aires* oppidum ſuperioribus annis deſererent, hic relictos, quadraginta circiter annis ita fœtificaſſe & tantum incrementum cepiſſe, ut omnis vicina ad Auſtrum regio equis pene compleretur, & innumeri indomitorum equorum equarumque greges vicinas ſylvas & campeſtria loca hodie pervagentur.

Cervi hic triplicis generis reperiuntur, nam quidam permagni ſunt & armentis mole pene pares, vaſtis & arboreis cornibus qui potiſſimū in paluſtribus locis & arundinetis degunt: alii paulo majores hircis, qui arva frequentant; alii denique capris ſemeſtribus non multo majores, qui montana pervagantur: ſunt & quamplurimæ hic capreæ & apri ſylveſtres qui umbelicum in tergo obtinent, quorum caro gratiſſimi ſaporis eſt & non inſalubris ita ut etiam ægris hîc eas apponant: præterea quoque ſues Europeæ, magnæ molis & immenſo numero.

Cercopithecorum infinitus hic numerus, prolixis barbis & longis caudis & mole pene humana, qui horrendum ſtrident & ejulantur quum ſagittis petuntur, & icti ſagittas evellunt & in obvios retorquent: alii item minores & imberbes. Nec vulpeculæ hic deſunt, & alia animalcula rictu ita anguſto, ut vix formicam ingurgitare poſſint, cæterum innoxia neque hominibus infeſta.

Ferarum quoque ingens hic numerus, quales ſunt tigres, leones, aliaque animalia ferocia & hominibus infeſta: quibus accedunt varii angues & ſerpentes, quorum quidam quatuor orgyas longi ſunt & tam vaſtæ molis, ut integros cervos cum corni-

bus devorent, hominibus haud adeo infeſti & lacertorum variæ ſpecies: in fluminibus inſuper & paludibus capiuntur crocodyli, octo novemve pedes longi & innocui, quorum caro aſſa & pinguis eſt & boni ſaporis.

Hic & Chameleontes feruntur reperiri modici lacerti mole, qui fœtus ſuos circumgeſtant & ore ſemper hiante aërem hauriunt, animal penitus innocuum.

Licet autem ſuperioribus annis conſtans opinio fuerit regiones haſce metallorum omnium expertes eſſe, tamen haud ita nuper non modo æris & ferri, ſed & auri atque argenti venæ hic repertæ; & præſtantiſſimarum gemmarum quas vocant Amethyſtos.

De cœlo & aëris temperatura nihil in communi dici poteſt, quia pro terrarum vario ſitu multum variat, uti ſuis locis à nobis indicabitur. Vti neque de indigenis de quibus poſtea ſingulatim dicetur.

Omnes denique hæ regiones unum habent Præfectum, qui Proregi Peruviæ ſubordinatur; unum item Epiſcopum ſub cujus diœceſi non modo Hiſpani cenſentur qui has regiones oppidatim incolunt, ſed & varii indigenæ. De oppidis quæ hic ab Hiſpanis habitantur, poſtea dicemus, nunc ante omnia de Flumine quod Præfecturæ nomen dedit, agemus.

Obſervandum denique iis qui has provincias petunt, ex Hiſpania ipſis ſolvendum eſſe ante medium Auguſtum, ut hic appellere poſſint ſub finem Novembris, tunc enim hic æſtas eſt & aura leniter afflat ab arcto & aquilone, *Briſas* vocant Hiſpani: nam ſi ſerius ex Hiſpania ſolvant, ſub Kal. Martias hic appellere pene neceſſe eſt, quum jam hyems in hiſce partibus ingruit, & venti ab Auſtro atque Euro valide perflant (*Vendavales* vocant) & æquor ſupra modum æſtuoſum & navigantibus infeſtum reddunt, ita ut ſæpenumero ad Inſulam. *S. Catalinæ* hybernare cogantur.

Cap. II.

Fluminis de la Plata *prima inventio, & variæ Hiſpanorum intra flumen hoc expeditiones.*

Her. d. 2. l. d. c. 7. INGENS hoc flumen, quod jam vulgo *Rio de la Plata* audit, primus adiit anno CIↃ IↃXV *Ioannes Dias de Solis*, qui vaſtum illius æſtuarium invectus, aſcendit ad certam inſulam, triginta & quatuor gradibus & quadraginta ſcrupulis diſtantem ab Æquatore verſus Auſtrum, uti ab authoribus proditum invenio; in qua quum plurima barbarorum mapalia conſpexiſſet & ab iis ultro invitaretur, inconſultius in terram deſcendit & cum pluribus ſuorum ab inhumanis barbaris cæſus & devoratus fuit; & nomen *de Solis* tum quidem flumini inditum aliquandiu hæſit.

d. 3. l. 9. cap. 3. Poſtilla anno CIↃ IↃ XXVI miſſus fuit *Sebaſtianus Cabotus*, qui ab Anglis ad Hiſpanos tranſierat, ut per fretum Magallanicum in Oceanum Auſtralem penetraret & ad *Moluccas* pervaderet; ſed ob annonæ inopiam, navalibus Sociis tumultuantibus, hoc flumen ingreſſus, triginta circiter milliaria aſcendit, & ad Inſulam quæ hodieque nomine *S. Gabrielis* ab ipſo tum impoſito nota eſt, provectus, ibidem anchoras cum onerariis ſuis jecit; cum liburnicis vero & cymbis circiter ſeptem leuc. adverſo flumine ſubvectus, amnem offendit cui *S. Salvatoris* nomen dedit; is ex illa parte quæ ad Braſiliam vergit exiens, altiſſimo ſuo alveo peropportunam navibus ſtationem promittit; hic ergo totam ſuam claſſem ſubduxit, & vallo jacto locum in continenti communivit, ut tutius hic naves ſuas reficeret. Dein cum una liburnica & pluribus cymbis flumen aſcendere & penitius interiora luſtrare eſt aggreſſus. Poſtquam autem triginta leuc. aſcendiſſet, alium fluvium offendit quem barbari vocabant *Zarcarannam*. Hic barbari degebant induſtria, prout fert captus illorum, non vulgari; quare hic quoque caſtellum *S. Spiritus* vel *Gaboti* ab ipſo ſtructum & præſidiarii impoſiti: hinc flumen *Paranam* ingreſſus quamplurimas inſulas in illo ſparſas invenit & plurimos amnes qui in magnum hunc alveum ſe condunt, eſt prætervectus, & quum pene ducentas leucas aſcendiſſet, ad alterum flumen pervenit quod à barbaris *Paraguay* dicebatur: atque hic magno *Paranæ* alveo ad dexteram relicto, quod nimium verſus Braſiliam declinare judicaret, *Paraguayum* ſubiit & circiter triginta quatuor leucas provectus, barbaros invenit colendis agris intentos, quales hactenus nullos hîc offenderat. Cum his haud incruentum ipſi certamen fuit, viginti quinque è ſuis deſideratis,

ratis, & magna barbarorum multitudine cæſa. Hic caſtellum *S. Annæ* ab ipſis ſtructum. Atque hæc aliquot menſibus ab ipſo geſta.

Anno vero cIↃ IↃ XXVII ad flumen hoc *de la Plata* feliciter appulit *Didacus Garſias* Luſitanus, qui ſuperato Arctoo hujus fluminis promontorio, (quod vulgo *Cabo de S. Maria* appellatur, cuique objacet exigua inſula, quam ob piſcandi opportunitatem *de los Pargos* vocant) ad inſulam *de las Palmas* pervenit, quæ tutam navibus ſtationem præbet & peropportuna eſt iis qui Fretum Magallanicum petunt; circa promontorium aut ad oram illi vicinam nulli barbari incolere videntur; paululum autem intra flumen ad oram ſubeuntibus dextram, degunt barbari quos vocant *Charruas*, qui ferina & piſcibus vitam tolerant: ab Inſula *de las Palmas* adverſo flumine aſcendit ad inſulas *de las Piedras*, ſexaginta circiter leucas à promontorio *S. Mariæ* verſus occidentem: hic liburnicam molitus, quam navi ſua advexerat, eadem flumen porro aſcendit, & ſtatim veſtigiis Chriſtianorum deprehenſis, paulo poſt duas *Gaboti* naves invenit, & mox ad caſtellum *S. Spiritus* pervenit: hinc magnum *Paranæ* alveum ſequens, viginti quatuor diebus tantum itineris abſolvit, quantum *Gabotus* vix aliquot menſibus, & ad *Paraguay* in *Paranam* confluentem promovit, atque tandem *Gabotum* in caſtello *S. Annæ* invenit: à quo conjunctim ad naves *Gaboti* redierunt. Quia autem hic nonnihil argenti à barbaris acceperant, (nullum autem hactenus ex America in Hiſpaniam advectum fuerat) Flumini huic nomen Argentei impoſuerunt, id enim ſonat vulgare nomen *Rio de la Plata*.

Gaboto autem in Hiſpaniam reverſo, fluminis hujus perluſtratio conquievit uſque d. 5. l. 9. ad annum cIↃ IↃ XXXV; hinc miſſus *Petrus de Mendoza* cum undecim navibus & c. 10. octingentis viris: qui Flumen ingreſſus, quum ad inſulam *S. Gabriëlis* aſcendiſſet, ad ſiniſtram illius ripam oppidum moliri cœpit, cui nomen impoſitum *Noſtra Sennora de Buenos Aires*; ubi fame & omnium rerum ad vitam neceſſariarum inopia quamplurimos ſuos amiſit: itaque Legatum ſuum *Ioannem de Ayolas* dimiſit, ut annonam à barbaris conquireret, qui modicam retulit, denique poſtquam magno labore & exiguo profectu varia loca luſtraſſent, *Ayola* quidem hic ſubſtitit; *Mendoza* autem in Hiſpaniam remeans in itinere obiit: Sed quia nobis non eſt propoſitum integram rerum geſtarum hiſtoriam ſcribere; hoc tantum addam, nihil hic magni aut præclari ab Hiſpanis actũ ante ann. cIↃIↃXL quo hic venit *Alvarus Nunnez Cabeca de Vacca* & tum pri- d. 6. l. 3. mum provincias haſce penitius luſtrari & varias colonias Hiſpanorum deduci cæpiſſe. c. 18.

CAP. III.

Fluminis de la Plata *deſcriptio ſecundum* Herreram *&* Martinum del Barco.

INGENS hic fluvius & inter vaſtiſſimos hujus Americæ Meridionalis, poſt *Amazonum* fluvium facile ſecundus, (niſi forte huic quoque præcellat) ab Indigenis *Parana*, id eſt, pelagus, & *Paranaguazu*, id eſt, magnum mare appellatur; habens ad mare *Atlanticum* vaſtum atq; ampliſſimum æſtuarium; XXX enim & II leucas eſt latum, evolviturq; inter duo promontoria, quorum ingredientibus dextrum *S. Mariæ*, ſiniſtrum ſive Auſtrale *Blancum* vel etiam *S. Antonii* appellatur. Interius autem decem fere leuc. latus eſt, & plurimas inſulas complectitur, & innumeros pene amnes dextra levaq; in ſe admittit; creditur autem prodire è lacu, qui à gente quæ illum accolit, *de los Xarayes* appellatur, circiter CCC leucis ab oſtio illius aut forte pluribus: in hunc lacum plurimos amnes & imprimis illos qui ex orientali Andium Peruviæ latere, atq; adeo in ipſa Peruvia oriuntur, volunt deſcendere; Exque eodem & alterum fluvium egredi verſus Arctum, qui in ingens *Amazonum* flumen deſcendat, de quo ſuo loco dicetur.

Martinus del Barco in poëmate quod *Argentina* inſcribitur, paulo latius de hoc flumine commentatur, à promontoriis ad Oceanum Atlanticum exordiens, quæ triginta quinque leucas diſtare ſcribit; atque illud quidem quod Auſtrale latus claudit humile eſſe, & oram quæ ab illo ad *Buenos Ayres* uſque pertinet, ſimiliter declivem; oram autem utramque multis periculis obnoxiam eſſe, ſiniſtram quidem ob humilitatem & crebra vadorum brevia, dextram vero ob Auſtrales ventos qui valide in illam impingunt; quinetiam ob barbarorum ferociam, qui utrimque accolunt, & plurimos mortales neci dederunt.

Porro juxta promontorium *S. Mariæ* duæ jacent inſulæ, quas vocant *de Lobos*, à lupis marinis; & paulo interius rurſus duæ, quas vocant *de Flores*, & ab iis triginta leucarum intervallo ſeptem inſulæ *S.Gabrielis*, è regione oppidi *Buenos Ayres*. Flumen hic novem aut circiter leucas latum eſt & hactenus ſatis altum, præter duo aut tria vadorum brevia circa Inſulas *Maldonati* & *Ioannis Ortizii*; verum ſupra inſulas *S. Gabrielis* vadoſum eſſe incipit & non ſine diſcrimine navigatur.

Ab hiſce porro ad inſulam *Martini Garziæ* duodecim numerantur leucæ, hæc ſeſquileucam longa eſt & dimidiam lata, plurimis arboribus veſtita, nec arvis ad ſementem faciendam idoneis deſtituta. *Petrus de Mendoza* hic aliquot ſuorum collocaverat, uti & poſtea *Ioannes Ortizius de Zarate*. Hactenus una navis è claſſe *Ioannis Fentoni* Angli, qua *Ioannes Dracus* vehebatur anno cIↃ IↃ LXXXII aſcenderat, ſed illa ibidem fracta, *Dracus* cum paucis ſervatus, miſeram vitam aliquandiu inter barbaros toleravit & tandem evaſit.

Ab Inſula *Martini Garziæ*, ad *S. Lazari* inſulam ſunt quatuor leucæ, ea diſtat à ripa dimidiam leucam; & pari pene intervallo egreditur hic è continenti fluvius

Uraygh. *Vraygh* dimidiam leuc. in ore latus: & paulo ultra amnis cui *Gabotus* nomen *S. Salvatoris* indiderat.

Hum fl. Ab hoc ad fluvium *Hum* (vulgo *Rio Negro*) ſunt duæ leucæ; hic è cœnoſis & paluſtribus locis, leni alveo defluens, ſubnigras undas devehit (unde illi nomen) & multis piſcibus fœtus eſt.

Hinc porro magnum flumen ſe undecim ingentibus & latiſſimis alveis pandit, qui permagnis inſulis diſtinguuntur, amœnis & herbidis, quæque omnes à gente barbara incoluntur, *Guaraynes* vulgo vocant. Supra has inſulas, quarum quædam duodecim & plures leucas in longitudinem patent, fluminis alveus priorem latitudinem ſervat, ripæ à variis barbaris accoluntur.

Ad ſiniſtram autem ſubeuntibus ripam, viginti circiter leuc. præter dictas Inſulas, oppidum *S. Fidei* jacet, & ſupra hoc centum pene leuc. aliæ inſulæ amnicæ quæ à *Cherandium* gente habitantur.

Octuaginta ſupra has leucis fluvius *Paraguay* cum *Parana* ſe conjungit: *Parana* autem hinc ſe flectit verſus ortum, ad quem porro jacet provincia *S. Annæ* partim campeſtris, partim etiam paludoſa, *Guaranyis* barbaris habitata.

Penna Pobre, ut vocant, paulo ulterius ſita eſt, editiſſima rupes, ſupra quam ſunt gurgites multarum cymbarum naufragio nobiles & porro Cataractes ubi fluvius cum magno murmure præceps ruit; juxta quem oppidum *Guayra* jacet & ſupra hoc quadraginta leucarum intervallo aliud Hiſpanorum municipium cujus nomen non proditur. Hactenus de *Parana*.

Paraguay. Flumen autem *Paraguayum* ad ſiniſtram ſui ripam primo accipit nobilem amnem *Ypitum* qui leniter per campeſtria defluit; & mox *Parannamirum*, qui inſulam triangularem (quæ circiter duodecim milliaria patet) à reliqua continente dividens, ad *Paranam* contendit. Juxta *Ypitum* quoque jacet lacus quem ab accolarum nomine *de los Mahomas* vocant, qui ad fluvium pertingit, quem vulgo *Vermeio* vocant, in quo uniones reperiri volunt. Hinc *Paraguay* alveus nonnihil anguſtior fit, & quatuor leuc. infra oppidum Aſſumcionis recipit in ſe fluvium *Pilcomaium*, qui è *Charcarum* provinciis deſcendit & hic ab accolis vocatur *Araquaygh*. Hactenus è *Martini del Barco Argentina*.

Cap. IV.

Ejuſdem fluminis deſcriptio ſecundum varia Hiſpanorum itineraria nautica: & unum Noſtrorum.

ITINERARIA nautica (vulgo *Roteiros*) ab Hiſpanis prodita, quæ potiſſimam fidem in hiſce rebus merentur, nonnihil variant in hoc flumine deſcribendo, ab oſtio ſive æſtuario fluminis ad inſulas *S. Gabrielis*.

Alia enim à Promontorio *S. Mariæ* quod extimum eſt oræ ſeptentrionalis verſus ortum, ad fluvium *de Solis* decem leucas numerant, ab hoc ad colles, quos vulgo vocant *los tres Mogotes*, tres; ab illis denique ad Inſulas *S. Gabrielis* octo aut novem, atque

ita

ita in univerſum à Promontorio ad haſce inſulas, leucas tantùm duas ſupra viginti, quod intervallum, vero longe minus eſt.

Alii accuratius hæc intervalla metientes, ab inſula *de Lebos* quæ dicto promontorio objacet, ad Inſulam *Maldonati* numerant leucas quatuor, ab hac ad terræ cornu totidem; à terræ cornu ad Inſulam *Florum* decem; ab hac ad montem *Vedium* quinque; & ab hoc totidem ad Inſulas *S. Gabrielis*; atque ita conficiunt leucas viginti & octo.

Inſulæ *S. Gabriëlis* his ſunt quinque, minores. Ab hiſce ad fluvium *S. Ioannis* ad ripam aſcendentibus dextram numerant tres leucas: hujus oſtium vadoſius eſt, ideoque non ſine diſcrimine aditur, non niſi minoribus navigiis patens.

Ab hoc fluvio ad Inſulam *Martini Garziæ* quæ gentili nomine *Minga* appellatur, tres itidem ſunt leucæ. Ab iſta ad exiguas inſulas vel potius ſcopulos *S. Lazari* ſunt duæ leucæ: ad primum autem oſtium fluminis *Paranæ*, octo: flumen enim hoc pluribus inſulis in diverſa oſtia dividitur, quorum id quod ad occidentem extremum eſt, utplurimum ab Hiſpanis navigatur, & peculiari nomine *Rio de las Palmas* dicitur.

Qui flumen *de la Plata* aſcendunt, ſtudioſe curſum ſuum inſtituunt ſecundum ripam Septentrionalem utpote editiorem, ubi fluminis alveus altiſſimus deprehenditur; fit tamen interdum, ut ratione non bene ſubducta ad Auſtrale promontorium deflectant, quod *Cabo Blanco* vulgo dicitur; itaque hic obſervandum, ab hoc promontorio ad oppidum *Buenos Ayres* ripam omnem humilem & undis pene æqualem eſſe, & hanc Continentis partem à ſævis barbaris habitari qui advenas omnes inhumaniter, quum licet, devorant: ab oppido vero hoc ad dictum flumen *de las Palmas* oram ſenſim ſe attollere; duodecim autem leuc. ſurſum tendentibus ad hanc ripam, obviam fieri exiguam inſulam *Ioannis Ortizii.*

Sed ab Inſula *Martini Garziæ* redordiamur: ab illa ad *S. Salvatorem*, (quæ eſt inſula duas circiter leucas intra primum *Paranæ* fluminis oſtium; à *Gabota* quondam inventa, ſunt novem aut decem leucæ; terra autem quæ ad dextram jacet incolitur à barbaris, quos *Carioos* vocant, qui Hiſpanis, uti fatentur, imprimis ſunt infeſti.

Porro flumen *Palmarum*, uti & reliqua brachia, in quæ magnum flumen ab inſulis diſpeſcitur, fere ſedecim leucas aſcendunt, antequam rurſus conjungantur; præter unum brachium, (quod vulgo *Rio de los Beguaes* vocant) quod quadraginta leucas aſcendere volunt, antequam in ipſum *Paranam* deſinat; ad hoc brachium patet aditus per fluvium *de las Palmas* (qui & ipſe brachium eſt majoris fluminis) qui autem *S. Spiritum* petunt, ingrediuntur atque aſcendunt iſtud brachium.

Surſum autem aſcendentibus ad ſiniſtram, multæ inſulæ, lacus & amniculi prætereundi ſunt, ubi barbari inhoſpitales & advenis infeſti degunt.

A primo ingreſſu fluminis *de las Palmas* ad *Sanctum Spiritum* numerant leuc. quinquaginta à *S. Spiritu* ad *Tenbuyorum* regionem quindecim: à *Tenbuyis* ad *Quiloacas* viginti; à *Quiloacis* ad Hiſpanorũ coloniam quindecim; ab his ad *Maqueretas* viginti; ab his ad *Mepenes* triginta; intermedio autem ſpacio plurima ſunt vada & regio omnis ad ſiniſtram ſtagnis & paludibus ſquallet, nihilo ſecius tamen à multis barbaris incolitur, qui Hiſpanis ſunt infeſti: ab illis ad oſtium *Paraguay* triginta, & ſolum editius eſt minuſque ſtagnis & paludibus impeditum.

Circa oſtium autem *Paraguay*, magnum flumen *Parana* ab altero hoc veluti divortium facit, & fere recta ad arctum tendens, circiter ſeptuaginta ſupra centum leuc. aſcendit ad oppidum *Piquiri*, ſed difficulter hoc flumen navigatur ob crebra vada & vortices, & non ſine metu accolarum, qui peſſimi quidem ſunt ſinguli, ſed inter ſe diſcordes.

Flumen autem *Paraguay* ſurſum tendens verſus corum circiter ſexaginta leucas, ſupra divortium hoc, habet oppidum *Aſſumcionis:* à quo ad lacum *Xarayum* circiter ducentas leucas numerant; ripæ utrimque à barbaris habitantur qui pene omnes jam Hiſpanis propitii ſunt facti.

Laurentius Bickerus Belga, qui ſuperioribus annis Flumen hoc adiit annotat, è regione Promontorii *S. Mariæ* ſitam eſſe inſulam *de Lobos* quinque & triginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: inſulam *Maldonati* ab hac abeſſe milliaria tria: Inſulam

autem *Florum* ab jam dicto promontorio milliaria viginti. Tria autem & quinquaginta milliaria intra flumen vadum extare, milliare longum, ſed anguſtum, à ripa Septentrionali ſeſquimilliare disjunctum.

Noſtrates qui anno cIↃ IↃ CXXVIII hic fuere, obſervant Inſulam *de Lobos* diſtare à Promontorio *S. Mariæ* circiter quatuor milliaria: ab hac ad Inſulam *Maldonati* eſſe totidem milliaria: exigua eſt inſula & anguſto Freto à Continente diſſita, arborifera & præpingues capras alens. Ab hac inſula ſive à Promontorio *S. Mariæ* ad inſulam *Florum* numerant ſeptemdecim milliaria, & porro ad Promontorium de *Monte Seredo*, quinque, ita ut ab uno promontorio ad alterum numerent ſeptemdecim milliaria; inter inſulam autem *Florum* & *Montem de Seredo* egreditur fluvius *de Solis*. Denique judicant urbem *Buenos Ayres* tantum duas & quadraginta leucas diſtare à Promontorio *S. Mariæ*.

Cap. V.

Barbari qui flumen Argenteum accolunt, eorum ingenia & mores.

Fluminis hujus ripas utrimque, inde ab ipſo æſtuario, accolunt variæ nationes barbarorum & quidem primo ad Auſtralem illius ripam, ad quam oppidum *Buenos Ayres* ſitum eſt, commemorantur ab Hiſpanis, *Quirandies*, vaga natio quæ Scytarum in modum ſæpe ſedes ſuas mutat, & in tuguriis vicatim degit, ferociſſima & humanis carnibus veſci ſolita, agilis & pugnax, quæ Hiſpanis ſuperiori ſeculo multa damna atque excidia intulit. [Her. d. 5. l. 9. c. 10.]

[d. 5. l. 10. c. 15.] Flumen aſcendentibus obvii fiunt *Timbues* & *Carcares*, qui lacum accolunt & piſcibus utplurimum victitant; hi ſuperiori ſeculo quum primum Hiſpani duce *Petro de Mendoza* has regiones luſtrarent, advenas humaniter receperunt, ita ut *Mendoza* in ipſorum provincia municipium conderet *Bonæ Spei* nomine.

Paraguayum flumen accolunt *Ameguaes* qui piſcibus victitant: diversâ parte *Carioes* (qui alibi *Caribes* appellantur) hi & agros colunt & armenta atque pecudes alunt. Hos, ſed ſatis longo intervallo, excipiunt *Payaguaes*.

[d. 6. l. 7. c. 5.] Et porro in interioribus provinciis, *Chanes* & *Chimenei* atque *Carcaraes*, apud quos fama eſt plurimum auri atque argenti reperiri. Hi *Petro de Mendoza* has provincias luſtrante, Legatum illius *Ioannem de Ayolas*, ex Chanum provincia cum copiis ſuis redeuntem, pene ad internecionem ceciderunt.

[d. 7. l. 1. c. 8.] Anno à Chriſto nato cIↃ IↃ XLI ad has provincias cum imperio miſſus fuit *Alvarus Nonnius Cabeça de Vaca*, qui quum adverſa tempeſtate rejectus æſtuarium fluminis ingredi non potuiſſet, ad continentem inter promontorium *S. Mariæ* & Braſiliam, copias ſuas expoſuit, & à flumine *Itabucu*, viginti circiter leucis ab Inſula *S. Catharinæ* iter ſuum exorſus, per altiſſimos montes & denſiſſima nemora, viam ſecuribus paſſim aperiens, novemdecim diebus, tandem in apertam, campeſtrem & bene cultam provinciam penetravit; quam idcirco *del Campo* appellavit; hanc *Armiri* populi incolebant; & unius diei ab his itinere *Cipoayi*, & poſt hos *Tocanguazuni*: hi populi etiam communi nomine ſe *Guaranyes* ferebant; Mayzii ſementem bis quotannis facere ſueti: abundant caſſave, gallinis, anſeribus, pſittacis, quos cicurant & nutriunt domi: cæterum vindictæ avidiſſimi, ut fere omnes ſunt barbari, & humanarum carnium appetentes. *Alvarus* huic provinciæ *Veræ* nomen impoſuit.

[Yguazu fluv.] Ab hoc profectus ad fluvium *Yguazu* pervenit, & poſtero die *Tibagum* fluvium cum ſummo diſcrimine ſuperavit. Hinc ad *Taquarim* amnem proceſſit ad cujus ripam ſitus erat pagus *Abangobius*; huic haud longo intervallo proximus eſt pagus *Tocanguſir*; ubi altitudinem dimenſus, obſervavit hunc locum quatuor & viginti gradibus ab Æquatore diſtare verſus Auſtrum. Hactenus omnis regio campeſtris, amœna, fertilis, pluribus amnibus rigua & nemoroſa fuerat.

Hanc excipit ſolitudo, partim montibus aſpera, partim triſti uligine ſquallida, & arundinetis atque opacis ſilvis pene invia.

Ex hac ſolitudine cum ſumma difficultate eluctati, rurſus in planiciem deſcenderunt,

runt, quam iidem *Guaranies* incolunt tandemque ad rapidum flumen *Piquirin* proceſſerunt, quinque & viginti gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum. Omnis *Guaranium* regio amœna eſt & fœcunda, atque adeo niſi indicia fallant, haud expers metallorum, verum incolæ ſunt ferociſſimi & anthropophagi.

Poſt octidui iter rurſus in flumem *Iguazu* inciderunt, quod variis flexibus in occidentem tendens, tandem in *Paranam* ſe condit. Atque ita porro progreſſi ad *Paranam* pervenerunt, ad altitudinem quatuor & viginti graduum; quo ſuperato novem dierum iter reſtare ſcribunt ad oppidum *Aſſumcionis*. *Paraguayum*; præterea accolunt *Agazes*, vaſto corpore & robuſto, qui ſementem facere inſueti, vicinorum [Her. d. 7. c. 4. l. 14.] ſuorum agros populantur, & maxime in flumine lintribus ſuis piraticam exercent. Sed hoſce Hiſpani penitus exciderunt, ut *Martinus del Barco* in ſua Argentina canit. His vicini ſunt *Guayacurves* ejuſdem molis, ferociæ & agilitatis.

Idem flumen aſcendentibus occurrunt *Cacoves* qui & agros colunt & plurimas [Her. d. 7. l. 7. c. 14.] gallinas alunt, provincia ipſorum metallis fœta eſſe creditur. Supra hos degunt *Guaxarapi* ad ripam fluminis, quod è finibus Braſiliæ, ut opinantur, profluens tandem novemdecim circiter gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum in *Paraguayum* influit. Regio autem quæ ab hiſce incolitur humilior eſt & inundationibus obnoxia, itaque barbari hi, quum flumen ripis ſuis continetur, ad eaſdem accedunt & piſcibus capiendis dant operam, qui ipſis fere pro annona ſunt: flumine autem ripas ſuas excedente, & vicinas terras longe lateque inundante (quod fere quotannis ſolet accidere menſe Januario, quum jam Sol à Tropico Capricorni ad Æquatorem redire incipit) in interiores regiones ſeſe ſubducunt.

Exinde ad Lacum pervenitur è quo *Paraguayum* flumen egreditur, uti & alter amnis qui *Yguatu* appellatur, hujus ripas accolunt *Xacoaes*, *Xaqueſſes* & *Chaneſſes*: à quorum finibus per uliginoſa loca in *Xarayum* provinciam tranſitur. Vrbanior ea [Her. d. 7. l. 6. c. 17.] gens & agriculturæ dedita, atque etiam nendi haud imperita: agriculturæ partes mares & fœminæ ita inter ſe dividunt, ut hi ſementem curent, illæ autem meſſem. Hinc per vaſtam & opacam ſolitudinem iter eſt ad provinciam *Tapuaguazum*, ubi *Tapapecocies* habitant, omnibus rebus ad vitam neceſſariis abundantes; Extremi ad hanc plagam degunt *Payzunoes* gens barbara, neque hactenus ſatis cognita.

Ad diverſam ab oppido Aſſumcionis plagam degunt *Mayæ*, juxta viam quæ ad [Her. d. 8. l. 2. c. 17.] Peruviam ducit; tranſitur autem ad eorundem terras, per locum qui ab Hiſpanis *Puerto de S. Fernando* appellatur.

Hos ſequuntur in eodem itinere, ſed ſatis longo intervallo; & ſuperatis aliquot provinciis, quas metallis abundare obſcura fama eſt, *Tamacoæ*: quibus adjacet provincia Charcarum, Peruviæ pars, de qua ſupra à nobis dictum. Ambigo, utrum Tamacoæ hi, iidem ſint cum Taguamacis, quorum *Nufle de Chaves* meminit, qui primus Hiſpanorum ex provincia *de la Plata*, in Peruviam penetravit: hos autem ſupra provinciam incolere diximus quæ hodie *S. Cruz de la Sierra* appellatur. [l. 10. c. 36.]

Cap. VI.

Deſcriptio oppidi Noſtræ Sennoræ de Buenos Ayres.

PRIMUM oppidum hujus provinciæ ab Hiſpanis appellatur *Noſtra Sennora de Buenos Ayres*, à nonnullis quoque *Cuidad de la Trinidad*; à *Petro de Mendoza* conditum primò, anno à Chriſto Nato cIↃ IↃ XXXV ad Auſtralem Fluminis *de la Plata* ripam, è regione inſularum *S. Gabriëlis*, in provincia barbarorum qui vulgo nominantur *Morocotes*, uti Hiſpani notant. [Her. d. 5. l. 9. c. 10.] Solum hujus provinciæ fere ubique in planiciem ſternitur, collibus & tumulis quibuſdam leniter intumeſcens, præterquam ad oram maris Atlantici, ubi vaſtis & continuis pene montium jugis concluditur. Id oppidum haud dudum tum ſtetit, oppidanis ob mutuas diſcor-

diſcordias, & alia incommoda alio dilapſis. *Cabeça de Vacca* anno cIↃ IↃ XLII novos Colonos huc traduxit, qui aliquandiu oppidum incoluerunt, rurſuſque deſeruerunt: Manſit deinceps pluribus annis ita deſertum: tandem anno cIↃ IↃ LXXXII ab Hiſpanis jam tertio habitari & reædificari cœpit, ea formâ, qua hodie viſitur.

Situm eſt oppidum, ut ſupra, ad ſiniſtram ſive Auſtralem magni fluminis ripam triginta quatuor gradibus (ut à noſtratibus obſervatum inveni) & quinque ſupra quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum: ſexaginta aut, ut alii ſcribunt, ſexaginta & quatuor milliaribus, ab ampliſſimo fluminis æſtuario, ſive à promontorio *S. Mariæ* verſus occidentem, & mediterranea hujus continentis, ad ripam fluvioli qui in magnum flumen ſe condit, in clivo leniter edito ſuper reliquum ſolum; ædificiorum parietes fere ſunt lutei, quales Hiſpani vocant *Tapias:* Arcem adjunctam habet haud magni momenti, luteo itidem vallo cinctam, vix quinq; pedes craſſo, & paucis tormentis bellicis inſtructam. Ipſum oppidum neq; ſpatioſum eſt neque frequens, quippe incolas non multum ſupra ducentos numerans (uti à Belga qui aliquot annis ibi familiam ſuperioribus annis aluit, accepi) qui agriculturæ & pecuariæ potiſſimum dant operam, & pene ſingulis annis, permiſſu Regis Hiſpaniarum, ad Braſiliam navigant, atque panem biſcoctum, farinam, & carnes muria conditas, aut ad ſolem induratas & ſimiles merces evehunt, in quarum locum merces Europæas reducunt, quo fit, ut Hiſpani qui Potoſiæ & vicinis locis degunt, non raro ad hoc oppidum deſcendant, & merces illas argento redimant; opulento quidem commercio, ſed à Rege Hiſpaniarum vetito, qui nequaquam è re ſua eſſe exiſtimat, argentum hac via è Peruvia deduci, & vectigalibus ſuis atque quintis haud dubio hoc modo fraudem fieri judicat. Quapropter licet Hiſpani, qui hoc oppidum & provinciam *de la Plata* incolunt, Regi ſæpe approbare conati fuerint, argentum Potoſianum, ſecurius multo, & longe majori compendio per hanc viam in Europam poſſe traduci, quam per Peruviam, mare Auſtrale & Iſthmum Panamenſem, tamen hactenus id illi minime perſuaſerunt. cujus conſilii regii nullam aliam rationem divinari poſſum, quam quod à caſtellanis argenteum hoc commercium cum Portugallis qui Braſiliam inhabitant communicari, neutiquam conſultum judicat. Nam ſi rem ipſam recta repures via, nihil opportunius videtur; quum ab hoc oppido ad argenti fodinas Potoſianas tantum quadringentarum leucarum iter ſit, uti accepi (alii quoque longe minorem leucarum numerum produnt, quidam & majorem;) maxima ſui parte planum & minime impeditum.

l. II. c. 15. Ab oppido enim hoc ad urbem *Cordubam*, quam ſupra deſcripſimus, viginti ſupra centum numerantur leucæ; iter illud agitur per deſerta quidem & loca ab hominibus inculta, verum læta planicie amæna, & graminis adeo feracia, ut innumera armenta & immenſos jumentorum greges alant, quæ paſſim in campeſtribus hiſce locis & raris nemoribus, ſine certis dominis vagantur: jumentis autem & carris toto hoc itinere uti licet, ſine ullo barbarorum incolarum metu, qui & admodum infrequentes hic ſunt, & fere innoxii, atque incertis ſedibus vagi: tranſeundi autem ſunt aliquot amnes, *Lucan*, *los Arrechivos*, *Arreca*, *Carçarama*, qui omnes in magnum Fluminis *de la Plata* alveum deſinunt; Horum præcipuus (nam cæteri haud magni ſunt momenti) *Carçaranna*, pene medio ab utroque oppido intervallo, labitur, leni alveo, & qui æſtivis menſibus vado tranſiri poteſt, hibernis menſibus nonnihil intumeſcit, uti fere reliqui Americæ Auſtralis amnes.

Porro ager ſuboppidanus quidem amœnus eſt & fœcundus, ita ut omnis generis fruges abunde producat, triticum, Mayzium, melones, pepones & ſimiles fructus; atque adeo quæcunque ad vitam humanam neceſſaria ſunt, oppidanis large ſubminiſtret; ſed provincialis ager effœtior eſt, raris arboribus, ſed multo gramine & prolixo: paucis collibus, nullis aut raris admodum montibus & rupibus, vaſta planicie: multi hic cervi agunt, ſed mole Europæis neutiquam pares; ſtrutiones innumeri, perdices, anſeres atque anates.

Barbari qui hanc provinciam & viciniam incolunt, fere nudi agunt aut lutrarum (quæ maxima copia hic reperiuntur) exuviis leviter tecti; procero atque robuſto corpore, neque deformi; moribus & inſtitutis à reliquis barbaris

barbaris nihil diverſi; piſcibus pene vitam tolerant, aut ferina, quare canes venaticos impenſe amant & ſupra omnia maximi faciunt: tuguria illorum ex arundinibus compoſita ſunt, & ſtoreis quibuſdam adverſus pluviam & aëris injurias tecta.

Cap. VII.

Metropolis hujus provinciæ, cum agro ipſius deſcripta; itemque alterum oppidum Cuidad Real.

Metropolis & longe princeps hujus Provinciæ urbs, quæ *Noſtra Sennora del Aſſumcion* ab Hiſpanis vulgo appellatur (& à quibuſdam, ſed ut opinor, perperam *Aſſenſion)* ſita eſt ad altitudinem quinque & viginti graduum ab Æquatore verſus Auſtrum, uti communiter ab Hiſpanis traditur: æquali pene intervallo inter *Peruviam* & Braſiliam provincias; à quarum utraque abeſt circiter ducentas & quinquaginta aut paulo plures leucas; ab oppido *Guaira* quod aliis *Cuidad Real* dicitur, octuaginta leucas verſus occidentem; à *Sancta Cruce de la Sierra* circiter ducentas: ab ingenti Fluminis *de la Plata* æſtuario, ſive promontorio *S. Mariæ*, ſurſum, ſupra trecentas, ut vulgo numerant, nam authores variant.

Condita eſt ad Orientalem ripam fluminis *Paraguay*, quatuor pene leucis ſupra confluentem *Pilcamayi* fluminis, quod in *Peruvia* è Charcarum montibus oriens, duodecim leucis ab oppido *de la Plata* ſive *Suchiſaca* labitur, & ibidem *Rio grande* appellatur & infra oppidum Aſſumcionis (*Guapaygh* nomine aſſumto) in *Paraguayum* effunditur. Porro urbs hæc opportunitate ſitus potiſſimum & oppidanorum frequentia commendatur, quippe quæ quadringentas familias Hiſpanorum complecti dicatur, præter aliquot millia ibidem natorum ex Hiſpanis & barbaris, quos vulgo *Meſtiſos*, & mixtum è Nigritis & Hiſpanis genus, quos *Mulatos* appellant.

Intra ampliſſimos hujus urbis fines habitat immenſa barbarorum indigenarum multitudo; qui quotidie magnum incrementum capiunt: *Martinus del Barco* in ſua Argentina narrat, fœminas & pueros longe numero ſuperare, maribus fere continuis bellis inter ſe & cum aliis barbaris multum imminutis.

Ager ſuburbanus mirum in modum amœnus eſt; Solum fœcundum & omnis generis frugum feraciſſimum, fructuſque tam domeſticos quam Hiſpanienſes copioſiſſime producens; adhæc & armentis atque pecudibus paſcua abunde ſufficiens; unde hic omnis generis annona admodum copioſa & vilis eſt.

Cœlum ſalubre & inſigniter temperatum, unde arbores hic perenni pene viriditate nitent.

Barbarorum qui in vicinia degunt præcipui ſunt *Guatataës*, *Mogalaës*, atque *Gonnanenaquaës*, Hiſpanis addictiſſimi, & dicto obaudientes, licet non ſint ipſis, ut fere alii, in ſervitutem per tribus attributi. *Herrera* & *Yaperues* commemorat gentem la- d.7.l.5.
trociniis infamem, quæ neque agros colit, neque pecuariam exercet, quam *Cabeça* c.15.
de Vacca primis annis ad quietem pellexerit Ibidem & *Imperues*, *Naperbes* & *Mayayes* nominat, ſed ſedes illorum non deſcribit. Alibi & *Triguanum* meminit, gentis belli- d.8.l.2.
coſæ, quorum provincia haud longe abeſt à Metropoli hac. Paulo remotiores agunt c.17.
Cheriguanes, qui Hiſpanis olim multum negotii faceſſebant; nunc autem (ut quidam ſcribit) ab ipſorum obſequio minime recedunt, & priſtina ferocitate poſita, urbanius vivere & humanis carnibus abſtinere didicerunt.

Haud longe ab oppido, Mons *Lambare* tota hac regione celeberrimus, vaſte ſe ſupra reliqua montium faſtigia attollit; & adverſo flumine aſcendentibus occurrit nobiliſſimus Lacus, quem barbari *Ytapuam* nominant, è cujus centro rupes ingens & ſupra centum orgyas ardua aſſurgit.

Oppidum *Cuidad Real* vel etiam *Ontiveros* Hiſpanis, barbaris *Guayra*, diſtat à Metropoli verſus Braſiliam ad aquilonem, leucas octuaginta; ad ripam Paranæ fluminis conditum; in agro quidem, ut fertur, fœcundo, & eorum omnium quæ vita humana deſiderat feraci; ſed cœlo minus ſalubri; & ſtatione ob ferocia & irrequieta vicinorum barbarorum ingenia, minus commoda.

Haud

Haud longe ab urbe, *Parana* magno murmure *de Cataracte* ſupra ducentos, ut ajunt, cubitos alto valide ſe præcipitat & tot vortices agit, inter rupes & alvei ſui anguſtias, ut non modo navigia ſed & lintres unilígneos procul arceat, neque ſine extremo periculo queat ſuperari.

Quadraginta circiter leucas ſupra *Guayram*, ad ejuſdem *Paranæ* ripas, alterum oppidum ab Hiſpanis habitari, canit *Martinus del Barco*, neque tamen illius nomen prodit, quod neque alibi me legiſſe memini.

Cap. VIII.

Oppida S. Fidei, S. Salvatoris *& reliqua hujus provinciæ.*

OPpidum *S. Fidei*, Hiſpanis *Santa Fe*, diſtat à Metropoli Aſſumcione, ſecundo flumine, leucas centum & quinquaginta, ut *Lupus Vazius* ſcriptum reliquit, & ab oppido *Noſtra Sennora de Buenos Ayres* (uti à Belga fide digno accepi) quinquaginta; (licet Hiſpani intervallum longe majus & circiter centum viginti leucarum inter utraque hæc oppida numerent;) denique ab urbe *Corduba* provinciæ *Tucumanæ*, quinquaginta, vel ut alii tradunt, ſed perperam uti opinor, ſeptuaginta. Oppidum tenue eſt, & frequentia incolarum & condicione *Buenos Ayres* fere æquale; in planicie, quæ ad *Tucumanam* uſque pertingit, ſitum; ad ripam fluminis. Ager illius fertilis, cœlum haud inſalubre. Barbari qui intra limites illius degunt, *Chalcini*, dicuntur, & *Mepenes* atque *Chiloacæ*. Oppidani agriculturæ & pecuariæ dant operam; & pannos quoſdam rudiores texunt, quos opulento commercio in Braſilia, *Saccharo*, *Oryza* atq; aliis mercibus permutant; præſertim in oppido fluminis *de Ienero*.

Ab hoc quoq; oppido iter agitur ad argentifodinas Potoſianas & porro in Peruviam. iter ſecurum eſt & peropportunum, per provinciam *Tucumanam* & urbem *Cordubam*, quæ opportuniſſimo loco ſita eſt & veluti in trivio; ita ut ab illa & in *Chilenſem* præfecturam, & Peruviam pertendere & denique verſus Metropolin hujus provinciæ Aſſumcionem deflectere liceat. Non abs re fuerit itineris hujus rationes paulo plenius hic explicare: ab urbe *Corduba* Peruviam petentibus, iter agendum eſt ad oppidum *S. Iacobi* (quod vocant *del Eſtero*) interſunt octuaginta aut paulo plures leucæ: ab oppido *S. Iacobi* æſtivis quidem menſibus, per oppidum *S. Michaëlis*, intervallum eſt viginti quinque leucarum; hibernis vero, per oppidum *Noſtræ Sennoræ de Talavera* intervallum eſt quinquaginta leucarum; (quia prius iter per *S. Michaëlem* eo tempore ob fluminum inundationes alto cæno, & crebra uligine impeditum eſt:) contenditur ad locum, qui ab Hiſpanis vocatur *las Iuntas*, quia itinera illa hic rurſus coëunt; is diſtat ab utroque oppido, æquali pene intervallo, viginti quinque leucarum: à *Iuntis* rurſus, pro anni tempeſtate, iter agitur aut per *Saltam* aut per *S. Salvatorem* quæ urbs barbaris dicitur *Iuyu*, eſtque *Tucumanæ* provinciæ poſtrema, diſtans à *Iuntis* quidem triginta, à Potoſia vero circiter centum: denique ab hac quidem per valles barbarorum qui *Amoaguaci* dicuntur, inter montium juga enituntur; ab illa vero per confragoſos colles, qui Hiſpanis dicuntur *la Quebrada*: verum utrumque hoc iter denuo in unum coit, circiter triginta à Potoſia leucis. Atque ita ſi ratio ab Hiſpanis probe inita fuerit, ab oppido *S. Fidei* ad Argentifodinas Potoſianas colligitur intervallum trecentarum & quadraginta aut quinquaginta leucarum.

Reliqua oppida ſunt; Vrbs *S. Salvatoris* (alia ab illa de qua paulo ante) ad ripam magni fluminis ſitu peropportuno.

Et oppidum *S. Annæ*, ad ripam Paranæ, in provincia barbarorum, quos vocant *Guaranyes*; ager illius planus & campeſtris, unde non raro à flumine quum hibernis pluviis intumeſcens alveum ſuum egreditur, inundatur. Vtriuſque hujus oppidi obiter tantum meminit *Martinus de Barco* in ſua Argentina.

Supra Aſſumcionis oppidum jacet *Puerto de Guaybianno*, ubi natio *Guarany* deſinit; cui ſuccedit *Itabitan*, & porro *Puerto de la Candelaria*; ut Hiſpani nuncupant, ad ripam ejuſdem fluvii, uno & viginti gradibus ab Æquatore verſus
d.7.l.6. c.14. Auſtrum, uti *Herrera* prodit, ubi quondam *Ioannes de Ayolas* cum octuaginta militibus à barbaris ex inſidiis oppreſſus & deletus traditur; accolunt barbari *Paraguaes*. Hinc flumen aſcendentibus obvii fiunt *Guaxarapi*, in quorum provincia

ſupra

ſupra diximus fluvium qui è Braſilia deſcendit in *Paraguayum* influere: ultra tendentibus, flumen dividitur in tria brachia, quorum unum eſt grandis lacus quem vocant *Rio Negro*, is aſcendit verſus Arctum, reliqua duo paulo inferius coëunt. Supra confluentem rurſus alius amnis occurrit, ab occidente deſcendens, & nomen *Paraguay* jam exoleſcit, propter plures amnes & lacus, qui tot ora aperiunt, ut navigantes fallant: inter eos celebratur amnis *Yguatu*, id eſt, bona aqua, quem *Cabeça de Vaca* aſcendit. Atque ita tandem venitur ad *Puerto de los Reyes*; ager hic fertilis & annona copioſa; indigenæ ſtatura corporis modica, nudi agunt & idola lignea colunt. Ab hoc non magno intervallo diſtat provincia magni nominis, cujus incolæ vocantur *Xarayes*, de quibus ſupra egimus.

cap. v. Her. d. 7. l. 6. c. 15.

d. 7. l. 6. c. 16.

cap. 5.

Verum antequam cætera hujus Præfecturæ explicemus; opportunum fuerit *de Tucumana* dicere, quam conſulto omiſimus quum *de Charcenſi* provincia, cui vicina eſt, ageremus.

TUCUMANA.

CAP. IX.

Tucumanæ *Provinciæ deſcriptio, ejuſque Principalis oppidi* S. Jago del Eſtero.

T*Vcumana* provincia, tota eſt mediterranea, diſtatque quam longiſſime ab utroque mari; ſed fines jungit ab una quidem parte & verſus Occidentem cum Chilenſi Præfectura, ita ut per illam aditum habeat ad Oceanum Meridionalem; ab altera parte ſive ad ortum Solis cum provinciis Fluminis *de la Plata*, per quas ipſi via aperitur ad Oceanum Atlanticum ſive Septentrionalem. Cæterum ad ortum quidem ſolis, terminatur primum flumine *Vermeio*, ut vocant, quod in valle *Yuivy* oriens, ubi ab indigenis barbaris vocatur *Xibixibe*, ita decurrit, ut tandem in magnum Fluminis *de la Plata* alveum ſe condat: deinde & *Eſteco* flumine quod jam vulgo *Ciancæ* nomine notius eſt, (quia *Ioannes de Ciancas* ad ripas illius à barbaris fuit cæſus:) & interdum appellatur *Rio Grande*; id ex Andibus delapſum, dudum diſcurrit ſecundum illius radices, donec tandem verſus ortum dilabatur, & in idem Flumen *de la Plata* ſe inſinuet; fines illius verſus Arctum haud diſerte explicatos invenio, verſus Auſtrum quoque non minus ſunt incerti.

R. Vermeio.

Soli ratio ita ſe habet: verſus præfecturam quidem Chilenſem plurimum culti habet ſoli; verſus Magallanicum plurimas provincias incultas, nec ſatis hactenus luſtratas, quarum tamen magnam noticiam videntur habere oppidani *S. Iacobi del Eſtero*: vocant autem vulgo illam Regionem *Trapalandam*, ſed Chilenſis præfecturæ incolæ vocant eandem Provinciam *de la Sal*.

Trapalanda.

Provincia *Tucamana* cœlo gaudet admodum temperato, & ſolo mediocriter fœcundo: Sed hactenus (ut *Herrera* teſtatur) nulla hic auri aut argenti metalla fuerunt inventa.

Æſtas hic ſumit initium ſuum vigeſimo tertio Septembris & deſinit in vigeſimum Martii.

Incolitur à tribus potiſſimum nationibus barbarorum, *Tucumanis*, *Iuries* & *Diaguitis*; inter quos præcipui cenſentur *Tucumani*, unde ab ipſis potiſſimum toti provinciæ nomen indiderunt Hiſpani. Initium autem ſumunt à finibus provinciæ *Chicarum*, quæ natio ad diſtrictum Potoſianæ civitatis pertinet; pagi illorum ſunt varii, inter quos nominatiſſimi, *Morata*, *Chocinoca*, *Socochа* & *Caſabindo*; hoſce pagos tranſgreſſis (loquor de iis qui è Peruvia petunt hanc provinciam) occurrit ſolitudo, quæ quindecim aut viginti occupat leucas, frigidiſſima regio ob editiſſimos montes, atque adeo ipſa Andium vaſta & continua juga quibus occupatur: Superatis autem hiſce montibus è veſtigio deſcenditur in calidiorem & temperatiorem regionem, per quam via ducit ad Provinciam *Tucumanam*, paululum remota à pagis barbarorum, ad majorem ſecuritatem eorum qui hac iter agunt. Sed de hac via mox plura dicemus.

In

S. Jago. In hac provincia habitantur hodie ab Hiſpanis ſequentia oppida, *S. Iago del Eſtero*, *S. Michaël, Talavera, Corduba, Salta*, & aliquot municipia de quibus ordine dicemus.

Principalis hujus Provinciæ civitas primo dicebatur *Varco*, vulgo nominatur *S. Iago del Eſtero*. Sita eſt (ſecundum *Herreram*) octo & viginti gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, centum & octuaginta leucis ab argentifodinis Potoſianis verſus Meridiem, paulum declinando verſus Ortum: à *Buenos Ayros* autem oppido ad Fluminis *de la Plata* ripam ſito, ſecundum pleroſque centum & octuaginta leucas. Sed de hac diſtantia paulo poſt plenius agemus. Gubernator hujus provinciæ, utplurimum degit in hac civitate, quemadmodum & reliqui Regis Hiſpaniarum miniſtri; & Epiſcopus, quum in hac urbe ſit Cathedralis Eccleſia hujus provinciæ.

Temperies aëris in hac civitate eſt calida; ſalubris tamen: Agri ſolum arenoſum & ſalſum, ſaxorumque inops, qua re fit ut hic non ſatis commodè ædes ſtrui poſſint; pluribus rivulis rigantur agri, ad quos plurimi horti, viridaria & vineta jacent. Lanificium hic exerceri cœpit, ob lanæ abundantiam, è qua omnis generis pannos nigros varioſque hic texunt.

Indigenæ jam veſtibus amiciuntur, bene morata & culta gens. Accolunt duo maxima & potentiſſima flumina, quorum unum hanc urbem præterlabitur, & vulgo appellatur *Eſtero*, quia aquis illius intumeſcentibus, ripas ſuas egreditur, ſeſeque in plurimos rivos & canales dividens, campeſtrem omnem atque humilem regionem longe lateque inundat & cœno limoque opplet; ipſo autem in alveum ſuum relapſo, ingentia arva, tritico, Mayzio, hordeo, aliiſque frugibus conſeruntur: Unde omnis hic ager mirificè abundat omnis generis annona. Alterum flumen vulgo appellatur *El Salado*, quia aqua illius ſubſalſa deprehenditur: Utraque autem flumina ab occaſu labuntur in Ortum, per regionem planam & campeſtrem, decem aut duodecim leucarum à ſe invicem intervallo: utraque majoribus & minoribus piſcibus fœta ſunt, qui inſignem indigenis atque incolis adferunt utilitatem: media regio inter utrumque, mellis & ceræ præbet copiam: nec non goſſypii & Carrobarum; qui fructus optime nutriunt, & omnibus anni menſibus maturantur & durant: nec coccinillæ & glaſti indiga eſt regio, quibus lanas ſuas tingere norunt incolæ. Magna inſuper hic eſt armentorum & pecudum copia: nec non cervorum, aliarumque ferarum: avium omnimodarum præſertim perdicum, palumbiumque ingens numerus. Denique optimæ hic reperiuntur ſalinæ. Oppidani exercent mercimonia ſua laneis & goſſypinis pannis, adeo ut merces hæ nummorum loco uſurpentur, & ulna eorundem utplurimum æſtimatur *dimidio Pezo* ſive quatuor regalibus. Maxima denique illorum pannorum copia ducitur ad oppidum Potoſiam & præfecturam Charcenſem.

(Margin: Eſtero fl.; Salado fl.)

CAP. X.

De oppidis, S. Michaëlis, Talavera, *&* Corduba.

S. Miguël. SECUNDUM Hiſpanorum oppidum in hac præfectura vulgo appellatur *S. Miguel de Tucuman*: Situm eſt ſex aut ſeptem ſupra viginti gradibus, (nam variant ſcriptores) ab Æquatore verſus Auſtrum: viginti & octo leucis ab oppido *S. Iacobi del Eſtero*, juxta viam quæ ad Charcarum provincias ducit, ad radices vaſtorum & aſperrimorum montium, loco opportuno & riguo: nam ab uno latere labitur amnis è montanis deſcendens (quæ juga vulgo *Quebrada de Chalchaqui* nominantur,) qui una cum aliis amnibus & rivulis, qui ad eundem modum, quinque aut ſex leucis ab oppido, de montibus ſe præcipitant, tandem ad flumen devolvitur, quod oppidum *S. Iacobi del Eſtero* præterfluit. Ager hujus oppidi Mayzii, atque adeo tritici, hordeique eſt feraciſſimus, nec vitium impatiens; paſcuis vero ſupra modum abundans, unde hic armentorum pecudumque maxima eſt copia: Plurimum goſſypii linique hic colligitur, è quibus oppidani præſtantes pannos texunt. Aëre fruitur longe optimo & ſalubri, quo cæteris hujus Præfecturæ oppidis longe præcellit. Lignandi ſumma eſt opportunitas. Nec metallorum effœta creditur tellus, ſi indicia non mentiantur.

Talavera. Tertium Hiſpanorum oppidum vulgo appellatur *Neuſtra Sennora de Talavera* & barba-

barbarorum lingua non raro *Eſteco*, jacet autem ad ripam fluminis, quod ſupra diximus appellari *El Salado*; quinque & quadraginta leucis ab oppido *S. Iacobi del Eſtero* verſus ſeptentriones; centum & quadraginta ab Argentifodinis Potoſianis.

Ager illius rigatur à plurimis torrentibus; eſtque goſſypii copia dives, è quo oppidani varios pannos texunt. Abundat præterea melle & cera, diverſiſque tincturis, quibus induſtriè lanas ſuas & pannos inficiunt. Piſcatio atque venatio hic imprimis opportuna habetur. Nullæ metallorum venæ hactenus hic fuerunt repertæ: diſtat ab Æquatore ſex & viginti gradibus, ut proditur ab *Herrera*.

Quartum oppidum Hiſpanorum in hac provincia vulgo dicitur *Corduba*, duobus & triginta gradibus atque triginta ſcrupulis diſtans ab Æquatore verſus Polum Antarcticum. Aëris temperies hic læta eſt & egregiè temperata, æquabili æſtatis hyemiſque viciſſitudine: ager paſcuus & campeſtris, optimuſque armentis & pecori, quod hic maximum cepit incrementum: radit illius latus amnis valde piſcoſus: Seſqui autem leuca ab oppido jacent montes & quamplurimæ amœnæ & cultæ valles; in quibus argenti (ut quidam teſtantur) fodinæ viſuntur. Solum non modo tritici, aliarumque frugum eſt fertile ſed & vitium tolerans: denique & Salinæ hic celebrantur. Corduba.

Conditum eſt hoc oppidum loco commerciis valde opportuno, nam ad ortum habet oppidum *S. Fidei*, quod ad præfecturam *Paraguayenſem*, ſive fluminis *de la Plata* pertinet; ad occaſum urbem *S. Ioannis de la Frontera*, de qua ſupra in præfectura Chilenſi diximus; æquali pene quinquaginta leucarum intervallo diſtans ab utraque. Dein hac iter agunt, quicunque è Peruvia deſcendunt ad Flumen *de la Plata* & oppidum *Buenos Ayres*, ut inde in Hiſpaniam aut ad Braſiliam per mare Atlanticum navigent: quia via haud longa eſt, tuta & ob annonæ copiam & itinerum compendium facilis, & minime ſumtuoſa. Incolitur (quemadmodum accepi à Belga qui illac ſuperioribus annis tranſiit) à trecentis circiter Hiſpanorum familiis qui potiſſimum agris colendis & goſſypinis telis texendis dant operam, & merces ſuas, utplurimum vectant ad Argentifodinas Potoſianas & reliquam Peruviam.

Præterea quum Marchio Cannete Peruviam Pro-Rege adminiſtraret, & filius illius Garſias de Mendoza, hanc provinciam gubernaret, conditum hic erat oppidum, quod vocabant *Novum Londinum*; itemque alterum in provincia *Chalchaqui*, quod *Novam Corduram* dicebant, quæ paucis tantum annis ſubſtiterunt.

Iuriæ & *Diagutæ* populi, qui hic incolunt, laneis veſtibus amiciuntur & nonnunquam armentorum tergoribus bene præparatis: Paſtores ſunt ovium è quarum lanis quæſtum faciunt: pagi illorum quidem ſunt frequentes, ſed exigui fere; nam in illis utplurimum tantum ſingulæ cognationes degunt; colligunt tuguria in orbem & muniunt illa vepretis, ob continua bella quæ crudeliter inter ſe gerunt. Gens eſt laborum valde tolerans, neque ebrietati ita addicta, ut pene ſunt reliqui omnes barbari indigenæ harum regionum.

Cap. XI.

De aliis aliquot oppidis hujus Præfecturæ & provinciarum in quibus jacent qualitatibus.

PORRO *Herrera* libro quinto, capite nono, *Decadis* ſuæ octavæ ſcribit de hac præfectura in hunc modum. In præfectura *Tucumana* degunt pauciores Hiſpani quam neceſſe ſit; nam ſi frequentiores hic incolerent, facili negotio plurimi barbari poſſent ſubjugari, qui nunc in armis ſunt, & provincia hæc locupletiſſima evaderet. præſertim ſi barbari ſubjugati Hiſpanis ad certum tempus attribuerentur & ſervitutem ſervirent, tributaque, uti in aliis Americæ regionibus ſolent, penderent: nam plurimi tum haud dubio Hiſpani Peruvia & vicinis provinciis derelictis, hic ſedes ſuas figerent, & duo inſuper hic condi poſſent oppida: Unum quidem in valle *Salta*, quæ amplitudine & fœcunditate excel- Salta.

 lit,

lit & cœlo fruitur imprimis ſalubri & temperato, ſita viginti quinque gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: agris peramœnis & compaſcuis, nec minus idoneis ad ſementem faciendam ob amnium & rivulorum multitudinem & opportunitatem. Oppidum hîc in meditullio provinciæ conſtitueretur, loco commerciis exercendis opportuniſſimo; puta cum indigenis vallis *Chalchaqui*, *Iuivy* & *Omaguacis*, itemque cum reliquis barbaris, qui longe lateque degunt uſque ad trajectum fluminis *Eſteco*; quique pagos *Caſabindum*, *Socochам*, *Cochincam* & *Moratam* incolunt, denique cum iis populis, qui vulgo *Apatamæ* appellantur. Quid multa? oppidum hoc regionem omnem inter Peruviam & Tucumanam ita tutam & ſecuram redderet, ut vel uni ſoli proclive eſſet inter provincias Peruviam, Tucumanam, & Flumen de la Plata, & ad mare uſque Atlanticum, ultro citroque commeare.

Apatamæ.

Vallis hæc ſita eſt circiter centum leucis ab Argentifodinis Potoſianis, & ſexaginta ab oppido *S. Bernardi* in valle *Tarixa* ſito & denique quinquaginta ab oppido *Talavera*.

Notandum; *Herreram* nuſquam alibi oppidi hujus *S. Bernardi* meminiſſe præterquam hoc loco, neque in deſcriptione compendioſa Indiarum illius mentionem facere; nos autem ſupra oſtendimus ex relatione Belgæ cujuſdam *Tarixam* oppidulum pertinere ad præfecturam Charcenſem.

Pergit *Herrera*. Alterum oppidum condi poſſet eo loco, ubi quondam fuit *Novum Londinum* (quod ob incolarum infrequentiam ſtatim deſertum fuiſſe diximus) juxta viam quæ à Tucumana ducit ad Chilenſem præfecturam. Id enim oppidum conditum fuerat in valle *Quimnibil*, in agro tritici & aliarum frugum fœcundiſſimo, itemque vitium & arborum fructiferarum patientiſſimo. Incolæ, pars gentis *Diaguitarum*, veſtibus amiciuntur, & abundant pecoribus Americanis, nec non, ut ferunt, auri atque argenti metallis.

Didici à Belga illo, (cujus ductum jam ſæpius ſequutus ſum,) ſuperioribus annis, oppidum fuiſſe conditum in valle *Salta*, quod ab Hiſpanis *Villa de Lerma* & plerumque vallis nomine barbaro *Salta* appellatur: itemque alterum in valle *Iuivy* quod *S. Salvatoris* oppidum vocant.

Pergit *Herrera* loco prædicto: Trans juga montium, qui vallem *Taryam* ſeu *Tarixam*, atque *Omaguazam* concludunt, in campeſtribus locis, quæ à radicibus montium ad flumen *Paraguayum* ſenſim declinant; ad ripam fluminis quod ab Hiſpanis *Rio Vermeio* dicitur, operæ quoque precium foret oppidum Hiſpanorum collocari; nam & campeſtri & montana regione frui poſſet; cœlo temperato & fertili imprimis ſolo: adhæc habet regio illa frequentes indigenas & pecorum ſummam copiam: & ſita eſt pari pene intervallo à poſtremis Peruviæ finibus & Præfectura Fluminis *de la Plata*; ita ut oppidum hoc collocaretur ſexaginta leucis ab oppido *S. Bernardi* in valle *Tarya* ſito; totidemque ab oppido *Nueſtra Sennora de Talavera*, neque pluribus ab oppido *Aſſumcionis* ad ripam *Paraguay* ſitæ; denique quinquaginta leucis à valle *Salta* & centum circiter ab Argentifodinis *Potoſianis*. Indigenæque harum regionum ita undiquaque ab oppidis & coloniis Hiſpanorum, veluti indagine cincti, citra controverſiam facilius ad Chriſtianam religionem amplectendam adducerentur, & pacifice inter ſe & cum Hiſpanis agerent: Denique ſecundo flumine *Bermeyo* deſcendi poſſet in *Paraguayum*, atque inde in flumen *de la Plata*, & denique per hoc in Oceanum Atlanticum: compendioſoque juxta ac ſalubri, omniumque rerum abundantiſſimo itinere argentum & aliæ merces è Peruvia in Hiſpaniam traduci: Id oppidum minimo ſumtu & non magno labore condi poſſet ab Hiſpanis qui *Paraguayum* & flumen *de la Plata* accolunt, quia frequentiores ſunt, omnibuſque rebus ad hanc rem neceſſariis, equis, armis, annonaque inſtructiores, & quod rei caput eſt, ipſorum magis intereſt quam *Tucumanorum* viam hanc è Peruvia per ipſorum provincias ad Oceanum aperiri, quippe multo compendioſorem quam per *Tucumanam* aut provinciam *S. Crucis de la Sierra*.

Accepi autem ab eodem Belga: jam ſuperioribus annis oppidum quoddam ædificatum fuiſſe ab Hiſpanis ad ripam fluminis *Bermeyo*; nihilo tamen ſecius, octuaginta

ginta pene ab illo leucarum intervallo, iter per ſolitudinem inſtitui ad oppidum *S. Iacobi*, ab iis qui Potoſiam petunt: Utrum autem hoc oppidum eo ſitu ſit poſitum, quem *Herrera* hic ante deſignavit, mihi non plane conſtat, neque ille ſatis poterat explicare.

Cap. XII.

Iter Belgæ cujuſdam à Buenos Ayres *ad Argentifodinas* Potoſianas, *per provinciam hanc* Tucumanam.

Vt Provinciarum inter ſe connexio & oppidorum diſtantiæ & ſitus melius adhuc percipiantur, operæpretium me facturum exiſtimavi ſi Belgæ cujuſdam iter quod in manus meas incidit, hic adjungerem. Qui à *Buenos Ayres* (inquit) Peruviam aut Chilenſem provinciam petunt, iis iter faciendum eſt per Tucumanam; & quidem primo per urbem *Cordubam*, quæ diſtat à *Buenos Ayres* circiter centum & viginti leucas, itinere plano fere & campeſtri, paucisque arboribus veſtito, præterquam ad ripas amnium, qui in hoc intervallo tranſeundi ſunt, quorum maximus appellatur *Carcaranna*, pari ſexaginta pene leucarum intervallo, diſtans ab utroque oppido, pluribus & optimis piſcibus egregie fœtus.

Licet tamen iis qui Chilenſem provinciam petunt, recta tendere ad oppidum *Sant Ioannis de la Frontera*, relicta ad dexteram urbe *Corduba*; verum ab itinerantibus hæc via rariſſime uſurpatur, nam licet altera multo brevior ſit, utpote haud ſupra centum & decem leucarum, tamen ſolitaria eſt & minus à ferocibus barbaris ſecura, quam illa per urbem *Cordubam*: iter autem utrumque agitur equis, quorum hic copiam reperire eſt, & carris quoque quibus boves junguntur, & merces atque impedimenta imponuntur.

A *Corduba*, extra viam quæ ad Peruviam ducit, circiter centum leucis verſus Arctum & *Paraguayum*, jacet oppidum *Rioxa*, ubi plurimæ vineæ plantatæ viſuntur, & plurimum lini ſeritur.

A *Corduba* (proſequar jam iter inſtitutum) ducit via ad *Sant Iago del Eſtero* metropolim hujus provinciæ, intervallum eſt octuaginta leucarum; ager hujus urbis nemoroſus eſt neque admodum fœcundus, poſtquam fluvius vicinus ripas ſuas tam crebro quam ſolebat ſuperare deſiit, & agros illius limo ſuo fœcundare; itaque & urbs rariores incolas cœpit habere, quum annonæ inopia hic non raro laboretur, & barbaris vix quicquam ad victum ſuperſit præter *Algarobas*, quem fructum hic vocant *Taco*, & uſurpant illum in cibis juxta atque in potu. Barbari autem indigenæ jam plurimum numero ſunt imminuti, deficiuntque quotidie, quia tam crudeliter ab Hiſpanis tractantur, exercent enim illos quotidie magnis laboribus, quorum natura ſunt intolerantes, in goſſypio colligendo, pectendo, nendoque; & ſi vel parum negligentiores fuerint in penſo ſuo diurno præſtando, tam immaniter illos flagellant & cædunt virgis, ut non raro ſub verberibus miſere deficiant & emoriantur. Reperiuntur hic quoque melones & *Tunæ*, de quibus alibi ſatis multa diximus.

Ab oppido *Sant Iacobi* iter inſtitui poteſt duobus modis: uno ad oppidum *S. Michaëlis*; intervallum eſt leucarum viginti quinque: hujus oppidi ager fæcundus eſt, nemoroſus juxta atque paſcuus; unde hic magna armentorum & pecudum, etiam jumentorum reperitur copia: & vilis habetur annona. Altero ad oppidum *Talaveram* ſive *Eſteco*; intervallum eſt quinquaginta leucarum: ſuperato autem fluvio qui *S. Iacobum* præterlabitur, quatuordecim leucarum iter agitur per provinciam aquarum valde indigam, donec veniatur ad flumen *Bermejo*, (quod ab undarum colore rubicundo nomen accepit, cæterum piſcoſum admodum;) hinc deinceps ſecundum ripas fluminis inceditur, uſque ad alterum amnem, qui tranſeundus eſt, bidui fere itinere ab *Eſteco*. In hujus agro naſcitur goſſypium ſumma abundantia: annona tantum modica habetur. R. Bermejo.

Ab utroque oppido tam *S. Michaële* quam *Talavera* proficiſcuntur ad *Iuntas* ſive alio nomine *Madrit*, qui locus diſtat ab illo quidem quinquaginta, ab hoc tantum viginti quinque leucis; nominaverunt autem hunc locum *Iuntas*, quia ambo itinera illa hic rurſus coëunt.

A *Iuntis* ſolebant iter proſequi ad *Saltam*, nunc autem utplurimum petunt *Suſuvy*, vel *Xuxuy*; quorum hoc diſtat à *Iuntis* viginti quinque leucis, illud vero viginti octo vel paulo pluribus. Utrumque autem alluitur à ſingulis amnibus; qui utrique è montibus Peruviæ deſcendunt & petunt magnum flumen *de la Plata*. Diſtat autem utrumque oppidum intervallo duodecim leucarum.

Porro *Salta*, ut hoc oppidum quod jam rarius adiri volunt abſoluam, habet in vicinia, ſed ſatis longo & circiter quadraginta leucarum intervallo, præſtantiſſimas ſalinas, è quibus ſal eruitur pellucidus inſtar glaciei; qui maximo oppidanis trium harum urbium *Iuntarum*, *Saltæ* & *Suſuvy* uſui eſt, ob armentorum copiam, quæ hic mactari & ſale condita ad ſolem ſiccari ſolent, utili commercio cum Peruvianis, & imprimis Argentifodinis Potoſianis.

Porro à *Suſuvy* (vel *Iuiuvy*) proficiſcentibus, annona omnis equis muliſque vectanda eſt; nam tranſeundum eſt deinceps per ſolitudinem omnis annonæ indigam, donec ingrediantur provinciam barbarorum, qui appellantur *Omaguacæ*; Hi imprimis ſunt opulenti & culti; amiciuntur laneis veſtibus, infinitus enim hic reperitur ovium illarum Peruvianarum numerus, quarum lanas & carpere, & dextre nere & texere jam olim noverunt. Provincia illorum magis temperata eſt quam calida, ſi non paulo frigidior: communis illorum cibus eſt Mayzium aut radices papæ.

Iter inſtituitur ad hunc modum. A *Xuxuy* (nam ita quoque ſcribitur) ſecus ripam fluvii ad diverſorium, quod vocant *el Tambo de Don Franciſco* ſunt ſeptem leucæ: In hiſce Tambis, Regis Hiſpaniarum decreto, ſerviunt indigenæ per vices ſuas advenis, præbentque illis gratis ſtramen ſubvehuntque aquam & ligna: iidem & cuſtodire tenentur jumenta & impedimenta, & ſiquid eorum perdatur, rependere.

A *Tambo Franciſci*, ad municipium quoddam barbarorum, ubi alterum eſt diverſorium, leucæ numerantur octo; iter agitur ſecundum ripam fluvii & interdum per ipſum, nam quo altius aſcenderis, eo minor & vadoſior accidit.

Ab hoc oppidulo diſcedentes, fluvius & provincia horum *Omaguacarum*, relinquenda, & editus quidam mons tranſcendendus, deſcendendumque in frigidam & incultam regionem, in qua acriter friget, præſertim menſibus Julio & Auguſto: quare hic ſementem nequeunt facere, & pauca hic reperiuntur animalia, præter Vicunnas & Guanacos, atque Vulpeculas: ſub illo monte autem aditur diverſorium; à quo ad locum, quem vocant *de Pennas* ſeptem numerantur leucæ, hic itinerantibus ſub dio cubandum eſt, inter rupes & ſaxa, unde loco nomen ab Hiſpanis inditum, niſi forte tentorium tecum portaveris. Hinc pervenitur ad *Paragonnes*, hic quoque nullæ ſunt ædes, ſed tantum veteres quædam maceriæ, intervallum itidem ſeptem eſt leucarum.

A *Paragones* ad diverſorium *de Crangejos*, (quod nomen accepit à Carmaris qui ibidem magno numero in torrente quodam reperiuntur) totidem leucæ deſignantur.

A *Crangejos*, ad diverſorium, quod dicitur *La Cenega de Don Diego de Spiloca* totidem numerantur leucæ; eſt autem paludoſa & cœnoſa convallis (uti & nomen ipſius indicat) *Didaci* hujus, viri opulentiſſimi & ſatis induſtrii, (licet indigena ſit) peculium in quo ſupra quadraginta millia armentorum ab ipſo poſſideri ferunt.

A *Cenega* ad *Eſtanciam*, ut vocant, *del Treſorero* ſunt ſex leucæ: Id prædium eſt ruſticum, ubi multa itidem armenta aluntur.

Talina.

Ab *Eſtancia* hac ad diverſorium quod jacet ad ripam amnis *Talinæ* numerant ſex leucas; itinere aſpero & ſatis difficili, nam arduus mons deſcendendus eſt: fluvius autem hic inflatur pluviis menſibus, illiſque tranſitur cum diſcrimine; nomen accepit à municipio Indigenarum ad ripas illius ſito, quod vocatur *Talina*:

Ager

Ager hujus municipii Mayzii atque adeo tritici feraciſſimus prædicatur; ſed aër hic calidior eſt.

Chicarum populorum provincia ſumit hic initium, quæ pertingit ad ipſos fines civitatis Potoſiæ: barbari hi ſic ſatis ſunt culti, & induſtrii imprimis metallici, unde maximus horum numerus in Argentifodinis, utplurimum occupatur: provincia illorum argenti venis ſcatere dicitur, quarum quædam jam eruuntur: magnum quoque ovium Peruvianarum numerum dicuntur poſſidere. Chicæ.

A *Talina* ad *Cenagillam* leucæ itidem ſex numerantur: hæc regio paulum frigidior eſt ſuperiore, paſcitque haud ita magnum numerum armentorum, atque pecorum; à cæno quoque nomen videtur inveniſſe apud Hiſpanos.

A *Cenagilla* ad *Tambillo de Anton genoves*, totidem deſignantur leucæ; eſt autem tranſeundum per oppidulum barbarorum, quod appellatur *S. Iago de Cotagayta*, præterlabitur autem amnis, qui vado tranſiri poteſt: regio hæc rurſus calidiori eſt aëre & nemoroſior.

A *Tambillo* hoc ad fluvium, vulgo *Rio de Toropalca*, deſignantur ſeptem leucæ; fluvius hic itidem nomen accepit ab oppidulo quodam barbarorum, quod alluit, ipſis *Toropalca*. Hic itinerantibus ſub dio ad ripam fluvii cubandum eſt; regio itidem eſt calida & plurimis arboribus amœne veſtita. Toropalca.

A fluvio illo ad barbarorum municipium, quod nominant *Cayſam*, numerantur aliæ ſeptem leucæ; hic pernoctatur in *Tambo*, ubi plurimi ſunt barbari qui advenis miniſtrant, & neceſſaria conquirunt. Cayſa.

A *Cayſa* porro ad alteram *Cenagillam*, ut vocant Hiſpani, iter eſt leucarum novem; hic quoque itinerantibus ſub dio cubandum eſt; regio præterea eſt frigidior & lignorum pene inops.

Porro à *Cenagilla* hac (quæ nomen à re invenit, eſt enim regio paludoſa) ad urbem Potoſiam reſtant tantum leucæ quinque. Atque ita colliguntur ab oppido *Buenos Ayres* ad argentifodinas Potoſianas, in univerſum leucæ trecentæ & quinque ſupra nonaginta ſecundum Belgæ hujus computum: atque hic deſinit provincia *Chicarum*, quæ verſus alias plagas adhuc late patet.

Cap. XIII.

Ratio ejuſdem itineris ſecundum alios.

QUANQUAM Itineris hujus ab oppido *Buenos Ayres* ad argentifodinas *Potoſianas* rationes ſatis accurate à Belga noſtro ſubductas opinor, utpote qui iter hoc abſolverit & ſtudioſe litteris conſignaverit: tamen non putavi prætereundum, diſtantias oppidorum paulo aliter ab aliis deſignari, qui non minus ſe illud iter egiſſe profitentur. Ii deſignant inter oppida *Buenos Ayres* & *Cordubam* intervallum centum & quinquaginta leucarum, quod triginta leucis ſuperat noſtratis computum. Teſtanturque iter eſſe planum, & facile; & ſingulis quinque, ſex aut ſeptem leucis ad ſummum reperiri ruſtica prædia, aut commoda diverſoria, omniſque annonæ abundantiam; barbaros denique ubique, & minime malos, & utplurimum inermes. Totaque hac regione paſſim plurimos equos equaſque vagari; indomitos quidem illos, ſed qui facile à barbaris capiantur & venundentur octo aut duodecim regalibus, neque difficulter ab Hiſpanis domentur: In oppido *Corduba* denique reperiri plures & præſtantes mulos, & currus qui à bobus trahuntur; eam habitari circiter à quingentis aut ſexcentis Hiſpanis, paucis Nigritis, pluribuſque indigenis illarum provinciarum.

A *Corduba* ad *S. Iago del Eſtero* itidem eſſe intervallum centum & quinquaginta leucarum quod ſane ſeptuaginta leucis intervallum à noſtro proditum excedit, ita ut hos potius falli exiſtimem, quam illum.

A *S. Iago* ad *Eſteco* ſive *Talaveram*, numerant illi quinquaginta leucas, in quo jam plene conveniunt cum noſtro.

Ab *Eſteco* ad *Xuxuy*, numerant alias quinquaginta leucas, in hoc quoque non male convenientes cum noſtro, aut parum ſaltem differentes.

A *Xuxuy* ad urbem *Potoſiam* deſignant centum leucas; in quo tantum à noſtro differunt quinque leucis; quæ differentia non eſt magni momenti.

Hi autem in univerſum colligunt inter *Buenos Ayres* & *Potoſiam* leucas omnino quingentas, qui calculum noſtratis nimium excedunt; neque mihi ſit veriſimile tantum intervallum eſſe poſſe, aut noſtratem tam inſigniter in ſuis rationibus falli potuiſſe; ita ut illum ſequi malim, quam hoſce; idque eo magis quod orarum ad utrumque mare ſitus, nequaquam videatur hic tantam Continentis latitudinem ferre poſſe. Sed ſuum cuique ſit judicium donec controverſia liquidius decidatur.

Atque ita deſcriptionem Mediterraneæ Provinciæ *Tucumanæ* abſoluimus, quam conſulto diſtuleramus ad hunc locum, ut Provinciæ huic, quam jam tractamus, lucem aliquam affunderet, atque una opera, cohærentiam provinciarum apertius deſignaret, & itinera, per quæ in Peruvianas provincias inde à mari Atlantico penetratur, explicatiora lectoribus redderet. Nunc ad Provinciam *de la Plata* quæ hujus libri ſubjectum eſt revertemur.

Cap. XIV.

Ora maritima Præfecturæ Fluminis de la Plata, *inde à Promontorio ſeptentrionali magni illius Æſtuarii ad Braſiliam uſque.*

ORa pene univerſa Præfecturæ hujus *de la Plata*, uſque ad Braſiliam, tantum obiter adhuc cognita eſt, ita ut diverſa plane à variis diverſarum nationum ſcriptoribus de illa tradantur; quorum delectum habentes, longe optimum putavimus ea tantum referre quæ ab *Emanuele de Figueredo* Luſitano in itinerario nautico, atque à *Theodoro Reutero* noſtrate traduntur, ſiquidem illi accuratiores in hac opera exiſtimantur.

Figueredus itaque à Promontorio *S. Mariæ* ad portum *S. Petri* numerat leucas ſeptuaginta, nec ullorum locorum meminit intermedio ſpatio: *Reuterus* vero deſignat ab eodem promontorio, ad alterum *Terræ Cornu*, cui duæ inſulæ objacent, leucas decem: harum inſularum una illi vocatur *Ilha des Caſtilhos*, à forma arcis quam eminus exhibet: diſtat ab Æquatore verſus Meridiem quatuor & triginta gradibus & quadraginta ſcrupulis; ab Inſula de *Caſtilhos* ad *Mar-manſo* leucas ſex ſupra viginti; à *Mar-manto* denique ad magnum flumen, quod idem eſt cum portu *S. Petri* itidem leucas ſex & viginti; omnis hæc ora ſternitur pene inter Africum & Aquilonem, eſtque arenoſis tumulis paſſim obſita: ita ut rationes utriuſque hic diſcrepent leucas octo.

Flumen hoc *Grande* ſive *S. Pedro*, anguſtum quidem habet oſtium, ſed intus diducit ſe latius, aſcenditque verſus Corum, ad provinciam uſque illorum barbarorum quos vulgo vocant *Patos*, ita ut hoc flumen inter meliora & altiora, navibuſque opportuniora merito recenſeatur.

Poſt portum *S. Petri* ſive *Rio Grande* recenſet *Figueredus* fluvium *Tamarandahu*; incerto intervallo, ſed intervallum prodit noſter *Reuterus* leucarum decem.

A *Tamarandahu* ad *Rio Iboipetinhi* numerat *Figueredus* quatuordecim leucas & ſemiſſem; ab eo ad *Araranguam* decem, & quinque porro ad fluvium de *Lagoa*: verum *Reuterus* noſter ſtatuit à *Tamarandahu* ad *Araranguam* quatuordecim leucas; & ab illa ad *Lagoam* novem; manifeſto iterum diſcrimine. *Lagoa* dicitur aliis portus *de Biaza*, tantum minoribus navigiis patens ad latus quod verſus Auſtrum inclinat, exiguam inſulam habet objectam, quam vulgo vocant *Reparo*, ſub qua anchoræ commodiſſime in receſſu quodam ſinus figuntur.

A *Lagoa* ad *Vpabam* numerat *Figueredus* quidem octo leucas, *Reuterus* autem tantum ſex; vocatur quoque ab Hiſpanis *Barra de Ibuaſup*, & *Rio de Vpaba*; amnis ore

quidem

quidem minus lato, neque ſupra ſex palmos alto, interius tamen luculentior & alicujus nominis; ad hunc enim Patorum barbarorum de quibus ſupra diximus, terras deſinere volunt Hiſpani.

Ab *Vpaba* ad Inſulam *S. Catharinæ* numerat *Figueredus* decem leucas, è cujus regione ex ora continentis egreditur *Rio de Patos*, novem & viginti gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: *Reuterus* vero conſtituit inter *Vpabam* & *Rio de Patos* tantum ſeptem leucas, ex adverſo Auſtralis Anguli Inſulæ *S. Catharinæ*. R. de Patos.

Vniverſa hæc ora quam hactenus obivimus, habitatur à barbaris Anthropophagis quorum plerique infenſiſſimi quidem ſunt Luſitanis; ſed nihilominus & omnibus Europæis merito cavendi; maxime tamen metuendi ſunt aliis Europæis, ii qui Luſitanis jam obnoxii ſunt facti. Abſtinendum denique navigantibus omnibus ab hac ora à menſe Martio ad Auguſtum, hiems enim tum eſt in hiſce regionibus; iiſque menſibus & acre frigus ſentitur hic, & validæ accidunt ventorum tempeſtates, creberrimique nimbi, & mare ſupra modum fluctuat.

Porro Inſula hæc *S. Catharinæ*, patet in longitudinem quidem inter Auſtrum atque Arctum circiter octo leucas; ad latus ejus Orientale ſtatio nulla eſt opportuna, niſi forte ſub minutâ quadam Inſula, quæ Auſtrali illius Angulo adjacet, vocaturque *Iſla de Arvoredo* (quia crebris arboribus cernitur veſtita) navigantibus peropportuna ob aquandi & lignandi commoditatem, quæ alioquin ad hanc oram admodum rara eſt. S. Catharinæ Inſ.

Ab Inſula *S. Catharinæ* ad alteram Inſulam quam vocant *Galen*, numerant tres leucas; ad Continentem autem à Promontorio *Mandivi* verſus Auſtrum, ſignatur ſinus quidam plurimis inſulis refertus qui barbaro nomine appellatur *Toyugua*: Promontorium autem illud diſtat ab Æquatore octo & viginti gradibus, atque quindecim ſcrupulis, verſus Auſtrum.

A *Mandivi* Promontorio (ſecundum *Figueredum*) verſus Corum ſecundum orarum ductum navigantibus occurrit ſinus, quem Luſitani nominant *Euſeadam de Garoupas*, & porro edita ora uſque ad fluvium qui appellatur à barbaris *Tajahugh*; intervallum eſt leucarum ſex.

A fluvio *Tajahugh* ad fluvium *S. Franciſci* leucarum ſeptem & viginti intervallum proditur: medio autem ſpacio egreditur è Continente fluvius *Tapuca*.

Reuterus autem noſter numerat à Promontorio illo *Mandivi* ad fluvium *Tajahugh* quinque tantum leucas, ora diducta hic inter Africum & Aquilonem. Scribitque Continentem intermedio ſpacio admittere ampliſſimum quendam ſinum *Garoupas* dictum: fluviumque *Tajahugh* diſtare ab Æquatore verſus Auſtrum octo & viginti gradibus.

Tajahugh amnem ſequitur ad eandem oram fluvius *Tapuca*, quem hactenus non ſatis luſtratum à quoquam fuiſſe invenio.

A *Tapuca* ad fluvium *S. Franciſci* numerat *Reuterus* noſter leucas duodecim, inter Corum & Eurum: fluvius autem hic *S.Franciſci*, duo habet oſtia, quæ ad mare patent duas leucas, injacent autem tres inſulæ ſecus quas & ab Auſtro & ab Arcto naves ingrediuntur: Canalis qui ab Auſtro intrat peculiari nomine à barbaris appellatur *Aracari*, qui vero ab Arcto ſubit *Bopitanga*; raro admodum aditur hic fluvius à navigantibus.

A fluvio *S. Franciſci* ad Lacum *de Parnagua*, ut vocant, ſunt duodecim leucæ ſecundum *Reuterum*; aut ſecundum *Figueredum* quindecim: jacet ad altitudinem quinque & viginti graduum & decem ſcrupulorum, aut ut *Figueredus* obſervat quadraginta ſcrupulorum. Lacus hic *de Pernagua* ſitus eſt in montanis *Pernapiacabæ*, patetque in longitudinem ſecundum littus quinque aut ſex leucas; tres omnino canales ex illo egrediuntur in Oceanum; quorum maxime Auſtralis appellatur à barbaris *Ibopupetuba* ſex orgyas in ipſo ore altus, & circiter leucam unam intra oſtium ſtationem habens peropportunam: medius qui ab hoc diſtat unam duaſve leucas verſus Arctum vocatur *Bayſaguaçu*, in ipſo aditu circiter quinque orgyas altus; tertius qui circiter mediam leucam aut duo milliaria communia à medio diſtat, dicitur *Suparabu*, circiter ſex orgyas in oſtio altus.

A *Lacu de Parnagua* ad *Ararapiram* numerant quinque aut ſex leucas: fluvius itidem eſt ita barbaris appellatus, circiter quatuor orgyas in ipſo ore altus. Hæc regio abundat omnis generis annona, & pluribus atque optimis fructibus; aquatio hic peropportuna. Indigenæ infenſiſſimi eſſe dicuntur Luſitanorum hoſtes, ita ut ab iis ſit cavendum omnibus, præterquam illis qui ſe Hiſpanorum hoſtes profitentur; his enim ſupra modum favent. Hic fluvius egreditur in Oceanum juxta Auſtrale Inſulæ *Cananeæ* cornu, quæ hic ſinum quendam implet: ſecundum cornu autem ejuſdem quod Arctum adſpicit, ingrediuntur naves flumen, quod barbari vocant *Itacuatiaram*, ubi principalis ſtatio *Cananeæ* eſſe dicitur; oſtium illius altum eſſe prædicatur orgyas quinque.

Figueredus ſtatuit intervallum inter *Ararapiram* & *Itacuatiaram* (de quibus jam diximus) ubi Luſitani jam incolunt, duas leucas & ſemiſſem.

Ab *Itacuatiara* porro ad fluvium qui à barbaris appellatur *Vguaa*, numerant decem leucas; fluvius hic in ipſo oſtio altus eſſe dicitur orgyas quinque, itaque majoribus navigiis haud importunus judicatur.

A fluvio *Vguaa* ad *Capivarii* numerantur decem leucæ ſecundum *Reuterum*, aut duodecim ſecundum *Figueredum*, ora jacente hic inter Aquilonem & Africum. Atque hic fluvius tantum duo milliaria diſtat à Præfectura *S. Vincentii* ubi Braſilia incipit, patetque verſus ortum, in oſtio haud ſupra tres orgyas altus.


Figueredus nos docet ad ripam hujus fluvii jam incolere Luſitanos, in municipio quod ipſis appellatur *Nueſtra Sennora de Concepcion*; ſtationem autem navium appellari à barbaris *Itatiaeno*.

Atque ita oram maritimam præfecturæ *de la Plata*, quæ à magni fluminis æſtuario, ſive Promontorio *S. Mariæ* ſe longo intervallo porrigit ad provincias uſque Braſiliæ abſolvimus; in qua nihil memorabile occurrit; & nos convertemus ad notiora, & ipſius Braſiliæ nobiliſſimæ provinciæ deſcriptionem.

DESCRIPTIO

RPJCB


1 Abra de San Victoriana
2 Roca partida
3 Porto de S. Amaro
4 C. de Sta Catalina
5 C. de la roja
6 Pta de S. Auguſtin
7 Po de los inocentes
8 Po de los Reyes
NIE
WE
ZVYD
ZEE
ZVYDT
I. de Diego Raimires
C. Hoorn
yas de S. Ilefonço
I. de Gonçalo
Barnevelds eylanden
Po del buen ſuceſo
C. del Bartolome
Staten landt
Straet le Maire
Mauritius landt
C. de S. Ines
C. de Peñas
Entrada de S. Sebaſtian
Tierra del Fuogo
Muſſelcove
Riddersbay
C. deſſeada
Clipbay
Beſſotenbay
C. de la Victoria
C. de quade
S. Ierome chanael
C. Gallant
Cordes bay
C. Hollande
C. Froward
Moſſelbay
Porto famine
Elyſabeths eylandt
tweede naw
Eerſte naw
Pta de la poſſeſſion
Rio de Gallegos
C. de las Virgines
Straet van Magallanes
Sebold de Waerdts eylanden
Rio de la Cruz
C. de las bareras
Morro de S. Ynes
B. de San Iulian
yas de S. Dionizio
Sierra Nevada
Ancon sin salida
Serrania
Abra de S. Gullen
Pta del gada, o C. Corço
MAR DE
Anglicæ leucæ
Hiſpanicæ leucæ
German. milliar.
WE
OO


PROVINCIÆ SITÆ
AD FRETVM MAGALLANIS
itemque
FRETVM LE MAIRE.
CHILI.
Castro
Pr. de Ancud
C. de Diego Gallego
Pº de S. Domingo
Pº S. Steuan
C. de S. Andres
C. S. Iorge, C. Blanco, Barrancas blancas
Rio de los Camarones
C. de S. Elena, C. de Matas
Ancon de Sardinas
Cabo Redondo
Puerto de los Leones
Bahia sinfondo
Coſta deſierta
Punta de Tierra llana
B. Anegada
Coſta de Baixas
Cabo de S. Andres
C. das arenas gordas
R. de S. Anna
C. de S. Antonio
NORTE
NOORDT
47 46 45 44 43 42 41 40 39 38 37

05097-M12

RPJCB

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER DECIMUS QUINTUS.

BRASILIA.

Cap. I.

Braſiliæ *limites, ejus prima inventio, cœli ſolique qualitates.*

BRasiliæ nomine comprehenduntur ampliſſimæ provinciæ in Continente Auſtralis Americæ, qua ortum Solis ſpectat, juxta oras Oceani Atlantici expanſæ: Ejus autem limites variè à diverſis deſignantur; Hiſpani enim (& inter illos *Antonius de Herrera* Coſmographus Regis Hiſpaniarum) longitudinem illius concludunt, intra vigeſimum nonum & trigeſimum nonum gradum; computatione graduum longitudinis à Meridiano Toletano in occidentem producta; idq; ex pacto inter Caſtellæ & Luſitaniæ Reges quondam inito; ita ut linea ſeparationis à Promontorio quod vocant *de Humos* (ad Mare Septentrionale & ſecundum gradum latitudinis Septentrionalis ſito) per inſulam *Buenabrigo* (ad vigeſimum quintum gradum latitudinis Auſtralis, Continenti objectam) deducta, ducentas leucas, ubi latiſſime patet, à Continente Meridionalis Americæ præcidat, & Braſiliæ provinciis & Portugalliæ Regis portioni relinquat.

Portugalli vero producunt limites illius paulo ulterius, eandem lineam ſeparationis per oſtium fluminis *Marannon* ab arctoa plaga; ab Auſtrali vero per Fluminis *de la Plata* ingens æſtuarium deſcribentes.

Hujus differentiæ cauſas paulo altius repetens, invenio quidem à Romano Pontifice Alexandro, certos limites Caſtellæ Regibus aſſignatos, cujus Bulla donationis, ut vocant, ita ſe habet: Omnes inſulas & terras firmas, inventas & inveniendas, detectas & detegendas verſus Occidentem & Meridiem, fabricando & conſtruendo unam lineam à Polo Arctico, ſcilicet ſeptentrione, ad polum antarcticum, ſcilicet Meridiem, ſive terræ firmæ & inſulæ inventæ vel inveniendæ ſint verſus Indiam aut verſus aliam quamcunque partem; quæ linea diſtet à qualibet Inſularum quæ vulgariter nuncupantur *de los Azores* & *Cabo Verde* centum leucis verſus Occidentem & Meridiem. Itaque omnes inſulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ à præfata linea verſus Occidentem & Meridiem, quæ per alium Regem aut Principem Chriſtianum non fuerint actualiter poſſeſſæ, idque ad diem Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti proxime præteritum, à quo incipit annus præſens milleſimus quadringenteſimus nonageſimus tertius, quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos veſtros inventæ aliquæ prædictarum inſularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in Beato Petro conceſſa ac vicariatus Ieſu Chriſti, qua fungimur in terris, cum omnibus illorum dominiis, civitatibus, caſtris, locis & villis, juribus & jurisdictionibus ac pertinentiis univerſis, vobis hæredibuſque & ſucceſſoribus veſtris (Caſtellæ & Legionis Regibus) in perpetuum tenore præſentium donamus, cōcedimus, & aſſignamus &c. Hanc donationem quum Rex Portugalliæ in ſuum præjudicium factam conquereretur, inter utrumque Regem convenit per legatos, ut linea illa ſeparationis ducentas & ſeptuaginta leucas à conſtitutis in *Bulla Papali* terminis ad occidentem promoveretur, ultra quam verſus occidentem omnes inſulæ & Continens Caſtellæ Regi cederent, verſus Orientem autem Regi Portugalliæ; orbe univerſo

in

in hunc modum æqualiter inter ſe diviſo; ſupererat tantum ut Geographi periti, ſecundum hæc pacta & conventa intra decem menſes certos limites utrobique conſtituerent: verùm eouſque cunctatum, donec ingens diſſidium de *Moluccarum* Inſularum poſſeſſione inter hos Reges ortum, hanc dimenſionem ad amuſſim ſuaderet revocare: id, teſte *Herrera* anno cIↄIↄxxiv quidem tentatum, ſed non abſolutum, quia Caſtellanorum & Portugallorum Geographorum principia & dimenſiones plurimum inter ſe diſcrepabant; Portugalli enim ab Inſula *Salis* (quæ inſularum capitis viridis maxime Orientalis) trecentas ſuas & ſeptuaginta leucas verſus occidentem ordiebantur, exiguam jacturam exiſtimantes tot leucas in Continente Americæ amittere, ut eaſdem rurſus ad Orientem lucrarentur & *Moluccas* limitibus ſuis includerent: Hiſpani vero contra ab Inſula *S. Antonii*, quæ circiter nonaginta leucas magis declinat ad occidentem. Neque de latitudine Continentis Auſtralis Americæ, inter *Portoveyo* ad oram maris Auſtralis, & Promontorium *S. Auguſtini* ad mare Atlanticum, ubi latiſſima vulgo æſtimatur, melius inter utroſque conveniebat; quum Hiſpani interſtitium illud uno & quinquaginta gradibus, Portugalli quinque & quinquaginta definirent; utrique Regis ſui cupiditati obedientes, hi ut *Moluccas* limitibus Regis ſui includerent, illi vero, ut Portugalli finibus excluderent. Quid multa? quum inter ſe convenire atque in unam ſententiam deſcendere nollent, ita diſceſſum eſt, ut Portugalli lineam ſeparationis per oſtium Fluminis *Marannon* ab una, & Æſtuarium fluminis *de la Plata* ab altera parte ducendam pertenderent: Caſtellani autem ab eodem quidem oſtio ab una, ſed per oſtium fluminis *S. Antonii* & *Organa*, ut vocant, ab altera: ita non modo Æſtuarium fluminis *de la Plata*, ſed & magnam partem Continentis ad ſinum uſque *S. Vincentii* Portugallis adimerent. Verum hæc lis mox per aliud pactum inter Reges initum procraſtinata, tandem autem utroque Regno ad unum Principem devoluto, plane obſolevit. Quæ compendio hic retulimus, quia vulgo minus ſunt cognita & à quibuſdam ſcriptoribus longè aliter prodita fuerunt.

Porro hæc Regio, ſi *Herreræ* credimus, primum auſpiciis Regum Catholicorum fuit detecta à *Vincentio Ioannis Pinçono* & mox à *Didaco de Lepe* anno cIↄ Iↄ. *Catrabis* autem eodem pene tempore auſpiciis Regis Portugalliæ ad illam caſu delatus (quippe cum claſſe in Indiam Orientalem contendens & longius in altum provectus ut Guineæ littora vitaret, ad oppoſitam Auſtralis Americæ continentem ventorum violentia & fluctuum impulſu fuit deductus) provinciæ *Sanctæ Crucis* nomen impoſuit; quod poſterior ætas in Braſiliæ etymon vertit, ob rubri illius ligni, toti jam Europæ notiſſimi copiam atque præſtantiam, quæ huic regioni pene ſingularis.

Licet autem hæc Regio pari pene intervallo ab Æquatore diſtet verſus Polum Antarcticum cum Peruvia, & ab Oceano Atlantico & ſeptentrionali maxima ſui parte alluatur, tamen magis æſtuat & ſupra modum humida eſt crebriſque pluviis & nivibus obnoxia, cælum plerumque nubilum & ſolum denſis lucis ſiluiſque opacum difficulter admittit radios ſolares, unde & inſalubrior eſſe à multis judicatur, & maximam venenatorum animalium & inſectorum nutrit copiam: Alii contra. Regionem imprimis amœnam, cœli admodum jucundam & ſalubrem tēperiem prædicant, lenibus ab Oceano auris (quas veteres *Tropæos* ventos vocabant) afflantibus, quæ matutinos vapores tempeſtive diſcutiunt, & ſerenos reddunt dies, caloremque mitigant.

Solum partim in planiciem ſternitur, partim in colles clementer aſſurgit, non raro & in vaſtos præruptoſque montes attollitur; præpinguis & fertilis glebæ & cum aliorum fructuum, tum Sacchari cannarum imprimis ferax; è cujus proventu Portugalli maximum quæſtum faciunt: de cæteris terræ dotibus aut vitiis, cœlique bonitate aut inclementia, in deſcriptione particularium provinciarum poſtea dicemus: ſed recentioris ſcriptoris Luſitani, judicium hic præterire non poſſum, cujus commentarius nuper Anglicè in Anglia prodiit.

Clyma (inquit) Braſiliæ fere eſt temperatum, aër ſalubris, ita ut homines hic nonaginta & centum interdum annis vivant; communiter hic neq; æſtuat neque friget cœlum valde ſerenat, præſertim noctu; Lunæ autem ſplendor noxius; crepuſculum pene nullum, nam ſtatim cum aurora emergit Sol; eadem veſperæ ratio. Hyems menſe Martio incipit, deſinit Auguſto; dies nocteſque hic pene æquales. Solum

autem

autem triſtius & uliginoſum ob nimiam humiditatem, quæ ipſi accidit à pluviis & fluviis qui ripas ſuas interdum egrediuntur; nam hybernis illis menſibus crebro hic pluit; ſylvæ ingentes, perpetuoque virentes: Regio montana præſertim qua Oceano alluitur: à *Pernambuco* ad *Spiritus Sancti* præfecturam, rariſſima inveniuntur ſaxa in ulteriori parte integri montes grandibus ſaxis & ſilicibus veluti ſtrati. Materiæ ad veſtimenta pene eſt inops, quum ſolum goſſypium ferat, omnium alioqui quæ ad vitam humanam requiruntur opulentiſſima. Hæc ille.

Quum hujus judicio, ſatis conveniunt noſtrates, qui in *Pernambucenſi* præfectura jam ſedes figere cœperunt, nam cæli temperiem laudant, neque de immodico æſtu conqueruntur, niſi paucis dietim horis; hybernis autem menſibus hic crebras pluvias & nimbos accidere, & validas quoque, ad oram præſertim, ventorum tempeſtates. Sed de hiſce ſuis locis dicetur opportunius.

Cap. II.

De Religione, ingeniis & moribus Braſilienſium *in Communi.*

BRASILIENSES Barbari nullum pene habent Religionis ſenſum, nec de origine aut creatione hujus univerſi quicquam norunt, de diluvio obſcure & fabuloſum quiddam recordantur; quippe mortalibus omnibus aqua hauſtis, ſuperfuiſſe unum aliquem cum ſua germana, jam uterum ferente, atque ab iis rurſus ſuum genus originem atque incrementum accepiſſe. Neque Deum ullum noverunt neq; adorant quicquam, unde nec ullum nomen in ipſorum idiomate reperire eſt quo Deum exprimas: Tonitru & fulgur vocant *Tupan*, illi ſe ligones atque agriculturæ ſcientiam profitentur debere, atque ideo pro numine aliquo agnoſcunt: cælum aut inferos poſt hanc vitam pariter ignorant, licet animas poſt ſeparationem à corpore ſupereſſe credant atque nonnumquam in dæmones converti & ad campos irriguos, variiſque arboribus amæne conſitos traductas ibidem perpetuo choreas ducere.

Spiritus malignos impenſe metuunt, quos *Curupira. Taguain, Pigtangua, Machera, Aukanga*, vocant, ita ut interdum imaginario & vano illorum terrore ſubito exanimentur: nec tamen ullis ceremoniis aut idolis venerantur: quidam nonnunquam ſtipitibus ſolo defixis & muneribus quibuſdam juxta poſitis illos nituntur placare: rarius hi ſpiritus viſibiliter inter illos comparent, licet multi ſecus prodiderint.

Habent & ſagas, quibus tamen vix aliter quam medicis utuntur, & valetudinis recuperandæ gratia valde ſunt obnoxii: interdum & inter ipſos reperiuntur homines nequam, qui magicarum quidem artium rudes, ſed ludendi & ductandi miſerorum animos gnari, inſolitis quibuſdam corporis jactationibus & geſticulationibus ſui admirationem excitant & falſis quibuſdam miraculis ſibi fidem conciliant: *Caraibas* vocant Barbari: Illi popularibus ſuis, interdum & integris provinciis, perſuadent culturam agrorum penitus omittere, veniſſe enim tempus, quo tellus omnia ſua ſponte ipſis ſit productura, ipſæque feræ ultro pabulum ipſis allaturæ; his aut ſimilibus næniis miſeros hoſce, natura ſua plerumque deſides, ita infatuant, ut neglecto terræ cultu, ſenſim commeatu deſtituantur, præque inedia deficiant, donec *Caraiba* aut ſolus ſuperſit aut à ſuis, dolum perſentientibus, trucidetur.

Uxores multas aſſumunt & leves ob cauſas rurſus dimittunt: Adoleſcentes autem non temere ducunt, antequam hoſtem aliquem manu ceperint atque occiderint: nec virgines præterquam jam puberes facile cum maribus miſcentur: utrique ad illud tempus abſtinent vino, quod barbari illi conficiunt è radicibus *Maniot* & Mayzio, vocantque ſuo idiomate *Caou-in*, ut tradit *Lerius*; lecto penſili reticulato, beneque mundo connubia firmantur: Pater aut Socer matrimonio jam conſummato, acuta ſilice palum ligneum cædit, nepotum procreandorum caudas ſe hoc facto amputare ſomniant, atque ex eo ſine caudis naſci. Religioſi cujuſdam Luſitani fide hæc refero, qui admodum nuper hæc prodidit.

Cibum capiunt noctu atque interdiu, neque ſtata tempora obſervant, neque in veſcendo modum, ubi annona abundat, large, nulla in futurum ſollicitudine & ipſi genio indulgent, & vicinis atque amicis impertiunt: liberalitatis laudem impenſe ambiunt, neque ullum vitium pejus oderunt aut ignominioſius ducunt quam avaritiam,

ritiam, quum deeſt victus, inediam & ſitim ad miraculum tolerant. Carnibus & piſcibus indiſcriminatim utuntur, neque ab immundis animantibus, anguibus, bubonibus, gliribus, vermibus atque inſectis abhorrent; omnibus fructibus, præterquam quos uſus noxios & exitioſos comprobavit, utuntur; nec facile pocula dapibus permiſcent, ſed poſt cibum aut aquam aut potionem è variis frugibus & fructibus confectam hauriunt, tanta aviditate, ut non raro ebrii decumbant. Feſtivis ſuis diebus, compotationes ſine ullo cibi uſu, in biduum aut triduum producunt & cantilenis oſtiatim oberrantes, vicinos ad ſympoſia ſua invitant, ubi ſaltationibus & potionis illius medicatæ hauſtibus ita interdum efferantur, ut à rixis ad verbera & pugnas, adulteriaque & alias immunditias devoluantur. Illotis manibus diſcumbunt humi, & cibum primoribus digitis ori non tam ingerunt quam injiciunt. Retibus ex Goſſypio affabre elaboratis, pro lectis utuntur, ea aut ſub dio aut ſub tectis ſuis inter duos ſtipites ſuſpendunt, & accendunt juxta pyram, adverſus noxios vapores ex humo aſcendentes, quæſito remedio.

Prorſus nudi, fœminæ pariter atque mares incedunt, nullo pudore: corpora autem variis coloribus & pigmentis illinunt, præſertim herbæ cujuſdam ſucco, quo nigredinem ſibi conciliant, cui mox lineamenta varia candido colore ſuperinducunt & veſtimentorum quoque formas æmulantur. Diademata, coronas, collaria, brachialia atque alia corporis ornamenta ex avium plumis ſingulari elegantia, artificioſe concinnant, quibus immodice delectantur. Capillum capitis ſolummodo alunt, reliquo corpore evellunt radicitus pilos: viri quidem diverſis modis ſe tondent, nunc in coronam, nunc in aliam formam; idque tanta varietate, ut gentes inter ſe tonſuræ forma diſtinguantur; fæminæ vero promittunt comas, niſi quum aut lugent, aut marito peregre profecto, deſiderium illius comæ depoſitione teſtantur: viri non facile comam alunt, niſi quum alicui aut admodum irati ſunt aut infenſi. Crinibus ſunt ut plurimum nigris lævibus atque depexis. Iam autem nonnulli barbarorum veſtibus cæperunt uti, uſus magis quam honeſtatis cauſa, vel quia à Luſitanis coguntur; nam & neglectim illas ferunt, & levi de cauſa omittunt rurſus.

Tuguria è trabibus atque tignis ſibi ædificant & contegunt foliis palmarum, ducentos & nonnumquam trecentos palmos longa & in multas manſiones particulatim diſtincta potius quam diviſa: quibus familiæ non raro quinquaginta, interdum & plures ſe continent, juxta ſuum quæque focum cum ſuis penſilibus lectulis tendentes. In ſingulis autem ejuſmodi domibus, unus è ſenioribus cæteros moderatur & mane è lectulo ſuo veluti è ſuggeſto alta voce concionatur, & edicit quæcunq; illo die à ſingulis agenda ſunt. Et poſtquam ſurrexerit, eodem modo per viciniam concionabundus diſcurrit; more derivato, ut ipſimet prædicant, ab ave quadam (quæ accipitri haud abſimilis videtur,) quam mane cantu ſuo reliquas aves excitare volunt, & propterea vocant Reginam volucrum.

Fœminæ pariunt humi projectæ; infantem aut pater, aut amicus quidam, quem ſibi veluti compatrem delegerint (nam & hanc conſuetudinem obſervant) attollit humo; deinde Pater umbelicum aut dentibus præmordet, aut acuta ſilice præcidit; deinceps jejunium ſibi indicunt, donec vulnus coaluerit, & in octavum, ut plurimum diem: fæminæ ſtatim à partu ad fluvium aut torrentem deſcendentes, abluunt ſeſe frigida; lactantque infantes ſuos annum integrum, & interdum diutius, nullum præterea cibum exhibentes: quare ſupra modum illos diligunt & quocunque incedunt, in reticulo (quod *Tupuia* ab ipſis appellatur) ſupra dorſum pendulos circumgeſtant: ſedulò autem cavent ne ejulentur, ideoque nullatenus eoſdem caſtigant.

Sortilegiis immodice indulgent hæ gentes, goſſypinis pannis capita obvelantes & ſtipites palmis ſuis contegentes atque fricantes. Beneficia in liberos ſuos collata longe potiora habent, quam ſibi ipſis præſtita, ideoque & Patres ſocietatis unice venerantur ob ſuorum in liberalibus artibus & diſciplinis inſtitutionem.

Advenas atque hoſpites lachrymis excipiunt atque ejulatu, in hunc fere modum: Poſtquam tectum ſubjerit hoſpes & in lectulo penſili conſederit, materfamilias, filiæ & reliquæ domeſticæ crinibus ſolutis ſe circumfundunt, & manibus hoſpitem contingentes, planctum ſuum ejulatu & uberibus lachrymis ordiuntur; flebilique

voce

voce & barbaro carmine, quæcunque illis antequam adveniret, contigerint, quæque ipſi in itinere obvenerint, vera fictaque enarrant: ille ſilet interea; planctu demum abſoluto & deterſis lachrymis ad hilaritatem denuo ſe componunt, ſalutant peramice advenam, cibum potumque apponunt & tum demum prolixe cauſas adventus ſui explicantem audiunt. Nihil denique magis ambiunt hæ gentes, quam laudem hoſpitalitatis, ideoque & peregrinos omnes perhumaniter excipere, alere & munuſculis quibuſdam demereri ſatagunt. Quia autem nummis deſtituuntur, permutatione rerum inter ſe contrahunt. Potu utplurimum bene de ſe meritos remunerant; nam ubi aut ager colendus aut aliud quid operis faciendum, cui pater familias per ſe non ſufficit, potum ante omnia parat, deinde vicinos omnes in auxilium advocat, quibus negare religio eſt, quumque ad horam decimam matutinam uſque laboribus ſe defatigaverint, domum revertuntur, & reliquum diei conſumunt potando, proximis diebus ad eundem modum, donec opus abſolverint.

Uxores ſuas ſic ſatis diligunt hi barbari, neque facile illas verberibus aut alia aliqua injuria afficiunt, niſi forte aliquando nimium poti; verum magnam illarum gerunt curam. unà plerumque prodeunt in publicum, & ſi in agrum proficiſcendum ſit, præcedit vir, ſequitur uxor, ut, ſi fera aut hoſtis aliquis fortè occurrerit, dum vir ſe defendit, fœminæ tempus largiatur, domum ſe recipiendi; ſi vero ex agris domum redeant, præcedit fœmina, ut tanto facilius ſi quid mali ingruat, domum poſſit præcurrere: atque ita quidem ruri agunt: in oppidis vero aut pagis, uxores ſemper præ ſe agunt, quippe quum ſupra modum zeloſi ſint hi barbari, ita commodius illas à ſeſe obſervari poſſe haud fruſtra credunt.

In plangendis defunctis immodici ſunt; nam & ſeipſos affligunt & projiciunt in ſolum, totaſque noctes ejulatibus, dies lachrymis & querelis producunt, idque per integrum menſem; tum demum mares capillum radunt, & fœminæ ſe nigris notis inſigniunt, & denique ſympoſio luctui finis imponitur.

Porro licet natura ſint melancholici, tamen varios habent ludos, iiſque indulgent frequentiſſimè, à pueris ita inſtituti: cantilenis & choreis delectantur inſanum in modum: habent & ſuos canendi modos, atque inſtrumenta, quæ raucum & inconditum ſonum edunt.

Arma ipſorum ſunt clavæ ligneæ, arcus, ſagittæque: clavas & arcus affabre concinnant è duriſſima materie; ſagittas è cannis; quas aut dentibus ferarum, aut oſſiculis aut duriſſimis ſtipitibus aſperant, ita ut, mirum dictu, thoraces parmulaſque è corio penetrent & ſtipites ſatis craſſos findant: ſunt enim jaculatores robuſti & imprimis ſciti, utpote ab infantia aſſueti.

Ut breviter abſolvam (nam de immanibus eorum moribus, in captivos hoſtes mactando, devorandoque hic nihil dicam, quæ ab aliis & imprimis *Ioanne Lerio* prolixè commemorata ſunt) acutè vident hi barbari atque audiunt: lubenter peregrinantur; exiguntque itinerum rationes ad curſum ſolis, & rariſſimè aberrant à via: piſcatores ſunt ſeduli, ſtrenui natatores, in mari haud minus quam in fluminibus: Tabacco utuntur frequentiſſimè, dicerem etiam abutuntur, niſi plerique Europæi jam ipſorum vitium non modo æquarent, ſed & multi ſuperarent. Atque hæc quidem omnibus gentibus, quæ hanc Continentis partem incolunt, fere communia ſunt: nunc varias nationes, & earum peculiaria proſequemur.

Cap. III.

Diverſæ nationes Braſilienſes, & earum ingenia atque mores è commentariis nuperi ſcriptoris Portugalli.

NATIONES quæ Braſiliæ Continentem incolunt, linguis plurimum inter ſeſe diſcrepant: una tamen inter eas communior cenſetur, qua vulgo utuntur circiter decem nationes barbarorum, qui juxta littora atq; etiam in mediterraneis degunt: Hanc fere intelligunt Portugalli, nam facilis eſt, copioſa, neq; inſuavis: Portugallorum autē liberi in hiſce provinciis nati aut à teneris educati, eam haud ſecus

callent atque ipſi indigenæ, præſertim in Præfectura *S. Vincentii:* hujus quoque linguæ commercio agere ſolent Patres Societatis cum hiſce populis, ſunt enim omnium barbarorum humaniſſimi & maxime domeſtici, & jam multis annis amicitiam & pacem colunt cum Portugallis: adeo ut ipſorum opera atque armis cæteras Braſiliæ nationes partim ſubjugaverint atque tributarios fecerint, partim funditus deleverint, aut lares ſuos deſerere atque in intimas regiones commigrare coëgerint. Sed ſingulatim populos proſequamur.

Petiguares.

Primi inter illos ſunt haud dubio *Petiguares*, qui juxta *Paraibam*, triginta circiter à Pernambuco leucis degunt, & præſtantiſſimum lignum Braſilianum in ſuis finibus poſſident; hi (inquit author ille) dudum Gallis amici, eiſque fœdere atque connubiis juncti fuerunt, uſque ad annum cIↄ Iↄ LXXXIV, quo Paraiba à *Diego Flores*, Regis Hiſpaniarum auſpiciis fuit capta, Galli pulſi, præſidiumque centum ſtipendiariorum arci impoſitum, præter Portugallos advenas, qui & ipſi inter ſe cohortem conſtituerunt duce Fructuoſo Barboſa, qui cum *Pernambucenſibus* terreſtri itinere advolarat, & præcipuum momentum victoriæ attulerat. Magna horum pars hodieque à Portugallis abhorret & levi negotio incitari poteſt, ut hoſtilia in illos perpetret, ut Belgæ noſtri ſuperioribus annis fuerunt experti.

Viatan.

Hiſce proximi agebant quos *Viatan* vulgo appellant, natio olim populoſa; ſed jam radicitus exciſa, nam quum amici atque cognati *Petiguarium* eſſent, Portugalli dolis graſſandum rati; eos cæteris barbaris devorandos devoverunt, & inimicitiis clanculum concitatis, vicinos inter ſe commiſerunt, quumque inedia atque annonæ caritate premerentur, eos in ſervitutem redigerunt, & onerariis navibus in remotas terras avectos pro mancipiis vendiderunt; denique miſeras reliquias, presbyter quidam Luſitanus, magicarum artium, ut creditur, gnarus, variis præſtigiis infatuatas *Pernambucum* deduxit in miſeram ſervitutem, ubi ſenſim interierunt.

Tupinabæ.

A flumine, quod vocant Regale (*Rio Real*) ad fines Præfecturæ *Inſularum* (vulgo *los Ilheos* incolunt *Tupinabæ*, & ipſi inter ſe diſcordes: nam qui circa ſinum omnium Sanctorum degunt, juges exercent inimicitias cum iis, qui juxta *Camanu* & *Intrare* ſedes habent.

Caetæ.

Caetæ, alia natio barbarorum, accolebant ripas fluminis *S. Franciſci*, illorum barbarorum qui *Pernambuco* viciniores incolunt, infenſiſſimi hoſtes.

Tupinaquini.

Ab Inſularum Præfectura ad Sancti ſpiritus Præfecturam agunt *Tupinaquini* ex *Pernambucenſium* finibus olim ad has maritimas oras profecti, & mirum in modum aucti, nunc vero ad ſummam paucitatem redacti: omnium barbarorum quondam irreligioſiſſimi & in erroribus ſuis pertinaciſſimi, vindictæ appetentiſſimi & polygamiæ imprimis dediti; nunc non pauci Chriſtianam religionem amplexi in ea dicuntur perſeverare.

Tupiguę.

Tupiguæ ſuperioribus cognati poſſident Mediterranea, inde à Præfectura *S. Vincentii* ad *Pernambucum* uſque, natio quondam valida, nunc autem Portugallorum ſævitia, qui illos in ſervitutem abripiunt, aut fuga ſibi cogunt conſulere plurimum imminuta.

Hiſce vicini degunt *Apigapitangæ* & *Mariapigtangæ*; nec non *Guaracay* ſive *Itati*, admodum infeſti *Tupinaquinis*.

Tummimivi juxta oppidum S. ſpiritus ſuas habent ſedes, & ipſi *Tupinaquinorum* hoſtes, verum pauciſſimi illorum hodie ſuperſunt.

Tamviæ.

Tamviæ accolebant flumen Januarii, à Portugallis poſtquam ibidem ſedes fixere pene ad internecionem deleti, ita ut pauciſſimi ſuperſint; qui intra Continentem jam degentes vulgo appellantur *Ararapæ*.

Carioes.

Alia natio, octuaginta pene leucis à *S. Vincentii* præfectura verſus Auſtrum, occupat littora & Mediterranea, ad Æſtuarium uſque magni fluminis *de la Plata* numero pene infinita (*Caroes* appellari hoſce proditur ab aliis) & *Tupinaquinis* inimica & ſummopere infeſta.

Omnium autem harum nationum, licet inter ſe diſcordium, converſio ad fidem Chriſtianam propediem ſperatur, nam magni faciunt Patres Societatis Ieſu (inquit Auctor Luſitanus, & præſertim Mediterranei, qui avide adventum illorum præſtolantur, vocantque *Abares* & Patres: veruntamen ea eſt Portugallorum impietas, ut

ut Patrum in modum tonſi & illorum veſtibus amicti, ſæpe ſe Patres eſſe mentiantur atque ita miſeros à ſe deceptos cædant, uxores, liberoſque, atque ipſoſmet velut indagine cingant & ad littora compulſos cauteriis notent, inter ſe dividant & mancipio tradant: quo fit, ut Patrum fides apud barbaros labaſcat & converſio illorum quotidie minus ac minus procedat.

Sunt præterea aliæ nationes, quibus peſſime cum præcedentibus, neque ſatis bene inter ſe convenit, quæ communi nomine *Tapuyæ* appellantur: Illorum alii peculiari nomine *Guaymures* vocantur; vicini *Tupinaquinis*, qui vix octo leucarum ſpacium ad mare, intra Continentem quantum libet occupant: vaſto corpore, dura cute, laborum patientiſſimi, audaciſſimi & ſupra modum veloces, crinibus nigris, & promiſſis; neque pagos neque municipia obtinent, ſed incertis vagantur ſedibus; victitant avide humanis carnibus, & perniciem atque vaſtitatem inferunt, quocunque acceſſerint. Non agros colere, ſed raptim vivere & Mandiocam crudam devorare aſſueti; arcus ipſis validi ac ingentes, & pila ſaxea quibus hoſtium ſuorum capita validis ictibus conterunt, irruunt autem, utplurimum ex inſidiis in incautos; non modo barbaris ſed & Portugallis formidabiles, ob ſummam eorum crudelitatem.

Tapujæ. Guaymures.

Præter hoſce degunt in interiori Continente & campeſtribus *Caatingæ*, haud longe à ripis fluminis Grandis, juxta limites Præfecturæ *Portus Securi*, barbari quidam è *Tapujarum* genere, quos peculiari nomine appellant *Tucanucos*.

Tucanuci.

Nacii autem interiorem Continentem inhabitant prope *Aquitigpen*.

Nacii.

Deinceps habitant *Oquigtaiubæ* & *Pahi*, qui corpus Goſſypina tunica reticulata abſque manicis, inſtar ſacci, tegunt, idiomate utentes à cæteris diverſo.

Tum *Ari* & ipſi *Aquitigpæ* vicini; & *Laratii* populoſa natio & peculiaris linguæ.

Nec non *Mandeivi*, *Macutui*, *Naparæque* qui agros colunt.

Porro *Cuxaræ* atque *Nuhinui* occupant planiciem in Mediterraneis.

Cuxaræ.

Guayavæ autem incolunt regionem vicinam ſinui omnium ſanctorum, & ipſi proprio idiomate utentes: & in eodem pene tractu *Taicuivii* qui ſub tectis & in tuguriis degunt: & *Corivii*: atque hæ quidem tres nationes Portugallis fœdere ſunt conjunctæ.

Guajavæ.

Pigruvi quoque fixos habent lares: *Obacatiaræ* autem tenent inſulas in flumine *S. Franciſci*; utuntur ſpiculis atque arcubus; robuſtis corporibus; hi veſcuntur humanis carnibus & propriam loquuntur linguam; ab hoſtibus ſuis deprehenſi petunt aquas, atque vrinando, cujus peritiſſimi ſunt, evadunt.

Pigruvi.

His accedunt *Anhelimi*, *Aracuiti*; *Caiviari* qui in ſubterraneis ſpeluncis nidulantur, uti & *Guianaguaci*.

Præterea *Canucuiaræ*, quibus ubera ad femora uſque propendent, ita ut ea ſubcingere cogantur, quoties curſuram moliuntur.

Canucujaræ.

Iobioræ Apuayaræ, qui præuſtis contis præliantur, unde & ipſis nomen.

Iobioræ.

Cumpehæ, ſoli pene in hac Anthropophagorum colluvie, humanis carnibus non veſcuntur, hoſtium ſuorum cervices præcidere & capita trophæi loco circumgeſtare contenti; Nomadum inſtar, vagi.

Cumpæhæ.

Guayi & ſua habent tuguria & ſagittas uſurpant veneno infectas.

Guayi.

Cicui, *Pahaivi*, *Iaicuivi*, *Tupyoy*, *Macaraguaci*, *Iacaruvy*, *Tapecuvy*, *Anacuy*, *Piracuy*, *Taraguaigi*, *Pahacuvy*, *Parapoti*, *Caraembæ*, *Caracuivy*, *Maimimy Guaymurum* Socii & plerumque fœderati, licet ſermone differant: *Aturari*, *Cuigtai*, *Guipæ*, qui Portum ſecurum accoluerunt: *Guigravibæ*, *Augarari* haud longe à littore inter Portum ſecurum & præfecturam Sancti Spiritus tendentes.

Cicui.

Amixocori, *Carajæ* obtinent interiores regiones juxta Præfecturam *S. Vincentii*, ab Aquilonaribus partibus advenæ: *Apetupæ* prope *Aquitigpen*: *Caraguatayræ Aquigiræ*, *Tapiguyri*, brevi corpore ſed compacto atque robuſto (Luſitani vocant *Pygmeos*.) *Quinciguigi*; *Quirigi* equites ſtrenui; *Guajeræ*, *Anaguigi*.

Carajæ.

Guaitacæ accolunt littora inter Sancti Spiritus Præfecturam & flumen Januarii, delectantur maxime campeſtribus, fugiunt nemora, mane in ſementem ſuam, tanquam in paſcua ferarum inſtar procedunt, neque ſe ſub tecta niſi ſomni capiendi gratia recipiunt, ſuntque adeo celeres, ut feras curſu aſſequantur.

Guaitacæ.

Igbigranupani, *Guaymurum* quoque ſocii & in expeditionibus, ut plurimum auxiliares, magnum ſtrepitum ſtipitum colliſione excitant.

Quiriguja, ſinus omnium Sanctorum quondam Domini (unde *Quirimure* dicebatur) à *Tupinabis* ſedibus ſuis expulſi, verſus Auſtrum conceſſere.

Maribuci prope fluvium grandem: *Catagua* juxta *Iequeriquaren* inter præfecturas portus ſecuri & S. ſpiritus. *Tapuxenqui*, *Amacaxi* intra Continentem verſus *S. Vincentium*, hoſtes *Tupinaquorum*, *Nonea*, *Apuy*, *Panaguiri*, *Bigrorgy*, *Piryvi*, *Annaciugi*, *Guaracativi*.

Hæ fere ſunt *Tapuiarum* nationes ſeptuaginta & ſex; quarum pleræque ſermone utuntur diverſo; feri atque indomiti populi, qui perpetim bellum gerunt cum littoralibus, paucis tantum exceptis, qui ripas fluminis *S. Franciſci* accolunt; aut Portugallorum coloniis ſunt viciniores: illi enim ambiunt Portugallorum amicitiam excipiuntque illos hoſpitio, quoties per terras eorum iter faciunt; & non pauci illorum, linguam littoralium edocti, fidem Chriſtianam jam cæperunt amplecti: nam abſque hujus linguæ cognitione, impoſſibile pene fuerit *Tapujas* inſtituere, tanta eſt idiomatum inter ipſos diverſitas & barbaries. Hactenus è ſcriptore Luſitano Anglice edito, quem unum è Societate autumant.

CAP. IV.

Variæ Braſilienſium *nationes, ſecundum relationes* Antonii Kniveti Angli, *qui dudum in* Baſilia *oberravit.*

Petivares PEtivares non ſunt tam feris atque immanibus moribus, quam cæteri barbari harum provinciarum, nam ſatis humaniter cum advenis exercent commercia: ſtrenui autem ſunt bellatores. Staturæ ſunt modicæ, totumque corpus perſignant quibuſdam notis, labiaque perforant caprearum cornibus, quibus foraminibus ubi adoleverint virides lapillos indunt, decorum id ipſis imprimis videtur, nam alios pro ruſticanis habent. Nulla ipſis religio; tot ducunt uxores quot volunt aut poſſunt alere: fœminis non niſi cum uno viro conſueſcere conceditur, niſi maritus ultro & publice permittat, tunc eis eligere licet quos deſiderant. Ad bellum proficiſcentibus commeatum ſubvehunt uxores, corbibus annonam ſuper dorſum bajulantes: veſtium uſum prorſus ignorant: victitant radicibus, aut avibus atque ferina. Maritus à venatione domum revertens, uni uxorum quicquid ceperit, elargitur, cum illa eo die conſuetudinem velle habere, id indicio eſt: illa corpore prius abluto, ſtatim occupat penſilem lectulum, reliquæ autem ipſi miniſtrant. Poſtquam uxores prægnantes factæ fuerint, mariti nullum animal fœmellum exanimant, ne fœtus conjugum hoc facto emoriantur, metuentes. Ubi autem pepererint fœminæ, mariti ſe reclinant in lectulum & à vicinis omnibus officioſe ſalutantur, & à fœminis oppipare & diligenter curantur. Per ſolitudines iter facientes, magnam ſecum portant copiam *Tabacci* & folium illius inter labia & gingivas concludunt, ſaliva per dictum foramen large deſtillante. Sunt Anthropophagi, qui captivos ſuos & crudeliter mactant atque immaniter devorant: pagos habitant frequentes, poſſidentque agros ſinguli diſtinctos, quos ſtudioſe excolunt. Obtinent hi barbari latiſſimam regionem ad ſeptentrionalem Braſiliæ plagam: ſed de his alibi quoque dicendum erit.

Ad oram Oceani Atlantici inter *Pernambucum* & ſinum omnium Sanctorum, Mariqui- primo habitant *Mariquites*, è *Tampujarum* genere, vagabunda natio: viri pariter atque fœminæ (alioquin non inelegantes) bellare norunt; ferarumque in modum pervagantur ſylvas & ſolitudines, omnibus infeſti (niſi quod nuper pacem cum Portugallis feciſſe dicantur) hoſtes ſuos raro petunt aperto marte, ex inſidiis plerumque graſſantur, & inopinantes opprimunt; veloces admodum in fugiendo & perſequendo: idem corporis habitus qui *Petiguaribus*, niſi quod cutem notis non ſignent, eademque immanitas in mactandis & devorandis captivis: pertingunt ad flumen uſque *S. Franciſci*.

Topinã- bazes. Ab hoc ad ſinum omnium Sanctorum, habitant *Topinambazes*, itidem moribus, habitu atq; cultu corporis ſimiles *Petivaribus*, (niſi quod fœminæ horum formoſiores eſſe feruntur)

feruntur) quorum & idioma uſurpant, in eo cæteris barbaris diſſimiles quod barbam alant.

A Sinu hoc ad Inſulas, ut vocant, incolunt *Waymores* ſive *Guaymures*, de quibus ſuperiori capite jam diximus.

In Præfectura Sancti ſpiritus degunt *Tomomymi*, ferociſſima natio: ſæpe (inquit *Knivetus*) cum Luſitanis adverſus iſtos in bellum ſum profectus, *Morogegen* oppidum illorum oppugnatum. [Tomomymi.] Multa enim habent oppida in inſulis fluminis *Paraeivæ*, ingentibus ſaxis, quæ palorum in modum diſponunt, & intus vallo terreo aut ſilicibus muniunt, ſepta. Ædium tecta è corticibus arborum ſtrata, parietes è ſtipitibus aut cannis, opere topiario, affabre conſtructi, ita ut ſagittas per interſtitia poſſint ejaculari. Erant in exercitu noſtro quingenti Luſitani, & tria millia barbarorum confœderatorum, quum obſideremus *Morogegen*, & tamen hi barbari tanto impetu erumpebant in noſtros, ut nos vallo communire & ſuppetias ab oppido Spiritus ſancti cogeremur petere. Illi in vallo conſiſtentes, plumis ornati & corpus rubricâ tincti, quotidie nobis inſultabant & rotulam quandam plumis adornatam incendentes & ſupra capita ſua rotantes, inclamabant *Lovae eyave Pomonbana*, id eſt, eodem modo & vos conſumemini. Verum quum auxiliares noſtri adveniſſent, ſenſim ſe ex oppido cæperunt ſubducere, quod noſtri advertentes, cratibus ex oblongis cannis compactis (*Panneſſes* vocant Luſitani) tecti, ſubeunt vallum, diruuntque & non ſine diſcrimine, atque multis noſtrorum deſideratis, in oppidum irrumpunt: ſedecim pene hoſtium millia, partim cæſa, partim capta & inter Luſitanos diviſa: dein & minora aliquot oppida capta fuere, ſenes atque invalidi interfecti, reliqui in eumdem modum ſervituti addicti: denique agro ipſorum ſeptem diebus pervaſtato, ſecundum flumen *Paraeivam* deſcendimus, ad oppidum quod vocant *Morou*, inde ſuperato monte (quem barbari vocant *Parapiaquena*, ab Oceani conſpectu) pervenimus *Tupan Boyeram* [Organa.] (quem locum Luſitani vocant *Organa*, ſunt autem montes qui flumini Januarii imminent) atque inde deſcendimus flumen *Macuin*, uſque ad oppidum *S. Sebaſtiani*, [Macuin f.] ubi exercitus fuit dimiſſus. Hæc ille.

Waytaquaſes agunt ultra citraque Promontorium frigidum, (Luſitanis *Cabofrio* [Waytaquaſes.] barbaris autem *Iocoex*) locis humidis atque uliginoſis, longe proceriores *Guaymuribus*, promittunt capillos; fœminæque belligerant haud ſecus ac viri; tuguria illorum ſunt humilia & exigua; non ut alii, in penſilibus lectulis, ſed humi cubant inſtar brutorum, juxta pyram projecti: cum nulla alia natione pacem colunt, omnibus æque infeſti, atque immanes etiam in vicinos.

Wayanaſſes incolunt inſulam *Grandem*, ut vocant, octodecim circiter leucis ab [Wayanaſſes.] oſtio fluminis Januarii verſus Auſtrum ſitam; ſunt autem ſtatura breviori, projecto ventre, plancis pedibus, timidi atque imbelles: fœminæ facie ſunt formoſa, cætera maxime deformes, pingunt totum corpus rubrica quadam, quæ fit ex *Vruca*, ut vo- [Vruca] cant, fructu inſtar fabæ. Alunt comam tam mares quam fœminæ, quam tamen circa verticem ad Franciſcanorum modum attondent. Præcipuum illorum municipium vocatur *Iawaripipo*.

Topinaques, incolæ Præfecturæ *S. Vincentii*, perparum differunt à reliquorum [Topinaques] barbarorum ingeniis & moribus; fœminæ illinunt cutem variis coloribus, ut formoſiores videantur. Jugulant captivos ſuos magno apparatu, picti corpora fructus cujuſdam ſucco, quem vocant *Iampavo*, & plumeo diademate caput cincti, crepitacula [Jampavo] manibus vibrantes; denique choreas integro triduo celebrant, antequam ad immanem carnificinam accedant.

Pories procul intra Continentem degunt, pene centum leucis ab Oceano, *Way-* [Pories] *naſſis* ſimiles; brevi ſtatura: victitant pineis nucibus & Cocis pomorum magnitudi- [Eryres] ne, duriſſimo cortice, ipſi ſuo idiomate appellant *Eryres*. Veſtiri amant, fœminæ autem inficiunt cutem variis coloribus, rubro, ceruleo, flavoque: colunt pacem cum Portugallis, nec facile etiam cum aliis bellum gerunt; nec humanis carnibus delectantur, ſi alius victus ſuppetat: lectos penſiles texunt è libris arborum; defendunt autem ſe à pluvia atque aëris injuriis, ramis arborum inter ſe connexis & palmarum foliis deſuper tectis, hæc ſolum domicilia noverunt. Frequentes reperiuntur in illorum terris leones pardi, quos ipſi vocant *Iawarile*, & leones quoque ipſis

Jawaroſou; feleſque ſilveſtres, quos *Marcahayte* nominant: opes illorum ſunt oleum Balſami, quod cultello aut pectine magna copia permutant.

Molopaques.

Molopaques occupant vaſtam regionem trans fluvium *Paraeivam*, Germanis corporum mole pares, alunt barbas, quod cæteris barbaris inuſitatum. Teguntquoque obſcœnas corporis partes, ſuntque moribus ſatis decoris. Oppida ſua muniunt vallo, quod è tranſverſis lignis componunt, & aggeſto ceſpite firmant: ſingulæ familiæ inter eos ſua habent domicilia. Parent uni quaſi Regi, quem vocant *Moroshovam*, qui cultu corporis non multum diverſo utitur à cæteris, ſed plures quam ſubditi alit uxores. Plurimum auri apud hos reperitur, quod neque magni faciunt, neque multum eo utuntur, præterquam quod filis piſcatoriis appendant, quum in flumine *Para* optimorum piſcium fæcundo, piſcantur, diſtat hoc flumen à *Paraeiva* prædicto, leucas octuaginta: Aurum autem nequaquam effodiunt è terra, aut telluris viſcera illius gratia ſcrutantur, ſed ubi pluviæ uberius terram abluerint, ramenta colligunt ſponte obvia: metalla enim hæc plerumq; reperiuntur in montibus, qui nullis arboribus veſtiti ſunt, aridis & nigro ſolo tectis, barbari vocant *Tajaquara*: Mons autem ubi *Molopaques* hæc auri ramenta colligunt ipſis dicitur *Eteperange*: feliciſſima utique gens ſi verum Deum noſſet: fœminæ enim ipſorum ſunt formoſæ, beneque moratæ, quas raro cachinnantes videas, ingenioſæ; demittunt comam ſuam uſque ad femora, quam habent noſtratibus ſimilem, flavam, ſubcinericeam, fulvam, &c. Eaque obvelant nuditatem ſuam, decorum id imprimis judicantes; quibus autem coma brevior, illæ pellicula quadam pudenda obvelant, ipſis *Savvayathvvaſou*. Obſervant ſtatas cibum capiendi horas, meridie atque veſpere; ſectantur mundicias; moribus denique ſunt ita decentibus, ut minus barbari videri poſſent, niſi & ab humanis carnibus non abhorrerent.

Eteperãge.

Motayes.

Motayes hiſce contermini, ſtatura brevi, colore fuſco; nudi agunt; demittunt capillos capitis paululum infra aures tam fœminæ, quam mares: ubi longius excreverint, tam decenter in orbem deurunt, ac ſi tonſillis præciſi fuiſſent: reliquis corporis partibus ita evellunt crines, ut ne quidem in ſuperciliis tolerent. Mayzio, radicibus, ranis, anguibus, ſerpentibus, crocodilis, ſimiis, canibus denique & felibus victitant ſilveſtribus. Credo & Anthropophagos eſſe, licet Author ſileat.

Lopi.

Lopi ſuperioribus vicini degunt, quos Luſitani appellant *Bilreros*; agunt autem in montanis, pineis nucibus vitam tolerantes: Metallis atque precioſis gemmis tam abundat illorum regio, quam alia quævis Americæ hujus, verum tam longe à Mari remota eſt, tamque populoſa, ut difficulter eo poſſit penetrari: cæterum ſtatura ſunt brevi, fuſco colore pariter fœminæ atque mares, rudes, inconditis moribus; denique feris ſimiliores quam hominibus.

Wayanavvaſoni.

Inde tranſitur ad *Wayanawaſones*, homines rudes & ſimplices; bene tamen compoſitis membris & decoros aſpectu, verum ita deſides, ut totos dies in tuguriolis ſuis ſtertant, dum fœminæ ipſis pepones atque radices in cibum quæritant. Hic fructum quendam reperiri narrat, quem barbari vocent *Madioperam*, pruno perſimilem, colore aureo, nuce intus dulci inſtar *Amygdalæ*; verum adeo venenatæ qualitatis, ut ſiquis paulo largius hoc fructu veſcatur, ſtatim emori ſit neceſſe; id ſedecim è ſuo conſortio morte, cæterorum maximo periculo fuiſſe comprobatum. Author hic deſcribit adhuc plures nationes, ſed iter adeo longum ad illas deſignat, ut nullus dubitem extra Braſiliæ limites conſtitutas eſſe, & incertus ſim ad quam potiſſimum provinciam ſint referendæ.

Madiopera.

Atque hæc quidem de variis Braſiliæ indigenis è duobus hiſce authoribus dicta ſunt, plura de quibuſdam dicenda erunt, quum ad ſingularum provinciarum deſcriptionem pervenerimus.

CAP. V.

Quadrupedes Braſiliæ, ſecundum Authorem Luſitanum, Joannem Lerium *atque* Thevetum.

Cuacu.

CERVOS vocant Indigenæ ſua lingua *Cuacu*, quorum nonnulli hic reperiuntur caballorum magnitudine, vaſtis & arboreis cornubus, ſed tantum juxta ripas Fluminis *S. Franciſci* & in præfectura *S. Vincentii*. *Carioes* autem vocant

Cuacuapara & hoc animal faciunt maximi; nam aſperant ſagittas ſuas eorum cornibus & pila quædam ex iiſdem conficiunt quibus feras homineſque dejiciunt & proſternunt: Alii ſunt paulo minores, quorum tres quatuorve numerantur ſpecies, qui partim in ſylveſtribus partim in campeſtribus locis gregatim vagantur.

Lerius cervorum quandam ſpeciem commemorat, barbaris *Seovaſſu*, noſtratibus diſſimilem, quod minora cornua geſtet & villis ad capras quamproxime accedat.

Alces *Tapyrete* à barbaris appellari ſcribit Author Luſitanus, Lerius *Tapirouſſou*, Thevetus *Tapihire*; ſunt autem mulis non abſimiles, promuſcide oblongiori, quam aut contrahunt aut promittunt, ſine cornubus, auriculis longioribus & pendulis, collo contractiore, cauda breviſſima, auribus gracilibus, ſolidis ungulis, carne pene accedente ad bubulam. Natandi atque urinandi peritiſſimum eſt animal, ſtatim petit fundum, & ubi longius proceſſerit, emergit rurſus: magna horum in hiſce provinciis eſt copia, ita ut tergoribus illorum barbari clypeos ſuos obducant aut eadem in orbem diſtenta & ad ſolem ſiccata conforment in parmulas. Tapyrete.

Ingens quoque aprorum ſylveſtrium numerus, qui umbelicum habent in dorſo è quo gravis odor, inſtar vulpecularum exhalat, unde facilius à canibus deprehenduntur atque capiuntur; barbari habent carnes illorum in deliciis. Sunt & alii hic majores, ſed rariores, quos appellant *Tayacutiricas*, quaſi dicas apros dentibus frendentes, quibus cæteras feras territant. Lerius videtur hoc animal vocare *Tajaſſou*. Reperiuntur hic & alii quos appellant barbari *Tajacuguitas*, id eſt, apros manentes ſeu ſubſiſtentes, quia infeſti homines caneſque petunt & ſi prehenderint, dilaniant, adeo feri atque terribiles, ut barbari ad arborum faſtigia eniti cogantur, ubi hæ feræ illos interdum integros dies operiuntur; verum Indigenæ hujus gnari, arcum & ſagittas ſecum portare conſueverunt, & feras ſagittis deſuper petere atque necare.

Acuti ſive *Agouti*, ut Lerius effert, cuniculis Europæis haud abſimiles ſunt, colore ſubflavo; cæterum domeſticum animal, tecta ſubire & rurſus ad venandum egredi ſuetum, cibum anterioribus ungulis prehenſum devorat quam ocyſſimè; & ubi ſatietatem cœperit, recondit ſtudioſe reliquias: variæ reperiuntur horum animalium ſpecies, omnes edules. Acuti.

Pacæ nefrendibus ſimiles, quarum maxima hic eſt copia, caro tamen illarum difficulter concoquitur; quædam ſunt nivei coloris, quæ potiſſimum juxta ripas fluminis *S. Franciſci* reperiuntur, rarius alibi. Pacæ.

Pag aut *Pague* (nam quo modo id nomen pronuntient, vix ac ne vix quidem intelligas) fera eſt (inquit Lerius) altitudine mediocri, atque adeo venatici canis, capite deformi, carne ad vitulinæ ſaporem accedente, pelle pulcherrima, quæ maculis variis, candidis, leucopeis, nigriſque diſtinguitur. Pag.

Plurimæ (inquit Luſitanus) reperiuntur in hiſce regionibus Lynces, aliæ nigri coloris, aliæ fuſci, quædam & notulis variis eleganter diſtinctæ; truculentiſſimum eſt animal, & quod vix effugias, præſertim ſi grandiuſculum ſit; gallinis pariter atque ſuibus infeſtiſſimum, quorum interdum integrum gregem una nocte devaſtat; præcipuum ipſi robur in unguibus, quicquid prehenderit lacerat. Sunt tamen inter barbaros ita audaces forteſque, ut interdum in patenti campo obvias prehendant atque enecent, non minori apud populares ſuos gloria, quam ſi hoſtem in acie vivum manu cepiſſent. Abundat hiſce feris inter alias præfectura *S. Vincentii*.


Carigue, ſive (ut Lerius ſcribit,) *Sarigoy*, vulpeculis Hiſpanienſibus ſunt ſimiles ſed minores & longe graveolentiores, colore fuſco: aſcus ipſis ſub ventre pendulus in quo fœtus ſuos, quos plerumque ſex aut ſeptem uno partu enituntur, tantiſper alunt & circumgeſtant, quoad ipſi cibum capere noverint: noctuambulum animal, & cum cæteris avibus, tum gallinis infeſtiſſimum; de quo etiam alibi. Carigue.

Tamandua animal admirabile, magnitudine canis, tereti potius corpore, quam longo, cauda longitudine ad minimum triplo corpus excedente, tam villoſa, ut adverſus aëris injurias totum corpus illa ita tegat, ut videri non poſſit: exiguo capite & gracili admodum promuſcide; ore rotundo & non admodum patulo, lingua longiſſi- Tamandua.

longiſſima, qua formicas, quibus victitat, deglubit; in antris illarum indagandis imprimis ſolers, quæ ungulis ſuis acutiſſimis perrumpit, & formicas erumpentes attrahit lingua; ferox animal & quod cæteris animantibus atque adeo hominibus non raro inſultat, ipſis trigribus, ut canes taceam, metuendum: cibo inutile, neque ulli rei idoneum, præterquam formicarum antris deſtruendis, in quo egregiam operam indigenis præſtat.

Tatu. Armadillo.

Tatu ſive *Tatou*, animalculum, quod Hiſpani vocant *Armadillo*, Luſitani *Encubertado*, porcelli magnitudine, colore cinereo & totum corpus oſſeis ſquamis veluti laminis quibuſdam tectum, Rhynocerotis pene in modum, pulcherrimo ordine diſpoſitis & mira formarum varietate, quæ adeo duræ ſunt, ut ſagittarum aciem frangant; victitat ſub terra inſtar talparum, eamque tanta celeritate ſuffodit, ut multorum foſſorum laborem atq; induſtriam ſæpiſſime fallat nec facile capiatur, niſi aqua cuniculis illius infuſa: carne ſunt candida & optimi ſaporis, inſtar porcelli vel etiam gallinæ; exuviis illius ad crumenas & alia opera utuntur. Accuratiſſimam hujus animantis Iconem (licet toti pene Americæ perfamiliare ſit) hic apponimus è Clariſſ. Viri Cluſii Exoticis expreſſam.



l. v. c. iv.

Supra autem promiſimus nos hoc animalculum alibi paulo accuratius deſcripturos: Animal eſt monſtroſum (inquit *Franciſcus Ximenez*) mole catelli mœlitei, ſed cauda grandiore, cruribus inſtar erinacei, (quorum anteriora quidem quatuor digitos habent, poſteriora quinque; roſtro ad eundem modum ſed longiori & ſubtiliori, auribus cartilagineis & depilis; tectum eſt toto corpore (præterquam ſub ventre & circum collum) laminis quibuſdam inſtar cataphracti equi, quæ certis tendinibus ita conjunguntur, ut animalcum in omnes partes ſe facillime poſſit commovere, laminæ autem ipſæ plane ſunt oſſeæ, & ita conformatæ ut Icon repræſentat. Scribit *Ximenez*, laminas haſce in pulverem comminutas & dragmæ pondere hauſtas è decocto ſalviæ, provocare ſudorem & ſingulare eſſe remedium contra luem veneream. penultimum autem oſſiculum caudæ, qua corpori conjungitur, in ſubtiliſſimum pulverem redactum & cum aceto roſaceo in pillulas coactum, & auribus inditum, miraculi inſtar ſurditatem tollere, quando provenit ex cauſa calida. Addit *Monardes:*

cap. 37.

Nunc ex continenti habemus oſſiculum caudæ peregrini animalis, cujus in tenuiſſimum pulverem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atque auri indita dolorem ejus ſedare & tinnitum etiam, cum exigua ſurditate conjunctum, traditur curare. Certe ſedari dolorem frequente experientia eſt comprobatum. Quidam etiam (ait *Ximenez*) affirmant, pulverem caudæ urinam promovere, quod quomodo fiat, nequeo capere. Laminæ illius in pulverem redactæ, & pulvis cum aqua coactus in maſſam, extrahit ſpinas è quavis parte corporis. Hæc ille. Clariſſimus

l. 5. c. 15.

Cluſius aliam hujus animalculi ſpeciem deſcribit & Iconem quoque exhibet, quem Lector conſulat, ſi placet.

Herinaceos majores appellant barbari *Canduacu*, minores *Candumiri*, ſunt autem Africanis omnino ſimiles. At ſunt alii ibidem adhuc minores, quibus ſpicula ſunt ſubflava, ad acumen nigricantia: quorum ſpiculorum eam tradunt eſſe naturam, ut carni vel leviter impacta ſponte ſua porro penetrent, ideoque barbari illis utplurimum utuntur ad auriculas perforandas.

Hirara

Herara.

Hirara barbarorum, Hyenæ, quam hodie Civettam vocamus, ſimilis eſt, nam eandem eſſe negant; earum aliæ ſunt nigræ, aliæ fuſcæ, quædam & candidæ: melle ſolummodo veſcuntur, in quo eruendo ſupra modum ſunt induſtriæ, nam apiaria inventa ita ſuffodiunt, ut aditus illis ampliſſimus ad illa pateat, tum catulos ſuos ad illa adducunt, & mel exhauriunt, idque non ante deguſtant ipſæ, quam catuli ſaturati fuerint, egregio amoris in catulos indicio.

Aquiqui.

Wariva.

Simiorum & ſimiarum, item Cercopithecorum maximus hic numerus & ſumma varietas; inter illos eſt ſpecies quædam, cæteros magnitudine multum excedens, *Aquiqui* vocant barbari; nigris villis & longa infra mentum barba: è quibus interdum naſcitur maſculus colore ſubrubenti, quem Regem ſimiorum vocant barbari, facie ſubalbicante, & barba inter utramque auriculam tam eleganter compoſita, quaſi attonſa eſſet, is arborem non raro conſcendere dicitur & ſtridula voce veluti concionari, tam alte ut procul poſſit exaudiri, habet ad id peculiare ſub palato organum à natura comparatum, concavum, è tenuiſſima ſed validiſſima membrana, ovi magnitudine, quod levi momento diſtenditur; inter ſtridendum autem largam eructat ſpumam, quam catulus juxta poſitus, ſucceſſorem illius vulgo autumant, ſtudioſe à barba illius abſtergit. *Antonius Knivetus* Anglus ſcribit, hoc ſimiorum genus à Petiguaribus appellari *Wariva*.

Cay.

Reperiuntur præterea ad oram Braſilienſem cercopitheci (inquit *Lerius*) parvuli atque nigri, quos illi vocant *Cay*, jucundiſſimi tum aſpectu, tum auditu, nam in arborum cacuminibus, quæ fabas quaſdam ferunt in lobis, quibus illi victitant, procelloſo præſertim tempore gregatim garriunt & clamitant.

Sagovin.

Eſt & alterius generis Cercopithecus, quem ipſi appellant *Sagovin*, magnitudine ſciuri, eodemque pilo ruffo, cæterum roſtro, collo, pectore reliquiſque fere partibus leoni perſimilis, audax etiam, nullique parvulorum animalium pulchritudine concedens. Iconem expreſſit in Exoticis ſuis Carolus Cluſius; ſed an ſit idem animal, quod *Lerius* deſcribit, affirmare non auſim. Cæteras ſimiorum ſpecies & earum fraudes atque induſtriam deſcribere longum eſſet, neque neceſſarium.

Cuati.

Cuati, inquit Author Luſitanus, colore ſunt fuſco, fibris Luſitanicis non abſimiles, conſcendunt arbores inſtar ſimiorum; cicurantur interdum, verum tanta eſt voracitas & malitia ut ægre ferantur. Lerius autem deſcribit *Coati* ad hunc modum; altitudine eſt leporis, brevi pilo & maculoſo, auribus parvis & acutis, capite cum parvo, tum ab oculis eminente roſtro, plus pede uno, longo & ſcipionis inſtar tereti, ore ita anguſto, ut vix auricularem digitum admittat: ubi capta fuerit hæc fera, collectis quatuor pedibus aut in alterum latus vergit aut concidit, neque unquam ut ſe erigat, aut veſcatur compelli poteſt, niſi præbeantur formicæ, unde in ſylvis ſibi victum parat.

Felium præterea ſylveſtrium ſumma hic copia atque varietas: quidam enim ſunt nigri, quidam albi, non pauci & ſubflavi, omnes ſupra modum agiles & damnoſi, non modo avibus, ſed & hominibus, pelles autem magno ſunt uſui.

Iagoarucu.

Iagoarucu ſunt Braſilienſium Canes, nam ad eorum modum latrare videntur, colore è fuſco & albo mixto, cauda admodum villoſa, velociſſimi; victitant raptu & fructibus, ſuntque mordaciſſimi.

Tapati.

Tapati ſive *Tapiti*, ut effert Lerius, cuniculi noſtrates videri poſſent, niſi quod canum inſtar latrant, præſertim noctu, quod inauſpicatum credunt barbari: tres aut quatuor fœtus edunt uno partu; rariores tamen reperiuntur, quia non modo rapacibus avibus ſed & cæteris feris maxime ſunt obnoxii. *Lerius* comparat illos leporibus, & ſubrubeſcenti pilo eſſe ſcribit.

Iaguacini.

Iaguacini, vulpibus Luſitanicis magnitudine pares ſunt, neque abludit color; victitant potiſſimum cancris & gammaris; nec non Sacchari cannis quibus ſæpe vaſtitatem inferunt; alioquin innocens animal & ſomniculoſum, unde haud difficulter opprimitur.


Biaratacá.

Biarataca, mole felem, forma æmulatur viverram, dorſum illius linea alba atque fuſca, crucis in modum ducta, eleganter diſtinctum: victitat volucribus & illarum ovis; tantopere autem appetit *Ambar*, ut noctu plerumque in littore vagetur, illius indagandi gratia. Fera hæc ſupra modum metuitur, non quod dentibus aut unguibus lædat, ſed propter graviſſimum odorem quem ſpargit,

ſpargit, qui adeo virulentus eſt atque noxius, ut ligna atque ſaxa penetret, & homines atque animalia enecet: atque hic fætor quindecim viginti & interdum plures perdurat dies, ita ut pagos ſuos barbari deſerere cogantur, ubi hæ feræ propius acceſſerint.

Familiare quoque hiſce regionibus eſt animal cui ab ignavia nomen inditum cujus deſcriptionem alibi dedimus. Glirium autem infinita hic copia & variæ ſpecies, quæ magnitudine & colore multum differunt & à barbaris commeduntur, ſatis adeo noxii, ut interdum illa corrumpant.

Hay. *Hay* (inquit Lerius) magnitudine eſt canis, facie cercopitheci, ventre pendulo quemadmodum ſcrofæ prægnantes, pilo leucopeato valde diluto, longiſſima cauda, pedibus in morem urſi villoſis, prolixis unguibus: licet autem dum in ſylvis agit, valde ſit ferum, captum tamen facile cicuratur: nudi tamen barbari non lubenter cum illo colludunt, propter unguium longitudinem & acumen: mirum autem & pene incredibile, quod neque in ſylvis neque domi ullum cibum capere viſum narrent barbari, ità ut aura inſtar Chamæleontis vivere opinentur. Thevetus vocat hanc eandem feram *Haüt* ſive *Haüthi*, & Iconem illius deſignat facie pene infantis, quam hic adjungimus.



Licet autem de illius abſtinentia à cibis eadem ſcribat cum Lerio, tamen opinatur foliis arboris cujuſdam, quam vocant *Amahut*, veſci, quia utplurimum in faſtigiis illarum arborum reperitur.

Cap. VI.

Angues ſerpenteſque terreſtres ex iiſdem ſcriptoribus, ut ſupra.

DIXIMUS ſupra, hanc regionem plurimos angues, ſerpenteſque tolerare, eorum aliquos hic deſcribemus ex Authore Luſitano, Lecio atque aliis.

Giboya. *Giboya* ſive *Iaboia* omnium ſerpentum quos hæc regio fert maximus, quadrupes, interdum viginti pedes longus, aſpectu pulcher & tantæ molis, ut interdum integrum cervum deglutire viſus fuerit: nullum huic virus, neque dentes moli corporis reſpondentes: feras autem capit ſingulari induſtria, quippe juxta ſemitas ſe reſupinans in prætergredientes inopinato inſilit, eaſque ita circumvoluit, ut oſſa omnia comminuat, deinde lambendo ita emollit, ut integras poſſit deglutire.

Giraupiagaræ. *Giraupiagaræ*, quaſi dicas ovorum helluones, ſunt nigri, oblongi, ſubflavo pectore, tam velociter ſupra faſtigia arborum feruntur, quaſi in aquis natarent, & ibidem volucrum nidos depopulantur.

Caninanæ. Sunt & alii, quos vocant *Caninanas* perelegantes & viridis coloris, oblongi & craſſi qui itidem ovis atque volucribus victitant.

Boytiapua. *Boytiopua* quaſi dicas anguem oblongo roſtro præditum, teres & oblongus, ranis ſolummodo victitare dicitur: barbari fœminas ſteriles, fœcundas reddi autumant, ſi lumbis illarum hic anguis affricetur.

Guaytiepua. *Gaytiepua* in Regione *Rarim* tantummodo reperitur, ingenti mole & tam graviter olens, ut fœtor illius nullatenus ab hominibus poſſit tolerari.

Boyuna. *Boyuna*, id eſt, niger anguis, gracilis & oblongus, gravemque de ſe ſpargit fœtorem inſtar vulpecularum.

Bom. Eſt & alius anguis magnæ molis, quem à ſtrepitu quem edit vulgo vocant *Bom*, cætera innocuus, neque cuiquam infeſtus.

Boycupecanga. *Boycupecanga* vero, id eſt, anguis in tergo notulis quibuſdam diſtinctus, multo eſt craſſior, ejuſque notæ ſupra modum virulentæ judicantur.

Jararacç. *Iararacæ* autem nomine, quatuor venenatorum anguium ſpecies deſignantur; quorum maximos appellant *Iararacucu*, decem palmos longos: his dentes ſunt grandiuſculi, quos morſuri digitorum inſtar, protrudunt, alioquin buccis tectos, præcipuum in

in hiſce virus, humor crocei coloris, adeo potens ut viginti quatuor horarum ſpacio homines de medio tollat: plures ſimul enituntur fœtus, nam & qui tredecim utero fervet, exenteratum ferunt. Altera ſpecies dicitur *Iararcoaypitiuga*, id eſt, anguis cujus cauda magis alba eſt quam fuſca, tam venenatus, quam vipera Hiſpanienſis, nec forma multum differt aut color. Tertia *Iararaepeba* nominatur, cui linea rubri coloris catenulæ inſtar ſuper dorſum & ſub ventre diſcurrit, cætera fuſcus aut cinereus. Minimi denique appellantur *Iararacæ*, qui raro longitudinem dimidii cubiti excedunt, terreo colore, venis quibuſdam in capite prominentibus inſtar viperarum, & haud aliter quam illæ ſtridentes.

Curucucu. *Curucucu* truculentus anguis, & plurimum metuendus, interdum quindecim palmos longus; præcipuum illi venenum in capite, ideoque barbari intercepto quantocius caput amputant & cooperiunt humo.

Boycininga. *Boycininga*, à tintinabulo quod extremæ illius caudæ Author naturæ addidit ita appellata; plerumque duodecim aut tredecim palmos longa, tam celeriter proreptans ut volare videatur: eſt virulentiſſimus; verum rarius hominibus nocet, quia ſtrepitu, quem tintinabulo edit, veluti admonet de via decedere. Ejus minor ſpecies *Boyciningpeba* appellatur, nigro colore & exquiſitiſſimo veneno. De hoc angue etiam alibi diximus, quum & in America Septentrionali reperiatur.

Ibiracua. *Ibiracua* autem virus tam vehemens cenſetur, ut homini quem momorderit, quantocius ſanguinem ex oculis, auribus, naribus, gutture & inferioribus corporis partibus expellat, tanta copia, ut niſi ſtatim ſubventum fuerit, emoriatur.

Ibiboboca. *Ibiboboca* pulcherrimus anguis, nigro, rubro atque albo colore, caput totumque corpus diſtinctus, verum omnium longe virulentiſſimus, & tardiſſime ſe promovens.

Vehementiam veneni quo prædicti angues atque ſerpentes ſunt inſtructi, & exquiſitos dolores quos adferunt & numerum illorum qui quotidie præ morſibus ipſorum intereunt, explicare difficile fuerit: tanta enim illorum multitudo, ut non modo in campis & ſylvis, ſed & in ipſis domiciliis, inque lectulis incautos opprimant, & niſi ſtatim ſubveniatur venæ ſectione, dilatatione vulneris, hauſtu unicornu aut Carimæ vel denique alterius antipharmaci ope, exquitiſſimis cruciatibus neceſſe ſit interire. Sunt autem inter illos nonnulli, præſertim ex *Iraracarum* genere, qui muſcum redolent, unde facilius ab hominibus hujus gnaris aut vitantur aut occiduntur.

Scorpionum præterea in hiſce regionibus, infinitus eſt numerus, qui raro mortem adferunt, licet ingentem cruciatum viginti quatuor horis infligant.

Ton. Quia autem de venenatis & noxiis animantibus cœpimus, de inſectis quibuſdam pauca addamus. Barbaros (inquit *Lerius*) infeſtat exiguum inſecti genus, quod *Ton* nuncupant; naſcitur in pulvere, magnitudine pulicis: at ubi ſub manuum aut pedum unguibus ſe inſinuavit, prurigo ſtatim oritur, acyri modo, & niſi confeſtim eruatur, brevi ſpacio excreſcit ad piſi magnitudinem, nec tum extrahi poteſt niſi cum magno cruciatu. haud dubio idem eſt cum *Nigua* de qua alibi diximus. Adverſus hanc luem utuntur barbari hoc remedio: partes corporis quæ illis expoſitæ ſunt & obnoxiæ oleo inungunt ſpiſſo & rubri coloris, quod exprimitur è fructibus, quos illi vocant *Couroq*.

Yetin. Gignit præterea Americanus aër ſubtiliſſimum culicum genus, quod Braſilienſes vocant *Yetin*, qui adeo lancinant etiam levius indutos, ut mucrones acuum referant.

Aravers. Sunt & hic papiliones quidam quos barbari (inquit *Lerius*) appellant *Aravers*; gryllorum magnitudine; gregatim quoque ut illi accedunt ad focos, exeduntque ſi quid offenderint, præſertim vero thoraces coriaceos & calceos ita arrodunt, ut ſuperficiem penitus abſumant; gallinas quoque & alia cibaria negligentius recondita ad oſſa uſque erodunt. Ut hoc caput abſolvam, totum hoc clyma obnoxium eſt venenatis, damnoſis atque permoleſtis animantibus.

Cap. VII.

Volucres quædam Braſiliæ deſcriptæ ex iiſdem Authoribus.

QUEMADMODUM hæ regiones ubique pene ſylvis & denſiſſimis lucis ſunt impeditæ, ita ad miraculum uſque ſcatent innumerabili elegantiſſimarum volucrum copia: Præſertim autem Pſittacorum, quorum infinitus pene nu-

merus

merus ita, ut integros ſaltus, integras inſulas occupent, elegantia & plumarum admirabili varietate; quorum plerique humanas voces & loquelam diſcunt imitari ſi paulo diligentius erudiantur. Inter illos excellunt magnitudine & pulchritudine, quos barbari *Araras* & *Macaos* vocant, rariores & maritimis provinciis; plumæ pectoris ſunt purpureo colore eleganti, verſus caudam aut flavo aut viridi aut cæruleo colore ſunt tinctæ, reliquo corpore mira varietate unum aliquem horum colorum, cæteris dilutius intermixtis, exprimunt; caudam habent oblongam: duo tantum ova in concavis arborum aut petrarum cavernulis excludunt: Barbari has aves maximi faciunt, ob plumarum elegantiam; cicurantur autem facile & voces humanas diſcunt ſonare.

Arara. Macao.

Anapura.

His proxima *Anapura*, è Pſittacorum itidem genere, elegantiſſimis coloribus, rubro, viridi, flavo, nigro, cæruleo, fuſco, aliiſque miro temperamento toto corpore, diſtincta; atque eo potiſſimum cæteris præferenda, quod non modo cicuretur & doceatur, ſed & pullos ſuos ſub tectis excludat atque educet; quod aliis inſuetum.

Araruna.

Tertium locum meretur *Araruna* vel *Machao*, plumis quidem nigris, ſed viridi colore tam eleganter diſtinctis, ut ſolaribus radiis percuſſæ, mirabilem in modum emicent, pedibus flavis, roſtro atque oculis rubentibus; parit tantum in Mediterraneis, rariuſque reperitur juxta littora.

Aiurucouri.

Quarta Pſittacorum ſpecies, (quos Barbari vocant *Ajurucouros*) longe pulcherrima eſt, maxima parte viridis coloris, criſta & collari flavis, plumis ſupra roſtrum cæruleis, alarum remigibus eleganter rubentibus, cauda rubra atque crocea, quibus viridis color eſt intermixtus.

Tuins.

Omnium ſunt minimi, quos vocant *Tuins*, virides aut diverſis coloribus pulcherrime variati; qui ob docilitatem magni fiunt, omniumque maxime ſunt domeſtici, cibum ex familiarium ore capere, eorumque dentes purgare ſueti, in ſubſiliendo, canendo, garriendoque indefeſſi.

Guiarubæ.

Pſittacorum autem genus, quod appellant *Guiarubas*, id eſt, flavas aves, neque loquitur, neque geſticulatur, triſte & ſolitarium; magni tamen fit à barbaris, quia ex intimo Continente adducitur, neque facile conſpicitur niſi in ædibus barbarorum quibus præcipua ſunt veneratione, hi enim illos interdum binorum mancipiorum lytro permutant, neque ſecius æſtimant quam Nobiles noſtri accipitres aut falcones.

Yapu.

Yapu denique æmulatur picam; cujus totum corpus nigricat, cauda tantum flaveſcit: tres illi in capite pinnulæ, quas erigit inſtar cornuum, oculos habet cæruleos, roſtrum croceum: pulcherrima avis ſed quæ ubi iraſcitur graviſſimum de ſe fundit odorem; in victu quærendo admodum ſedula, araneas, ſcarabeos, gryllos per omnes ædium angulos perveſtigare ſueta: periculoſum autem manibus has geſtare, quia oculorum acies appetunt, naturali quodam inſtinctu.

Lerius tres tantum Pſittacorum ſpecies prodidit, *Ajourous* omnium maximos; *Marganas* qui Europæ ut plurimum inferuntur; & *Tovis* quos Galli vocant *Moiſſons*.

Guaiminibique.

Minorum autem volucrum, quas *Guaiminibique* appellant barbari, variæ ſunt ſpecies, uti *Guacariga*, id eſt, radius ſolis, & *Guaracigaba*, id eſt, capillus ſolis. Inſularum quas *Antillas* vocant, incolæ vocant *Renatos*, quia ſemeſtri integro creduntur dormire, & primo vere veluti renaſci: Hiſpani vocant alibi *Tomineios*, quia, ut refert *Oviedus*, in monetaria trutina, qua aurum expendi ſolet, cum nidulo ſuo poſita, bina tantum pondera, Hiſpanis *Tominos* dicta, pendet, id eſt grana viginti & quatuor: pulcherrima autem eſt avicula, nam capitis & colli plumæ miram repræſentant elegantiſſimorum colorum quocunque obvertas, varietatem, uti & pectus, præſertim autem igneum quendam colorem, auro ſplendidiorem: reliquum corpus ſubcinericium eſt: roſtrum habet oblongum & linguam roſtro duplo longiorem: volat celerrime, editque inter volandum ſtrepitum quendam inſtar apiculæ, ita ut magis apis quam avis videatur. Origo illarum proditur duplex, nam aliæ quidem ex ovis excluduntur uti reliquæ volucres: aliæ ex muſcis transformari creduntur vulgo; quod haud dubio fabuloſum. Omnes pene Hiſpani, qui de rebus Indicis ſcripſere, meminerunt hujus aviculæ, neque cantus illius ullam faciunt mentionem; ſoli Lerius & Thevetus Galli, ſuavem illi tribuunt cantum, ſcribuntque à barbaris nominari *Guomanbuch*, quod nomen ab eo quod jam ex nupero Authore Luſitano expreſſimus, non multum abludit: niſi quod

quod pluribus ſpeciebus commune faciat. Iconem ſupra exhibuimus è Clar. Viro Carolo Cluſio, hic & illius deſcriptionem adjungimus. Erat (inquit) hæc avicula, ut ex pictura obſervabam, à roſtri mucrone ad pennarum caudæ extremitatem, tres uncias longa: caput videlicet cum integro roſtro, erat longitudinis uncialis cum ſemiſſe; alæ ad extremam pene caudam porrectæ, parem habebant longitudinem: dorſum vix unciam erat latum; ejus & alarum color ex cinericeo fuſcus, ventris cineraceus, pennæ quæ in cauda obſcure rubentes, earumque extrema pars nigra; capitis, colli, gutturis plumæ elegantiſſimæ, coloris ex aureo, rubro & flavo mixti, quæ ſoli expoſitæ, admirabilem varietatem prout obvertebatur caput, oſtendebant: roſtellum nigrum, tenuiſſimum & maxime acutum: pedes valde exiles, nigri, quatuor digitis, ut reliquarum avium, prædit, quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in poſteriorem. Hæc ille, qui plura deſiderat adeat illius Exotica. l.5.c.17. l.5.c.2.

Guranhæ-engera magnitudine Fringillæ, tergo atque alis ceruleis, pectore & ventre flavo, diademate ſupra caput flavo; pulcherrima avis, cæterarum fere omnium cantum imitatur & mille modis flectit vocem atque ſubinde mutat: variæ hujus reperiuntur ſpecies, quæ omnes aviariis incluſæ ſummopere delectant. Guranhe-engera.

Tangara paſſeris magnitudine, colore nigro, capite ſubflavo; non canit: Epilepſiæ videtur obnoxia, ideoque carnibus illius abſtinent barbari; variæ illius ſunt ſpecies. Narrant barbari aviculas haſce inter ſe choreas ducere, una inſtar mortuæ humi procumbente & inconditum murmur atque ſtrepitum edere; donec illa conſurgat & ſimilem ſtrepitum edat, tunc omnes una avolare.

Quereiva maximi fit à barbaris propter plumarum exquiſitam elegantiam; quippe totum illius pectus, pulcherrimo colore rubro tectum eſt, alæ autem nigro, reliquum corpus cyaneo. Quereiva.

Tucana, quam Lerius & Thevetus vocant *Toucan*, picæ magnitudine (inquit Author Luſitanus) flavo pectore, reliquo corpore nigro: roſtro ingenti & minimum palmum longo, extus flavo, intus vero læte rubente; cicuratur ita ut ſub tecto pullos ſuos excludat. Mirum autem videri poſſit quomodo tantilla avis tam grande roſtrum ferat, ſed eſt leviſſimum & valde tenerum. Tucan.

Guirapanga tota eſt alba & cum modicæ ſit magnitudinis ſtentoream habet vocem, & quæ inſtar tintinabuli ad dimidiam pene leucam exaudiatur. Guirapanga.

Macucagua ſuperat gallinas Europæas magnitudine, phaſianæ avi non abſimilis, cujus nomine à Luſitanis inſignitur, triplici cute munita eſt, habetque largam carnem & imprimis delicatam, ponit bis quotannis tredecim aut quindecim ova; graditur quidem humi ſed ad conſpectum hominum petit arbores, multæ illius reperiuntur ſpecies, quæ facile capiuntur. Lerius videtur hanc *Macacovam* appellare, quam perdicis ſpeciem facit. Macucagua.

Mutu (inquit Author Luſitanus) gallinæ eſt ſpecies admodum domeſtica, criſtam gerit inſtar galli, nigris atque albis punctulis interſtinctam, ova illius ſunt grandia, alba & ita dura, ut inter ſe colliſa inſtar ferri tinniant, quare barbari Maracas ſuas ex illis conficiunt: canibus illarum oſſa ſunt lethalia, hominibus nihil nocent. Lerius ſcribit, duo genera exquiſitarum avium hic reperiri, quibus nomen eſt *Mouton*, Pavonum magnitudine, pluma nigra & leucopeata: itemque maximam gallinarum, quas vocant Indicas, multitudinem, quas barbari vocant *Arignaouſou*, ſicuti noſtrates vocant *Arignau-miri*. Mutu.

Perdicum (inquit Author Luſitanus) quas *Vru* vocant barbari, ingens copia hic eſt, uti & turturum (*Paicacu* à Tovoupinambantiis appellari ſcribit Lerius) columbarum, turdorum, neque multum diſcrepant ab Europæis. Vru.

In mediterraneis provinciis plurimi reperiuntur ſtruthiones, barbari ſuo idiomate nominant *Andugoacu*. Inter rapaces aves numeratur, magnæ molis & tam clamoſa, ut ad dimidiam leucam audiatur, tota nigra, pulchris oculis, roſtro galli gallinacei, cui cornu impoſitum palmi pene longitudine, quod eis qui linguæ vitio laborant, ad collum appenſum occulta quadam naturæ vi mederi, experientia volunt comprobatum.


Reperiuntur hic quoque Aquilæ, accipitres, vultures & ſimiles aves quæ raptu vivunt, ſed ita feræ omnes ut nulla induſtria cicurari aut doceri poſſint.

Cap. VII.


Arbores fructiferæ Braſiliæ, *aliæque è variis Authoribus deſcriptæ.*

Acaiou. cap.24.

INTER fructiferas harum regionum arbores excellit *Acajous*, quam Chriſtophorus à Coſta ita deſcribit: Malum punicam æquat hæc arbor magnitudine; folium illius viret delutius & carnoſum eſt: flos candidus, ſimilis fere mali aureæ flori, ſed pluribus foliis conſtans, nec adeo odoratus. Præbet hæc arbor fructum *Cajou* vulgo appellatum; qui quoniam boni ſaporis eſt & ventriculo utilis, ab omnibus multum æſtimatur. Eſt autem hic fructus magni mali inſtar, valde flavus & odoratus, intus ſpongioſus & ſucci plenus, ſine ullis granis, guſtu ſubdulci, nonnihil tamen fauces coarctante. Sed duplicem habet eodem anno ortum, hac ratione: marceſſente floro ſubſequitur faba prægrandis, inter quam & florem, intumeſcit quiddam malo ſimile, quod paulatim fabæ ſuccum ad ſe pertrahit; quoque majus incrementum ſumit, eo faba ſive nux magis minuitur, donec fructus *Cajou* hoc eſt malum illud plenam conſecutum fuerit maturitatem, quod è colore flavo aut rufo (nam uterque color in his malis conſpicitur) & odore deprehenditur; maturo fructui nihilominus inhæret faba illa & cum illo colligitur. Hæc ille: Fructum hunc elegantiſſime & accurate pictum nacti illum in tabella exprimendum curavimus & hic adjungi.



Porro nux hæc quæ in extremo fructu prominet, renis leporini forma eſt (inquit Cluſius) colore cinereo, interdum ex cinereo rubeſcente. Duplici autem conſtat cortice, inter quos ſpongioſa quædam eſt materia, olei aſperrimi & calidiſſimi plena, intus vero nucleum candidum continet eſui aptum, & piſtaceis ſaporis ſuavitate non cedentem, pellicula cinericea obductum, quam adimere oportet. Eo leviter toſto veſcuntur incolæ, gratior enim eſt & venerem ſtimulare creditur. Acri illo oleo nihil præſtantius eſſe ferunt ad lychenes & impetigines tollendas. Incolæ certe utuntur illo adverſus ſcabiem. Iconem nucis ita exprimendam curavit Clariſſimus Vir Carolus Cluſius, tum integræ tum dimidiatæ.



Porro Author Luſitanus quem hactenus hic ut plurimum ſecutus ſum, tribuit huic arbori florem rubrum: & lignum hujus arboris ne foco quidem ſatis idoneum dicit; verum gummi quoddam fundere, quo pictores utantur; corticemque tingendis goſſypinis filis, atque fictilibus vaſis utiliter adhiberi: eundemque in aqua cum æramentis ad tertiam partem ebullitum, egregie mederi malignis ulceribus.

Mangaba.

Mangabæ arboris ingens viſitur copia, circa ſinum omnium Sanctorum, rarius alibi reperitur: Eſt autem cortice Fago, frondibus Fraxino non diſſimilis, ſemper virens & valde amæna. Fert fructus bis quotannis, primum in tubere, tunc enim non floret, ſed tuber eſt illius fructus; deinde primo producit florem Iaſmino ſimilem, ſed multo fragrantiorem; cui ſuccedit fructus præcocis magnitudine, exteriori parte flavus, & punctulis quibuſdam nigris diſtinctus; interius ſunt nuclei aliquot, qui una cum cortice manducantur. Gratiſſimus eſt palato, ſalubris & adeo levis, ut maxima copia ſine ulla noxa comedatur: decidit antequam plene maturuerit, ideoque ſeponitur ab indigenis, donec mitigetur, qui vinum quoddam ex hiſce fructibus exprimunt: frondes autem atque fructus nondum maturi fundunt lacteum quendam ſuccum viſcoſum atque amarum.

Arbor quæ fructum fert, quem Indigenæ ſuo idiomate vocant *Murucuge*, procera eſt

eſt & pyro ſylveſtri admodum ſimilis; fructus illius habet longum ſcapum; decerpitur viridis, ubi autem fuerit mitigatus, optimi eſt ſaporis & facilis digeſtionis. Solent autem Indigenæ arborem proruere, ut facilius fructus colligant, quare rariores reperiuntur: è trunco autem inciſo emanat lacteus quidam liquor, qui conſtipatus ceræ uſum in tabulis conſignandis poſſit præbere.

Earum autem arborum, quæ *Aracas* ferunt, id eſt, exigua pyra, maxima eſt copia, atque varietas, quædam enim flavos, quædam rubros, nonnulla & virides ferunt fructus; idque omnibus anni menſibus: palato ſunt gratiſſimi ob aciditatem. Araca.

Ombu patula eſt arbor, ſed humilior: fert fructum ſimilem pruno albo, ſed paulo rotundiorem & ſubflaveſcentem: dentibus ſupra modum noxium, ita ut barbari crebrius illis veſcentes plerumque dentium jacturam patiantur. Comedunt quoque vulgo radices hujus arboris, quæ dulces ſunt inſtar Sacchari, frigidæ qualitatis atque ſalubres, ita ut inter refrigerantia à Medicis præſcribantur iis qui febribus aut alio morbo calido laborant. Ombu.

Iacapucaya numeratur inter proceriſſimas harum regionum arbores, fertque fructum ſimilem ſcypho cum ſuo operculo; intus autem continet aliquot caſtaneas, mirobalanis non abſimiles; operculum deducit ſe ſponte ubi maturuerint, ita ut fructus excidant; ſi quis autem multum veſcatur incoctis, ei crines toto corpore defluent; at toſti nequaquam nocebunt: putamina uſurpant loco calicum: materies arboris duriſſima eſt & putredini minimum obnoxia, unde ad axes in molendinis Sacchatariis vulgo illa utuntur Portugalli. Iacapucaya.

Araticu arbor aurantiæ mali magnitudine, foliis citrei: fert fructum magnitudine pineæ nucis odoratum & palato apprime gratum, quique haud facile nauſeam pariat: Variæ illius obſervantur ſpecies, & inter illas una quam nominant *Araticupanania*; cujus fructus admodum frigidus judicatur, & ſi crebrius ſumatur, non minus noxius quam venenum: materies hujus arboris levis eſt inſtar ſuberis, ita ut apud barbaros eundem uſum præſtet. Araticu.

Pequea, duæ recenſentur ſpecies: una quæ fructum fert aurantio malo ſimilem, craſſo cortice, quo melleus quidam liquor continetur, dulcedine ſua certans cum Saccharo, cui & nuclei aliquot ſunt permixti. Alterius lignum judicatur omnium quæ in hiſce regionibus naſcuntur, longe duriſſimum & graviſſimum, Luſitani vocant *Setim*, omnis putredinis expers. Pequea.

Iabaticaba arbor fert fructum, parem magnitudine Limoni, ſucco acidiori inſtar uvæ immaturæ; cortex quoque ab ima radice ad extremitatem uſque ramorum exprimit eundem ſaporem; rara eſt arbor & quam tantum in *S. Vincentii* Præfectura dicunt reperiri. Iabaticaba.

Frequentes hîc reperiuntur arbores quæ Cocos nuces ferunt, non quidem locis ſylveſtribus, ſed juxta barbarorum pagos & in pomariis.

Palmarum (inquit Author Luſitanus) ſupra viginti ſpecies à variis ſunt obſervatæ, ſed fructus illarum cum Cocis minime ſunt comparandi. *Lerius* ſcribit quatuor aut quinque Palmarum genera hic inveniri, quarum frequentiſſimum in hiſce partibus, à barbaris appelletur *Gerau*, proximum autem *Yri*. Gerau. Yri.

In Mediterraneis, ultra Præfecturam *S. Vincentii* & verſus *Paraguayum*, integræ viſuntur Pinorum ſylvæ, quæ fructus ferunt Europæis omnino ſimiles, ſed rotundiores & majores; nuclei autem ſalubres ſunt & temperatioris qualitatis quam paſſim per Europam nati.

Gabueriba vaſta eſt arbor, & propter balſamum quod fundit, ſummæ dignationis cortice leviter vulnerato, applicant Goſſypium, in quod liquor ſenſim emanat, quem Luſitani vocant Balſamum, quia ad verum quam proxime accedit, recentibuſque vulneribus utiliter medetur, optimeque olet: nam & luci in quibus hæ arbores naſcuntur, fragrant quam jucundiſſime. Materies illius numeratur inter præſtantiſſimas, ob duritiem & pondus, ſingularemque uſum quem præbet in ædificiis. Feræ ipſæ deterunt affricando arborum harum cortices, Medicinæ, ut veriſimile fit, gratia. Reperitur autem potiſſimum arbor in Præfectura *S. Vincentii*, alibi autem rariſſime. Gabueriba.

Cupayba, arbor inſtar ficus, procera, craſſa atque recta, quæque plurimum olei Cubayba.

continet: nam cortice tantũ inciſo, effundit magnam copiam limpidiſſimi olei, quale ex olivis exprimitur: Commendatur id imprimis ad vulnera curanda & cicatrices tollendas: ſed tanta in his regionibus reperitur copia, ut etiam in elychniis uſurpetur: Materies arboris inutilis. Oleum hoc vulgo appellatur *Copal-yua*; de quo videndus Carolus Cluſius in commentariis ad Chriſtophorum à Coſta.

Ambayba. *Ambayba* arbor ficui itidem ſimilis, ſed humilior; reperitur fere in vepretis & arvis quæ quondam culta fuerunt, rarius aut numquam in ſylveſtribus: corticis interior ſuperficies deraſa & recentibus vulneribus, cortice ſuperligato, impoſita, quam celerrime eadem ſanat: folia illius ita ſunt ſcabra, ut lignis levigandis inſerviant, materies plane ad opera inutilis.

Ambaigtinga. *Ambaigtinga* alia ejuſdem pene arboris ſpecies, quæ inter pinorum lucos reperitur, funditque liquorem quendam oleoſum, de quo Monardes: Ibidem (inquit) colligitur liquor ſive reſina, quam vocant *Abjegnam* ex arboribus ſylveſtribus, quæ neque pinus neque cupreſſi poſſunt dici; ſunt pinis altiores & cupreſſorum in modum rectæ. In harum cacumine enaſcuntur quædam veſiculæ, magnæ parvæque, quibus diſruptis deſtillat guttatim liquor quidam mirabilis, quem Indi diligenter excipiunt conchis, ſed tanto labore atque moleſtia, ut multi pluribus diebus vix pauxillum colligant. Ejus uſus eſt in omnibus, ad quæ Balſamum uſurpant; Conſolidat enim optime vulnera, mitigatque dolores ex materia frigida & flatulenta prognatos: Utilis quoque eſt adverſus ſtomachi vitia, ab humore frigido, aut flatibus genita, ex pauxillo vini albi ſumtus. Author præterea Luſitanus, quem fere ſequimur, commendat folia hujus arboris adverſus vomitiones; & ſtomachi imbecillitatem oleo hoc exterius inuncto curari tradit: longe vero alium deſcribit illius colligendi modum; & quem ante quoque de Balſamo tradidimus: nam & corticem & folia ſoli prius expoſita contundi & in aqua tantiſper ebulliri, donec omnis oleoſa ſubſtantia ſupernatet, atque ita deſpumetur.

Igbucamici. *Igbucamici* arbor Præfecturæ *S. Vincentii* perfamiliaris, fert fructum cidoneis malis ſimilem, intus exiguis granis refertum, præſentiſſimum, ut ferunt, adverſus dyſenteriam remedium: dubito annon idem ſit cum *Mamoerra*, de qua mox.

Igcicga. *Igcicga*, producit ſpeciem maſtyches, gratiſſimi odoris: cortice illius contuſo edit liquorem quendam album, qui condenſatus ſupplet vicem thuris, & emplaſtro adhibetur utiliter in affectibus frigidis. Eſt & alia ejuſdem ſpecies, quam appellant *Igtaigcicam*, id eſt, maſtychen duram inſtar lapidis; adeo enim dura & pellucida eſt illius reſina, ut pene vitrum eſſe videatur: barbari communiter utuntur illa ad fictilia vaſa incruſtanda.

Curupicaiba. *Curupicaiba* arbor habet folia ſimilia malo perſicæ noſtrati, quæ effundunt liquorem quendam lacteum ficulneo ſimilem, ſingulare adverſus vulnera & puſtulas remedium: cortex autem illius vulneratus effundit viſcum, quo barbari utuntur in volucribus capiendis.

Caaroba. *Caaroba* arbor in hiſce regionibus frequentiſſima, ejus folia nonnihil maſtycata; puſtuliſque luis venereæ impoſita, eas tam feliciter ſanant, ut non facile recrudeſcant: lignum eaſdem vires adverſus hunc morbum creditur obtinere quas radix Chinæ & lignum ſanctum quod Antillæ inſulæ producunt: è floribus autem componunt conſervam ad eundem uſum: Eſt & altera illius ſpecies quam appellant *Caorobmacorandibam*, cujus materies eſt cineracei coloris, & medulla longe duriſſima.

Iaburandiba. *Iaburandiba* quæ & *Betele* nominatur à barbaris, amat potiſſimum fluminum ripas; folia ſubminiſtrant ſingulare remedium adverſus omnes hepatis affectus, uti experientia eſt comprobatum.

Betele. Eſt & alia arbor *Beteles* nomine nota, priore paulo minor & frondibus orbicularibus, cujus radices vim quandam obtinent cauſticam, inſtar gingiberis; ſedant dentium dolores gingivarum concavitatibus inditæ.

Anda. *Anda*, vaſta atque elegans arbor, cujus lignum plurimi eſt uſus: è fructu autem extrahunt barbari oleum quoddam, quo corpora ſua inungere conſueverunt, cortice autem ad piſces capiendos utuntur; aquâ enim, in qua maceratus fuerit, animantes omnes veluti ſoporantur.

Ajurati-

Ajuratibira arbuſtum tantum, ferens fructum rubrum, è quo barbari oleum ejuſdem coloris conficiunt, quo corpora ſua ſolent illinere.

Ajabutipita arbuſcula quinque aut ſex palmos alta, fert fructus ſimiles Amygdalis, ſed nigros, è quibus oleum ejuſdem coloris exprimitur, quo infirmorum artus inungere barbaris perquam uſitatum.

Ianipaba pulcherrima arbor & læte virens, mutat ſingulis menſibus frondes, quæ à juglandis foliis non multum differunt, fert fructus aurantiis malis forma ſimiles, ſapore malo cydoneo, in quibus ſingularis obſervatur facultas adverſus dyſenteriam, fructus hujus ſuccus primo eſt albus, verum corporibus illitus brevi tempore ita nigreſcit, ut mirum videatur; unde barbari eo utuntur pro atramento, cutemque illo inſigniunt certis notis, Europæorum veſtitus æmulantes; novem ut plurimum dies durat hic color, deinde evaneſcit: dicitur autem cutem egregie conſtipare atque indurare: immaturo quidem fructui hæc facultas, maturus nihil tale operatur.

Iequitinguacu arbor, fructus fert fragis ſimiles, quibus ſeminis loco continetur duriſſima faba, orbicularis, nigra & inſtar Thracii lapidis reſplendens, amariſſimo cortice: ſupplet egregie vicem ſaponis, & detergit validius quam optimum ſmegma Luſitanicum. Iequitinguacu.

In Mediterraneis juxta ſinum omnium Sanctorum, ut vocant, locis ſiccis & inaquoſis naſcitur arbor vaſta & patula, cujus ramis inſunt foramina admodum profunda, quæ æſtivis juxta & hybernis menſibus videntur plena humore quodam aquoſo, qui numquam exundat, neque ſatis conſtat unde oriatur; & quod monſtro ſimile, numquam minuitur, licet exhauriatur, ita ut non tantum fontis ſed & modici rivuli locum ſuppleat: nam vel quingentis hominibus ſub ea hoſpitari, bibere & lavare licet ad ſatietatem: eſt autem humor limpidus, ſapidus, & divinitus proviſum remedium iis qui per illa ſiticuloſa iter habent.

Multæ præterea vaſtiſſimæ arbores paſſim hic reperiuntur in ſylvis atque ſaltibus, è quibus barbari cymbas unilígneas excavant; multæ quoque quibus materies eſt duriſſima & nulli putredini obnoxia: & imprimis lignum, quod vocant Braſilianum, è quo maximum quæſtum faciunt Portugalli: multa denique ligna odorata, ut *Iararanda*, ſandalum, aliaque ejus generis.

Cap. IX.

Plures arbores Braſiliæ familiares, è Lerii atque Theveti commentariis.

ARBOR totius Braſiliæ celeberrima & à qua Regio nomen putatur ſortita appellatur à barbaris *Araboutan* vel (ut ſcribit Thevetus) *Oraboutan*; adæquat quercum noſtratem proceritate & ramorum copia; tantæ interdum craſſitudinis, ut tres homines vix brachiis complecti poſſint: folia illius ſunt buxeis perſimilia: nullum fert fructum: cortex illius exteriori parte eſt gryſeus; materies intus ſolidiſſima & rubicunda, minime humida, ſed natura ſicca, ita ut accenſa parce admodum fumum edat: tingit egregie, adeo ut etiam cineres illius imprudenter lixivio admiſti induſia adeo tenaci colore rubente infeciſſe narret Lerius, ut licet ſæpius abluta numquam colorem mutarent. Braſil.

Ayri arbor, palmæ quidē perſimilis quoad folia, caudice vero ſpinis acutiſſimis, acuum in modū, undiquaq; armato: fructus fert mediocri magnitudine, in cujus medio deprehenditur nucleus nivali albedine, non tamen edulis: *Ebeni* ſpeciem credit Lerius, nam materies illius nigerrima eſt, dura adeoque gravis, ut aquæ injecta ſtatim petat fundum; barbari adornant ex illa clavas ſuas; eademque & ſagittas aſperant. Thevetus appellat hanc arborem *Hairi*, illiuſque Iconem dat quam hic adjungimus. Ayri.



De materie illius ſcribit pene eadem, niſi quod *Ebeni* ſpeciem haud opinatur, quia minus ſplendet etiam levigatum: fructus illius comparat pilis, traditque inferiore parte eſſe mucronatos; ſeque ma-

 gnam


gnum horum fructuum numerum portaſſe in Galliam: an edules ſint necne, non explicat: dubito autem an hujus arboris materies ſit quam Portugalli vocant *Palo de Ferro*; habeo autem plurimas ſagittas hoc ligno mucronatas, & duriſſimum eſſe & inſtar ferri penetrare experientia comprobavi.

Complura quoque (inquit *Lerius*) ligna reperiuntur in America, multiplicis coloris, quorum nomina ſingulatim edere non poſſum: nonnulla vidi buxeo colore, alia violaceo, alia candida inſtar chartæ, alia denique rubra, diverſi à Braſilio generis: è quibus etiam clavas ſuas adornant barbari; unum quoque quod illi nominant

Copau. *Copau*, arbor juglandi nuci eſt perſimilis, neque tamen fert nuces, materies autem levigata eaſdem maculas cum illa oſtentat.

Adhæc naſcitur in hiſce regionibus, arbor eximiæ pulchritudinis, cujus materies adeo ſuavem ſpirat odorem, ut fragrantiſſimas roſas æmuletur. Contra adoleſcit hic alia, quam barbari vocant *Aovaj*, aut ut Thevetus ſcribit *Ahovaj*, teterrimum ſpargens odorem quum ſecatur, & qui vix ferri poteſt, propterea à barbaris nequidem ad pyras uſurpatur: cæterum arbor eſt pyri magnitudine, foliis ſemper virentibus & mali noſtratis non abſimilibus: fructum fert mole modicæ caſtaneæ, qui figura proxime accedit ad Græcorum litteram Δ, nucleus illius ſupra modum eſt venenatus; putamen duriſſimum & tinnulum; quare à barbaris loco tintinabulorum uſurpantur, & brachiis cruribuſque circumdantur ornatus gratiâ: eoſdem fructus & clavis ſuis, & ſecuribus aliiſque inſtrumentis alligant. Iconem fructuum hic adjicimus, eleganter barbarum in modum concinnatorum.

Aouaj.




Multæ quoq; reperiuntur hic arbuſculæ, præſertim juxta littora, quæ ferunt fructus noſtratibus meſpilis valde ſimiles, ſed valde periculoſos; quare barbari, quum advenas ad eos colligendos accedere conſpicantur, crebro ingeminantes ſuum *Ypochi*, admonent ut ab iis abſtineant.

Hiuourae. *Hiuouràe* (inquit *Lerius*) cortex eſt ſemidigitali craſſitudine, ſapore gratus, præſertim recenter detractus, ſpecies eſt Guajaci quantum accepi à duobus pharmacopolis qui nobiſcum mare tranſierant; eaque barbari utuntur ad luem veneream, quam vocant *Pians*. Modum exhibendi deſcribit Thevetus, & addit fructum ferre modico pruno magnitudine parem, colore aureo, verum ſingulis tantum annis quindenis: intuſque continere nucleum exiguum, ſuavem & delicatum, atque ægris imprimis gratum. Cortex exteriore parte eſt argenteus, interiore ſubruber, fundit lacteum humorem quum recens detrahitur, ſapore ſalis, ſed ad glycerizæ ſaporem accedente.

Choyne

Choyne arbor barbaris appellata, mediocri eſt altitudine, foliis forma & viriditate lauri, pomis magnitudine capitis infantis, ad figuram ovorum ſtruthiocameli accedentibus, non tamen edulibus, cortice ligneo, unde barbari ex eo conficiunt maracas ſuas atque alia itidem vaſa. Choyne.

Pacoaire (inquit *Lerius*) frutex eſt decem aut duodecim pedum altitudine, caudice femorali nonnunquam craſſitudine, qui tamen adeo eſt tener, ut gladio uno ictu ſecetur, pomum vocant barbari *Paco* (& Luſitani *Bachoves*) palmi longitudine, forma cucumeri non abſimile, ejuſdemque coloris quum ad maturitatem pervenerit: hæc poma naſcuntur utplurimum viginti aut viginti quinque ſimul & confertim in ſingulis ramis; Iconem ad vivum expreſſam hic adjungimus: ubi maturuerit hic fructus, calyce avulſo, ad modum recentis ficus, grumoſus apparet; quo fit ut mandentibus ficum referat, & vel delicatiſſimas ficus Maſſilienſes ſapore longe ſuperet. Foliorum forma lapathi aquatici foliis non eſt abſimilis; tanta tamen magnitudine, ut longitudo ad ſex, latitudo ad duos pedes extendatur, ſunt autem adeo tenuia, ut venti paulo vehementioris flatu diſſecentur, media tantum coſta remanente, ita ut eminus conſpicienti hi frutices plumis Struthiocamelinis ornati eſſe videantur. Thevetus vocat hunc fructum *Paquovere* & ſcribit caudicem illius raro altiorem cubito aſſurgere, nec niſi ſemel fructus ferre. Clariſſ. Cluſius in notis ſuis ad rariorum Plantarum Hiſtoriam opinatur, hunc fruticem eundem eſſe cũ Platano, ab Oviedo deſcripto lib. VIII. cap. I. notas enim omnes quam optime convenire. Dalemchampius deſcribit prolixè, ſub *Muſæ* nomine, quem curioſus Lector conſulat. Pacoaire. l.18.c.77.



Meminit & Thevetus arboris, quam à barbaris ſcribit appellari *Vhebehaſou*, ejuſque exhibet Iconem, folia fert braſſicæ non abſimilia; fructum oblongum, quo apes mirum in modum delectantur, ideoque rarius permittunt ad maturitatem pervenire. Vhebehaſou.

Idem & arborem *Peno-abſou* deſcribit, quæ fructum fert rotundum inſtar pilæ, pomi majoris magnitudine, continentem ſex nuces amygdalis paulo latiores ſed exiliores, quibus inſunt nuclei, quos ad recentia vulnera curanda mirifice commendant barbari, cæterum ventriculo admodum noxii ſunt. Penoabſou.



Cariſſ. Vir Carolus Cluſius, in poſterioribus curis, quæ poſt obitum illius à *Raphelengiis* ſunt editæ, exhibet ex obſervationibus *Ioannis van Vſſele* Iconem, & deſcriptionem duarum arborum, quas hic referre, operæprecium duxi.

Utraque arbor à Luſitanis dicitur *Mamoera*, unius quidem generis, ſed ſexu diffe-

 rens,

rens, nam illarum altera, mas videlicet, ſterilis eſt & flores duntaxat gerit è longis pediculis dependentes & racematim cohærentes, ſambuci florum æmulos, ex albo flaveſcentes, nullique rei fere utiles. Fœmina autem duntaxat fructum, nullum florem: adeo autem amicas inter ſe ferunt, ejuſque eſſe naturæ, ut ſi longo intervallo ſint ſejunctæ nec fœmina marem vicinum habeat, etiam ſterilis fiat nec ullum fructum ferat. Porro fœminæ truncus, circiter binos pedes craſſus, ad novem pedum aſſurgit altitudinem, antequam fructum ferre incipiat, dehinc ſuperna arboris pars fructu onuſta conſpicitur, & ab eo confertim naſcente veluti cingitur ad novem interdum pedum altitudinem: fructus eſt rotundus & orbicularis, exigui peponis magnitudine atque formâ, carne ubi maturuerit flaveſcente, quam incolæ alvum laxandi cauſa ſolent manducare: plurima grana continet exigui piſi magnitudine; nigra & ſplendentia, nullius uſus: folia prodeunt inter fructus longis pediculis ſubnixa, quorũ forma ad Platani ſive Aceris ampliſſima folia accedit. Quia autem inter maris & fœminæ, trunci & foliorum formam nulla eſt differentia, tantum fœminam cum dimidiato illius fructu hic appingendam curavimus. Quod nomen apud Indigenas obtineret, ignorabat qui obſervaverat, ſed à Luſitanis qui in illa provincia habitant *Mamoera* appellari ajebat, fructum vero *Mamaon*, ab uberum, ut opinatur Cluſius, ſimilitudine, quæ Hiſpani Mamas & tetas vocant. Naſcitur utraque hæc arbor in ea Americæ parte, in qua celebris ille ſinus à Luſitanis *Baya de todos los Santos* appellatus, ſitus eſt. De quo ſuo loco.

Atque hæc hactenus de arboribus fructiferis & quæ oleum aliquod ſive reſinam fundunt, paucisque ſylveſtribus, dicta ſunto.

Cap. X.

Herbæ, plantæ, radiceſque edules Braſiliæ *ex iiſdem Authoribus.*

Mandioca.

ORDINARIVS harum Regionum, ut ita dicam, panis eſt *Mandioca* (ut author Luſitanus vocat) radix inſtar paſtinacæ aut *Caryotæ*, verum longior atque craſſior: producit certos caules, ad quindecim interdum palmarum altitudinem, tenerrimos & medulla candida & internodiis, in ſingulos palmos, diſtinctos, è quibus abruptis & terræ inſitis, ſex aut novem menſium ſpacio, maximæ radices enaſcuntur. Variæ autem reperiuntur illius ſpecies, omnes edules: atque hæ radices durant ſub terra multos annos ſine ulla cultura, & quo annoſiores ſunt, eo craſſiores. Obſervandum autem imprimis, omnia animantia, hominibus ſolum exceptis, radicem hanc appetere crudam, eaque impingueſcere & commodiſſimè nutriri: verum ſi contuſa fuerit & humorem illius ſolum hauriant ſtatim emori. Ex hiſce radicibus defœcatis atque contuſis, primo farinam deinde & pollinem deducunt, è qua candida & delicata coquunt liba: eandem farinam aqua temperatam & coactam in paſtillos, ſuper craticulas fumo indurant atque exſiccant, atque in penu quandiu libet recondunt; inde ubi opus eſt repurgant, contunduntque in pollinem, ita candidam ut cum triticea certet, & certa quantitate recentioris farinæ admiſta, pinſunt panes bis coctos, quibus barbari in bellicis expeditionibus, Portugalli in navalibus utuntur. Aliud quoque bis cocti genus adornant ex mero recentium radicum in pila contuſarum ſucco, eoque aut ad ſolem coacto atque ſiccato, aut ad ignem toſto; quod candidiſſimum eſt & delicatiſſimum, neque ad vulgi uſum comparatum. Ex eadem *Mandioca* fumo arefacta, varias componunt potiones, quas barbari vocant *Mingaes*, adeo ſalubres ut reſtaurantium loco ægrotantibus propinentur; è polline vero varias cupedias & admixto oryzæ polline panes fermentatos, triticeis omnino pares. Eandem ad fumum ita ſiccatam antidotum & antipharmacum autumant, adverſus venenatos anguium morſus. Inter Mandiocæ ſpecies cenſetur una, quam vocant *Aypim*, quæ etiam cruda nequaquam nocet, è qua barbari componunt potionem frigidiuſculam & hepati perutilem, ita ut illius beneficio barbaros raro hepatis affectibus laborare opinentur. Quidam autem barbari, ex *Tapujarum* gente, etiam priore Mandiocæ ſpecie veſcuntur cruda ſine ulla noxa, quia illi victui à teneris aſſueverunt. *Lerius* vocat has radices *Maniot* & *Aypi*; Thevetus *Manihot*: *Lerius* comparat folia illius Pæoniæ foliis, Thevetus Patæ Leonis. *Lerius* denique ſcribit


Aypi.

ſcribit duplex farinæ genus ex illis confici; unum durum atque percoctum, quod *Ovyentam*; alterum mollius & minus coctum, quod *Ovy-pou* vocent barbari: pulmentum quoque, quod à barbaris vocatur *Mingant* (credo idem eſſe cum *Mingaes*) quod pingui jure dilutum non male referat oryzam: Deniq; hæ radices dicuntur aliis Americanis & præſertim Inſularibus *Yuca*, de qua alibi quoque dicendum erit.

Nana (inquit author Luſitanus) herba eſt hic admodum communis foliis Aloes, ſed gracilioribus & magis aculeatis, è medio illius prodit fructus, pineæ nuci ſimilis, elegantiſſimis & verſicoloribus floribus undique ornatus; fragrantiſſimi odoris, & gratiſſimus palato; plenus ſucci inſtar melonis; fertur adverſus nephriticos dolores ſingulare medicamentum; ſed febricitantibus cenſetur noxius. Americani exprimunt ex hoc fructu delicatum & generoſum vinum: cortex illius dicitur ferri aciem obtundere, ſuccus autem maculas è veſtibus abſtergere. Recens nauſeantibus in mari auxiliari dicitur. Tanta autem in Braſilia naſcitur copia, ut barbari illis porcos ſuos ſaginent. Thevetus ſimiliter vocat *Nanas*, *Lerius Ananas*: licet autem Europæis jam nomine ſit notiſſimus, & Iconem illius jam dederint alii, tamen eandem ab Hiſpano expreſſam hic adjungere non abs re viſum. Nana.



Pacoba, quam ficum Adami vocant, utrum potius herba an potius arbuſcula ſit dicenda, ambiguum eſt; nam in ſummam altitudinem excreſcit, ſed caulis illius eſt tenerior & poroſus, folia illius pulchra & nonnunquam cubitum & amplius longa, eleganter ſtriata, levia, læte virentia atque frigidiuſcula, ita ut febricitantibus ſubſtrata, æſtum dicantur temperare. caulis ſe ſpargit in plurimos ramulos, quibus racematim annaſcuntur fructus, ſimiles ficubus, magno numero, qui ubi maturuerint, pediculo inciſo cui racemus innititur, auferuntur, aliis ſubinde ſuccreſcentibus pene in infinitum: fructus autem maturus flavi eſt coloris, grati ſaporis atq; ſalubris præſertim febricitantibus & ſanguinem eructantibus. Jam potius inducor ut credam, hunc fructum à Clariſſ. Viro Carolo Cluſio expreſſum libro Exoticor. primo capite undecimo; licet alibi ſecus judicaverim, ideoq; Iconem hic repetere viſum. Erat (inquit *Cluſius*) hic ramulus cum ſuo fructu in uvarum modum quaſi congeſto, deſiccatus, durus, craſſo cortice tectus, gracilis & digitalis longitudinis, coloris ex fuſco cineracei, octo fructus exiguorum ficuum inſtar, craſſo brevique pediculo ſubnixos ſummo faſtigio ſuſtinens fulginoſi coloris, cineraceis maculis conſperſos, duros & ſatis ſolidos. *Iuſtus Raphelengius* in appendice ad Herbarium Dodonæi comparat cum Muſa Serapionis & certe deſcriptio, quam ſupra ex Authore Luſitano expreſſimus cum Muſæ notis & Icone quam exhibet egregie convenit, niſi quod l.v. c.iii.




fructus

fructus, quos Cluſius expreſſit, nonnihil à Muſæ fructibus differant. Iudicent Herbariæ reiperiti.

Murucuca. *Murucuca*, herba pulchra aſpectu, præſertim quum floret, adverſus parietes atque arbores hæderæ in modum enititur; ejus folia cum pauxillo Chalcanthi contuſa, mirum in modum ſanant maligna ulcera: fructum fert orbicularem, nonnumquam & ovalem, flavum, nigrum, fuſcum & diverſicolorem, intus autem continet nucleos, muccilagine quadam obſitos, grati ſaporis, ſed acidiuſculi: fructus eſt quantivis precii. Ante aliquot annos à nautis noſtris accepi duos fructus, ovali forma, cortice lignoſo ſubfuſco, quos hujus plantæ fructus ſuſpicor. nam intus continet quamplurimos nucleos forma renis ovillæ, pulpa quadam ſub alba tectos, quæ acidioris eſt ſaporis & aquæ impoſita & aliquandiu macerata reſolvitur in muccilaginem, apertus autem nucleus exiguam continet nucem, flavi coloris.

Reperiuntur præterea in hiſce regionibus multæ radices edules, uti *Potati, Manmaræ* atque *Caræ*, inſtar raparum. Diverſa quoque legumina; fabæ Luſitanicis multo, ut putant ſalubriores; phaſeolorum variæ ſpecies; quarum hic unam è Clar. Viri Caroli Cluſii Exoticis adferre, operæ precium viſum, cujus Iconem & deſcriptionem adjicit ejuſmodi.



Prælongus (inquit) erat hic lobus; nam decem unciarum longitudinem habebat, unius autem unciæ latitudinem aut paulo ampliorem, cartilaginea cute tectus erat, & quaternis in dorſo nervis, à pediculo ad extremum lobum ſecundum longitudinem excurrentibus inſignitus, fuſci extrinſecus coloris, intrinſecus ex cineraceo candicantis, tenui quadam membrana ſingulas phaſeolorum ſedes (decem autem continuerat) diſtinguente. Ipſi vero phaſeoli unciam longi, ſemunciam lati, ſpadicei coloris & circa hilum fuſcum candicantis. Hæc ille. Habeo autem ſimiles lobos nuperrime è Braſilia allatos, in quibus phaſeoli nigri coloris, & diverſicolores atque elegantiſſimis maculis diſtincti; unde manifeſtum eſt, naturam ibi non minus quam alibi in coloribus phaſeolorum diverſimode ludere.

Pepones hic inveniuntur tam vaſtæ molis, ut indigenæ iis utantur pro vaſis, quibus aquam aggerunt: variæ item ſpecies milii, è quo panes, potum, aliaque conficiunt barbari: alunt iiſdem & equos, atque ſaginant ſues.

Tajaoba. *Tajaoba* herba, uti barbarorum idiomate dicitur, non abſimilis eſt braſſicæ noſtrati, hanc purgandi facultate præditam tradunt.

Iambig. *Iambig* herba, eis qui hepatis vitio, aut calculo laborant admodum ſalutaris.

Multæ ſpecies piperis imprimis ſiliquaſtri, ſapore non ingrato.

Ietigeucu. *Ietigeucu* mechoacan (de quo alibi diximus) non abſimilis eſt radici, raphani longitudine, ſed ſpiſſior; purgandi quoque virtute prædita: contuſa ſumitur è vino adverſus febres; itemque cum gallina cocta: Solent eandem & Saccharo condire: unicum illi vitium, quod ſitim conciliare putatur, alioqui utiliſſima & magnæ virtutis.

Igpecaya *Igpecaya* aut *Pigaya*, dyſenteriæ traditur opportune mederi; caulis illius ſemicubitum longus, eadem & radicis prolixitas; producit ut plurimum tantum quatuor aut quinque folia, gravis atque ingrati odoris; radice autem contuſa & in aqua per

noctem

noctem ſub dio relicta, è qua mane per cribrum eliquata exhibetur ægro, eumque purgat ad eum modum, ut ſimul ventris profluvium ſiſtat.

Cayapia.

Nuperrime admodum (inquit author Luſitanus) obſervata fuit herba *Cayapia*, unicum pene & ſingulare remedium adverſus venena, præſertim ſerpentum, unde Herba anguis appellatur, & unicornu, *Bezaar de Coco Maldivienſi* virtute neutiquam inferior. Radix nimirum, quæ gracilis eſt & nodo quodam in medio diſtincta, qui nodus contuſus & cum aqua potus, potenter reſiſtit anguium veneno, & à venenatis ſagittis ictos ſecuros facit; folia illius ſpirant de ſe odorem ficulneis frondibus haud diſſimilem.

Tyroqui.

Tyroqui ſive *Tareroqui*, herba eſt, foliis ocymi, radice in multas lacinias diviſa, ramulis teneris, floribus è rubro ſubrufeſcentibus, qui ab ipſis extremitatibus erumpunt: magna hujus ubique viſitur copia; ubi primum ſecta fuerit flaveſcit, mox paulatim candicat, laudatur inprimis adverſus dyſenteriam. Barbari autem ægrotantes hujus herbæ fumo ſe afflari volunt, valetudini id prodeſſe autumant: ſingulare itidem cenſetur remedium adverſus lumbricos, familiare hiſce regionibus malum: Herba hæc noctu veluti marceſcit, & ſole exoriente rurſus ſe deducit.

Embeguacu.

Embeguaca herba, habet radices interdum triginta & plures cubitos longas, cortice duro, è quibus hîc funes nauticos contorquent, admodum validos, quippe qui ſub aquis revireſcant. Cortices autem contuſi & prunis ardentibus impoſiti, ſuffimigio ſuo ſiſtunt ſanguinis defluxum, præſertim in fœminis.

Caaobetinga.

Caaobetinga, exigua herbula, paucula folia protrudit ab ipſa radice, inferiori parte candicantia, ſuperiori virentia: fert floſculum inſtar avellanæ: radices & folia contuſa dicuntur vulnera conſolidare, folia quoque integra vulneribus impoſita, eiſdem firmiter adhæreſcunt.

Cobaura

Cobaura herba, malignis & inveteratis ulceribus dicitur mederi, ſi contuſa aut in cineres redacta eiſdem aſpergatur, tollit enim malignitatem atque ſuperinduit novam cutem: folia quoque virentia contuſa, cutem egregie reſtaurant.

Guaraquimyia.

Guaraquimyia, myrtum refert Luſitanicam; præter alias autem inſignes illius facultates, ſeminibus illius peculiaris hæc virtus tribuitur, ut deglutita quantocius lumbricos ex inteſtinis depellant.

Camara catimba.

Camara catimba florem fert pulcherrimum, (qui redolet muſcum,) & ſimilem *Caryophylleo*; aqua autem in qua folia hujus herbæ decocta fuerint, egregie ſanat ulcera & puſtulas atque recentia vulnera.

Aipo.

Aipo, apium eſt Luſitanicum, eaſdem obtinet vires; reperitur tantum in maritimis provinciis & juxta oram maris, potiſſimum autem in Præfectura *S. Vincentii* & fluminis *Ianuarii*; ſapore tamen eſt magis auſtero, quam Europæum, haud dubio propter maris vicinitatem.

Malva quoque hiſce regionibus eſt familiaris, fert flores exquiſitè rubentes, ita ut roſæ videantur.

Caraguata.

Caraguata carduorum ſpecies, fructum fert flavum, qui digitum longus, & crudus ori objectus labia excoriat, verum coctus aut toſtus, non offendit aut nocet: ſed prægnantes facit abortire. Eſt & alia ejuſdem ſpecies, foliis pandis, quæ duas aut tres interdum orgyas ſunt longa; fructum fert inſtar *Nanæ*, ſed inſipidum; ejus folia macerata & ſubacta, ſubminiſtrant linum quoddam tenuiſſimum, è quo barbari fila ſua piſcatoria concinnant, eſt enim admodum tenax.

Timbo.

Timbo mirabilis herba, quæ inſtar funis ad altiſſimarum arborum faſtigia enititur, eaſque hederæ in modum complectitur, interdum cruris humani craſſitie, adeo tamen flexilis & valida, ut quoquo modo conſtringas nunquam rumpatur: ejus cortex eſt lethale venenum, quo barbari ad piſces capiendos abutuntur; nam cortex flumini injectus, virus ſuum longe lateque ſpargit, quo piſces omnes ſtatim emoriuntur.

Multæ præterea reperiuntur hic herbæ, quæ in medicina uſurpari poſſunt; plurimæ odoratæ, uti mentha, præſertim in provincia *Paratininga*; oryganum, aliæque, verum non tam ſuaviter olent, quam in Hiſpania; quod clymatis vitio imputant, ſolo utplurimum nimis humido, niſi forte & nimio ſolis æſtui tribuendum fuerit.

Flores quoque hîc varii, lilia candida atque rubra, aliique ejus generis.

Canna-


Tucuara.

Cannarum denique & arundinum hic ingens invenitur copia & varietas: præſertim *Tucuara* femoris humani craſſitie; aliæ in ſummam altitudinem excreſcunt, quæ in ſylvis utplurimum reperiuntur, ſolique humiditate nutritæ, tantiſper enituntur donec faſtigia arborum ſuperaverint: occupant interdum multa jugera atque adeo integras provincias: barbari autem maxime amant mediocres arundines, quia ſagittas ſuas ex iis componunt. Hactenus pene ex Authore Luſitano, niſi quod convenientia ex aliis quoque admiſcuimus.

Cap. XI.

Aliæ aliquot Plantæ Braſilienſes è Lerio, Theveto, Cluſioque: *&* Phalangii *monſtroſa ſpecies.*

Miror Authorem Luſitanum nullam mentionem facere *Manobi*, quod à *Lerio* ita deſcibitur; Barbaris quoque fructuum genus eſt, quod vocant *Manobi*, qui ſub terra naſcuntur more tuberum; devinciunturque inter ſe tenuibus filamentis, continent nucleum avellanæ magnitudine & ſapore; putamen illius haud firmius eſt ſiliqua piſi ſicca, colore autem leucopæo. An vero folia, ſemenque proferat, quamvis ſædius eo veſci mihi contigerit, non tamen adeo eſt à me obſervatum, ut meminiſſe poſſim: Hæc ille: Nos fructus hos è Braſilia nacti, Iconem accurate exprimendam curavimus, ea mole qua erant.



Creſcit hic quoque (inquit *Lerius*) fabæ quoddam genus, pollicis craſſitudine, quod à barbaris nominatur *Commenda-ovaſſou*; piſa quoque alba & leucopæa, quæ vocant *Commanda-miri*.

Thevetus autem recenſet fabarum quandam ſpeciem, planè candidam, planam & noſtratibus latiorem atque longiorem. Earum aliquot è Braſilia nactus Icones earum exprimendas curavi: differunt autem à noſtratibus non tantum illo, quod planiores longe ſint, verum etiam quod ſuperiore parte nullum umbelicum, ut Dodonæus vocat, oſtentent; alioquin germinationis indicium, ut in noſtratibus manifeſte apparet. Eæ autem quas accepi, colore differunt, non forma, ſunt enim aliæ prorſus albæ, aliæ dilutè è candido flaveſcentes, aliæ obſcurè purpureæ; omnium autem cutis admodum nitet.




Cum Uliſſipone eſſem (inquit Cluſius) donatus ſum phaſeoli genere, ex Braſilia allato admodum recenti, pollicari latitudine, craſſo, colore ruſeſcente, magno hylo & parte extrema veluti ſeſſili, ejuſmodi quatuor aut quinque ſingulis ſiliquis prægrandibus continentur, qui recentes & adhuc virentes tuſi & impoſiti bubones venereos curare dicuntur: flore traditur ex rubro palleſcente: ego duntaxat juniorem plantam vidi mihi è ſemine natam, quæ foliis phaſeolo vulgari fere ſimilis erat, niſi quod minora erant & averſa parte, tenui, molli fuſcaque lanugine obſita, præſertim tenuiora folia & extremi caules: Braſiliani vocant *Macouna*.

Macouna.

Vidi etiam (inquit Idem) non procul Uliſſipone in monaſterio quodam Phaſeoli genus vulgari noſtrati adeo ſimile, ut noſtrum putarem: pergulas iſtic veſtiebat opere topiario, flore purpureo; at ſiliquæ ſcabræ erant, breviores & duplo latiores quam noſtræ vulgares: fructus exiguus, piſi vulgaris magnitudine, totus niger niſi qua ſiliquæ adhærebat, quæ candida erat. Braſilianis frequentem eſſe audiebam, & Luſitanis iſtic habitantibus *Fava brava*, id eſt, fabam ſylveſtrem appellari; utriuſque Iconem expreſſit in commentariis ad Monardem. Vidi jam in Belgio noſtro natos phaſeolos, qui itidem è Braſilia erant allati, quorum folia à noſtratibus nihil differunt, flores autem ſunt elegantiſſimi coloris rubicundi aut qui in malis aureis cernitur, conferti & plures ad longiſſimos pediculos: ſiliquæ autem ſunt ſcabræ, breviores quidem quam vulgares ſed latiores phaſeoli denique

phaſeoli denique ſunt colore cæruleo valde ſaturo & pene nigro, multo majores vulgaribus, cæterum ejuſdem formæ: vidi eoſdem planè candidos, & floribus ad eundem modum compoſitis & itidem candidis aut ſubflavis, elegantiſſimæ ſunt plantæ & quæ pergulas opere topiario pulcherrimè poſſunt ornare.


Non poſſum omittere quin hic adjungam, longe maximum phaſeoli genus ex eadem Braſilia allatum; ſiliqua eſt duas uncias lata; & ſemipedem longa, fuſci coloris ad nigredinem accedentis, quatuor interſtitiis diviſa, & quum recens eſſet, lanugine quadam ſubrufa tecta; continet quatuor phaſeolos, magno hylo, convexa parte nigricantes, ad oras flaveſcentes: ſunt & qui lætè rubent; quidam etiam nigris quibuſdam notulis diſtincti: cortice admodum craſſo; ſapore noſtratibus Phaſeolis valde ſimiles. Iconem hujus ſiliquæ & phaſeoli accurate expreſſam adjungo.



Piperis porro Americani, quod maxime in Braſilia creſcit, ſpecies duodecim recenſet Clariſſ. Cluſius in curis poſterioribus: Matthiolus vocat hanc plantam ſiliquaſtrum, Cluſius Capſicum; foliis perparum differt, ſed ſiliquis multum, nam aliæ ſiliquæ erectæ ſunt, rotundæ, pyramidaleſque: aliæ pendulæ, rotundæ, ceraſorum modo, oblongæ & rugoſæ: aliæ denique pendulæ itidem, ſed recurvæ aut bifurcatæ. Sed de hac planta ſupra plura diximus ſub nomine *Chilles* aut *Axi*. Hic tantum addam ex Lerio; Barbaros Braſilienſes cum ſale, quem optime conficere norunt, piper illud conterere, compoſitionemque illam vocare *Iouquet*, qua haud ſecus utuntur in cibariis, quam nos ſale; non tamen intingunt illi buccellam, ſed poſt buccellam ori ingeſtam, *Iouquet* ſummis digitis apprehenſum inferunt ori. lib. v. Iouquet.

Præter *Maniot* & *Aypi*, etiam alias habent radices (inquit *Lerius*) quas appellant *Hetich*, quarum æque ferax eſt Braſilienſe ſolum atque Lemovicenſe aut Sabaudicum eſt raparum: ſunt autem plerumque craſſitudine duorum pugnorum. Licet primo aſpectu è terra evulſæ unius generis eſſe videantur, quia tamen inter coquendum, aliæ violaceum, aliæ aureum, aliæ denique album colorem induunt, trium eſſe generum autumo: Utut ſit, vere poſſum affirmare has radices, præſertim quæ aureo ſunt colore, ſub cineribus coctas piris noſtris vel optimis nequaquam cedere: Earum folia, quæ hederæ terreſtris modo humi ſerpunt, foliis cucumerum aut latiſſimorum ſpinaceorum ſimillima (Thevetus comparat malvæ foliis) differunt tamen colore, qui propius accedit ad vitem albam: cæterum quia ſemine carent, barbaræ mulieres, quibus id curæ eſt, ſerunt minutatim conciſas; quæ fruſtula non multò poſt totidem craſſas radices gignunt. Tametſi quia cibarium eſt illius terræ præcipuum, paſſimque peregrinantibus occurrunt, etiam ſponte naſci exiſtimo. Hetich.

Non abs re fuerit hiſce Plantis ſubjungere Phalangium monſtroſum, cujus Clariſſimus Cluſius ſequentem Iconem & deſcriptionem exhibet in curis poſterioribus.



In Braſiliæ parte ubi ſinus eſt omnium Sanctorum (*Bahia de todos los Santos*) obſervabat honeſtiſſimus vir *Ioannes van Vſele*, Phalangium quoddam ſive aranei genus non vulgare, ſed monſtroſum: Nam quum Plinius omnibus araneorum generibus, terna duntaxat internodia in cruribus tribuat, & Phalangio corpus exiguum; hoc plura in ſingulis cruribus habet internodia; nam præter articulationem, qua corpori conjungitur, quaterna habent & bifidos inſuper veluti ungues, ut exigui cancri crura pene referre videantur. Totum autem corpus tres uncias ſive pollices longum, unciam aut paulo amplius latum fuſci quidem coloris, ſed totum hirſutum, denſiſque & longis pilis nigris undique tectum, medio dorſo habens foramen conſpicuum tanquam umbelicum, in ambitu ſimilibus pilis præditum, caput ſive anterior corporis pars tota ſimilibus pilis densè obſita, quemadmodum & poſterior ſive alvus, quæ unciam longa craſſiorque eſt, atque bifido mucrone videtur prædita: media corporis parte in utroque latere quina habet crura, ſimilibus pilis hirſuta & quatuor internodiis ſatis conſpicuis diſtincta, quæ rubro colore infecta ſunt ut etiam ungues: breviter, valde monſtroſum eſt hoc animalculum & ita noxium, ut incolæ contactum illius formident ac fugiant. Hæc ille. Pervenit ad nos ejuſmodi araneus vivus, qui ex Inſula *S. Alexii*, quæ continenti Braſiliæ objacet, (ut mox dicetur,) erat allatus quem jam duos pene menſes ſervamus, è quo formam & compoſitionem corporis paulo accuratius licuit obſervare; eſt ea mole quam deſcripſit Clariſſ. Cluſius, aut etiam paulo major; crura illi ſunt totidem, quot ille numerat, ſed bina anteriora, paulo ſunt minora & breviora; internodia habet quatuor præter pedes; ſed neque internodia neque ungues rubro colore diſtincta poſſumus obſervare, neq; ungues, ut vocat, bifidos eſſe ſatis apparet, quanquam de his ambigo: neque corpus ita denſis pilis eſt obſitum, ſed rarioribus, præſertim poſterior pars ſive alvus, quæ aliqua parte nuda eſt & luridi coloris ſive ſubfuſci, quem vulgo vocant *Menin*; umbelicum habet in dorſo, ſed non ita patentem aut conſpicuum, verum contractiorem; telas quoque nere obſervavimus poſterioribus illis bifidis veluti caudis: habemus & mortuum, è quo notavimus, illum juxta os utrimque habere veluti tubercula bina, quibus concluſi ſunt ſinguli dentes inſtar unguicularum, quales habent minores aviculæ, incurvos, corneos & nigerrimo colore nitentes: vivum autem numquam illos exerere vidimus, licet varia illi objecerimus inſecta & muſcas quibus veſci ſolet hoc genus animantium: ſupra os autem habet veluti uvam bifidam nigerrimam itidem & ſplendentem, ambigo an illa videat: movet ſe quam celerrime, ſi liber è pyxide dimittatur, & ſtatim nere incipit, concluſus nihil tale molitur.

Cap. XII.

Piſces marini Braſilienſium *ex Authore Luſitano & aliis.*

INTER Piſces Braſilienſium excellit *Manati*, cujus Iconem & deſcriptionem jam dedimus.

Beyupira. *Beyupira* piſcis eſt ſimilis ſturioni Luſitanico, quem barbari merito magni faciunt, eſt enim præpinguis, boni ſaporis, atque ſalubris; eorum infinita hic reperitur copia: capiuntur autem hamis in alto mari, ſex aut ſeptem palmos longi, teretes, nigro dorſo, ventre candido.

Boopes. *Boopes* mole atque effigie Thunnis Hiſpanicis ſimiles, pingues admodum, ſecantur in modum Thurmorum, condiunturque: axungia illorum à ſuilla non abludit, è qua


è qua oleum quoddam ſive butyrum conficitur; oculis ſunt bovillis, unde ipſis nomen.

Camurupi, præcipuis annumerandus, pinguis & gratiſſimi ſaporis, multis ſpinis per totum corpus ſparſis, pinnam habet in dorſo longiſſimam ſemper erectam, corpus longum & ſatis amplum, uti vix à duobus viris attollatur; capiuntur fuſcina ferrea; multumque pinguedinis & olei inde deducitur. Camurupi.

Piraembu piſcis, quaſi ſtertentem dicas, à ronchis quos edit; octo aut novem palmos longus, grati ſaporis & magni pretii; obtinet intra os duos lapides, palmam latos & validos, quibus buccinas quibus vivit, comminuit; barbari hos magni faciunt & geſtant circa collum pro monilibus. Piraembu.

Sunt præterea plures hìc piſces, noſtro orbi ignoti, grati ſaporis & non inſalubres: magna quoque nonnullorum copia, qui & in noſtro mari capiuntur, uti quos Portugalli vocant *Tainhas*, quos recentes, plurimum prodeſſe obſervarunt adverſus anguium morſus: Cyprinorum marinorum varia genera, quos Pargos & ſargos vocant Luſitani: *Cicharri* è ſcombrorum genere: *Garazes*, *Acus*, *Rhaiæ* & ſimiles.

Inter eos quoque excellunt, quos Luſitani & alii vocant *Doradas*; à barbaris autem appellantur *Waraka pemme*, ut accepimus à quodam noſtratium, qui & piſcis hujus Iconem ad vivum eleganter expreſſerat, quam hic ſubjungimus. Dorada. Waraka pemme.



Deſcripſerunt illum diligenter varii authores, præſertim *Rondeletius* & *Aldrovandus*, Icones tamen nonnihil differunt à noſtra.

Piſces autem omnes (inquit Author Luſitanus) in hiſce regionibus ita ſalubres judicantur, ut neque febricitantibus noceant.

Quia autem littus tot habet receſſus, ſinus atque elyces, adeoque piſcoſum eſt mare, cetorum ingens copia huc annatat, præſertim à Majo ad Septembrem, ibidemque & parere & fœtus ſuos educare creduntur. Sunt qui Ambar griſeum quod hic non raro reperitur, à cetis rejici opinentur; quanquam alii ab ipſis fluctibus in littus propelli exiſtiment: nam fere poſt grandiores tempeſtates invenitur: omnia animantia id ſummopere appetunt, itaque ceſſante tempeſtate ſtatim illud indagare, cautio eſt, ne ab animantibus comedatur, multa quoque cete non raro vadis hærent & æſtu relabente deſtituuntur in ſicco, è quibus magna vis olei deducitur. Sunt autem fere ex eorum genere, quos *Phyſiteres* vocant. Priſtes quoque toto hoc mari frequentes, vel potius Xiphii ſive ſerræ piſces, immanes belluæ, roſtro lato inſtar gladii & multis acutis dentibus utrimque ſerrato, longitudinis interdum tricubitalis, quo cete, cum quibus bellum gerunt, ſæpe vulnerant ad necem.

Maxima circa hæc littora Teſtudinum marinarum copia, quæ ova ſua in littore deponunt, interdum ducenta, nonnunquam & trecenta, magnitudine gallinarum ovis paria, rotunda atque alba, ſed valida tantum membrana tecta; quæ arena contegunt, donec excludantur. In tantam autem molem excreſcunt, ut nonnunquam reperiantur, quas decem viri nequeant attollere: notiſſimæ jam ſunt Europæis.

Tuberones quos vocant hic pene infiniti, crudele animal & quod multis in mari natantibus exitium adfert: plura illorum genera; quorum quædam hic & in fluminibus reperiuntur: in mari autem capiuntur fuſcinis; habent autem ſemper comites

piſces diverſicolores, quos Luſitani vocant *Pelgrimes*. Barbari aſperant ſagittas ſuas dentibus hujus piſcis, ſunt enim acuti & venenati, ita ut raro ſanentur, qui illis fuerint vulnerati.

Volatiles piſces, palmum majorem plerumque longi, pulcherrima oculorum acie, inſtar gemmæ, capite eleganti, alis verſpertilionum, argentei coloris; cæteris piſcibus admodum obnoxii, quos dum fugitant, attollunt ſeſe è mari, & non raro præcipitant ſe in naves, bono, uti nautæ vulgo judicant, omine.

Salmones hic admodum rari, neque cum Europæis conferendi. Soleæ autem rariſſimæ quæ niſi antea bene pulſatæ, carne ſunt flaccida, minuſque delicata.

Amayacu.


Rana piſcatrix ſive marina, quam barbari vocant *Amayacu*, piſcis brevis & tantum palmum longus, pictus, pulchris oculis, ab aquis extractus ronchum quendam edit atque inflatur, virus enim illi eſt cutem inter atque carnem, qua detracta ſine noxa comeditur, alioquin lethalis. Venenum illius præſentiſſimum exitium affert gliribus. Eſt & aliud harum genus, aculeatum inſtar erinacii, admodum venenatum, cute tamen detracta comeditur, & contra dyſenteriam valere creditur.

Itaoca.

Denique eſt aliud genus, quod barbaris dicitur *Itaoça*, triangulari corpore inſtar pugionis, oculis cæruleis, venenum illi in cute, jecore, inteſtinis, ſpiniſque, quibus demtis innoxius eſt piſcis.

Puraque.

Puraque barbarorum, videtur *Torpedo*, nam contactus inducit artubus torporem inſtar paralyſios & ſiquis baculum admoverit, ejus brachium reſolvitur, enectus autem edulis eſt, neque ullum illi virus. Pene inducor eundem eſſe, aut ſaltem ejuſdem ſpeciei, cujus Iconem ad vivum in Braſilia expreſſam hic exhibemus:



Aravvavvapebbe.

quamvis ille qui pinxerat mihi retulerit à barbaris hunc appellari *Arawa Wapebbe*.

Caramaru.

Caramaru ſimiles ſunt anguibus marinis qui circa littora Luſitanica reperiuntur, decem aut quindecim palmos longi, præpingues, ita ut aſſi porcinam ſapiant; dentes ipſi portentoſi, quorum morſus valdè ſunt noxii, nam membra quibus impegerint, putreſcunt deciduntque; habet plures aculeos. Indigenæ produnt cum terreſtribus anguibus conſueſcere, idque ſæpius ab ipſis obſervatum fuiſſe.

Amoreatii.

Amoreatii Ranæ piſcatrici non abſimilis, multis aculeis aſpera, abſcondit ſe ad littus ſub arena, pedeſque ſupergradientium vulnerat, præſenti vitæ diſcrimine niſi cauterio ſubveniatur.

Amayacurub.

Ama-curub, à callis, quos barbari vocant *Curub*, dictus, quos habet toto corpore frequentes, teres eſt & piſci quem Portugalli vocant *Bugallo* ſimilis, & ſupra modum virulentus.

Ierepomonga.

Ierepomonga anguis itidem marinus, qui plerumque ſub fluctibus immotus jacet, quæcunque autem animantia illum contigerint, tam arcte ipſi agglutinantur, ut ægre avelli poſſint, his alitur: nonnunquam & ex undis in littus erepit, contrahitque ſe, ſiquis autem manum admoveat, ſtatim adhæreſcit, & ſi alteram adhibeat ut ſe abſolvat, ad eundem modum tenetur; anguiſque ſtatim ſe diſtendit in magnam molem, & prædam ſuam in mare abripiens, depaſcitur.

Tritones

Tritones aut *Nereides* vocant barbari *Ypupiapra*, horrentque hæc monſtra tantopere,

pere, ut nonnunquam ſolo metu emoriantur; exprimunt enim (ut ferunt) humanum vultum egregie, niſi quod oculos habeant profundius inſitos; fœmellæ quoque longam dicuntur habere cæſariem & faciem elegantiorem; agunt utplurimum in oſtiis atque æſtuariis fluminum; viſunturque frequentius ſub *Iagoaripe* ſeptem octove leucis à ſinu omnium Sanctorum, uti & juxta *Portum Securum*, ubi multos barbaros interemiſſe dicuntur, medios enim complexi tam arcte conſtringunt, ut ſpiritum ipſis excludant, neque id de induſtria, uti videtur, ſed ſingulari affectu, nam gemitum quendam edere audiuntur, poſtquam occiderint, aut ſaltem ſubducunt ſe, neque delibant quicquam de cadavere, niſi forte oculos, aut naſi & digitorum extrema, aut denique pudenda; idque eo argumento quod à monſtris hiſce interemti, ubi rurſus in littus ejecti fuerint, plerumque his membris mutilati conſpiciantur.

Plena ſunt omnino hæc maria ſepiis, quibus atramentum eſt pro ſanguine; nec minor lolliginum & grandium urticarum in vicino oceano numerus.

Lerius porro obſervat, omnes piſces in genere à Braſilienſibus appellari *Pira*: Mullorum autem duo hic reperiri genera; quæ barbaris dicuntur *Kurema* & *Parati*; utraque optimi ſaporis, tum elixa, tum toſta. Quoniam autem mullis natura videtur inditum, gregatim ad littora annatare, ſagittis illos petunt barbari, & non raro tam certa manu, ut duos treſve uno ictu figant, transfixos natando eunt quæſitum, ut qui mergi nequeant. Horum caro eſt admodum friabilis, quo fit ut magno numero captos *Boucan*, ut vocant, imponant, & ſiccent, exſuccoſque redigant in farinam, quam ipſi magni faciunt.

Camaroupouy-ovaſſou piſcis eſt prægrandis, & maxime edulis, barbari carminibus celebrant illum in ſuis Choreis.

Duo inſuper illis ſunt piſcium genera, quæ nominant *Ovara* & *Acara-Ovaſſou*, à Ovara.
ſuperiore haud multum diverſa, ſed quæ bonitate vincant, nam auſim (inquit *Lerius*) affirmare, *Ovaram* Salari noſtro haud multum concedere.

Acarapep piſcis eſt planus, qui inter coquendum, pinguedinem quandam emittit ſubflavam quæ illis eſt pro condimento, cæterum carne eſt optima. Acara-pep.

Acarabouten piſcis eſt viſcoſus, colore cervino aut ſubrubro, cedit tamen piſcibus ſuperioribus bonitate, ſapitque minus palato.


Pyra-ypouchi piſcis eſt longus inſtar anguillæ, eſtque minime edulis, quod etiam Americanorum *Ypouchi* indicat; qua voce monent, ab eo eſſe abſtinendum.

Raiæ quæ in *Ganabaræ*, id eſt, *Rio de Ienero* ſinu, & vicino mari capiuntur, non modo à noſtratibus differunt magnitudine, ſed etiam eo potiſſimum quod duo oblonga gerant cornua, & præterea quinque aut ſex fiſſuras habeant ſub ventre, quas induſtria factas credas, ita concinnæ ſunt: cauda oblonga eſt & tenuis atque adeo venenata. *Thevetus* ſcribit à barbaris appellari *Inevoueam*.


Accepi præterea à quodam Juvene noſtrate, pingendi ſatis perito, tres Icones aliorum piſcium qui paſſim in hoc mari capiuntur, quorum licet tantum nomina & Icones mihi ſubminiſtraverit, nec naturam & qualitates plenius potuerit explicare, tamen non putavi, eorum Icones hic omittendas, donec cætera plenius nobis liqueant.

Unum eorum cujus Iconem hic ſubjicimus, appellari dicebat *Ybirre*.


Vbirre.



Avvah-kattoe ſive Iah-vve. Alterum autem *Awah-kattoe* ſive *Iahwe*, qui ad orbium claſſem videtur referendus, forma eleganti. Iconem vide.



Pira V-toevvah. Tertium denique *Pira Vtoewah*, forma monſtroſa, qui & ipſe ex orbium genere eſſe videtur. De quo nihil præter Iconem accepimus.



Cap. XIII.

Cruſtacei Teſtaceique piſces, item arbores littorales aut marinæ, nec non Aves marinæ.

Apula. A*Pula* è cruſtaceorum genere, cannæ internodio ſimilis, rarius hic reperitur, non modo cibo idonea ſed & medicinæ, lienis enim affectibus mederi dicitur pulvis illius jejuno ſtomacho hauſtus.

Vzæ. *Vzæ* è Cancrorum genere, in luto juxta littora pene hærent infinitæ, ordinarius & maxime communis non modo Braſilienſium ſed & Nigritarum victus, boni ſunt ſaporis & ſalubres, ſiquis frigidam ſuperhauſerit.

Guainumu. *Guainumu* grandiuſculum cancrorum genus, ore tam patulo ut pedem humanum admittat, edule & potius terreſtre quam aquatile animal, quum in cavernis juxta littora degant: ad tonitruorum auditum è latibulis ſuis proreptant, & tantum inter ſe excitant ſtrepitum, ut barbaris terrori ſint, hoſtes adeſſe ſuſpicantibus, ſunt enim admodum meticuloſi barbari.

Aratu. *Aratu* ejuſdem ſpeciei, in concavis arborum littoralium truncis ſe abſcondunt, ſtudioſe obſervantes oſtrea & mytulos, quibus hiantibus ſingulari induſtria ingerunt lapillum, atque ita nullo negotio devorant. Plures hîc aliæ reperiuntur Cancrorum ſpecies, quibus omnibus barbari avidè veſcuntur.

Oſtreorum ingens hic copia, in quibus nonnunquam inveniuntur uniones. Barbari olim magnam illorum copiam colligebant & carne exemta, teſtas juxta littora aggerabant, unde non raro monticelli ſatis alti ejuſmodi teſtarum variis locis viſuntur, herbis atque arbuſtis nonnunquam & grandioribus quoque arboribus veſtiti, è quibus Portugalli optimam & candidiſſimam calcem conficiunt, qua paſſim pro cemento

cemento in ædificiis utuntur, pluviatili autem aqua aſperſa facile nigreſcit. His accedunt muſculi, quorum conchis concava parte argentei coloris, barbari cochlearium & cultrorum vice utuntur.

Grandiores turbines, ipſis *Guatapiguaſu*, faciunt maximi, certant enim cum ebore & à barbaris pro muſicis inſtrumentis uſurpantur. Alteram earundem ſpeciem vocant *Piraguaig*, quorum interdum integri tumuli à fluctibus in littore aggregantur, mirum viſu. Buccinæ denique, pectines, aliaque omnis generis elegantiſſima conchilia hic magno reperiuntur numero.

Coralli candidi hic ingens copia ſub fluctibus reperitur, colore tantum à vero abludens, difficillime tamen à petris avellitur, neque eſt operæpretium.

Mangua.

Marinis arboribus annumerant *Manguas*, quia magno numero juxta littora & Oceani receſſus reperiuntur, foliis referunt noſtros ſalices, ſemper virentes, materie gravi atque duriſſima, fere inſtar ferri; ſub hiſce culicum quoddam genus reperitur, vocant *Maregues*, exiguum quidem, verum tam acriter pungens, ut peſtis harum regionum merito judicetur; neque veſtibus ſe arceri patiuntur: unicum remedium eſt aut fumo abigere, aut fimo corpus oblinere, quod barbari facere ſolent. Aliis *Mangle* dicitur hæc arbor, alibique à nobis fuit deſcripta ex Oviedo.

Maregues.

Guiratinga.

Inter aves quæ in mari victitant, ducit agmen *Guiratinga*, grui magnitudine par, plumis candidis, roſtro prolixo atque acuto, crocei coloris, cruribus oblongis, è rubro ſubflavis, collum illius veſtitur plumulis tam ſubtilibus & elegantibus, ut cum ſtruthionum plumis certent.

Caripira.

Caripira caudam habet bifurcatam, unde & nomen invenit apud Hiſpanos *Rabo forcado*, ejus plumis mirum in modum delectantur barbari, ut ſagittis ſuis adhibeant, longo enim tempore durare ab ipſis obſervatum. Reperitur autem non tantum hic, ſed & alibi paſſim in utraque India, ita ut vulgo jam notiſſima ſit. Refert *Franciſcus Ximenes*, adipem hujus avis, ſingulare remedium eſſe ad cicatrices faciei delendas; imprimis autem valere adverſus artritidis dolores: verum avem difficilem eſſe captu niſi forte in deſerta aliqua inſula, ubi pullos ſuos excludunt; narrat ſe aliquando una donatum, cujus remigium alarum, diſtentum ad eum modum quo volant, amplius ſpacium implebat quàm mortalis ullus diſtento utroque brachio poſſit complecti.

Guaca.

Laros vocant barbari *Guacas*, tanta autem eorum multitudo atque varietas littora atque vicinas arbores hic obſidet, ut pene incredibile videatur.

Guirateontèon avis epilepſiæ admodum obnoxia, à quo & nomen meruit apud barbaros, quaſi dicas avem ſæpius morientem rurſusque reſurgentem; alioquin candidis & pulcherrimis plumis veſtita.

Galcamar.

Calcamar columbæ magnitudine, ſed volandi neſcia, alarum atque pedum remigio ſecat fluctus pervelociter, in quibus & ova ſua ponere & excludere affirmant barbari: malaciæ & pluuiarum ſunt prænuntiæ, atque eo tempore tanto numero circumfluitant naves, ut à nautis faſtidiantur.

Ayaya.

Ayaya picæ magnitudine, longo roſtro inſtar cochlearis, plumæ illius ſunt candidis, rubriſque maculis eleganter ſuffuſæ; ſingulari in piſciculis capiendis induſtria.

Caracura.

Caracura exili corpore, ſubcinerei coloris, pulchris oculis, iride eleganter rubente, ita vocalis, ut majoris longe molis quis opinaretur, ante ſolis ortum fere auditur illius cantus & ſub veſperam, certo, ut volunt, ſerenitatis futuræ indicio.

Guara picæ magnitudine, oblongo roſtro, & anteriore parte recurvo, longis pedibus; primum excluſa nigricat, deinde evadit cineracea, ubi autem volare incipit egregie candicat, ſenſim autem rubeſcit, donec ætate plumæ illius colorem induant purpuræ æmulum, quem ad ſenectam uſque retinent. Pariunt quoque ſub tectis; victitant piſcibus, carnibus aliiſque eduliis, ſemper aqua temperatis: barbari componunt ex plumis illarum diademata ſua aliaque ornamenta, ideoque maximi faciunt: gregatim volitant & ſoli expoſitæ pulcherrimum præbent ſpectaculum. Sunt & plures aves quæ è mari victum quærunt, etiam Europæis notæ, & inter illas Aquilarum genus, quas Haliætos vocamus.


Cap. XIV.

Piſces aliquot fluviatiles, item angues aliaque animantia quæ in fluminibus degunt ex iiſdem authoribus.

FLUMINA Braſiliæ (inquit Lerius) abundant mediocribus & minimis piſcibus, quos barbari ſua lingua vocant *Paramiri* & *Acaramiri*; *miri* enim ipſorum idiomate ſonat parvum: hujus generis duos paulo monſtroſiores deſcribunt tam Lerius quam Thevetus.

Unum appellant barbari *Tamovata* ſive *Tamoutiata*, eſt autem piſcis palmi longitudine, halecibus noſtris paulo minor, capite groſſo & ſupra molem corporis; pinnulas habet duas ſub branchiis, dentes lucio noſtro acutiores; adhæc duriſſimis ſquamis à capite ad extremam caudam inſtar *Armadillo* armatus, ut vix gladio pertundi poſſit. Carne eſt probatiſſima & gratiſſimi ſaporis.

Panapana. Alterum nominant *Panapana*, mediocris longitudinis, cute inæquali atque aſpera, qualis eſt canis marini, cæterum *Zygænæ* ſive *Lybellæ* quam Maſſilienſes vocant *Cagnolam* plane ſimilis, capite plano atque deformi & in duo veluti cornua deducto, in quorum extremitatibus oculi emicant, ita ut longiſſimo ſpatio à ſeinvicem disjungantur. Thevetus illius hanc exhibet Iconem, quæ caudâ tantum differt ab Icone quam Belonius in ſua de aquatilibus Hiſtoria expreſſit. Rondeletius autem ſcribit, caudam in duas pinnas inæquales deſinere, quod melius cum noſtra Icone convenit. Aldrovandus exhibet duas illius Icones, ſed neutra convenit cum hac noſtra.



Cururyuba. *Cururyuba* (inquit Author Luſitanus) omnium anguium quos hæc regio nutrit longe maximus & pulcherrimus, non raro enim reperiuntur vigintiquinque & triginta pedes longi: Catenam habet ſupra dorſum ab occipitio ad extremum caudæ deſcendentem, variis coloribus eleganter deſcriptam: dentes caninos: ſi aut hominem aut feram poſſit rapere, integros haurit. Fidem ſuperat, quod à barbaris narratur; ubi ventrem ſagina impleverit, humi reſupinam putreſcere, ita ut corvi aliæque aves carnes illius penitus depaſcantur, ſolo ſceleto reliquo; hinc autem novas carnes ſponte renaſci & ad priſtinam formam atque molem redintegrari, quippe capite ſub luto tantiſper abſcondito, in quo ipſi vitalis vis, ideoque barbaros quibus id gnarum, ubi ſceleton illius aut putreſcens cadaver invenerint, caput ſtudioſe rimari & è cæno erutum necare. Saturati etiam tam profunde obdormiſcunt, ut ſæpe à barbaris caudæ pars amputetur neque tamen expergiſcantur.

Manima anguis, numquam egreditur ex aquis, præcedente interdum major, atque tam eleganter pictus, ut barbari morem pingendi corpora & exemplum ab illo ſe traxiſſe profiteantur: unde vulgo hunc anguem tanti faciunt, ut ſe longævos futuros inde argumententur, quod *Manima* ſe ipſis videndum dederit.

Crocodyli, quos indigenæ vocant *Iacare* hic quamplurimi & magnæ molis, ita ut interdum quindecim palmos longi hic capiantur.

Iaguarucu amphibium animal, bovis magnitudine, dentes habens quadrantem longos, hominibus infeſtum; frequenter reperitur in flumine *S. Franciſci* & *Paraguaça*, alibi vero rariſſime.

Atacape itidem amphibium animal, lupo minus ſed multo atrocius, ſolet in terram egredi, ut homines intercipiat, & quum ſit velociſſimum, non raro opprimit ipſos atque devorat.

Iaguapopebæ, viperæ ſunt Portugallicis omnino ſimiles.

Zaziguemeiu modicum animalculum, cujus pellis in pretio habetur.

Baepapina Tritonum ſpecies videtur, puerorum magnitudine & forma, frequens harum regionum fluminibus animal & innocuum.

Plurimi quoque hic reperiuntur porci fluviatiles, quos barbari vocant *Capygoara*

porcorum

porcorum quidem magnitudine, ſed forma nonnihil diverſa, magnum ſatis lapidem habent ſub palato, qui ipſis dentis majoris eſt loco; barbari appendunt illos liberorum ſuorum cervicibus loco monilis; carent cauda: crebro egrediuntur aquas & educant in terra catulos ſuos, victitant enim gramine & fructibus quos juxta ripas inveniunt.

In fluminibus item reperiuntur multæ conchæ, quas vocamus patellas, barbari *Igta*, quarum quædam cribra æquant magnitudine, atque illorum uſum præbent barbaris, ſunt intus argenteo colore, & continent interdum uniones. Igta.

Avium autem, quas Luſitani vocant *Cagados* ingens reperitur in fluminibus numerus, quarum ovis mirum in modum delectantur *Tapujes*, iiſque victitant certis anni tempeſtatibus.

Neque deſunt hîc in fluminibus, paludibus, ſtagnis innumeræ *Ranæ*: quarum nonnullas, quas vocant *Guararicos*, tantopere metuunt & abhorrent barbari, ut fidem pene ſuperet, nam ſolo auditu ita perterrentur, ut plerumque vivendi finem faciant, neque ullam conſolationem admittant; ajunt enim ſplendorem quendam inſtar fulguris inter coaxandum emittere. Ranæ.

Anatum denique maxima hic copia, quas ut Lerius notat, barbari vocant *Vpec*, verum raro atque illubenter illas commedunt, ob tarditatem animalium in gradiendo, quam ne ſibi affricent, magnopere metuunt. Vpec.

Cap. XV.

Animalia, arbores herbæque quas Luſitani primum intulerunt, è quibus tamen hodie maximum quæſtum faciunt: itemque diviſio Braſiliæ in ſuas præfecturas.

EQVORVM hic jam magna eſt copia & quidem tam præſtantium, ut nonnulli ducentis, trecentiſq; ducatis venundentur & magno numero Angolam mittantur. Licet autem paſcua hîc non admodum ſint læta, & in Præfectura Portus Securi herba quædam ſuccreſcat, armentis lethalis, tamen paſſim in hiſce provinciis, maximi eorumdem reperiuntur greges, ita ut non pauci Luſitani quingenta imo & mille taurorum vaccarumve capita poſſideant, præſertim in campeſtribus *Paratiningæ*, ubi paſcua magis abundant, incredibili pene incremento: porci & ſues hic ſupra modum numero aucti; quorum caro tam eſt ſuavis atque ſalubris, ut etiam ægris ad diætam præſcribatur.

Juxta ſinum fluminis Ianuarii plurimæ paſcuntur oves atque verveces, tanta interdum ſagina, ut præ nimia pinguedine ilia ipſis rumpantur, ſed caro illarum neutiquam tam opipara aut ſalubris quam Europæarum.

Capræ hic adhuc pauciores, capiunt tamen quotidie incrementum.

Gallinæ pene infinitæ, nam cœli temperiem ſatis commodam experiuntur & à barbaris pariter atque Luſitanis aluntur perſtudioſe, majores quidem ſunt Europæis, ſed carne deteriore.

Anſeres quoque multum adaucti, licet & ſuos habeat hæc regio, Europæis majores & longe meliores. Ex peregrinis autem animantibus nullum majoris faciunt barbari, quam canes, quos & ſtudioſe nutriunt, viri quidem ad venationem, fæminæ autem voluptatis gratia, nam inſtar puerorum circumgeſtant, & non raro lactant uberibus ſuis.

Arborum Europæarum, præſertim aurantiarum, limonum & limarum, citrearum & ſimilium tanta hic jam eſt abundantia, ut integros ſaltus impleant, & fructus præ nimia copia vileſcant: Formicæ tamen, quarum hic pene infinitus numerus, magnum hiſce arboribus adferunt damnum. Plurimæ hic quoque ficus & variorum generum.

In præfectura autem *S. Vincentii* & nominatim in campis *Paratiningæ*, itemque in Præfectura fluminis Januarii, cidoniarum malorum maxima naſcitur copia, quæ quater ſingulis annis dant fructus maturos, incredibili fœcunditate. Neq; deſiderantur vites, præſertim juxta ſinum Januarii & in *Paratininga*, eximia ferè omnibus annis fertilitate; è quibus jam vinum premere conati ſunt, ſed non ſatis proſpero ſucceſſu.

Quid

Quid multa? omnes pene hortenſes herbæ Europææ, flores, radiceſque huc tranſlatæ tantopere adoleverunt, ut domeſticæ jam videri poſſint.

Triticum denique in Præfectura fluminis Januarii & campeſtribus *Paratiningæ* ſatum adeo luxuriat, ut ex una interdum radice ſexaginta & non raro octuaginta culmos ſurgere ſit obſervatum, noxia fœcunditate; nam quum continuo novi culmi ſuccreſcant, meſſis ſuo tempore abſolvi non poteſt, quumque molendinis deſtituantur indigenæ, tritici uſum pene abdicant.

Vereor ne nimis prolixi fuerimus in deſcriptione animalium, & plantarum hujus regionis, ſed quia nobiliſſima eſt provincia, & deſcriptiones ſatis accuratæ, ſperamus nos apud curioſos lectores veniam inventuros. Nunc ad particularem provinciarum deſcriptionem nos accingemus.

Bella quæ Portugalli cum Indigenis harum regionum jam multis annis pene continua geſſerunt, nequaquam ipſis permiſerunt ſedes in mediterraneis figere, ſed pleræque ipſorum coloniæ, urbes atque arces juxta littora ſunt diſpoſitæ, longo ſatis inter ſe intervallo. In Præfecturarum, quas Luſitani hîc vocant *Capitanias*, numero tradendo variant ſcriptores, nam *Antonius Herrera* Hiſpanus, & Popillinerius Gallus, tantum novem numerant, licet uterque non niſi octo nominatim recenſeat & deſcribat: *Nicolaus* vero *de Oliveyra* Luſitanus, ſcribit Regem Hiſpaniarum Portugalliæ nomine in America poſſidere Braſiliam; eamque initium ſumere à *Para* (de qua proximo libro agetur, ſive ab ipſo pene Æquatore, & deſinere ad trigeſimum & quintum gradum ab Æquatore verſus Auſtrum: complectique ſecundum oræ maritimæ ductum maximo gyro leucas mille & unam ſupra quadraginta. Porro Regionem hanc ſive Braſiliæ, ſive alio quocunque nomine appelletur; dividi in quatuordecim *Capitanias*, *Param* nimirum, *Maranhaon*, *Ciaram*, *Rio Grande*, *Paraybam*, *Tamaracam*, *Parnambuco*, *Seregipen*, *Bahiam*, *Ilheos*, *Spirito Santo*, *Porto Seguro*, *Rio de Ieneiro*, & *San Vincente*: quarum ſex ad dominos particulares pertineant, qui illas armis acquiſiverunt; reliquæ octo ſint Regis. Intervalla porro inter has diverſa eſſe, nam à prima quæ *Para* dicitur, ad ſecundam *Maranhaon*, centum & ſexaginta leucas numerari; à *Maranhaon* autem ad *Ciaram* CXXV: à *Ciara* ad *Rio Grande* centum: à *R. Grande* ad *Paraybam* XLV: à *Parayba* ad *Tamaracam* XXV: à *Tamaraca* ad *Pernambucum* ſex: à *Pernambnco* ad *Seregipen* LXX: à *Seregipe* ad *Bahiam* XXV: à *Bahia* ad *Ilheos* XXX: ab *Ilheos* ad *Porto Seguro* totidem: à *Porto Seguro* ad *Spiritu Santo* LXV: à *Spiritu Santo* ad *R. de Ieneyro* LXXV: à *R. de Ieneyro* ad *San Vincente* LXV. De quibus intervallis plura ſuis locis dicentur. Denique inter eas quæ particularibus Dominis parent ſunt *Pernambuco* & *Tamaraca*. Nunc ſingularum Provinciarum deſcriptionem proſequemur facto initio à *S. Vincente*.

Cap. XVI.

Primæ Præfecturæ quæ appellatur S. Vincente *deſcriptio.*

PRÆFECTURA *S. Vincentii* omnium maxime Auſtralis eſt & provinciis fluminis *de la Plata* contermina, quarum deſcriptionem ſuperiori libro abſoluimus. Sita eſt ad altitudinem quatuor & viginti graduum, habetque ad mare & intra Continentem limites incertos aut non ſatis explicatos. *Iarricus* in ſuo Theſauro de hac Præfectura ita ſcribit: *Vincentiana* Præfectura in exiguo maris ſinu, viginti quatuor gradibus latitudinis Auſtralis in ora maritima ſita eſt: quadraginta ab oppido Fluminis Januarii leucis remota Auſtrum verſus. Sex ſeptemve ſocii hic commorantur, qui ſedulo & impigrè Luſitanorum ſimul & Braſilienſium ſaluti invigilant: hi in varios pagos diſpertiti ſunt circumſecus oppidum; ad quos quotidie novi hinc inde incolæ ſociorum opera confluunt. Sæpe quippe interiorem adeunt regionem ac præſertim *Carigios*, qui in ora maritima octuaginta circiter leucis à Vincentiano ad Auſtrum diſtant oppido, & ad ducentas propemodum leucas in eadem ſe ora extendunt, nam ad uſque Flumen Argenteum pertingunt.

Gens eſt omnium Braſilienſium politiſſima cultiſſimaque, ut præter aliorum conſuetudinem, ferarum exuviis cooperiantur. Forma ſunt inſigni & nonulli certant candore cum Europæis. ſi quando ad eos commercii gratia proficſcuntur Luſitani, ſine ullo

ullo metu navigia aſcendunt, ac viciſſim Luſitani per eorum pagos ſecuri diſcurrunt, quaſi in propriis agerent domibus. Narrat deinde ſeptuaginta illorum à Luſitanis fraude in ſervitutem abductos, & ſociorum opera reductos anno cIↃIↃxcvi: Et barbaros hoſce magno fidei zelo ardere, ſed Portugallorum metu ad *Vincentianam* Præfecturam non audere accedere; atque inde juſto Dei judicio fieri, ut hæc colonia atque aliæ omnes, quæ in Indigenas ſunt inhumaniores, indies decreſcant, aliæ vero quæ eiſdem bene volunt & humaniores ſe exhibent, quotidie magis magiſque effloreſcant.

Tupinikinſi.

Indigenæ hujus Præfecturæ, Portugallorum amici, à *Ioanne Stadio* appellantur *Tupinikinſi*; qui ipſos montana incolere & ultra octuaginta leucas in Mediterraneis, quadraginta autem juxta littus occupare prodidit: ad Auſtrum his ſunt finitimi *Carioes*; ad Arctum autem *Tupinimbæ*, Portugallis ſupra modum infeſti.

Miramumini.

Patres Societatis, qui in hiſce partibus degunt, in literis ſuis anniverſariis faciunt mentionem nationis barbaræ, *Miramuminos* vocant, gentis vagæ, ferocis atque immaniſſimæ, quæ Portugallis jam ante multum damni intulerit, ſed nunc ſociorum opera paululum delinita, Portugallis amicior atque opportunior eſſe cœperit. Nihilo ſecius horum barbarorum incurſibus multum huic Præfecturæ deceſſit; potiſſimum tamen ipſorum Portugallorum in indigenas iniquitate, fraudibus atque ſævitia: nam quum Religioſi omnibus modis ſatagant impedire ne indigenæ inhumanius à Portugallis tractentur, aut in miſeram ſervitutem aliò traducantur, tamen Portugalli tam hic quam alibi, crudelitati atque dolis nullum ponunt modum, & non raro ipſorum Religioſorum habitu abutuntur, ut facilius miſeros in caſſes ſuos attrahant, magno religionis Chriſtianæ, uti par eſt credere, diſpendio.

Santos.

Urbs hujus Præfecturæ præcipua appellatur *Santos*, quadraginta circiter leucis à flumine Januarii verſus meridiem diſſita, tres quatuorve ab oceano, in interiore receſſu, ubi onerariæ majores in anchoris ſtare & onera ſua exponere atque recipere percommode poſſunt: non admodum ampla eſt hæc urbs & non niſi octuaginta aut paulo pluribus conſtat domiciliis: varias vices experta; & à fortiſſimo Equite *Thoma Candiſchio* ann. cIↃIↃxci intercepta atq; direpta, & ſupra duos menſes poſſeſſa; inter cætera ſpolia nonnihil auri repertum, quod à barbaris huc allatum fatebantur Portugalli, è loco *Mutinga* vulgo dicto, ubi nunc fodinas habere dicuntur Luſitani: tres villæ cum ſuis molendinis Saccharo conficiendo aptis, ad hanc urbē jam olim pertinebant. Accepi à Belga quodam qui ſuperioribus annis hîc vixerat: Vrbem hanc ſitam eſſe juxta cornu Inſulæ *S. Amaro*, tribus leucis aut circiter à mari; vallo munitam eſſe ad ripam fluvii, qui hic circiter dimidiam leucam eſt latus & circiter quinque orgyas altus: præterea duo viſi hic caſtella, unum ad latus Auſtrale, alterum media urbis parte; ædes numerare centum aut paulo plures, incolas ducentos partim Portugallos, partim Meſtizos: templumque habere parochiale, & monaſterium Benedictinorum & domum Societatis. Aditus ad portum vocatur *Barra Grande*.

S. Vincente.

Altera urbs dicitur *S. Vincente*, tribus quatuorve milliaribus à priore diſſita verſus Auſtrum, non inelegans oppidulum, ſed portu non æque commodo, atque majoribus navigiis pene inacceſſo: octo autem milliaribus ab hac intra Continentem, *Tanſe* atque *Cavane* pagi incoluntur à Portugallis, frugum copia nobiles, & extremi dudum Portugallorum verſus illam plagam limites. Accepi ab eodem Belga, oppidulum hoc continere ſexaginta aut ſeptuaginta ædes, & numerare circiter centum incolas qua Luſitanos qua Meſtiſos: & ad illam pertinere tres quatuorve machinas Saccharo conficiendo aptas.

Tertia urbs, ut Portugalli produnt, appellatur *Hitauhacin*: Belga autem ille præterea deſignat *Itangem* & *Cananeam*, quæ jacent à *S. Vincente* verſus Auſtrum: *Itange* nimirum decem aut undecim leucis à *S. Vincentio*. *Cananea* circiter quadraginta: conſtat autem *Cananea* duobus aut tribus pagis ſive municipiis, nequaquam munitis, quæ tantum minoribus navigiis poſſunt adiri.

Ora autem maritima ita ſe habet, ab elyce *S. Vincentii*, ad *Barram*, quam vocant, *Grandem* ſunt tres leucæ per hanc aſcendunt naves etiam grandiſſimæ ad urbem Santos; ab hac ad alteram Barram, quam vocant de *Britioca*, iv aut v leucæ magis verſus Arctum; hanc *Britiocam* non niſi minora navigia poſſunt aſcendere ad oppidum Santos; ad ipſum aditum ſuper arenoſum cornu jacet parva arx lapidea.

Cap.

Cap. XVII.

Particularior hujus Præfecturæ deſcriptio & de oppido S. Pauli; *& Inſulis adjacentibus.*

Perna-piacaba.

Cubatoa.

AB urbe *Santos* flumen aſcendentibus circiter tres leucas, occurrunt altiſſima montium juga, quæ ab indigenis vocantur *Pernabiacaba*, extenduntur que in longitudinem pene ad eundem modum, quo littus Marinum: fluvius autem continet intermedio ſpacio plures inſulas, in quibus Luſitani prædia habent ruſtica, & multa viridaria: aſcenditur autem minutioribus navigiis ad locum quem vocant *Cubatoa*; ubi fluvii aquæ potabiles ſunt, nec ſupra duas leucas inde deſcendunt è dictis montibus, atque de clivis illorum præcipitant. Porro *Pernapiacaba* ſunt vaſti & prærupti montes, difficili circiter duarum horarum aſcenſu, tramite inter arbores, graduum in modum, exciſo, & inter centum aut centum quinquaginta paſſus lato; à vertice autem montium pertinet via quæ ducit ad *S. Paulum* primo verſus Auſtrum; dein recta ad Occidentem, per montes & ſylvas ſex aut ſeptem leucis; ſecant hanc viam duo amniculi, qui extra ſylvam coëunt, & relabuntur verſus ortum, & condunt ſe denique in fluvium *Injambi.* Sylvam egreſſos ducit via circiter unam leucam verſus occaſum & deinceps quatuor aut quinque verſus Arctum, ad oppidum *S. Pauli* uſque, per campeſtria ſine ullis ſylvis. Oppidulum *S. Pauli* ſitum eſt ſuper monticulum circiter centum & quinquaginta paſſus editum; ad cujus radicem duo amniculi labuntur, quorum unus deſcendit ab Auſtro, alter ab Occaſu, atque hoc loco confluentes ſimul illabuntur in *Injambin:* amæniſſimum habet proſpectum, verſus Auſtrum atque Ortum, Arctumque in patientiſſimos campos; verſus Occidentem in nemora: numerat centum aut paulo plures ædes, & circiter ducentos incolas qua Luſitanos qua Meſtizos: unum templum parochiale, & duo monaſteria Benedictinorum & Carmelitarum, & domum Patrum ſocietatis. Quæſtus potiſſimus hic fit ex pecuaria & agrorum cultura. Æſtate quidem hic non nimium calet, aurâ quæ à montibus deſcendit æſtum mitigante; hyeme vero nonnihil alget, ita ut non raro hic glacies, & plerumque pruina conſpiciatur. Solum longe lateque fœcundiſſimum eſt & amœniſſimum, campis, ſylvis, collibus montibuſque grata varietate diſtinctum; triticum quidem fert copioſe, ſed colore minus probato: cæterum armentis optimum: unde nihil hic deſideratur præter ſalem, oleum & vinum.

S. Paulo.

Injambi fl.

Circiter leucam unam à *S. Paulo* verſus Arctum labitur fluvius *Injambi*, ſatis latus, & minorum navigiorum patiens, piſcoſus quoque; oritur in Montanis *Pernapiacava* ad Ortum à *S. Paulo*; & deſcendit ad Occidentem; pluviis menſibus nonnumquam egreditur ripas & inundat humiliores campos. Ad Arctum ab hoc fluvio, extendunt ſe montes, in longitudinem quidem inter Ortum & Occaſum leucis triginta aut quadraginta, in latitudinem vero nunc decem nunc duodecim, interdum & quindecim leucis. In hiſce montibus ſunt variæ auri fodinæ, quod hic reperitur majoribus & minoribus granulis & etiam pulvere, æſtimaturque communiter viginti & duobus caratiis.

Auri fodinæ.

Auri autem fodinæ ſuperioribus annis inventæ, hæ commemorantur: *S. Iago* & *Santa Cruz* in montanis; *Perniacapavæ* quatuor aut quinque leucis à mari: *Geragua* circiter quinque leuc. à *S. Paulo* verſus Arctum, & ſeptendecim aut octodecim à mari: *Sierra dos Guarmumis* ſex ſeptemve leuc. à *S. Paulo* verſus boream, & circiter viginti à mari: *Noſtra Sennora de Monſerrate* x aut xII leuc. à *S. Paulo* verſus Corum, ubi grandia grana reperiuntur quæ interdum duas treſve uncias pendent: *Buturunde* duabus leucis à præcedentibus verſus occaſum: *Punta de Cattiva* triginta leucis à *S. Paulo* verſus Africum.

Beraſucaba.

S. Philippe.

Ab eodem oppido *S. Paulo* circiter triginta leucis verſus Africum jacent montana *Beraſucabæ*, ferri venis ſcatentia; nec auri venarum indiga, quas Indigenæ *Cananeæ* ſolent eruere. In montanis hiſce jam oppidulum ſunt moliti Luſitani, ſed non magni precii, nomine *S. Philippi*: fluvius *Injambi* hic ſe dilatat, recipitque plures amnes tam ab Euro quam à Coro allabentes; & ita porro deſcendere dicitur in *Paranam*; minime tamen navigabilis uſque ad utriuſque confluentem, propter crebros cataractas.

crebros cataractas. Circiter quatuor aut quinque leucis à *S. Paulo* juxta viam quæ ducit ad *Beraſuiabam*, jacet molendinum ſacchari; quod omne hic conſumitur in tragemata & conſervas; quum longe maxima hîc naſcatur cidoniorum malorum copia, & aliorum fructuum omnis generis.

Denique IV aut V leucis à *S. Paulo* verſus ortum jacet indigenarum quidam pagus, inter quos pauci habitant Luſitani; ſitus eſt ad ripam fluminis *Injambi*, diciturque *S. Miguel*: ab hoc quatuor aut quinque leucis magis ad ortum occurrit pagus *Magi miri*, paucis tantum ædibus conſtans, haud longe à ripa *Injambi* & montanis *Pernipiacavæ*, aliquot leucis ſupra hunc pagum, inter conjugia montium *Pernipiacava* & eorum quos inter ortum atque occaſum extendi diximus, oritur fluvius *Injambi* ex tribus quatuorve fontibus. Tranſcendentibus autem montes illos qui inter ortum & occaſum jacent, occurrunt aliæ terræ & vaſtæ planicies, quæ ſecantur ab alio ſatis valido flumine quem vocant *Rio de Sorobis*, qui magna terrarum ſpacia pervagatus & de non uno cataracte præcipitans, tandem in Oceanum creditur deſcendere inter Promontorium frigidum & Spiritum Sanctum. R. de Sorobis. Ab hoc autem fluvio verſus occidentem jacent vaſtæ, ſed nullis aut perpaucis barbaris cultæ provinciæ campeſtres, per quas plures fluvii labuntur verſus Africum, & ut par eſt credere in magnum flumen *de la Plata*; clauduntur autem verſus Corum vaſtis & aſperis montibus, in quibus fama eſt auri & argenti venas abſcondi; & ex illis oriri aliquot fluvios, præſertim illum qui inter Bahiam & Pernambuco deſcendit in Oceanum & nominatur *Rio S. Franciſco.*

Fluminis & portus *Santos* faucibus, viginti pene milliarium Anglicorum intervallo, adjacet Inſula *S. Sebaſtiani*, oblonga & ampla; paulumque ab hac verſus Auſtrum alia minor, alta, & *Alcatraſſe* nomine nota. S. Sebaſtiani I. Inter autem dictam Inſulam *S. Sebaſtiani* & continentem fida ſatis eſt ſtatio, navibus quantumvis magnis, & adverſus incerta ventorum egregiè munita; ipſa quoque inſula aperit multos ſinus; eſtque piſcatio hic admodum copioſa & aquatio valde opportuna: cæterum denſis ſylvis atque vepretis pene invia advenas ab interiori ſui cognitione arcet; præcipuus illius portus appellatur *Porto dos Caſtellanos.* Minores Inſulas *Victorii*, & *dos Buſios* indicaſſe ſuffecerit.

Denique ex adverſo Inſulæ *S. Sebaſtiani* ad Continentem habitant pauci Portugalli in pagulo haud magni precii. *Antonius Knivetus* Anglus, vocat *Iaquerequere*; nec longe inde alium pagum *Pianita* qui barbaris incolitur, quos appellat *Pories.* Hactenus de præfectura *S. Vincentii* quam noſter patere vult, ab oppido Santos verſus Auſtrum quidem quinquaginta leucis, ad Arctum vero quindecim aut viginti.

Ad eam quoque pertinet Paratiningenſis colonia, decem aut duodecim leucis ab oppido *S. Vincentii*, intra Continentem & in campeſtribus quorum jam ſæpius meminimus. In qua Jeſuitæ Reſidentiam, ut vocant, habuerunt, quæ anno CIↃ IↃ C à barbaris direpta fuit atque everſa, ſed poſtea haud dubio reſtaurata.

CAP. XVIII.

Præfectura fluminis Januarii *vulgo* Rio de Janeiro.

SECUNDA Braſiliæ præfectura nomen ſortita eſt à flumine *Ianuarii*, vulgo *Rio de Ianeiro*, quod eo menſe primò à *Ioanne Diazio de Solis* anno CIↃ IↃ XV fuerit aditum; qui illud ſecundum ſuam dimenſionem collocat ad altitudinem duorum & viginti graduum & viginti ſcrupulorum verſus Polum Antarcticum. Galli vero qui hunc locum colonia nobilitarunt ſinum & fluvium appellant *Ganabaram.*

Hi primam ad hunc locum expeditionem ſuſceperunt anno CIↃ IↃ LV ſub Præfecto *Villegagnone*, cum duabus onerariis, & appulerunt hic menſe Novembri. Præfectus in ipſis faucibus, quæ dimidium circiter milliare patent, altiſſimis montibus utrimque imminentibus, arcem ligneam exſtruxit, ſuper petram centum pedes longam, ſexaginta latam, ibidemque machinas ſuas bellicas diſpoſuit, ut aditum communiret. Flumen intus amplum, multis inſulis amœnè virentibus paſſim interſparſum, in quarum unam haud longe à prædicta petra ſuos colonos cum commeatu & reliquo apparatu bellico expoſuit, ob ſuorum paucitatem & barbarorum multitudinem, in Continenti ſedes figere metuens. Illa ſexcentos paſſus in longitudinem,

centenos in latitudinem patebat, & pari pene intervallo utrimque aberat à Continente, dulcium aquarum inops.

Secunda Claſſis quæ quamplurimos vehebat reformatæ religioni addictos, (quam & Villagagnon ſe ſequi profitebatur) ſub præfecto domino *du Pont*, ſolvit è Gallia menſe Novembri anni cIↃ IↃ LVI, & permoleſta navigatione uſa, menſe demum Martio anni cIↃ IↃ LVII portum fuit invecta. Secundam hanc navigationem prolixè deſcripſit *Ioannes Lerius*, ſicuti priorem *Andreas Thevetus*. Arcem autem petræ ſuperædificatam uti diximus, Villegagnon nondum fraudum & ſcelerum manifeſtus, ad honorem Ammiralii *Franciæ*, appellaverat *Collig̃niam*. Ponitur autem hoc flumen & ſinus illius à Gallis ad altitudinem trium & viginti graduum Auſtralium, atque ita deſcribitur à *Lerio*.

Quæ alii (inquit) de ſinu iſto ſcripſerunt, prætermitto, eumque quatuor & viginti millibus paſſuum patere affirmo: In quibuſdam vero locis in latitudinem creſcere, donec quatuordecim aut ſedecim conficiat: Et quamvis ii montes quibus cingitur, non adeo ſunt excelſi, atque ii quos Genevenſis lacus alluit, recte tamen cum illo comparari poteſt, ob vicinitatem undique terrarum. Oſtium illius periculoſum eſt, quia relicto mari, trium Inſularum incultarum oræ ſunt legendæ, unde magnum periculum navibus imminet, ne ſcopulis illiſæ penitus frangantur. Deinde prænavigandum eſt fretum, quod quum trecentos paſſus in latitudinem non habeat, enaſcitur ſiniſtrorſum è monte rupes pyramidis formam referens, quæ non modo immenſæ eſt magnitudinis, verum etiam eminus artificio quodam videtur elaborata. Propter ejus autem rotunditatem & quod ingenti turri perſimilis eſſet, à Gallis *le pot de beure* fuerat appellata. Paulo ulterius intra ſinum ipſum rupes extat ſatis plana, quæ in circuitu patet circiter CXX paſſus, hæc à nobis *le Rattier* dicebatur, quam Villagagnon cum primum appuliſſet, expoſita ſuppellectile ac impedimentis muniri poſſe ſperabat, vi tamen undarum inde pulſus eſt. Ea porro, quam incolebamus, inſula, duobus eſt paſſuum millibus ulterior: hæc erat inculta ante Villegagnonis adventum: in circuitu circiter paſſus mille complectitur, latitudinem ſexies ſuperante longitudine, ſcopuliſq; ad libellam ſummæ aquæ extantibus cingitur, qua de cauſa naves citra tormenti jactum accedere non poſſunt; eſtque hoc loco natura munitiſſima, ut adiri ne navigiolis quidem poſſit niſi è portus latere, ex adverſo ingredientis oceani: Hæc ſi diligenter cuſtodita fuiſſet, nec expugnari nec intercipi potuiſſet, quemadmodum à reditu noſtro à Luſitanis fuit occupata, illorum culpa qui ibidem relicti fuerant. Ab utraq; parte eminebat colliculus, in cujus faſtigio Villægagnon tuguriolum exſtruxerat: rupi vero L aut LX pedes in altitudinem porrectæ & ad inſulæ centrum ſitæ, ſuum impoſuit prętorium; reliqua in planiciem redacta domiciliis cõtinebantur, quæ annumerata omni Vilagagnonis familia, LXXX circiter homines incolebant. Illa omnia ſi prætorium excipias aliquot fabrilibus tignis fabricatum, & propugnacula qualicunq; cemento obducta, parva erant tuguriola, prout Americani ſolent, lignis extructa rotundis, herbaq; contexta, &c. Ultra propugnaculum decem fere paſſuum millibus, pulcherrima fertiliſſimaque inſula jacet, quæ quum in circuitu XII mill. paſſuum pateret, magnæ inſulæ nomen à nobis ſortita eſt. Quinetiam quod à *Toroupinambautiis* fœderatis incoleretur, eam frequenter petebamus ad exportandam farinam, aliaq; neceſſaria. Sunt præterea in illo ſinu maris multæ inſulæ incultæ, in quibus præſtantiſſima oſtrea reperiuntur.

Fluvius multorum piſcium genere abundat, imprimis quamoptimis mullis, ſuibus marinis & aliis mediocribus. Duo ſunt etiam flumina, quæ ad extremitatem ſinus, terra undique circumdata, cum eo conjunguntur. Hactenus *Lerius*.

Atque hæc quidem Gallorum temporibus fuit hujus ſinus conditio, qui inde à Portugallis pulſi, auſpiciis *Emanuelis de Sa*, pulcherrimam occaſionem rei bene gerendæ amiſerunt, atque ex opulentis hiſce provinciis fuerunt excluſi: nam quum Vilegagnoni nulla ſupplementa è Gallia fuiſſent ſubmiſſa, & Portugalli ipſi imminerent, ipſe in Galliam rediit, paucis militibus in caſtello ſuo relictis; qui Portugallis ſe dediderunt, & contra fidem datam, plerique fuerunt occiſi, paucique tantum fuga ſe ſubduxerunt, & inter barbaros latuerunt: hæc geſta anno cIↃ IↃ LVIII.

Portugalli autem, poſt Gallos pulſos, oppidum *S. Sebaſtiani* hic condiderunt, ad Auſtralem anguſtarum illarũ faucium plagam, ad altitudinem trium & viginti graduum & quin-

& quindecim ſcrupulorum verſus Auſtrum, uti à noſtratibus eſt obſervatum; circiter duorum milliarium intervallo ab Oceano, ad ſemicircularem ſinum, quem pene univerſum occupat, loco plano quidem, ſed utrimque montibus leniter aſcendentibus munito; in longitudinem ita exporrecta ut vix dimidia hora obiri poſſit: in latitudinem autem vix decem aut duodecim ædes complectitur: Anno cIↄ Iↄ CXVIII nondum ſilicibus ſtrati erant calles; nullæ portæ, nulla mœnia circumducta: Sed defendunt illam adverſus hoſtiles incurſus quatuor caſtella, quorum primum ad orientale faucium latus jacet ſuper cliuum altiſſimæ rupis: ſecundum in inſula à Continentis occidua plaga anguſto freto disjuncta: hæc inſula qua Eurum ſpectat, aſſurgit in rotundam petram ad coni modum: tertium itidem ſuper petram ad latus urbis quod vulturnum aſpicit, ad ipſam ſinus ripam: quartum denique ad latus urbis quod Corum ſpectat in acclivi colle. Cæterum urbs ipſa veluti in tres regiones diviſa eſt; quarum una ſuperior dici poteſt, in qua primarium templum & Collegium Patrum Societatis; altera inferior in convalle, vocant *Barrio de S. Antonio:* tertia denique ad ipſam ſinus oram, ab interiori caſtello, ad cœnobium *S. Benedicti.*

Ad hoc oppidum pertinent quidem aliquot machinæ ſaccharo molendo aptæ, præcipua tamen commercia oppidanorum conſtant goſſypio & ligno Braſiliano, & annona, aliiſque rebus ad victum neceſſariis, quibus locus affluit.

In hoc fluminis Januarii oppido (inquit *Iarricus*) Collegium Societati Jeſu fundavit Rex Portugalliæ Sebaſtianus, ut & cætera quæ in Braſilia ſunt. Quinquaginta hic utplurimum ſocii agunt, ſi annumeres qui in Reſidentiis hinc dependentibus commorantur. Theologia moralis & Latina lingua hic de ſuperiore loco docentur, parvuli vero literas & legere & formare. Præter ea quæ Luſitanis impenduntur obſequia, duo magni Braſilienſium pagi haud procul ab oppido, in quibus duo & amplius hominum millia commorantur, ſociorum curæ concrediti ſunt, omnes ſiquidem illorum induſtria ad fidem tranſierant, & ſacro fonte ſunt abluti.

Idem narrat, anno cIↄ Iↄ LXXX Præfecto urbis cum multis ſuorum abſente, hanc urbem à tribus Gallorum navibus inſigni claſſiariorum numero inſtructis, fruſtra fuiſſe tentatam. Neque ulla, quod ſciam, hactenus inſignis hanc urbem oppreſſit calamitas; Ad hanc Præfecturam pertinet Promontorium frigidum (vulgo *Cabo Frio*) juxta quod ingentes reperiuntur Crocodyli; & in interiori Continente aves quædam, quas appellant *Mudas*, gallopavorum magnitudine; & præterea ingens aprorum copia.

Montes autem ita ſcatent inſectis quibuſdam (quæ cimices aut pediculos inguinales egregie referunt) ut difficulter ab hominibus poſſint arceri.

Alterum hujus præfecturæ municipium vocatur *Angra dos Reyes*, diſtans ab oſtio ſinus Januarii duodecim aut circiter leucis verſus Occidentem (ut Figueredus in nautico itinerario teſtatur) in continente ſitum è regione Inſulæ quam vocant grandem, & alterius minoris quæ dicitur *Ypoja*: Ante paucos annos primum huc colonia à Portugallis fuit deducta: neque quicquam præterea de iſto municipio accepimus; niſi quod quidam noſtrorum me monuit, locum parvi admodum eſſe momenti.

Denique hujus Præfecturæ incolæ atque indigenæ quondam fuerunt *Tovoupinam Baultii*, ut Lerius atque Thevetus narrant, qui ipſorum ingenia, mores & inſtituta prolixè deſcribunt; ad quos Lectores brevitatis gratia remitto. Ii jam penitus defeciſſe aut alio migraſſe videntur, nam qui hodie circa *Marignanam* degunt, ſe ab hiſce gloriantur oriundos; & certe ipſorum mores, habituſque corporis, & præſertim idioma, non vanam faciunt fidem, uti poſtea in deſcriptione Inſulæ *Marignan* & Continentis illius obiter dicemus. Qui autem hodie juxta & in hac Præfectura degunt, variarum nationum colluvies eſſe videntur; ſunt autem plerique Portugallis confœderati, atque admodum obnoxii; & maximam partem illorum mancipia.

CAP. XIX.

Tertia Braſiliæ Præfectura, Spiritu ſancto, *ut Portugalli vulgo vocant.*

TERTIA Braſiliæ Capitania, appellatur à Portugallis *Spiritu ſancto*: diſtat ab Æquatore verſus polum Antarcticum, viginti gradibus; A flumine Januarii verſus Arctum leucis ſexaginta; à Portu autem ſecuro verſus Auſtrum cir-

citer quinquaginta. *Antonius Herrera* teſtatur hic tantum unum molendinum ad Saccharum conficiendum eſſe conſtructum, verum goſſypii & ligni Braſiliani quo tinctores utuntur ditiſſimum hic vigere commercium. A ducentis aut paulo pluribus familiis Luſitanicis incolitur: Patres ſocietatis hic quoque ſuam habent domum: Ad dextram portum ingredientibus caſtellum viſitur exiguum neque admodum munitum: Sunt qui hic duo oppida à Luſitanis incoli tradant, & longe majorem oppidanorum prodant numerum.

Hæc Præfectura creditur longè fertiliſſima omnium provinciarum Braſiliæ & ab omnibus rebus quæ ad vitam humanam neceſſariæ ſunt, inſtructiſſima: omnigenum piſcium hic incredibilis eſt copia; ferarumque venatio nobilis, ob opportunitatem ſylvarum & ſaltuum, & flumina quæ agrum illius grata viciſſitudine interſecant.

Indigenæ barbari dicuntur *Margajates*, olim quidem Luſitanorum infenſi hoſtes, nunc amici atque confœderati; horum mores atque inſtituta copioſe quoque deſcribit *Lerius*, ſed quia non multum à reliquorum barbarorum vita atque moribus abludunt, ex iis quæ ſupra in communi diximus, æſtimari poſſunt.

Provincias quæ hanc Præfecturam & flumen Januarii interjacent, ſecat nobilis & piſcoſus admodum fluvius, quem *Paraybam* ſive *Pareyvam* vocant, exiens in Oceanum ad altitudinem unius & viginti graduum ab Æquatore verſus Auſtrum, (quibus aliqui addunt ſcrupula quadraginta, facili pro obſervantium diligentia aut oſcitantia, lapſu,) populi qui juxta hunc degunt à nonnullis dicuntur *Paraybes*, à cæteris barbaris haud multum diverſi. Atque ut obiter hoc moneam, tres omnino fluvii *Paraybæ* nomine ad hanc oram notantur, quorum prior inter flumen *de la Plata* & *S. Vincentii* præfecturam in mare evoluitur, de quo ſupra diximus: ſecundus eſt de quo jam agimus, quem harum regionum gnari in Mediterraneis procul à mari oriri & multis minoribus amnibus auctum hic Oceano miſceri tradunt. Tertius eſt pene ad ſeptentrionalem Braſiliæ plagam, de quo mox agemus.

Portus autem oppidi, prout noſtrates obſervaverunt, ita ſe habet: Portus ſeſe aperit ad modicum ſinum, quem Continens hic admittit, ad Orientem expoſitum, in quo nonnullæ exiguæ inſulæ ſparſæ; aquilonari autem lateri rupes & vada objacent navigantibus inſidioſa: Portum autem ſubituri primo obſervant præaltum montem, companæ formâ, quem Portugalli *Alvæ* nomine inſigniunt, ad quem navigantes curſum ſuum dirigunt, ſitus eſt autem intra Continentem duabus circiter leucis à littore; deinde paulo propius littora ſtringentibus, turris candida in prærupto monte haud longe à mari ſita viſitur, Portugalli vocant *Noſtra Sennora de Penna*, eſt enim Eccleſiola muro in ambitu cincta; ſub qua olim municipium fuit, cujus adhuc aliquot ædes ſuperſunt, appellant hodieque *Villam Veiam*, paulo ante quam ad hanc accedas, anguſtæ portus fauces ſubeundæ ſunt, quas vadum, ab exigua & oblonga inſula quæ ad Arctum jacet, deſcendens coarctat; has ingreſſis, jam liberior eſt navigatio & minus periculoſa. Subeuntibus autem porro primo ſe oſtentat ad dexterum latus, rupes è ſolo aſſurgens inſtar coni obtuſi; deinde ad ſiniſtram editus mons ad ipſam oram ſeſe attollens, quem Portugalli vocant *Panem Sacchari*, quia forma egregie convenit; è regione ad dextrum portus latus, viſitur exiguum munimentum quadratum, exigui momenti: Atque ita tandem pervenitur ad oppidum ipſum, quod conditum eſt ad dexterum portus latus, ad ipſam oram, circiter tribus leucis ab alto mari; nullis mœnibus vallove incinctum; ad Orientalem illius partem jacet monaſterium cum ſua Eccleſia, quod vocant *S. Bento*; circiter media parte urbis, & quidem ſupra ipſam viſitur Eccleſia *S. Franciſci*; denique extima oppidi parte verſus Occaſum domus Ieſuitarum cum ſuo templo.

Iarricus denique ita ſcribit de hac Præfectura: Quarta ſociorum Reſidentia eſt in oppido *Sancti Spiritus*, quod in viceſimo latitudinis Auſtralis ſitum eſt gradu, in ora maritima, ita ut Æquatori ſit propius, quam oppidum fluminis Januarii à quo ſeptuaginta diſſidet leucis. Septem aut octo hîc ut plurimum agunt ſocii, interdum plures ſex Braſilienſium pagis circumquaq; ſitis hi præſunt, in quibus decem Chriſtianorum millia numerantur. Pagus autem haud procul inde, cui à tribus magis nomen ubi multi neophyti degunt. Vicini denique illis ſunt barbari *Tapujæ* atque *Apia-*

petangæ,

petangæ, gentes feroces atque indomitæ, Luſitanis eorumque ſociis ſupra modum infenſi, quibus grave damnum nonnunquam inferunt.

Cap. XX.

Quarta Braſiliæ Præfecturā quæ à Portugallis appellatur Porto Seguro.

QUARTA Braſiliæ Præfectura *Portus Securi* nomen hodieque retinet ab Alvaro Caprali jam olim inditum, quum afflictam claſſem hic ſubduxiſſet & primus Portugallorum has terras adnavigaſſet, uti jam ante diximus. Diſtat autem triginta leucis à Præfectura *Inſularum*, ut vocant, verſus Auſtrum; & quinquaginta à Præfectura *Spiritus Sancti* verſus Arctum: ad altitudinem ſedecim graduum & triginta ſcrupulorum ultra Æquatorem verſus Auſtrum; ut communiter in nauticis itinerariis inveni annotatum.

Antonius Herrera tribuit huic Præfecturæ tria municipia; quorum unum *Sancti Amari*, alterum *S. Crucis* nomen præ ſe fert, tertium *Portus Securi* nomen ſervat atque famam: à paulo pluribus quam centum quinquaginta familiis Luſitanorum hæc habitari ferunt: licet quidam majorem numerum prodant; habent enim quinque aut ſex molas ſaccharo conficiendo aptas.

Oppidum autem quod *Portus Securi* nomen ſervare diximus, conditum eſt in cacumine albicantis rupis, juxta quam cernitur terra admodum elata, aſcendens ad arctoam plagam; ab altera vero parte planeſcit ſolum, & demum in humile atque arenoſum ſternitur littus.

Alterum oppidum *S. Crucis* diſtat à priori circiter tribus leucis, habetque portum modicum & minoribus tantum navigiis opportunum.

Præfectura hæc Ducis Averenſis eſſe dicitur, ejus incolæ autem Luſitani, crebris navigationibus ſecundum littora, omnis generis annonam, qua hæc præfectura inſigniter abundat, ſubvehunt cæteris Braſiliæ præfecturis, qui præcipuus illorum eſt quæſtus.

Haud longe ab hoc littore, famoſi & multorum periculo aut exitio nobiles ſcopuli & vadorum brevia, longiſſimo nec dum ſatis definito intervallo procurrunt in vaſtum Oceanum, *Abrolhos* vocant vulgo, à quibus quam longiſſime ſolebant fugere na- Abro-leos.
vigantes, præſertim qui Indias Orientales petebant, necdum animum obfirmarunt: licet ſuperioribus annis varii canales inventi fuerint, qui tranſitum navibus præbent, ſed non ſine diſcrimine & ſumma cum cautelâ. Nam non tantum juxta oras Continentis, mare ſatis altum depræhenſum fuit, verum etiam per medios ſcopulos penetratum, ſex ſeptemve leucis à Continente, ubi quatuor exiguæ inſulæ conſpiciuntur, quas Luſitani appellant, *Monte de Piedras, Ilha Seca, Ilha dos Paſſeros* & *Ilha de Meo*; harum duæ ſunt exteriores *Ilha Seca* & *Monte de Piedras* ſub quarum occidentali latere navigabilis alveus ſeſe aperit: Interiores autem *Ilha dos Paſſeros* & *de Meo* ab utroque latere ſi paulum diligentius circumſpicias ſine diſcrimine raduntur. Hi ſcopuli ubi fluctus implevit, mari pene æquales aut leviter ſuffuſi conſpiciuntur; æſtu vero relabente extant ſummis verticibus, interdiu minus periculoſi quia fluctus ſcopulis illiſi & repercuſſi propius accedentes periculi ſatis mature admonent, & extra hos undiquaque ſatis altum eſt mare.

Porro noſtrates qui ſuperioribus annis hic adnavigarunt & in Continentem exſcenderunt, quæ inter præfecturam Spiritus Sancti & hanc de qua agimus interjacet, negant ullos barbaros à ſe hic viſos, ſed vaſtas ſolitudines & ſylvas pene invias, amneſque frequentes & imprimis piſcoſos.

Denique *Iarricus* in ſua Theſauro de hac Præfectura ita ſcribit. Quinquaginta à *Bahia* (quam vocant *de todos los Santos*) ad Auſtrum, & xx ab *Ilheos* diſtat leucis, ad oram maritimam ſita. Hic itidem Sociorum domus eſt, in qua ſex ad ſummum commorantur. Pueri docentur hic legere & ſcribere: Undecim circumcirca ſunt barbarorum pagi, quos Socii Dei verbum diſſeminaturi oberrant. Idem teſtatur *Portus Securi* oppidum ſuperioribus annis *Guaymurum* barbarorum (de quibus ante quoq; egimus) impetum & violentiam imprimis eſſe expertū: ita enim (inquit) deſtruxerunt ut vix viceni hic hodie incolę numerentur, qui quod quotidiano barbarorū infeſtentur incurſu, vix ſe ſuſtentare queunt, ut ſæpe herbis, radicibuſque vivere præ commeatus inopia &

agrorum ſolitudine cogantur. *S. Amari* autem oppidum Luſitani compulſi ſunt deſerere, ſimul & quinas molas ſaccharo parando conſtructas, è quibus non exiguum trahebant compendium; metuentes ne tandem etiam à barbaris devorarentur, qui jam ſervos omnes atque operas domeſticas illorum devoraverant.

CAP. XXI.

Quinta Braſiliæ Præfectura, quam Portugalli vulgo nominant Ilheos.

QUINTA Braſiliæ Præfectura ſive *Capitania*, à Portugallis vocatur *dos Ilheos* ab Inſulis quæ faucibus ſinus objacent, ad quem præcipuum hujus Præfecturæ municipium eſt conditum: diſtat autem triginta leucarum intervallo à Portu ſecuro verſus Aquilonem, & totidem fere à *Bahia* ſeu ſinu omnium Sanctorum, verſus Auſtrum: ab Æquatore denique (ut teſtatur *Herrera)* quindecim gradibus & quadraginta ſcrupulis; vel ut nauticæ tabulæ produnt, quinque & quadraginta ſcrupulis, levi diſcrimine.

Colonia hæc conſtat circiter ducentis Luſitanicis familiis; præterlabitur municipium mediocris amnis, habetque octo molas Sacchato parando comparatas. Alii teſtantur exiguum eſſe oppidulum, & non ſupra centum & quinquaginta domicilia numerare, tantumque tres habere ejuſmodi molas; oppidanos autem potiſſimum agriculturæ dare operam, & fruges ſuas minoribus navigiis ad *Pernambucum* & alias vicinas præfecturas ſubvectare; & Dominum agnoſcere Lucam Giraldum Portugallum.

In Mediterraneis ſeptem ab hoc oppido leucis, lacus jacet aquæ potabilis, tres circiter leucas longus, totidemque latus, & ſupra quindecim orgyas altus, è quo amnis exit, ſed per fauces adeo anguſtas, ut vix minoribus cymbis aditum præbeant, vento tamen vehementius incumbente, ita exæſtuat hic lacus, ut fluctus haud ſecus quam in alto mari attollantur; imprimis autem eſt piſcoſus, varioſque & optimos nutrit piſces, præſertim *Manatos*, tantæ interdum molis, ut quadraginta *Arobas* (pondus eſt Hiſpanicum, viginti octo ad minimum libras noſtrates appendens) pendere dicantur, immane pondus & vix credibile: Crocodylos inſuper & immanes illos piſces, quos Tuberones vocant Hiſpani; alioſque quamplurimos.

In hac Præfectura etiam reperiuntur arbores quæ leviter vulneratæ odoratiſſimum balſamum, & ſingulari virtute pollens exſudant.

Antonius autem *Herrera* refert in Regionem huic Præfecturæ vicinam, nuperrime adveniſſe barbaros, è propriis ſedibus ab hoſtibus ſuis expulſos, immanibus corporibus inſtar gigantum, candidiori quam cæteri ſint barbari colore; gentem vagam & quæ nulla domicilia habeat, ſed paſſim in ſylvis atque campis, inſtar ferarum humi projecta cubet: validi ipſis arcus & grandes ſagittæ, quibus maximam cladem non modo indigenis, ſed & Luſitanis inferunt: crudeliſſimi ſunt Anthropophagi: Catervatim aut aperto marte numquam, ſæpe ſparſim & ex inſidiis in incautos erumpunt, ideoq; & difficulter vitari, & non niſi cum ſummo diſcrimine indagari poſſunt.

Sed jam *Iarricum* audiamus: *Ilheos (*inquit*)* Luſitanorum præfectura, xxx ad meridiem à Bahia diſtat leucis, in ora maris ſita: è piorum Eleemoſynis ſociis hic domus fundata, in qua ut plurimum ſex ſeptemve commorantur: præter ſolita exercitia hic ludũ aperuêre, in quo & legere & ſcribere docetur juventus. Haud procul ab hac Præ-

Aimuri. fectura *Aimuri* ſive *Guaymuri* commorantur: quibus nullos in univerſa Braſilia immaniores eſſe tradunt: proprios enim membratim manducare dicuntur liberos & aperto prægnantium utero fætus educere & coram devorare. Homines ut nos feras venando captant, quos deinde mactatos devorant. Ab his præfectura *Ilheenſis* in ſolo conſtructa fertiliſſimo penitus propemodum everſa fuit; quin & alii agri feraciſſimi frugibusq; ferendis maximè accomodi, deſerti, quod qui eoſdem colerent præ *Aymurorum* metu nullus ſupereſſet. Sed literis (inquit) anni CIↃ IↃ LXXXI traditum eſt, illos ex quo S. Georgii reliquias Roma ante ſexennium à R.P. Generali Societatis Ieſu accepere, *Aimuriis* hanc coloniam ſemper infeſtantibus, in conflictibus prævaluiſſe; nulli ut in poſterum Luſitani deſiderentur, & Braſilii ſocii quam pauciſſimi, quod meritis atque ſuffragiis glorioſi athletæ Georgii adſcriptum fuit.

CAP.

Cap. XXII.

Sexta Braſiliæ præfectura Bahia ſive ſinus omnium Sanctorum; Ipſius ſinus accurata deſcriptio; & memorabile facinus Petri Heynii *noſtri.*

SExta Braſiliæ Præfectura *Bahia de todos los Santos*, id eſt, ſinus omnium Sanctorum nominatur, triginta leucarum intervallo ab *Ilheenſi* præfectura, verſus Arctum, centum autem à *Pernambuco* oppido verſus Auſtrum diſtans: ad altitudinem tredecim graduum ultra Æquatorem verſus Antarcticum polum. Nomen accepit ab ampliſſimo ſinu, quem Oceanus in Continentem irrumpens hîc facit; circiter duas leucas & ſemiſſem latum, & duodecim, nonnullibi & octodecim orgyas altum, magnis parviſque refertum inſulis, amœniſſimis & goſſypii feraciſſimis: Eſt enim hic ſinus in multos receſſus atque alveos veluti diuiſus, inſinuatque ſe ultra quatuordecim leucas in Continentem, magno accolarum uſu atque emolumento. Tres modici amnes (ut minores taceam) ex interiori regione elabentes in illum egrediuntur, quorum primus principali oppido vicinior *Pitange*, proximus *Gereſipe*, tertius autem *Gachoeira* appellatur.

Extima & maxima inſularum vulgo nominatur *Taperica*, interiores quoque & minores ſua ſingulæ nomina à Luſitanis meruerunt, uti ſtatim dicetur. Operæ enim pretium fuerit ſinum hunc imprimis nobilem paulo accuratius, prout à noſtris fuit obſervatus & delineatus deſcribere. Sinus itaque hic patet verſus Auſtrum, & penetrat ad arctum, ad dextram ingredientibus habet Continentem Braſiliæ, ad ſiniſtram inſulam oblongam *Tapericam*; inter utrumque primo latus eſt ſupra tres leucas; atque hic ad dexteram habet obtuſum terræ cornu, juxta quod ſita eſt arx *S. Antonii* & *Villa Veya*, ut vocant, ad exiguum receſſum; qui ad arctum clauditur promontoriolo, à quo ora ſe ſubducit verſus ortum, facitque ſemicircularem receſſum, ad quem oppidum *S. Salvatoris* jacet, de quo mox; hic verſus arctum terminatur anguſta terræ veluti lingua, quæ hic in acutum angulum prominet in ſinum, ubi arx *Tapeſipe* viſitur, atque hic breviſſimus trajectus eſt ad Inſulam *Tapericam*, non tamen minor duobus leucis; ab hoc acuto angulo ora rurſus recedit verſus ortum, ſinuſque dilatatur & irrumpit in Continentem moliens mediterraneum quoddam fretum, quod poſt anguſtas ſatis fauces intus ſe dilatat in duo veluti brachia; ab hujus faucibus pergit rurſus ora verſus Arctum uſque ad oſtium fluminis *Pitanges*, cujus fauces anguſtæ ſenſim dilatantur verſus ortum, & plures minores amnes in illud confluunt; ad ripas horum amnium, quemadmodum & ad principalem alveum, plures jacent molæ Saccharo molendo comparatæ; hujus fluminis fauces egreſſis rurſus pergit ora verſus Arctum pene ad leucam unam, & tum cubito flectitur verſus Occaſum, faciens ad ipſum flexum ſemicircularem receſſum, cui exigua inſula injacet & ipſa culta: pergit deinceps ora recta ad occidentem circiter duabus leucis, ad obtuſum terræ angulum; intermedio autem ſpacio objacet inſula, quam vocant de *Marre*, circiter leucam longa, & in longitudinem, quoque oſtio Pitanges fluminis obverſa, freto intermedio dimidiam leucam lato: ibidem & è Continente minor quidam amnis exit, pene è regione arctoi hujus inſulæ *de Marre* anguli. Extremo autem hujus oræ, qua ad occaſum pertinet, angulo objacet altera inſula, triangulari forma, & baſi ſua Continenti obverſa, quam video à noſtris Monachorum inſulam appellari. Ab hoc angulo recedit rurſus ora verſus Arctum habens è regione ſeu recta verſus occaſum, oſtium fluvii *de Cachoera*, intervallo duarum & paulo amplius leucarum. Porro hæc ora quæ ab obtuſo illo angulo, jacet inter Auſtrum & Arctum, ſecatur à duobus amniculis, habetque objectas quatuor minores inſulas anguſto freto à continente diviſas, quarum prior quæ ipſi angulo adjacet appellatur *Burapebara*, huic vicina *Porto Madero*, reliquarum nomina ignoro: à poſtrema autem; quæ oblongior amniculi cujuſdam ori objacet, Continentis ora cubito reflectitur in occidentem, atque ipſi cornui objecta eſt inſula modica, quam vocant *de Fontes*; pergit deinceps ora verſus Arctum, & brevi ſpatio emittit in ſinum, amnem modicum, quem vocant

Rio Tambaria; & poſt varios fluxus atque refluxus, ducit ad oſtium fluminis *Gereſipes* ſive intimum magni ſinus gremium; Id flumen deſcendit ab Arcto, plures minores amnes dextra levaque in ſe recipiens, ori autem illius objacent duæ minores inſulæ, (nam tertia ipſi ori veluti injacet illudque veluti in duas fauces diſpeſcit): quæ ori propior eſt vocatur Inſula *Pycca*, exterior *Caraibe*: ſed antequam cætera proſequor non poſſum committere quin hic obiter recenſeam memorabile facinus *Petri Petridæ Heynii*, viri immortali memoria digniſſimi, quod hic geſtum fuit ad hunc modum.

Petrus Petrides Heynius, auſpiciis D. D. Ordinum Generalium, Confœderati Belgii Societatis Indiæ Occidentalis Ammiralius, Anno cIↃIↃcxxvii menſe Martio, ſinum Omnium Sanctorum invectus; deprehendit ante oppidum *S. Salvatoris*, pene ſub ipſis caſtellis quæ portui undiquaque imminent, hoſtiles naves viginti & ſex, quarum quatuor pluribus tormẽtis bellicis, & copioſo milite præter navales ſocios erant inſtructæ, quæ reliquis duabus & viginti veluti pro vallo erant præpoſitæ. Præfectus oppidi *Didacus Olyverius* ad hæc duas ſupra quadraginta machinas majores variis locis collocaverat, ut hanc claſſem à noſtrorum impetu tueretur. Noſter tamen nihil horum metuens, & vento quoque qui à terra accedebat adverſante, velificando tantum profecit, ut cum ſua tantum navi (nam reliquæ noſtræ naves non potuerant ipſum ſequi neque prope accedere) ſe medium inter Ammiraliam & Vice Ammiraliam hoſtilis claſſis ingereret, atque ibidem anchoras demitteret; hinc acre certamen & valde impar exortum, hoſtilibus non tantum navibus, ſed & arcibus, atque aliis machinis in littore diſpoſitis, ab omnibus partibus illum unum impetentibus, nec non ſclopetariis undiquaque valide in illius milites ejaculantibus; ſuperavit tamen viri fortiſſimi fortuna, fuitque is ſucceſſus, ut navis Vice-Ammiralia hoſtium poſt dimidiæ horæ certamen multis ictibus conquaſſata demergeretur, omneſque illius propugnatores quatuor tantum aut quinque exceptis, caderent: & reliquæ naves ſeſe dederent vita ſalva; advenerunt interim à reliquis noſtris navibus plurimæ cymbæ, militibus & navalibus ſociis plenæ; qui ingenti animo, in conſpectu hoſtium omnes hoſtiles naves deduxerunt, tribus tantum minoribus exceptis, quæ vacuæ erant. Hinc noſter ſuam quoque navem ſubducere conatus, æſtu relabente hæſit vado; neque ab eo abſolvi potuit, plurimis ictibus ita conquaſſata, ut dehiſceret; quare illam machinis prius corruptis, reliquit & vulcano tradidit. Poſtero die omnes hoſtiles naves luſtrans, in quatuor earum, quæ capaciſſimæ & opportuniores videbantur, reliquarum onera tranſpoſuit atq; in Belgium noſtrum ablegavit; aliis itidem quatuor claſſem ſuam auxit; reliquis quæ ipſi inutiles erant vulcano abdicatis. Poſtquam autem viginti quatuor diebus in ſinu ſubſtitiſſet; claſſem promovit verſus flumen Januarii, Promontorium frigidum, & præfecturam Spiritus ſancti, & aquatione atque lignatione ex voto perfecta, & navi una Saccharo onuſta in itinere intercepta, ſecundo cum quatuor majoribus & totidem minoribus navibus rediit in ſinum hunc, decimo menſis Junii; quumque hic tantum octo vacuas naves, juxta ipſum littus ſub urbe in anchoris ſtantes deprehendiſſet, neque operæ precium putaret illarum cauſa ſuas periclitari, pone cornu Tapeſipes claſſem ſuam ſtitit, ibidemque duas naves in anchoris conſtitutas nullo nogotio cepit, & deductis iis quæ uſui eſſe poterant, flammis conſumſit. Dum hic hæret, cognovit è captivis aliquot Luſitanis quatuor naves Saccharo onuſtas, ſe in amne aliquo vicino abſcondiſſe, quem tamen ipſi ignorarent, quare haſce indagare certus, ſtatim cum claſſe promovit ad Inſulam *de Marec*, & cum duabus liburnicis, & pluribus cymbis, amnem qui è regione arctoi hujus Inſulæ lateris è Continenti deſcendit, aſcendere aggreditur & tria quatuorve milliaria ſubvectus, duas naves conſpexit quæ in anguſtum alveum, inter imminentes utrimque arbores ſe ſubduxerant; itaque fluvio haud ultra liburnicarum patiente, cum majoribus cymbis eo contendit: una earum noſtros conſpicata adverſo flumine profugit, alteram ſtatim cepit: & quantocius altius ſubvectus cæteras quoque eminus conſpexit, ſed die jam inclinante, & locorum & hoſtilium virium haud ſatis gnarus, ea veſpera ad illas contendere diſtulit, eoque ad claſſem ſuam ſub Inſula ſe recepit. Poſtero autem die ſub meridiem, cum cymbis ſuis oſtium fluminis ſubjens, à pluribus Luſitanis qui in domo ad ripas latebant, aliquot ſclopetorum ictibus nequicquam petitus promovit ad naves hoſtiles, quas vectores remulco omnibus viribus flumen ſubducere conaban-

conabantur, æſtu, qui accedebat, conatibus illorum favente, fruſtra tamen: nam poſt acre certamen, aliæ poſt alias in noſtrorum venerunt poteſtatem cum nongentis ciſtis Sacchari, plurimo Tabacco & aliis mercibus. Proxima cura fuit naves captas cum oneribus deducere, in quo parum admodum ea veſpera promotum, quia naves æſtu relapſo vadis hærebant; Majus initio certamen cum vadis & brevibus fuit quam cum hoſtibus, nam æſtu perniciter relabente, arenæ conſtipabantur, quæ victis pariter atque victricibus navibus deſcenſum impediebant; neque præfecti induſtria & diligentia tantum proficiebatur, ut hoſtiles naves cum oneribus deduci poſſent: poſtero vero die majus diſcrimen fuit, nam dum noſtri in ſuperiore parte fluminis res gerunt, hoſtes oſtium fluminis demerſo navigio obſtruxerant; quod uti facilius noſtri amolirentur, comminiſcitur præfectus, lyburnicam & cimbas tergoribus bovillis, (quæ plurima in hoc fluvio hoſti eripuerant), ad latera, quæ hoſtibus, expoſita erant, obtegere & præmunire. Præfectus & plerique militares tribuni Luſitanici, juxta oſtium fluminis tumultuario opere vallum jecerant, & copias omnes eo adduxerant, futurum rati, ut nullo pene negotio noſtros interciperent, & cæderent: verum noſter qua induſtria, qua virtute tantum profecit, ut non modo omnes ſuos inde incolumes educeret, ſed & navem de hoſtibus captam & opima admodum ſpolia ad claſſem ſuam reportaret: hæſit denique in eodem ſinu & in conſpectu urbis ad decimum quartum Julii; & velis explicatis applicuit in Belgio vigeſimo quinto menſis Octobris.

Sed jam revertor ad ſinus deſcriptionem: A fluvio *Gereſipe*, flectitur ora cubito verſus Auſtrum, ibidemq; primo amnem, qui oſtio ſuo circumgyrat inſulam amnicam, & aliquot minutas inſulas habet objectas, deinde pergens eodem ductu, pene trium leucarum ſpacio, producit ſe ad oſtium fluvii *de Cachoera*, qui patulo ore in ſinum egrediens, longe patentiorem interius habet alveum inſtar freti, in quo & inſulæ aliquot ſunt ſparſæ; ad oras autem illius plures viſuntur molæ Saccharo conficiendo comparatæ, divaricat enim ſe in plures receſſus, qui ſinguli aliquot minores amnes recipiunt; è regione autem oſtii jacet inſula *Meve:* denique producit ſe ora verſus Auſtrum, variis ſinubus lancinata, & à minoribus amnibus diviſa, habens verſus ortum oblongam illam inſulam Tapericen, à qua lato ſatis freto dividitur; atque ita obivimus famoſiſſimum hunc ſinum omnium Sanctorum. Nunc de oppido agendum.

Cachoera fl.

Cap. XXIII.

Vrbis S. Salvatoris *deſcriptio & locorum adjacentium. Itemque* Seregippe.

PRINCIPALIS hujus præfecturæ Vrbs *S. Salvatoris* nomine inſignitur, ad Aquilonarem hujus ſinus plagam, juxta ſemicircularem receſſum, ſupra collem modice editum, ante aliquot annos ædificata (nam ante alio loco fuit, qui adhuc hodie veteris urbis nomen ſervat, vulgo *Villa Veja*, haud longe ab arce *S. Antonii*) à *Thoma de ſouſa*; muro cincta & templis, aliiſque præclaris ædificiis ornata. Aliquot præterea caſtella ad hujus urbis & portus ſecuritatem in propinquo excitata; quorum unum quod ipſis faucibus hujus ſinus imminet *S. Antonii* arx appellatur: alterum vero ſub ipſo oppido *S. Philippi:* tertium denique quod longe maximum & munitiſſimum, ſupra oppidum in Promontorii cujuſdam veluti flexu nuncupant *Tapeſipe*.

Alterum hujus præfecturæ oppidum vocatur *Paripe*, diſtat ab oppido *S. Salvatoris* quatuor leucis intra Continentem.

Nulla Braſiliæ Præfectura hac populoſior aut opulentior: pertinent enim ad illam circiter quadraginta molæ Saccharo conficiendo aptæ, longè lateque in inſulis atque receſſibus, & ad ripas amnium qui in ſinum exeunt, ſitæ, & per totum ambitum ingentis hujus ſinus ſparſæ. Goſſypium hic naſcitur magna copia; & ſi fortuita annumerare licet, Ambarum, quod griſeum vulgo vocant, perſæpe hic colligitur: ut taceam immania cete haud raro huc accedere, & magno incolarum emolumento, in Inſulæ *Taperices* littore à fluctibus deſtitui. Habent autem (ut teſtatur *Iarricus*) Patres ſocietatis in oppido *S. Salvatoris* collegium, imprimis magnificum, in quo ſeni ſunt

ſunt Rectores ac Magiſtri: quorum primus Scholaſticam Theologiam, alter moralem profitetur: tertius proponit Philoſophiæ circulum; duo inſuper docent latinas litteras, poſtremus denique pueros artem legendi atque ſcribendi. Huic Collegio concredita eſt trium vicorum Braſilienſium, haud procul ab urbe ſitorum cura. Patres autem in anniverſariis ſuis litteris teſtantur, in Collegio hoc & vicinis locis Socios verſari octuaginta, quorum induſtriæ incrementum hujus Præfecturæ, & gratiæ atq; authoritati qua apud indigenas pollent, ejuſdem conſervationem deberi, putant. Nam quum anno cIↄ Iↄ LXXXVIII Anglicanæ naves in hunc ſinum delatæ, exſcenſionem in terram conarentur facere, locum aliquem vicinum (*Iarrici* ſunt verba) vel ipſam etiam urbem ſi poſſent, occupaturi: *Chriſtophorus Goveanus* collegiorum atque domorum Societatis per totam Braſiliam viſitator, viſo quàm exiguæ Anglo depellendo Luſitanorum forent vires, patres qui in Braſilienſium vicis habitabant, periculi præſentis reddidit certiores, edixitque, ut ſubditos ad auxilium ferendum adhortarentur: dictum factum; magna quippe incolarum manus arcubus atque ſagittis inſtructa ad locum deſtinatum properat hoſtem à littore propulſura. Et ſane animantibus Patribus tam ſtrenue rem geſſere, ut Angli ſæpius exſcenſione tentata, ſemper à Braſilienſibus repulſi tandem re infecta diſceſſerint.

Referunt quoque in litteris ſuis Patres, Luſitanum quendam *Cacoheiræ* Dominum (hic fluvius deſcendit in ſinum circiter duodecim ab oppido *S. Salvatoris* leucis) vicinos *Guaymures* ita ſenſim pellexiſſe, ut manſuetiores jam facti, ſociorum opera quamplurimi Chriſtianis ſacris fuerint initiati: quod quum gubernatori eſſet relatum; conſultum exiſtimavit, barbaros ad inſulam Tapericam traducere, ut melius in officio poſſent contineri: verum hæc migratio admodum infeliciter ipſis ceſſit, nam maxima illorum pars variis morbis extincta interiit; licet enim hæc inſula ſatis ampla ſit & fæcunda, optimumque producat Tabacum, ad hæc multa paſcat armenta, tamen cœli vitio laborat, & valetudine incolarum habetur infamis.

Sed ad urbem *S. Salvatoris* regrediamur: Ea ut ante diximus ſita eſt in colle edito & qua ſinum deſpicit prærupto clivo & denſis vepribus & fruticibus pene invio, ita ut tantum aliquot anguſtis callibus aſcendatur: duæ illi ſunt portæ, una ad Auſtralē, altera ad ſeptentrionalem urbis plagam, cum ſuis ſuburbiis: ad collis radicem in ipſa ſinus ora, multa jacent ædificia & apothecæ: hic anno cIↄ Iↄ C XXIII Portugalli noſtrorum adventum metuentes, propugnaculum triangulare ex vivo ſaxo ſuper petram in ipſis fluctibus excitaverant, ut exſcenſionem prohiberent, & naves in anchoris ſtantes tutarentur, hoſtileſque allabentes conquaſſarent. In ipſa urbe multa ædificia publica ſatis magnifica, inter quæ eminet monaſterium *S. Franciſci* in quo Patres Societatis ſuum habent Collegium; haud procul inde novum templum à fundamentis extrui cœperat, quum urbs à noſtris caperetur. Licet autem urbs partim muro, partim vallo, undique cincta ſit, tamen ne ſic quidem ſatis munita judicatur, ob montes imminentes qui ſolum illius longe ſuperant.

In hac urbe agunt gubernator regius hujus Præfecturæ; itemque Epiſcopus; & Auditor generalis totius provinciæ Braſilienſis, aliique regii miniſtri.

Hæc urbs anno cIↄ Iↄ C XXIV menſe Majo, à Claſſe ſocietatis Indicæ Occidentalis feliciter fuit expugnata; præerat Claſſi Ammiralii nomine *Iacobus Willekens*; Vice-Ammiralii *Petrus Petrides Heynius*, militaribus autem copiis Dominus à *Dorth*; qui nondum ipſe advenerat quum urbs caperetur, & paulo poſt dum incautius in vicinam ſylvam egreditur à barbaris fuit cæſus: Eadem autem anno cIↄ Iↄ C XXV ſub finem Aprilis, ab Hiſpanis fuit recepta, partim Præfecti militaris ignavia, partim quorundam tribunorum & militum perfidia, utrorumque non levi infamia: ſed hæc hiſtoriæ noſtri temporis prolixius proſequentur, mihi ſufficit hoc ulcus attigiſſe.

Inter Bahiæ præfecturam, & Pernambucenſem jacet *Seregippe del Rey*, ut vocant, (quæ ab *Olyveira* inter Capitanias numeratur) exiguum oppidum, in Mediterraneis ſitum, aditur per modicum amnem & non ſupra tredecim palmos in æſtuario altum, quum æſtus vel maxime impleverit. diſtat à flumine Regali undecim leucis verſus Arctum & à flumine *S. Franciſci* ſeptem verſus Auſtrū: plurima hic paſcuntur armenta: & ſunt, qui in Mediterraneis argenti venas repertas ſcribant. Nullū hactenus vidi pręter *Olyveiram* qui *Seregippen* Capitaniis annumeraret, itaq; extra numerū ponere cenſui.

CAP.

Cap. XXIV.

Præfectura ſexta Braſiliæ *quæ dicitur* Pernambuco.

SEptima Braſiliæ præfectura ſive Capitania, vulgo dicitur *Pernambuco*, vel ut Galli & noſtrates efferunt *Fernambuco*; diſtat autem à prædicta *Bayenſi* præfectura centum leucis verſus Aquilonem, & quinque à *Tamaracenſi* verſus Auſtrum: de oppidorum diſtantiis hæc intelligenda, nam Præfecturarum fines conjunguntur; quos paulo accuratius explicare conabimur.

Nicolaus d'Olyveira Portugallus de hac ita ſcribit: Capitaniæ *Pernambucenſis* Dominus eſt *Eduardus Albuquerquius*; ea latiſſime patet, nimirum ab urbe Olinda verſus Auſtrum leucas circiter XL ad flumen uſque *S. Franciſci*, juxta quod ſuperioribus annis argenti fodinam inventam volunt, quam tamen Rex egeri vetaverit: ab hoc flumine verſus Arctum ſita eſt *Alagoa*, ubi duo amnes in Oceanum exeunt; hic quinque aut [Alagoa.] ſex machinæ ſacchararíæ ſtructæ ſunt, quæ quotannis parum Sacchari conficiunt; huic ad eandem plagam proximus eſt *Portus Calvus*, juxta quem ſunt ſeptem aut octo [P. Calvo.] machinæ: & juxta hunc verſus Arctum pagus *Vna*, cum quatuor aut quinque machinis; [Una.] & porro *Serinhan* ampliſſimus & amœniſſimus pagus, juxta quem duodecim machinæ ſtructæ, quarum ſingulæ, ut plurimum ſex aut ſeptem millia arobarum Sacchari [Serinhan.] conficiunt; (arobæ autem ſingulæ pendunt XXVII aut XXVIII libras noſtrates) deinceps *Poyucar* pagus, incolis frequentiſſimus, ubi ſunt tredecim aut quatuordecim [Poyucar.] machinæ, quæ magnam copiam Sacchari quotannis edunt: ſitus eſt ad amnem ejuſdem nominis qui paulo ſupra Promontorium *S. Auguſtini* exit. Secundum Promontorium hoc jacet pagus *S. Antonii do Cabo*, in cujus diſtrictu circiter viginti machinæ ſtructæ, quæ plurimum & optimum Saccharum reddunt. Infra dictum Promontorium ſita eſt Eccleſiola *Noſſa Sennora de la Candelaria*, à qua ſemita pertinet ad campeſtria, quæ *Cucuranas* vocant, in quibus magnus numerus armentorum paſcitur; ab his ad urbem *Olindam* ſunt quinque leucæ, quibus viginti duæ machinæ comprehenduntur. Ab eadem urbe verſus Mediterranea novem aut decem leucis, jacet *A matta do Braſil*, frequentiſſimus pagus, ubi magna vis ligni Braſiliani cæditur, quæ deducitur ad pagum *S. Laurentii*, ubi ſunt ſeptem aut octo machinæ, quæ plurimum præſtantiſſimi Sacchari conficiunt; denique limites hujus Præfecturæ verſus Arctum ſe extendunt ad Inſulam *Tamaracam* leucis quinque. Hæc ille. Eadem paulo accuratius à noſtratibus obſervata.

A flumine *S. Franciſci*, quod diſtat XL leucas ab *Olinda*, numerant quinque leucas ad tenuem amnem & haud ſupra ſeptem palmos in oſtio altum, qui vocatur *Coreripe* hic tantum unus aut alter degit Portugallus, plures indigenæ in pago qui diſtat à mari quinque aut ſex milliaria, hic tantum lignum illud Braſilianum magna copia cæditur. Ab hoc ſunt duæ leucæ ad fluvium *S. Michaëlis*, hic & lignum illud cæditur & Sacchari cannæ coluntur. Ab hoc ad *Alagoam* numerant tres leucas; eſt autem *Alagoa* lacus Mediterraneus diſtans ab Oceano ſeptem aut octo milliaria, in cujus ambitu plurimum *Farinhæ*, ut vocant Portugalli, quo pro farre utuntur, in his provinciis conficitur; aditur per amnem ſatis difficilem aſcenſu. Ab oſtio hujus amnis ad fluvium *S. Antonii*, leucæ ſeptem, à *S. Antonio* ad *Camaragiben* duæ; amnis eſt modicus nec ſupra ſeptem aut octo pedes altus, circiter tribus leucis intra continentem habet duas machinas, pene milliari à ripa fluvii: à *Camaragibe* ad *Porto Caluo* tres leucæ: amplus eſt fluvius, verum haud ſupra ſeptem aut octo palmos in oſtio altus: à *Porto Caluo* ad *Barram grandem* quatuor leucæ; inſignis ſinus & anchoris figendis aptiſſimus, aditur tam ab Arcto quam ab Auſtro; ſed ab Arcto à minoribus tantum navigiis; hic plurimum Tabacci colitur, ſolum enim planum & campeſtre eſt ſine arboribus. A *Barra* hac ad *Vnam* tres leucæ: ab *Vna* ad fluvium qui vulgo appellatur *Rio Formoſo* quatuor leucæ; hic fluvius ſatis altus judicatur ad modicas onerarias accipiendas. Ab hoc ad *Serinhan* duæ leucæ, hic amnis haud ſupra octo aut novem palmos eſt altus; objacet oſtio illius dimidiæ leucæ intervallo Inſula *S. Alexii*, potabilis aquæ inops. A *Serinhan* ad *Marcaipen* amnem duæ leucæ: hic tantum quinque aut ſex altus eſt palmos. *A Macaripe* ad *Poyucam* quatuor leucæ: à *Poyuca* porro ad Promontorium *S. Auguſtini* circiter

citer una leuca; in cujus portum exit amnis *Morekipe*; portus autem hic facilis quidem aditu, ſed egreſſu perdifficilis ob petras & vada quæ ori illius utrimq; imminent; nunc quoque poſtquam noſtri *Olinda* ſunt potiti exiguo caſtello præmunitus. Sequitur deinceps verſus Arctum fluvius qui vulgo dicitur *Rio de Sangados*, ſeptem aut octo palmos in oſtio altus, diſtat quatuor leucis à pago, quem vulgo vocant *Reciffe*, de quo mox. Ab oppido autem *Olinda* verſus Arctum primo occurrit amnis *Tapado* & mox *Rio Dolce* qui ambo æſtivis menſibus oblimantur, deinceps *Pao Amorello*; à quo ad *Mariam Farinhan* numerant duas leucas; & ab hac ad amnem *Garaſu* dimidiam; ubi limites hujus Præfecturæ deſinere credo.

Antequam autem ad oppidorum deſcriptionem tranſeam, haud importunum fuerit hic quædam ex *Olyveira* & aliis attexere, quæ Regis Hiſpaniarum ærarium tangunt. Scribit *Olyveira:* In hiſce provinciis Braſilienſibus plurimæ ſunt machinæ quibus Saccharum conficitur, (Portugalli vocant *Ingenios*) ita ut ad ſolam urbem *Olyſiponenſem* quotannis traducantur ad minimum viginti & ſex millia ciſtarum, quarum ſingulæ pendunt ad minimum quindecim arrobas, quarum ſingulæ efficiunt XXXII arrates; id anno cIↃIↃCXVII fuit obſervatum: quo eodem anno *Vianam* appulerunt ſupra quinque millia ciſtarum; ut de aliis Portugalliæ portubus nihil dicam, ad quos quoque magnum ciſtarum numerum appuliſſe certum eſt.

Accepi à Belga qui plures annos hic vixerat: in ſingulis machinis majoribus, utplurimum requiri quindecim aut viginti Luſitanos & centũ Nigritas: in mediocribus octo aut decem Luſitan. quinquaginta Nigritas; in minimis quinq; ſexve Luſitan. XX Nigritas. Quarum majores quotannis conficiant ſeptem aut octo millia arrobarum Sacchari; mediæ quatuor aut quinque millia; minores tria. In univerſum autem in Capitaniis *Pernambucenſi*, *Tamaracenſi*, *Paraybana*, uſque ad *Rio grande*, utplurimum quotannis quadraginta millia ciſtarum confici: neque mirum, nam authorem habeo qui quinque ſupra centum ejuſmodi machinas numerari affirmat in ſola Præfectura *Pernambucenſi*.

Porro de omni hoc Saccharo ſoluuntur Regi in Braſilia decimæ: in regno autem Portugalliæ ſimul ac appulerit quintæ: ſecundum *Olyveiram*. Alii hæc paulo aliter explicant: nimirum omnes omnino fruges, omne Saccharum, etiam armenta & cætera animalia in Braſilia Regi debere decimas; quas Rex publicanis quibuſdam in ſingulos aut plures annos ſolet elocare; idque communiter in præfectura *Pernambucenſi* (nam de hac mihi utcunque conſtat) ſexaginta aut circiter millibus ducatorum: ab hiſce decimis nulli immunes ſunt præter Eccleſiaſticos: Dominus autem particularis Capitaniæ percipit *Redezimos*, ut ipſi vocant, & communiter ſolet elocare ſedecim millibus ducatorum in ſingulos annos. Cæterum Saccharum liberum eſt ab omni portorio aut vectigali in Braſilia, verum in Portugallia, ſolvit quintam partem precii, quo tum venit in Regno Portugalliæ: domini tamen novarum machinarum ſi ipſi Saccharum ſuum & ſuo periculo evehant è Braſilia, etiam in Regno liberi ſunt à quintis ad decennium; quo elapſo ſolvunt decimam, & altero decennio elapſo, ut cæteri quintam. Lignum autem Braſilianum quod maxima copia infertur Europæ, Regis eſſe ſolebat aut eorum qui à Rege redimebant; tenebantur autem ſingulæ naves quæ è Braſilia ſolvunt certum pondus pro navium mole gratis portare in Portugalliam.

CAP. XXV.

De urbe Olinda, *itemque de* Garaſu.

LICET hæc Præfectura tam late pateat, tamen tantum duo habet oppida *Olindam* & *Garaſu*, quorum hoc vix oppidi nomen mereri poteſt.

Olinda urbs celeberrima, & edito loco poſita ad oram maris, plures habet intra ambitum ſuum colles, eſtque adeo anomalo ſitu, ut vix induſtria humana muniri poſſit; inter ædificia publica eminet collegium Societatis, loco acclivi & amœniſſimo ſitum, à Rege *Sebaſtiano* fundatum, in quo, ut ſcribit *Iarricus*, utplurimum viginti aut viginti quinque ſocii commorantur; id collegium ob eminentiam loci primum conſpicitur ab iis qui ex alto allabuntur: docent hic moralem Theologiam, aut caſus conſcien-

conſcientiæ. itemque latinam linguam; nec non pueros legere & ſcribere. A collegio hoc dependet pagus quidam Braſilienſium in agro hujus oppidi ſitus, nongentorum & plurium forte incolarum, qui omnes Sacris Chriſtianis ſunt initiati. Juxta hoc collegium viſitur cœnobium Capucinorum; & ad oram pene maris Dominicanorum: & ſuperiore urbis regione monaſterium *S. Bento*, natura & opere munitum; præter monialium cœnobium quod vocant *Concepcion de noſſa Sennora*; in quinque autem hiſce monaſteriis haud ſupra centum & triginta religioſi numerabantur: præter preſbyteros pene ſexaginta. Præcipuum Parochiale urbis templum *S. Salvatori* eſt dedicatum, alterum *S. Petro:* præter Eccleſiam Noſocomio pene junctam, quæ dicitur *Miſericordia* in medio pene urbis ſita ſuper editum collem, ad cujus radicem aliud templum viſitur *Noſſa Sennora del Emparo*; quibus accedunt *S. Ioannes*; *Noſſa Sennora de Guadalupe*; itemque *Noſtra Sennora de Monte* monti extra urbem ſuperſtructa: denique Eccleſiola *S. Amari* paululum extra urbem. Ita ut tam intra quam extra urbem Eccleſiæ numerentur octo.

Oppidanorum numerus ad duo millia cenſetur, qua marium, qua fœminarum & infantum, præter Eccleſiaſticos, qui extra hunc numerum ſunt; & magnus ſervitiorum numerus. Nulla urbs Braſiliæ magis indiga eſt annonæ, & aliarum rerum ad vitam humanam neceſſariarum; ita ut ex aliis Braſiliæ præfecturis, atque ex inſulis Canariis atque ipſa Luſitania pleraque ſubvehere ſit neceſſe.

Portus hujus urbis haud ſatis capax eſt aut idoneus, ſed rupium & vadorum veluti ſepimento, (quod hic oram Braſiliæ multarum leucarum ſpacio obſidet) clauſus, ita ut majores onerarias non niſi uno atque anguſto ore admittat, & interius exiguo ſinu, in quem amniculus è Continenti deſcendit, complectatur, una aut paulo amplius ab urbe leuca.

Portui adjacet vicus modicus aut potius ſuburbanum, ubi aliquot domicilia & apothecæ jacent, ad quas Saccharum & aliæ merces convehuntur: defenditur à caſtello in oblongo terræ collo ſtructo, è regione ipſius ingreſſus in portum, quod facili negotio hoſtiles naves ab introitu poteſt arcere. Nihilo ſecus anno cIↃ IↃ XCV *Iacobus Lancaſtrius* Anglus, quum tribus tantum navibus & ducentis ſeptuaginta quinq; qua nautis qua militibus ex Anglia ſolviſſet, & in ipſo itinere claſſem ſuam tribus quatuorve navibus, quas Hiſpanis eripuerat, auxiſſet; & Vennerus alius Anglus, ſe ipſi cum aliis quatuor partim onerariis partim celocibus, adjunxiſſet; ſumma virtute portum ſubiit & caſtellum quod diximus, in quo tum ſeptem tormenta ænea erant diſpoſita & ſexcenti propugnatores ab urbe miſſi excubabant, cepit primo impetu, Portugallis ad primum Anglorum conſpectum turpi fuga ſeſe proripientibus: Angli enim aut vincere aut mori certi, cymbas ſuas ultro rupibus illiſerant, ne quid ipſis præſidii quam in victoria eſſet; *Lancaſtrius* ergo Caſtelli atque ſuburbani potens, in quo tum circiter centum domicilia numerabantur, & longe opulentiſſimæ prædæ compos (nam præter domeſticas harum regionum merces, Saccharum, goſſypium, lignumq; Braſilienſe, alia; hic tum forte fortuna onus ingentis Caracæ ex India Orientali redeuntis erat expoſitum) ſe adverſus oppidanorum inſultus, vallo per tranſverſum ducto, & quinque machinis æneis diſpoſitis communivit: anguſtum enim terræ veluti collum, mare fluviumque inter hîc procurrit; ubi æſtus implevit, vix quadraginta paſſus latum, ita ut facile adverſus oppidanos defendi poſſit. Atque ita unum & triginta dies hic commoratus, non tantum octo onerarias Anglicas pretioſiſſimis orientis mercibus explevit, ſed & tres Hollandicas, quas in portu deprehenſas mercede conduxit, & quatuor quoque Gallicas quæ poſtea advenerant, variis Braſilienſium mercibus onuſtas ſecum abduxit. Portugalli deinde alterum exiguum caſtellum in ipſo mari ſuper petras moliti è regione prioris illius, aditum ad portum per ſe difficilem, pene inacceſſum hoſtibus reddiderunt.

Porro ſecus urbem deſcendit tenuis amnis & tantum minorum navigiorum vix patiens (vocant *Rio Bibiribi*) qui inter Continentem, & collum illud terræ, de quo ſupra, delapſus, ad inſulam *Antonii Vaaz*, ut vocant, ſe conjungit cum altero amne, quem vocant *Rio Capeſecia* ſive *de Fidalgos*, (vel ut alii ſcribunt *Capibarivi*) is deſcendit è Continenti ſecus arctoum Inſulæ prædictæ latus; uti alter qui à Portugallis vocatur *Rio dos Afogados*, ſecus Auſtrale ejuſdem latus; uterque

 autem

autem brachio quodam ſupra Inſulam conjunguntur, ita ut hæc inſula ab hiſce fluviis à continenti dirimatur.

Garaſu potius pagus quam oppidum, diſtat ab Olinda quatuor aut quinque leucis, incolebatur olim à tenuioris fortunæ Luſitanis, qui fere mechanicis artibus victum quærunt, aut ligno Braſilienſi conquirendo dant operam; ſed poſtquam Belgæ noſtri Olinda potiti ſunt, plures etiam opulentiores ad hoc oppidum ſe receperunt; penetrant quoque ad mare per exiguum amnem, qui è regione Tamaracæ exit.

Hoc oppidum à noſtratibus ex improviſo captum fuit Calendis Maiis anno cIↃ IↃ CXXXII. Supra centum Luſitani cæſi, plures capti, & opima ſpolia detracta; bona pars oppidi incendio deformata; & magna copia commeatuum, præſertim vini, corrupta, quæ hic in uſum caſtrorum, quæ Luſitani haud longe ab Olinda poſuerunt, ſervabantur.

Præterea novem aut decem milliaribus ab Olinda jacet pagus admodum frequens *A matta do Braſil*, cujus incolæ potiſſimum ligno Braſilienſi cædendo dant operam, cujus maximam copiam deducunt ad mare. Itemque inter hunc & urbem alter pagus ſatis frequens, quem vocant *S. Laurenzo*, in cujus agro ſeptem aut octo ſunt molæ, plurimum & optimum Saccharum conficientes.

Denique à *Cucurannis* de quibus ſupra diximus ſunt quinque leucæ, & iſto intervallo (licet longe lateque intra Continentem) numerantur duæ & viginti molæ; quæ ſitæ ſunt in *Guararapis*, *Moribara* atque *Camaſſarin*; maxima tamen parte in *Vergea*, ut vocant, *de Capivarivi*, quia ab hoc amne lambitur: regio illa omnium longe amœniſſima eſt, ſive campos vernantes ſpectes, ſive fructiferas arbores, & alia vitæ humanæ commoda; nec ſupra duas leucas abſunt à mari, ita ut Nigritæ & alia ſervitia peropportunè ad piſces capiendos poſſint excurrere. Supereſt ut breviter hic commemorem, quo pacto urbs Olinda & adjacentia loca à Belgis noſtris fuerint capta, hodieque retineantur.

CAP. XXVI.

Quo pacto Olinda *à Belgis fuerit capta; hodieque poſſideatur.*

SOCIETAS Indiæ Occidentalis, auſpiciis Illuſtr. D.D. Ordinum Generalium confœderati Belgii ſuperioribus annis ſtabilita & anno cIↃ IↃ CXXVIII magnis opibus aucta, quas è ſpoliis Claſſis Hiſpanicæ, quæ è Nova Hiſpania redibat, collegerat; nihil magis deſiderans, quam memorabili aliquo facinore, cladem ante in Braſilia ab Hiſpano acceptam ulciſci, & infamiam ſuorum ignavia & perfidia acceptam, delere; & res ſuas ſtabilire; animum denuo adjecit ad Braſiliam, & quæ difficillima, ea pulcherrima opinata, Pernambucum tentare conſtituit. Valida claſſis contracta, quæ ſupra quinquaginta majoribus minoribuſque navibus conſtabat, copioſo belli apparatu, plurimis æneis machinis, & copioſo milite atque navalibus ſociis ſtipata. Claſſi Generalis nomine præpoſitus *Henricus Loncquius*, Ammiralii *Petrus Adrianius*, Vice-Ammiralii *Iuſtus Trappenus* alias *Bankardus*; univerſis militaribus copiis Colonelli nomine nobiliſſimus vir *Didericus Wardenburgius*.

Generalis *Loncquius* & Ammiralius ſolverunt è portu *Goereano* vigeſimo ſeptimo Junii anno cIↃ IↃ CXXIX cum octo navibus; quas eodem tempore plures ex aliis Hollandiæ atque Zelandiæ portubus ſunt ſecutæ. Ipſe cum octonis navibus menſe Auguſto Canarias inſulas tenuit, atque hîc haud longe à *Teneriffe* caſu incidit in claſſem Hiſpanicam, quæ circiter quadraginta navibus, maximam partem majoribus & bene armatis conſtabat, cuique Generalis nomine præerat *Fredericus Toletanus*: & & licet numero navium longe impar eſſet noſter, tamen certamen minime declinavit, cujus hic exitus fuit, ut hoſtilibus aliquot navibus valide conquaſſatis & non levi damno illato, ab hoſtili claſſe omitteretur, quæ curſum ſuum verſus Inſulas Canibalicas proſequebatur.

Hinc provectus IV Septembris adnavigavit Inſulam *S. Vincentii*, Heſperidum unam, quas vulgo, à nomine Promontorii, cui longo licet intervallo obverſantur, vocant *Iſlas de Cabo Verde*; Hic ſenſim ſe illi conjunxit reliqua claſſis & deniq; ſub finem Novembris *Wardenburgius* cum reliquis copiis, qui vigeſimo demum Octobris è

Texelia

Texelia ſolverat: ita ut Claſſis jam conſtaret quatuor & quinquaginta navibus tam majoribus quam minoribus, inter quas erant duæ in itinere hoſtibus ereptæ) & tredecim majoribus cymbis, quas vocant *Chaloupas*; recenſiti ſepties mille ducenti & octuaginta viri, inter quos erant ter mille quingenti milites. Cum hiſce copiis XXVI Decembris à *S. Vincentio* profecti, ſecundo demum Februarii anni cIↄ Iↄ cxxx Continentem Braſiliæ adnavigarunt ad altitudinem ſeptem graduum & quatuor ſcrupulorum Auſtralium: & decimo tertio ejuſdem menſis venerunt in conſpectum Promontorii *S. Auguſtini*. Atque hic Concilio præcipuorum Tribunorum coacto, rationem iniverunt, urbis *Olindæ* atque portus intercipiendi. Colonello *Wardenburgio* ſedecim qua naves qua celoces attributæ cum cIↄ cIↄ c militibus, atque ſeptingentis delectis nautis; cum quibus juxta *Pao Amorello* exſcenſionem faceret: Loncquius portum & caſtella quæ illi imminent cum reliqua claſſe, expugnanda ſumſit.

Decimoquinto ſe moverunt, aura leniter afflante, & placido mari conatibus illorum favente: atque ita Lonquius, extimo caſtello allabens, machinis ſuis illud valide quaſſare cœpit, exiguo aut nullo profectu, neque enim ictus, licet è propinquo, ob fluctuum agitationem certo deſtinari poterant: neque portum dabatur ſubire, uti deſtinatum erat, quia hoſtes aditum illius, aliquot navibus demerſis obſepſerant; itaque ſub veſperam paulum verſus altum retrocesſerunt, ne nequicquam damnum ab hoſtilibus machinis paterentur.

Wardenburgius interea loco deſignato copias expoſuerat, nemine impediente, licet hoſtis ſe haud longe inde oſtentaret: Veſpera autem imminente, tantum acies ordinatæ; copiæque diviſæ in tres partes, (præter turmam delectorum bombardariorum,) primæ aciei præfectus Vice-Colonellus *Eltzius*, in qua erant nongenta & triginta quatuor capita: mediæ Vice-Colonellus *Steyncalefelſius*, in qua erant mille quadraginta novem: poſtremæ Fulco Honcquius, in qua erant nongenta ſexaginta quinque. Poſtero die ſummo mane caſtra mota; primaque acie præcedente cui Colonellus ſe adjunxerat, cum minoribus aliquot machinis in fronte, inceſſum ſecundùm oram maris, cui à dextra vepretum imminebat; atque ita ſine ullo certamine ventum fuit ad amnem *Rio Dolce*; ad cujus adverſam oram octingenti aut paulo plures Luſitani ſe vallo communiverant: noſtri tamen nihil morati, umbelico tenus amnem vadantes, primo impetu illos proturbant, levi tantum damno accepto & paucis deſideratis: hinc non intermiſſo itinere, & hoſte nuſquam ob metum machinarum noſtrarum conſiſtere auſo, perventum ad urbem; & captivo quodam viam commonſtrante, omnium primo monaſterium Jeſuitarum, quod eminentiſſima urbis parte jacet, refractis foribus, captum; hoſtes autem qui in inferiore urbis parte, vallum quod littori adjacet (nam hac parte tantum munita erat urbs) defendebant, quum ſuperiorem urbis partem captam cernerent, & hinc poſtremam aciem præpropero gradu in ſe ferri, inde alia duo vexilla quæ Generalis commodum ad alteram urbis partem expoſuerat, adventare, in diverſa fugerunt; atque ita noſtri univerſa urbe ſunt potiti: Præda pro fama urbis haud magni fuit momenti; nam Luſitani, pretioſiſſima quæque, licet præfectus Albuquerquius id vetarat, ſubduxerant, adventus noſtrorum jam dudum gnari. Hæc decimo ſexto Februarii geſta.

Poſtilla & Caſtella deditione acceperunt, ſecundo Martii: & tertio ejuſdem trajecerunt ad Inſulam *Antonii Vaazii*, & inſigne monaſterium, ad angulum illius Arctoum ſitum, vacuum occuparunt. Hoſtis autem jam ante decimo ſeptimo Februarii apothecas omnes in pago Reciffio, flammis corruperat, in quibus viginti quinque millia ciſtarum conſumta referunt. Breviter his defungor, quæ Hiſtoriæ plenius explicabunt. Nunc obiter adjungam, quo pacto loca hæc à noſtris ſint munita: (nam urbem noſtris inutilem, ante corruptam, & maximâ parte proſtratam ſuperiore anno deſeruimus.)

Munitiones quas noſtri in diſtrictu *Pernambucenſi* poſſident, ad hunc modum ſe habent: univerſæ pene oræ Braſilienſi, qua Ortum aſpicit, prætenduntur rupes continua pene ſerie, quæ ubi fluctus receſſere, latitudine pene novem decempedarum, interdū & plurium, extant inſtar valli; & licet variis locis ſint interciſæ, paucis tamē admittunt naves, anguſtioribus oſtiis: juxta oppidum autem Olindam idem vallum videtur de-

ſinere in obtuſum angulum, ubi jam olim à Luſitanis exigua arx è vivo ſaxo fuit educta. Ab oppido vero *Olinda* deſcendit anguſta terræ veluti ligula, ad cujus extremum jacet vicus *Reciff* vulgo; ſtringitur autem anguſtus hic trames (nam vix uſquam latior eſt triginta aut quadraginta decempedis) ab occidente quidem fluvio *Bibirybe*, minus alto & multis vadis inquinato; ab oriente mari: Vicus ille quem dixi, olim apertus, nunc & vallo & palis eſt munitus. Ab hoc verſus Arctum eſt oppidum, primo CLX decempedarum intervallo vetus Luſitanorum arx *S. Georgii*, novis operibus à noſtris firmata; deinde circiter centum decempedarum intervallo, munimentum quod noſtri à fundamentis ſubſtruxerunt, & *Bruynium* vocarunt, verſus oppidum valido cornuto, ut vocant, opere præmunitum: è regione autem utriuſque, ad angulum continentis, trans fluvium, ex adverſo Inſulæ *Antonii Vazii*, munimentum triquetrum, à *Wardenburgio* nomen ſortitum. In ipſa porro Inſula *Antonii Vazii*, pene ex adverſo vici *Reciff*, ſtruxerunt noſtri circum monaſterium munimentum *Ernesti*, cum cornuto ſuo opere, quod vergit verſus Auſtrum: & vix centum viginti decempedarum intervallo, munimentum quinquangulare & longe munitiſſimum Invicti Principis *Frederici Henrici* nomini dicatum, cum valido item cornuto opere verſus Auſtrum; denique aliud munimentum *Aemyliæ*: præter aliquot minores munitiones, quas vulgo vocant *Redoutes*, undiquaque adverſus hoſtiles aditus præſtructas: quibus omnibus operibus hic locus jam ita munitus eſt, ut vel maximo hoſtium exercitui par eſſe poſſit.

Cap. XXVIII.

Præfectura Tamaracenſis, *& ora maritima Braſiliæ ad hunc locum.*

Octava Braſiliæ Præfectura, & quidem, ut volunt, omnium antiquiſſima, eſt *Tamaracenſis*, ſed ob vicinitatem *Pernambucenſis* & *Pareybanæ* jam obſcurior: nomen meruit ab Inſula *Tamaraca*, vel *Tamarica*, quæ peranguſto freto à Continente dividitur; patens in longitudinem quidem tres leucas, in latitudinem vero duas: *Popillinerius* Gallus in libro ſuo de tribus mundis, hanc regionem primo à Gallis ſuis tradit fuiſſe poſſeſſam, illiſque poſtea à Portugallis vi ereptam; ſervat adhuc hodie Gallorum memoriam, & nomen vicini huic Inſulæ portus, quem Luſitani appellant *Porto dos Franceſes*; alioquin in obſcuro eſt rei fama, nec ullis præterea hiſtoriis, quas quidem viderim, conſignata.

Porro hæc Inſula *Tamaraca* diſtat ab *Olinda* quinque milliaria; portum habet ſatis opportunum ad Auſtrale latus, qui aditur per alveum quindecim aut ſedecim palmos altum; cui imminet Portugallorum caſtellum in edito colle ſtructum, & aditu perdifficile, à noſtris ſuperiori anno fruſtra tentatum; qui tamen ut Portugallos coërcerent, & portum hunc ipſis eriperent, munimentum quadratum hic excitarunt, quod *Auriacum* vocant, ad ipſum alvei hujus in Oceanum egreſſum, undique ob ſtagna & elyces ex inſula elabentes inacceſſum: quo facto jam hunc aditum Portugallis obſtruxerunt: nam alterum oſtium verſus Arctum, quod vocant *Catwaina*, vix decem palmos eſt altum; ita ut tantum minora navigia admittat.

Inſula hæc & diſtrictus illius ad Continentem, peculium eſt Comitis *de Monſanto*, qui Olyſſipone agit: percipit autem ab incolis quotannis tributi nomine, ut ferunt, bis mille quingentos aut tria millia ducatorum: In hac præfectura circiter duæ & viginti molæ Saccharo conficiendo aptæ dicuntur jacere: potiſſimum autem ad ripam fluminis *Goianæ* ſive *Govanæ*; itemque in *Aracipe*, & *Paratibe*.

Circiter leucam unam à *Tamaraca*, exit è Continenti amniculus *Maſſarandu*, ad cujus ripam mola ſita eſt, ad quam cum modicis navibus aſcendi poteſt: è regione autem ipſius Inſulæ verſus occaſum exeunt duo amniculi *Aripe* & *Ambor*, uti à Luſitano horum locorum gnaro accepi, qui ſuam quoque habent molam.

Sex porro leucis à *Tamaraca* verſus Arctum exit fluvius *Govana*, in oſtio quidem tantum octo aut decem palmos altus, intra vero longe profundiori alveo; ad cujus ripas ſex aut ſeptem milliaria à mari tres quatuorve jacent molæ juxta

exiguum

exiguum pagum, ad quem minoribus navigiis aſcenditur, ad Saccharum deducendum.

Duobus denique milliaribus à *Gouane* verſus Arctum jacet *Portus Franciſcus* de quo ſupra, qui à duobus ſcopulis veluti concluditur, pone quos ſtatio eſt navibus ſatis opportuna, nulli autem mortales hic habitant præter unum atque alterum piſcatorem. Atque ita jam abſoluimus octo nominatiſſimas Braſiliæ præfecturas, quæ ſuperſunt, proximo libro à nobis deſcribentur; nunc oras hactenus compendio luſtremus.

A *Britioga* ſeptentrionali *S. Vincentianæ* Præfecturæ portu, ad Inſulam *S. Sebaſtiani* numerant octo aut decem leucas: ea inſula ſita eſt ad altitudinem XXIV graduum uti à noſtratibus obſervatum fuit; naſcitur juxta littora illius piſorum quoddam genus valde venenatum; cætera jam ante retulimus. Ab hac ad inſulam porcorum quatuor leucæ. percommoda hic ſtatio inter Inſulam & continentem, ubi ſinus jacet *Vbatuba*. C. XVII.

Ab inſula porcorum ad Inſulam Grandem leucæ VIII ſecundum Figueredum, plures ſecundum alios: Grandis edita eſt & nemoroſa, interiora illius petris præacutis aſpera: abundat fontibus; habetque aliquot portus aquandi & lignandi opportunitate inſignes. I. grandis.

Duabus ab hac verſus Occidentem leucis prominet Promontorium *Carouſſu*; verſus arctum vero jacet *Angra dos Reyes*, de qua ſupra.

Porro Inſulæ Grandi adjacet ad ortum *Morembaya*, à qua ad *Garatubam* quatuor, à *Garatuba* ad *Toyuquam* totidem numerantur leucæ: uterque amnis tantum minorum navigiorum eſt patiens.

A *Toyuqua* ad præcelſum ſcopulum & in conum faſtigiatum ſed plano vertice, (vulgo vocant *Gaueam*) duæ; à quo ad flumen Januarii ſunt totidem; ita ut ab Inſula Grandi diſtantia ſit duodecim leucarum aut paulo plurium.

A flumine Januarii, ad Promontorium frigidum ſunt octodecim leucæ, diſtat ab Æquatore tribus & viginti gradibus aut circiter, verſus Auſtrum; hactenus pertinet ora ad orientem. C. frio.

A Promontorio frigido ad ſinum *S. Salvatoris* novem leucæ; ora ſe flectente ad Arctum: ab eodem ad Inſulam *S. Annæ*, quæ continenti objacet, duabus leucis ab ea disjuncta: percommoda intermedio ſpatio eſt ſtatio: inſula ipſa amæna & arboribus undique veſtita; inter quas ſunt quæ fructus ferunt ceraſis non abſimiles, ſcabro nucleo, carne ſaporis non ingrati; ſed dulcium aquarum hic inopia laboratur. Ab hac inſula ad Promontorium *S. Thomæ* octo leucæ, duobus & viginti gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum. A Promontorio hoc ad fluvium *Paraeivam* ſunt octo leucæ. C. S. Thome.

A *Paraeiva* ad *Managen* quinque leucæ; à *Manage* ad *Itapemerim*, totidem.

Noſtri obſervant uno & viginti gradibus ab Æquatore flumen *Dulce*, quod à Portugallis accolitur: & decem inſuper ſcrupulis Inſulam *S. Claræ*, dimidio milliari à Continente ſitam, multis palmitis veſtitam, & dulcium laticum haud expertem. R. dulce.

Porro ab *Itapemerim* ad *Glereteban* ſunt quatuor aut quinque leucæ, viginti grad. & XLV ſcrupulis ab Æquatore.

A *Gleretebe* ad *Guarraparen* ſeptem leucæ; Luſitani vocant *Sierram de Guariparim*. A *Quarrapare* ad oppidum *Spiritus Sancti* octo leucæ.

A ſinu hujus oppidi ad fluvium *Regum Magorum* ſex leucæ: novemdecim gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore. Ab hoc ad alterum qui *Rio dolce* audit, octo leucæ: à *Rio dolce* ad *Criquaren* ſeptem: A *Criquare* ad *Maranepen*, vel ut alii, *Mucuripen* decem, octodecim gradibus & quindecim ſcrupulis ab Æquatore. A *Maranepe* ad *Parawepen*, vel ut alii vocant, *Perteripen* quinque. A *Parawepe* ad fluvium quem vocant *das Caravelas* tres, ab hoc ad *Barreiras Vermeilhas*, ut vocant, ſex; ab illis ad *Corebabo* duæ; ſeptendecim gradibus & ſemiſſe ab Æquatore. A *Corebabo* ad *Portum Securum* octodecim.

A *Portu Securo* ad *S. Crucem*, tres leucæ; hic applicuerunt Portugalli, quum hanc Continentem invenirent: à *S. Cruce* ad fluvium *Rio Grande* novem aut decem: intermedio ſpacio objacent in alto famoſa illa vada, Luſitanis *Baixos de S. Antonio*: R. grande.

A *Rio Grande* ad *Ilheos* octodecim leucæ: intermedio ſpatio imminent littori editiſſimi montes, qui vulgo appellantur *Sierra de Aymures.*

Ab *Ilheos* ad fluvium *das Contas* octo aut novem leucæ: ab hoc ad *Camamu*, ſex: à *Camamu* ad *Guepenam*, tres: à *Guepena* ad *Tinharen* fluvium quatuor: huic imminet altiſſimus mons qui vulgo appellatur *Morro de S. Pablo:* ab hoc ad ſinum *Omnium Sanctorum*, duodecim leucæ.

A ſinu omnium Sanctorum ad flumen *Regale* ſex & viginti leucæ, undecim gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore. à Regali ad flumen *S. Franciſci* ſeptemdecim leucæ; ab hoc ad Cornu terræ quod dicitur *Guira*, quindecim; inde ad rupes *Cameragubæ*, ſex: ab his ad fluvium *Petrarum* quinque: ab iſto ad Promontorium *S. Auguſtini*, duodecim; paulo accuratius hæc ſupra proſequuti ſumus.

Circiter quinque milliaribus à dicto Promontorio verſus Auſtrum objacet Inſula *S. Alexii*, octo gradibus & quinque ſupra quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum; valde opportuna, quippe quæ & aquandi & lignandi copiam præbeat.

A promontorio *S. Auguſtini* ad Pernambucum octo leucæ: à Pernambuco ad Tamaricam quatuor aut quinque: A Tamarica ad Paribam, (de qua ſtatim) leucæ quindecim.

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER DECIMUS SEXTUS.

Braſilia Septentrionalis.

Cap. I.

De Communi Braſilienſium lingua.

OPERÆPRECIUM facturi videmur, ſi in limine hujus libri pauca dicamus de Braſilienſium lingua: Nam licet pleræque Braſiliæ nationes, peculiares linguas uſurpent; tamen & commune aliquot idioma videntur agnoſcere, præſertim omnes illæ nationes quæ littora hujus Continentis quoquomodo attingunt, cujus aliquot vocabula accepimus à quodam Belga, qui aliquot annis inter illos variis locis vixit, quæ magnam cognationem habent cum iis vocabulis, quæ *Ioannes Lerius* prodidit ex *Tououpinambautiorum* lingua; nam hæc natio licet illis temporibus incoluerit juxta Sinum & flumen Januarii, tamen poſtquam Luſitani pulſis Gallis eorundem locorum ſunt potiti, longe lateque ſe diſparſiſſe videtur per omnem illam regionem, adeo ut etiam Marignani accolæ originem ſuam ab illis derivent, nec non illi qui juxta Param degunt, quemadmodum à dicto Belga accepi; ut autem Idiomatis hujus communio aut diverſitas cum *Tououpinambautiorum* ſermone melius elucеſcat, partium humani corporis nomina inter ſe conferemus; quæ ita ſe habent,

	E *Ioanne Lerio.*	In Sinu *Trayciaon.*	E Belgæ annotatione.
Caput	*Acan*	*Acan*	*Yahange*
Capilli	*Ave*	. . . .	*Ava*
Aures	*Nembi*	*Nambi*	*Namby*
Frons	*Sshua*	. . . .	*Suwa*
Oculi	*Deſſa*	*Deſa*	*Sceſcah*
Naſus	*Tin*	*Tin*	*Ty*
Os	*Iourou*	. . . .	*Iurou*
Genæ	*Retoupave*	. . . .	. . . .
Mentum	*Redmiva*	. . . .	*Tedube*
Lingua	*Ape-cou*	*Apecong*	*Ypecou*
Dentes	*Ram*	*Tannie*	*Raaingh*
Collum	*Aioedé*	*Aiura*	*Aiure*
Guttur	*Aſſeoc*	. . . .	*Aſſiocke*
Pectus	*Poca*	. . . .	*Potiah*
Renes	*Rousbony*	. . . .	*Yuabebouye*
Nates	*Revire*	. . . .	*Syquarre* vel *Tobyrre.*
Humeri	*Invanpony*	. . . .	*Attiube*
Brachia	*Inva*	*Giuwa*	*Ye*
Manus	*Po*	*Po* vel *Gepo*	*Poh*
Digiti	*Poncu*	. . . .	. . . .
Venter	*Reguie*	. . . .	*Zambeh*
Mammæ	*Cam*	. . . .	*Camme*
Genua	*Rodouponam*	*Tnippiha*	*Nupuha*
Tibiæ	*Reſemeu*	*Cretima*	*Youba*
Pedes	*Povij*	*Gepu*	*Ypuch.*

E quibus

E quibus apparet idioma *Tououpinamboutiorum*, quale à Lerio fuit annotatum etiam hodie apud plures & in diverſiſſimis regionibus commorantes barbaros maximâ ex parte obtinere. Idem quoque è numerorum vocabulis obſervare eſt; nam ut notat Lerius *Tououpinamboutii* dicebant. 1 *Angepe*. 2 *Moccuein*. 3 *Moſſaput*. 4 *Oioicoudic*. 5 *Ecoinbo*. Sic ſinus *Trayciaon* accolæ hodie dicunt. 1 *Iepè*. 2 *Mokoy*. 3 *Moſaput*. 4 *Iemdick*. 5 *Opave* &c.

Idem Lerius notat *Tououpinamboutios* ſolem vocaſſe *Gouaraſſi*, Lunam *Iaſce*, ſtellas *Iaſitata*: Ad eundem modum hodieque ſinus illius accolæ dicunt, *Coaſir*, *Iaſich* & *Iaſitata*. Quod ſane mirum in tanta locorum diverſitate. Sed ad inſtitutum jam revertamur.

Cap. II.

Præfectura nona Braſiliæ *quæ dicitur* Paraiba.

SVPERIORE libro abſolvimus octo Braſiliæ Præfecturas, eamque luſtravimus uſque ad fines nonæ & novæ Præfecturę *Paraibæ*, de qua deinceps dicendum.

Hæc Præfectura initium accepit à Gallis, qui, ut ſuperiori libro diximus, ex ea pulſi fuerunt anno CIϽ IϽ LXXXIV: poſtilla Luſitani eam retinuerunt, inque ea oppidum condiderunt & aliquot pagos, pluresque Sacchari cannas conſeverunt, ita ut hodie in illa octodecim aut novemdecim machinæ Saccharo molendo comparatæ reperiantur, quæ quotannis circiter centum quinquaginta millia Arobarum edere dicuntur.

A *Portu Francico* oram ſequentibus verſus Arctum primo occurrit Promontorium quod vulgo appellant *Cabo Blanco*, ad altitudinem ſex graduum & quadraginta quinque ſcrupulorum ab Æquatore verſus Auſtrum; ab hoc ad flumen *Paraibam*, à quo Præfectura nomen meruit, numerant leucas duas. Id flumen ſatis lato ore patet verſus ortum, paulum inclinando verſus Eurum: interiori autem æſtuario injacet inſula oblonga & denſo arboreto obſita: Promontorio autem Auſtrali, quod vocant *Cabo Delo*, caſtellum exiguum ſuperſtruxerant Galli, quod Luſitani poſtea auxerunt, maxime poſtremis hiſce annis, poſtquam Belgæ *Olinda* ſunt potiti. Deinde aſcendit flumen verſus Occidentem, multis arenarum pulvillis & ſcopulis impeditum, ita ut perito nauclero hic ſit opus.

Ad latus fluminis Meridionale jacet ipſa urbs *Paraiba* quam & Philippæam vocant, in gremio cujuſdam receſſus, circiter tribus leucis à mari, ita tamen, ut navigia tuto huc poſſint adſcendere & onus ſexcentarum aut ſeptingentarum ciſtarum Sacchari ſine diſcrimine accipere: incolebant ſuperioribus annis quingenti Luſitani, nunc longe plures, & plurimi barbari atque nigritæ. Erat olim aperta, nunc levi vallo cincta dicitur, poſtquam Belgas metuere cæperunt, licet caſtellum prope *Cabo delo* nuper fruſtra tentaverint.

Ab oppido reflectitur flumen cubito verſus Corum; atque hîc primo ad ripam ingredientibus dexteram ſita eſt machina Saccharo molendo comparata, cum ſuis ædificiis: deinde paulo ſuperius ad utramque ripam apothecæ mercatorum, cum aliquot domiciliis: porro aſcendentibus occurrit ad dexteram ripam exiguus pagus ad quem tres machinæ pertinent cum ſuis cannetis; & ſuperius alter itidem pagus, cujus incolæ potiſſimum dant operam colendis illis radicibus, è quibus farinam ſuam conficiunt, quæ hic communiter pro farre uſurpatur; & ab utraque ripa aliquot machinæ, quas vocant Ingenios.

Alterum ſive Arctoum hujus Præfecturæ Promontorium appellatur *Punta de Lucena*, cui aliquot rupes adjacent, pone quas tamen ſtatio eſt minoribus navigiis haud incommoda.

Figueredus ſcribit flumen *Paraibam* alio nomine appellari *S. Domingo*; & duabus leucis ab oſtio illius diſtare fluvium *Magiangapen*, cujus ori objacet Inſula quã vocant *de Mangues*, ab arboribus quæ illam occupant. Ad ripas hujus fluvii, qui tantum minoribus navigiis adiri poteſt, degunt aliquot Luſitani qui armentis paſcendis dant operam.

Cæterum ſolum hujus Præfecturæ valde fœcundum eſt, nec inamœnum, pluresque

reſque in variis partibus reperiuntur arbores quæ lignum dant Braſilianum quo tinctores vulgo utuntur, quin & argenti venas hic reperiri volunt, præſertim in loco quem barbari vocant *Touyouba*.

Hanc partem Continentis incolunt barbari illi, quos *Petivares* diximus appellari, qui Gallis dudum amici & confœderati, poſtquam Luſitani Præfectura hac ſunt potiti, his admodum obnoxii ſunt facti; & juges exercent inimicitias cum vicinis barbaris, quos vocant *Tiguares*.

CAP. III.

Inſula Fernandi *de* Noronha *vulgo dicta.*

ANTEQUAM ad reliquam partem Continentis progrediamur, nequaquam prætereunda eſt Inſula, quæ vulgo *de Fernando Noronha* & interdum *Loronha* dicitur: quæ ſita eſt ad altitudinem trium graduum & triginta (ut Figueredo in Itinerario; aliiſque naucleris placet) vel quadraginta & quinque ſcrupulorum ab Æquatore verſus Auſtrum: quinquaginta (ut idem Figueredus deſignat) vel ſeptuaginta (ut fere à noſtratibus invenio obſervatum) leucis à Braſiliæ Continenti in patentiſſimo Oceano: Patet in longitudinem inter Africum & Aquilonem ſupra duo milliaria, in latitudinem paulo pluſquam unum.

Maxima pars Inſulæ plana eſt, præter paucos montes, qui variis locis ſe attollunt; inter quos unus, præruptis undiquaque cautibus, in vaſtam altitudinem aſſurgit, ita ut ex alto allabentibus primo conſpiciatur in modum turris; huic proxime adjacet alter modicè convexus, ita ut uterque egregie templum cum ſuo campanili repræſentet, unde & nomen à Noſtratibus meruit, vulgo *de Kerck*. Qui accurate Inſulæ hujus formam ſunt contemplati comparant folio Lauri, deſinit enim utrimque in acutum angulum. Solum maximam partem nitroſum eſſe dicitur, unde & ſcaturigines, quibus abundat, & torrentes qui pluviis menſibus, nimirum ab Aprili ad Septembrem de collibus deſcendunt, & inſulam paſſim rigant, nitrum videntur ſapere. Nihilominus haud infœcunda eſt tellus, ſed etiam ſponte producit plures edules radices, & præſtantes melones, piſa quædam viridia, fabas, & ſimilia legumina: Mayzii imprimis eſt patiens, & earum arbuſcularum quæ goſſypium ferunt. Claudius Abbevillanus qui illam adiit cum Gallis qui Marignanam inſulam petebant ſcribit, hic paſſim naſci arbores valde amœnas, frondibus læte virentibus, inſtar Lauri, verum tam acri & cauſtica qualitate, ut ſi quis manum qua frondes contrectavit, ad oculos ferat, ingentes dolores patiatur, & ad aliquot horas videndi facultate privetur. Alteram tamen arborem hic occurrere, cujus folia præſentiſſimum remedium huic malo adferant.

Luſitani jam olim plures hircos & capras hic collocarunt, quorum numerus in immenſum eſt auctus, difficulter tamen capi poſſunt, propter vepreta & aſpera loca in quæ ſe recipiunt: Iidem & gallinas intulerant & pauca jumenta.

Magna hic reperitur avium copia, præſertim illarum quas vulgo vocant furcatas à forma caudarum, harum jam alibi meminimus; & littoralium quoque diverſi generis, inter quas excellit una mole anſeris, pectore eleganter rubenti, quæ ingluviem inflat monſtroſum in modum.

Porro littora hujus Inſulę fere undique prærupta ſunt & difficilia aditu præſertim ad latus quod Aquilonem ſpectat, ubi Oceanus ingentes fluctus volvit ad littora, ut pene impoſſibile ſit cymbis hic exſcendere. A cornu illius Orientali dividuntur aliquot minores inſulæ vel potius ſcopuli, vadoſis alveis ſeparati qui tranſitum navigiis negant.

Sub plaga autem quæ Occidentem vel Corum adſpicit, duæ ſunt ſtationes navibus haud incommodæ, una haud longe ab Orientali Inſulæ angulo, ſub Occidentali latere cujuſdam monticuli, qui anguſto iſthmo, peninſulæ in modum ab Inſula ſe ſubducit, atque hic quoque ſat commode in terram exſcenditur; ibidem & rivulus de vicino colliculo ſe præcipitat in mare, aquationi opportunus. altera autem ſtatio habetur ſub rupe illa quam Templi formam referre diximus.

Ad plagam orientalem, media pene parte Inſulæ, exiguus ſinus viſitur, ſemilunari forma; hic torrens quidam reſtagnat, & denique evolvit ſe in ſinum ubi facile ſalinæ fieri poſſent.

Mare quod Inſulam ambit valde piſcoſum eſt, præſertim ad partem illius ſeptentrionalem & inter minores illas inſulas: ſuis quoque tempeſtatibus annatat maxima copia teſtudinum marinarum.

Claudius Abbevillanus meminit & alterius inſulæ huic vicinæ, ſed longe minoris, quam vocat *Iſle de Feu*, in qua ingentem avium copiam repererunt.

Luſitani Pernambucenſes deportaverant in hanc Inſulam Luſitanum unum cum ſedecim aut ſeptemdecim barbaris qua viris qua fœminis; quos Galli anno CIↃ IↃ CXII hic baptizatos, ſecum deduxerunt ad Marignanam; ita ut Inſula poſtilla deſerta manſerit, donec ſuperioribus annis à Belgis noſtris coli cœpit, qui jam aliquot colonos & paucos Nigritas eo deduxerunt.

CAP. IV.

Ora Continentis Braſiliæ Septentrionalis, à flumine Mongiangape *ad* Rio Grande.

SUPRA oram Braſiliæ Septentrionalis deduximus ad fluvium *Mongiangapen*. Superiori enim libro Continentem Americæ Meridionalis & Braſiliæ provincias proſequuti eramus uſque ad Capitaniam Paraibæ, quam jam abſolvimus ad extremum hujus Continentis angulum, qui orientem reſpiciens, extimus eſt verſus Arctum: ab hoc ſiquidem ora reflectitur verſus occidentem atque Arcto objicitur, vaſtis terrarum ſpaciis ad Novam uſque Hiſpaniam. Porro hanc Americæ Meridionalis partem quæ inter dictum Angulum & Marannon includitur, alii aliis nominibus, noſtri fere à ſitu Braſiliam appellant Septentrionalem. In orarum autem deſcriptione, (nam præter has, paucis locis exceptis, hic vix quicquam ſatis notum aut perluſtratum offendimus) plurimum variant authores; nos hic Itinerariorum authores, uti certiſſimos indices, ſequemur & imprimis Figueredum, qui Luſitanorum idiomate itinerum rationes explicavit; & aliorum præſertim noſtratium accuratas obſervationes, quibus & aliquid lucis à Gallis fænerabimur.

Oræ ergo à fluvio *Mongiangape* ſecundum dictos authores hoc ordine jacent.

A fluvio *Mongiangape* ad ſinum Proditionis, vulgo *Baya de Treyciaon*, Gallis *de Trahiſon* numerant leucam unam. diſtat hic ſinus, uti à noſtris eſt obſervatum à *Paraiba* ſeptem leucis; ab Æquatore gradibus ſex & viginti ſcrupulis verſus Auſtrum. clauditur ab ortu humili cornu, à quo ſcopuloſum vadum deſcendit im altum, quod fluctibus recedentibus extat, & ſinum hunc magna ſui parte, inſtar valli concludit, excluditque ingentes fluctus quos Oceanus hic volvit ad littora, ita ut pone illud duodecim aut quindecim naves commodiſſime in anchoris poſſint conſiſtere; quemadmodum anno CIↃ IↃ CXXV Claſſis Societatis Indicæ Occidentalis ſub præfecto *Balduino Henricide* hic aliquandiu ſubſtitit. Continens hic denſo nemore veſtitur, inter quod & arenoſum littus palus ſive ſtagnum interjacet, quod vado tranſiri poteſt, præterquam pluviis menſibus, quibus magis inpletur: patet in latitudinem circiter quartam leucæ partem: trans paludem hanc Luſitani exiguum templum & aliquot domicilia ſtruxerant, cujus incolæ pecuariæ & agriculturæ dabant operam.

Barbari qui in vicinia degebant, *Tyguares* dicebantur, à cæterorum moribus & idiomate parum aut nihil differentes; nuper autem à Luſitanis domiti, infeſtis adhuc animis in illos, ſtatim magno numero ſe noſtris conjunxerunt, & hoſtilia in Portugallos ſunt moliti; verum quum noſtri ab omnibus rebus, quibus opus erat, imparati eſſent, & ad alia properarent, hic præſidium relinqui minime potuit; unde factum eſt ut poſt noſtrorum diſceſſum, barbari hi in diverſa fugere cogerentur & non pauci à Luſitanis cæderentur: Eorum tamen aliquot noſtros ſponte ſunt comitati, quos in Belgio & linguam noſtram, & ſcribendi modum, denique initia Chriſtianæ religionis edoctos ſæpe vidimus, & regionum illarum qualemcunque cognitionem ab ipſis accepimus.

A ſinu Traditionis ad modicum amnem *Cromataym* numerant leucam unam: Figueredus

gueredus vocat *Camaratubam* (uti & barbari noſtri) ſcribitque ad ſiniſtram illius ripam deſinere limites Præfecturæ *Paraibæ*: hic amnis non niſi cymbis adſcendi poteſt, ad ripam tamen illius machina Saccharo molendo comparata à Luſitanis fuit exſtructa, quam noſtri exciderunt: quatuor autem horarum itinere intra Continentem *Tiguares*, hi incolebant in pago *Tabouſſuram*, quorum princeps dicebatur *Yayuararii*; qui ſibi metuens poſt noſtrorum diſceſſum, profugit ad *Tapuyas*.

Ab hoc fluvio circiter quatuor leucis (ſecundum Figueredum) ſequitur cornu terræ, pone quod ſe aperit ſinus, qui appellatur à Luſitanis *Baya Fermoſa*; à quo circiter dimidiâ leucâ verſus Ortum tenuis amnis exit è continente, quem Figueredus nominat *Rio Huagau*; alii videntur appellare *Congaycu*; hic amnis in aditu duodecim palmos eſt altus, ita ut minora navigia ad quatuor aut quinque milliaria illum aſcendant, ubi pagus viſitur Luſitanorum, qui & Sacchari cannis colendis dant operam, & plurimum ligni Braſiliani cædunt. Barbari noſtri referunt, Sinum Formoſum ſuorum idiomate appellari *Quartapicabam*, & paſſim hic creſcere arbores quæ lignum Braſilianum ſubminiſtrant, Galloſque hic ſuetos illud petere, antequam à Portugallis vetarentur.

A ſinu *Formoſo* ad fluvium *Curumatau* numerant leucam unam; hic & altus eſt & portum aperit valde idoneum & ſecurum. Sequitur deinceps ſeſqui leucæ intervallo amnis quem Figueredus nominat *Rio Subauma*; & paulo ulterius cornu terræ, quod à figura ſcopuli qui illi objacet vulgo vocant *Punta da Pipa*, pone quod ſtatio eſt navibus ſatis opportuna. Excipit deinde littus importuoſum, & nemoroſum quod vulgo vocant *Paranambuco*; intra Continentem jacet lacus *Guiraira*. Barbari noſtri à *Curumatou* ad *Paranambuco* ſive *Guiraire* deſignant quatuor milliaria; & à *Guiraire* ad amnem *Tareyrick* tria: hic lignum flavum cædere datur, quod vocant *Tatayouba*; feruntque hic reperiri intra Continentem venas ferri, quod nominant *Ita*.

Sequitur deinceps unius leucæ intervallo, (ſecundum barbaros noſtros) fluvius *Pirangue*, & portus quem Luſitani vocant *dos Buſios*. A quo ad aliud terræ Cornu, quod vocant *Punta Negra* ſunt tres leucæ ſecundum Figueredum: pone hoc ſtatio habetur navibus valde opportuna & ſecura: ab hoc cornu ad *Rio grande* numerant duas leucas. Alii paulo aliter hæc loca deſignant. A *Punta de Pipa*, quæ barbaris appellatur *Tacoatira*, diſtatque ab Æquatore gradibus ſex verſus Auſtrum, (ut à nonnullis invenio obſervatum) ad ſinum, quem vulgo vocant *Enſeada de Tambanti*, numerant leucas ſex; ab hoc ad *Porto dos Buſios*, ut vocant, quatuor: à quo exiguo intervallo diſtat alius portus vulgo *de Touros* quinque gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum; inter utrumque autem exit fluvius *Pirangue*.

E regione horum locorum, circiter decem aut duodecim leucis à continenti, & quinque gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, objacet magnum & famoſum vadum, quod Luſitani vocant *los Baixos de S. Roque*; patet autem inter ortum & occaſum in longitudinem plures leucas, & quo magis tendit verſus occaſum eò propius accedit ad Continentem, ita ut etiam quatuor aut quinque leucis ab illa deprehendatur; ſumma autem hic cautione opus eſt, & non niſi interdiu hic navigandum, tum enim unda palleſcens ſenſim ſatis mature admonet navigantes; præterquam quod bolide fundum tentantes, à triginta orgyis ſenſim animadvertunt adſcendere.

Cap. V.

Decima Braſiliæ *Præfectura* Rio grande.

SEQUITUR deinceps ad hanc oram inſignis fluvius, quem barbari quidem vocant *Poteingi*, Luſitani autem *Rio grande*; quinque gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum, ſecundum Figueredum difficilior quidem aditu, ſed interius valde amœnus & ſatis altus.

Galli poſtquam ſinum Januarii deſeruerant hic appellere conſueverant, fœdere & amicitia cum barbaris, qui *Petivares* dicuntur, juncti, atque hic domicilia fixerant; ſed Rex Hiſpaniarum Gallos tam vicinos neutiquam ferendos ratus, *Feliciano Cecæ de Caravalasho* præfecto *Paraibæ* mandavit, ut illos inde depelleret; qui anno cIↄIↄxcvII de rebus à ſe geſtis ad Regem Hiſpaniarum ſcribens, magnificè ſe jactat, ut ſolent Luſitani,

Luſitani, & multa millia barbarorum à ſe cæſa, Gallos qui impetum fecerant in caſtellum *Capo delo* nullo negotio depulſos; verum tamen ad flumen *Rio grande* aggrediendum penitus ſe imparatum; nam & apparatu omni bellico deſtitutum eſſe & eundem à Regiis præfectis tam *Pernambuci* quam *Bahiæ* fruſtra jam ſæpius poſtulaſſe.

Narrat præterea Gallos intra Continentem, in loco quem vocat *Copaoba*, inveniſſe opulentas argenti venas, & plurimum metalli inde abduxiſſe. Nec tamen ante annum cIↄIↄcI Galli penitus videntur excluſi, aut barbari ſub jugum miſſi: *Antonius* enim *Knivetus* Anglus narrat ſe eo anno cum Præfecto fluminis Januarii veniſſe *Pernambucum*; cujus Præfectus *Emanuel Maſcaremas* rogatus à *Feliciano Cuello*, quem barbari maximis copiis ad ripas hujus fluminis undique premebant, cum quadringentis Luſitanis & tribus millibus barbarorum qui ipſi parebant, movit è *Pernambuco*, & ſeptimo die pervenit ad hoſtium caſtra, in quibus erant quadraginta millia barbarorum ſtatimque congreſſum cum perduellibus, ingenti clade illos cecidiſſe, ita ut quinque millia in prælio mactaret & tria millia caperet. Principem autem *Petiguarium Pirajuwath*, tanta clade conſternatum, pacem petiiſſe à Luſitanis & certis conditionibus ſe dedidiſſe & vaſallum Regis Hiſpaniarum eſſe factum. Poſtilla arcem ad ripas fluminis hujus ſtructam & pluribus machinis bellicis inſtructam, adeo ut poſtilla hic nova Præfectura fuerit conſtituta, quæ hodie decima Braſiliæ Capitania, ut vocant, cenſetur.

Noſtrates qui ſub exitum anni cIↄIↄcxxxI è Pernambuco cum claſſe profecti erant, ut arcem hanc expugnarent, teſtantur: Arcem hanc ſtructam eſſe ad ripam ingredientibus ſiniſtram, ſuper rupem, quæ anguſto alveo à continente dividitur, & muro ſaxeo cinctam, ſatis alto, cum ſuis propugnaculis, quæ utrimque in flumen prominent & pluribus machinis bellicis ſunt inſtructa, ita ut arx difficulter admodum adiri & à paucis contra plures propugnari poſſit: nam ita ſita eſt, ut naves ingredientes, neceſſario propius accedere & machinarum ictus cum ſummo diſcrimine tolerare cogantur: Sola fame aut ſiti domari poſſunt præſidiarii, nam aquam è vicinó torrente aut amniculo petere neceſſe eſt, qua negata in ſummas anguſtias inciderent.

Cæterum hæc Præfectura à Luſitanis haud ita multis incolitur, nam præter præſidiarios ſexaginta aut octuaginta qui in arce degunt, pauci in vicino pago habitant; habent hic unam atque alteram machinam Saccharo molendo comparatam; & aliquot villas in quibus pecuariam exercent. Barbari hic admodum pauci habitant, nam plurimi variis cladibus attriti interierunt; alii Portugallorum odio profugerunt ad *Tapuyas*, inter quos latitant, occaſionem operientes, qua ad ſua reverti poſſent.

CAP. VI.

Ora Braſiliæ *ſeptentrionalis à* Rio grande *ad* Siaram, *ſecundum Figueredum & alios.*

F*igueredus* hanc oram ex inſtituto deſignans, numerat primo à flumine Grandi ad promontorium *de Siara* duas leucas, pone quod amnis egreditur ejuſdem nominis; Noſtrates vero intermedio ſpacio & vix uno milliari à *Rio grande* meminerunt ſinus admodum opportuni, quem barbari vocant *Ienipabou*: à Promontorio *Siaræ* ad ſinum *Petitiguæ* numerat novem aut decem leucas; patentiſſimus hic eſt ſinus & adverſus incerta ventorum egregiè munitus.

Morungape. Alii numerant à Promontorio *Siaræ* ad amnem *Morungapen* leucas duas, & inde ad cornu terræ quod vocant *Pequetingam* ſex.

A ſinu *Petitiguæ* pergit ora verſus corum, modo alta, modo humilior, & variis locis

Omarco. denſo nemore virens ad *Omarco*, ut vocant viginti & quinque leucis, hic quondam limes fuiſſe videtur inter Luſitanos & Caſtellanos.

Alii numerant à *Pequetinga*, ad cornu *Chugaſu* ſive *Vgaſſumba* leucas ſex; & obſervant è regione hujus cornu vada *S. Rochi* deſinere. Sequitur deinceps ſecundum eoſdem cornu terræ quod appellatur *Vbaranduba*.

Guamare. Ab *Omarco* ad *Guamaren* numerat quindecim leucas, ora autem omnis intermedia maximam partem humilis eſt, niſi quod paucis locis aliquot arenoſi colles videantur, pone quos procul intra Continentem ſeſe aperiunt altiſſima montium juga, qui à

barbaris

barbaris appellantur *Buturuna*; diſtat autem Guamare, ſecundum alios, ab Æquatore quatuor gradibus & quadraginta quinque ſcrupulis. Buturuna.

Haud longe à Guamare ſubducit ſe ora, facitque ſinum, cujus ſolum in ambitu fluctibus inundatur, & arboribus illis tegitur, quas vocant *Mangues*; atque hic jacent celebres illæ *Salinæ* quas vocant *de Guamare*, è quibus plurimum candidiſſimi ſalis peti poteſt, qui hic ſponte generatur. Alii notant fluvium eſſe & appellari *Caru-Arctuma* ſive *Rio de Salinas* & diſtare à *Guamare* tribus leucis verſus Occidentem. Salinæ.

A *Salinis* ad ſinum *Maretubam* numerat duas leucas; ampliſſimus eſt ſinus & quatuor oſtiis admittit Oceanum. Hinc jam ora longe editior cernitur & pumilis arboribus vernans ad Cornu uſque terræ, quod vocant *Punta do mel*, juxta quod ſalſus torrens erumpit qui dicitur *Guararahu*. Alii à *Rio de Salinas* monent ab ora navigandum eſſe duabus leucis, propter vada & rupes, & ex hac ora exire quatuor amnes mediam leucam à ſe invicem diſcretos *Guapetubam*, *Manetubam*, *Gorarasſu* & *Perſin*, quorum ora rupibus obſtructa ſint, & à frequentibus barbaris accolantur; & *Puntam do mel* à barbaris appellari *Cucaratubam*. Duabus à *Guararahu* leucis egreditur amnis *Vquiaguara* & octo ab hoc alter quem vocant *Hupanemam*: ſubſidet hic rurſus ora, palmeto læte vernans uſque ad rubentes aliquot clivos & ſinum *Vbaranæ*; à quo ad *Iaguariben* numerat decem leucas: alii tantum octo: ad altitudinem quatuor graduum ab Æquatore verſus Auſtrum. Maretuba.

A *Iaguaribe* attollit ſe rurſus ora, multis arboribus amæne veſtita, uſque ad *Iguapen* leucis viginti: patens hic eſt ſinus ſed aquationi plane inidoneus. Iguape.

Ab *Iguape* ad *Mocuripen* numerat octo leucas, ora autem intermedia valde edita eſt, pone quam procul intra Continentem viſuntur alta juga montium, qui à barbaris appellantur *Camume* vel *Aquimume*: quinque autem leucis ab *Iguape* egreditur fluvius importuoſus & adverſus tempeſtates indefenſus *Ypocaru*; & duabus ab eo leucis *Rio Coco*. diſtat *Mocuripe* ſinus ab Æquatore tribus gradibus & quadraginta ſcrupulis verſus Auſtrum. Ab hoc brevi intervallo abeſt *Siara*, ubi Portugalli haud ita nuper incolere cæperunt, ita ut hanc inter Braſiliæ Capitanias numeret *Olyveira*. Camume.

Barbari, quos à noſtris edoctos ſupra diximus, hanc oram ita nobis deſcripſerunt.

A *Riogrande* ad amnem *Siaram* ſunt duæ leucæ.

A *Siara* ad amniculum *Piracabubam* una: ubi nulli Portugalli incolunt.

A *Piracacuba* ad *Pecutingam* duæ; hic ſtatio eſt commoda & aquatio facilis.

A *Pecutinga* ad amniculum *Vguaſu* ſex: ad *Kaalſam* octodecim: ad *Guamaren* duæ: ad amnem *Carwaretamen* una; hic jacent *Salinæ* illæ, è quibus plurimum ſalis peti poteſt, præterquam pluviis menſibus, imprimis Maio & Junio: ad amniculum *Baritubam* dimidia leuca. Ab hoc porro ad amnem *Guararahug* una: ſupra hunc fluvium frequentes incolunt *Tapujæ* Portugallis infenſiſſimi, & pone hos alia barbarorum natio, qui *Iandovii* appellantur.

A *Guararahugh* ad amniculum *Iandupatiba* bidui iter eſt, & dimidia leuca, ab hoc exit exilis torrens *Wupanema*; ad utrumque hunc amnem nulli degunt barbari.

A *Wupanema* ad *Awaranne* ſunt ſex leucæ: & ab eo totidem ad amnem *Yuguarich*; dimidia porro ad amniculum *Pariporie*, & una ad *Guatapugui*. Iuxta horum ripas degunt barbari è *Tapuyarum* natione, qui vocantur *Iapovaton*; Portugallis infenſi.

Ab his ſex itidem leucis egreditur amniculus *Wichoro*, ad cujus oſtium nulli quidem degunt mortales, ſed intra Continentem habitant *Kitaryouwi* è gente *Tapuyarum* & Portugallis infenſi: unde Figueredus in itinerario monet has gentes caute vitandas eſſe. Bidui autem itinere à littore jacent edita juga montium *Wichoro*, ubi plurimum nitri reperiri volunt barbari, quod ipſi vocant *Tatawich*, & è petris deſtillare ajunt inſtar ſalis, mole piſorum.

A *Wichoro* ad *Yguaguaſu* numerant ſex leucas, ubi nulli degunt barbari; & ab *Vguaguaſu* ad *Moucouru* undecim & denique ab hoc unam ad *Siaram*.

Cap. VII.

Præfectura Braſiliæ Septentrionalis quam vocant Siaram, *&* *reliqua ora uſque ad* Marannon.

ANTEQUAM de ipſa præfectura dicamus, pauca ſunt obſervanda de *Moucouru*, cujus tam noſtri, quam alii meminerunt: Sed noſtri interdum variant in loci illius ſitu; nam alii conſtituunt ad altitudinem trium graduum & viginti ac trium ſcrupulorum, putantque illum ſinum à Gallis vocari *Tres tortugas:* alii vero ad altitudinem trium graduum & duorum ſupra quinquaginta ſcrupulorum: ita ut nomen hoc applicent duobus ſinubus, qui à ſe invicem diſtant milliaria duodecim.

Quidam noſtrorum qui anno cIↃIↃCI menſe Novembri applicuit ad ſinum *Mocouru* ut ipſe vocat; narrat plurimos barbarorum veniſſe ad ipſius naves, à quibus didicerit haud longe abeſſe montem in quo plurimi ſmaragdi reperiantur: Seque cum eiſdem egreſſum in terram, pernoctaſſe in frequentiſſimo barbarorum pago, in quo ſupra quinque millia offenderit, qui metu hoſtium huc confluxerant; deinde perveniſſe ad editum montem, è quo petra duriſſima & candidiſſima extabat, in qua Smaragdi elegantiſſimo viridi colore concluſi videbantur; inopia tamen ferramentorum, nulla fragmenta inde potuiſſe deducere. Narrabant denique barbari Gallos hic aliquoties fuiſſe. Sed jam de Siara videamus.

Siara numeratur inter Capitanias Braſiliæ, quæ à Luſitanis poſſidentur, ut ante diximus; pauci tamen hic degunt Portugalli, in exigua arce, quam ad radicem montis condiderunt, juxta dextrum latus ipſius portus, qui mediocrium navium capax eſt. Arx tantum ligneis palis cincta eſt ſine ullo muro aut terreo vallo. Sub radicibus montis cui arx ſuperjacet labitur exiguus amnis, neq; hic ullus reperitur amnis, qui ſupra tria milliaria è Continente deſcendat. Infra arcem decem aut duodecim domicilia ſtructa ſunt à Luſitanis, præter Præfecti ipſius ædes, quæ haud longe diſtant ab arce. Limites hujus præfecturæ ad decem aut duodecim leucas in ambitu patent. Solent quotannis duæ aut tres minores naves hic appellere, atque varias merces hinc deducere, goſſypium, cryſtallum, aliaſque gemmas & varia ligna: plurimæ quidem hic naſcuntur cannæ ſacchari, ſed nulla dum machina illis molendis hic conſtituta: nec quicquam hic ſatis validi adverſus hoſtes. Barbari vicini plerumque cum Portugallis diſcordes; Princeps enim eorum, aliis quinque regulis imperare dicitur, qui ſinguli quadringentos aut circiter ſubditos numerant. Decem denique dierum itinere intra continentem celebrant barbarorum regnum *Iavarobate.*

Barbari noſtri, quorum jam aliquoties meminimus, teſtantur portum Siaræ nonniſi minorum navigiorum patientem eſſe: majoribus magis idoneum eſſe ſinum *Mocouru:* quatuor autem horarum itinere à *Mocouru* barbaros Tiguares incolere in pago *Tapirugh*, qui duobus regulis parent *Kiæba* & *Vawaſſow.* Unius denique diei itinere ſive ſex leucis à *Tapirug* abeſſe montem *Boragnabam*, quem argenti venas intra viſcera condere arbitrantur.

Secundum Figueredum, ſequitur poſt Siaram ad eandem oram, ſex leucarum intervallo Sinus, quem à flumine quod in illum egreditur, vocant *Paramiri*; hujus fluminis unda & potari pulchra eſt, & ad ripas illius plurimæ naſcuntur arbores quæ *Caious* ferunt: accolæ ſunt Tapuyæ Portugallis infenſi. Secundum alios ſequitur poſt Siaram lacus aquæ dulcis quem vocant *Vpezem.* [Paramiri]

Ab occidentali hujus Sinus angulo, ad Cornu terræ quod barbari nominant *Itaiuba* vel *Tataiuba* ſunt octo leucæ; ſpacio autem quaſi medio egreditur fluvius *Tiraiva.*

A *Tatajuba* ad amnem *Mondahugh*, quatuor: ſequitur deinceps *Satahuba* & porro Sinus *Ieruquacuara*, ubi ſumma eſt aquandi opportunitas, ſed vitandi ſunt accolæ *Tapuyæ* & *Tabaxares* Portugallis ſupra modum infenſi: nihilo ſecius anno cIↃIↃCXIII ſeptuaginta Portugalli hic ſedes fixerant, in pago *Noſtra Sennora de Roſario*; quas anno ſequenti rurſus deſeruerunt, ad Marannon profecti.

Hinc ad fluvium *Camuſi* vel *Camocipe* numerat octo leucas: & ab hoc ad fluvium *Guaſipuiram* quinque, & porro ad *Ioſaram* tres. Sequitur patentiſſimus Sinus, qui validè

valide in Continentem irrumpit; excipitque gremio ſuo vaſtum quidem fluvium *Param*, ſed oſtio valde vadoſo. Alius Nauclerus Luſitanus numerat à Camocipe ad flumen *Para ovaſu* triginta leucas; & collocat illud ad altitudinem duorum graduum & triginta ſcrupulorum. A quo ad Marannon ſuperſunt quinque & viginti leucæ; ora autem humilior eſt & arboribus nuda, maxime qua fluvium *Maripen* emittit; à cujus oſtio ad ſex leucas ora manguis arboribus obſita eſt, littore arenoſo, uſque ad pulcherrimum amnem *Peream*, cujus æſtuarium ad leucam integram patet, & orientalior eſt aditus ad Sinum Marannon & oppidum ſive arcem *S. Iacobi*, quam Luſitani incolere cœperunt anno cIↃ IↃ cxiv. Alii Luſitani numerant à Para ſedecim leucas ad alterum fluvium quem vocant *Rio das Preguizas*: & ab hoc novem ad fluvium *Marii*, à quo ad *Peream* ſuperſunt leucæ ſex. Meminit alibi Figueredus, patentis Sinus & qui plurimas minores inſulas complectitur, diciturque *Ototoy*, viginti leucis à Marannon verſus Ortum & duobus gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum.

Noſtrates qui has oras luſtrarunt ſuperioribus annis, meminerunt Promontorii, quod Luſitanis dicitur *Cabo Blanco*, duobus gradibus & triginta octo ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum; vel ut alii pene tribus gradibus, A quo ad flumen Camuſi ſive ut noſtrates vocant *Campocip* vel *Camocipe* numerant ſex aut ſeptem leucas. Iidem & fluvii *Rio de Cruz* meminerunt, qui diſtat à Camouſi decem milliaria; hic fluvius oblimato eſt ore, neque interius ſupra ſeptem aut octo palmos altus. Verum monent Luſitani *Camocipen* in nonnullis Tabulis Hydrographicis appellari *Rio de Cruz* & diſtare ab Æquatore duobus gradibus & quadraginta ſcrupulis. Ab hoc ad alterum, quem vocant *Rio Grande*, numerant novem leucas, atque hic difficillime propter vada adiri poteſt; ripas tamen illius à plurimis barbaris accoluntur.

Barbari autem noſtri deſignant, quinque leucis à Siara amniculum *Vpeſem*: & totidem ab hoc *Param*; & porro *Couru*, *Tareguy*, *Tatayough*; *Pounaſugh*, *Aracatihugh*, *Paratihugh*, *Tirnohugh*, *Iuriaquere*, *Vpeba*, *Camuſipe*, juxta quem & argentum & cryſtallum reperiri produnt: Sed tempus eſt ut ab hiſce incertis, ad certiora nos conferamus.

Quidam denique noſtrorum, qui has oras adiit anno cIↃ IↃ cix meminit Sinus cujuſdam, quem vocat *de Arrekeytos* tribus gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: & fluvii *Rio de Lies* uno gradu & quinque ac quadraginta ſcrupulis ab Æquatore: ubi viderit barbaros vaſto corpore, deformi vultu, prolixis comis, auriculis perforatis & pendulis pene ad humeros uſque; cutem nigro colore tinctos præterquam ab oculis ad os: quibuſdam labium inferius, aliis & nares erant perforatæ, quibus lapillos & oſſicula indiderant.

MARANNON ſive MARAGNAN.

CAP. VIII.

Generalis deſcriptio hujus provinciæ, & quædam neceſſario obſervanda.

QUEMADMODUM tam Hiſpanorum ſeu Luſitanorum Tabulæ geographicæ plurimum variant in nominibus locorum & reliquis circumſtantiis inter *Paraibam* & *Marahnaon*, ut ipſi vocant: ita plurimum differunt inter ſe ſcriptores in deſignatione hujus fluminis Marannon, quia id nomen pluribus & valde diverſis fluminibus ſolent attribuere: & maxime tribus fluminibus quæ ad hanc Americæ Meridionalis oram ſeptentrionalem in Oceanum exeunt, nimirum huic flumini de quo jam agimus, Orellanæ ſive *S. Iuan de las Amazonas*, & Orenoque: quemadmodum videre eſt in Hiſtoria *Ioſephi de Acoſta* (ut alios multo indiligentiores omit- 1.2.c.6.
tamus) qui ſcribit ingens illud flumen, de quo agit, ab aliis *Rio de Amazonas*, ab aliis Marannon, ab aliis denique Orellanam appellari, exire autem ex adverſo Inſulæ Trinitatis: in quo illum egregie halucinari nemo dubitabit, qui horum locorum vel mediocriter gnarus fuerit: Qui error ex eo natus videtur, quod Hiſpani ſcriptores tam promiſcue hoc nomen Marannon uſurpent; nam *Herrera* (ſcriptor alioquin ſatis

accuratus) de provinciis Quitenſis Præfecturæ agens, crebro ita loquitur, hanc aut illam provinciam ſitam eſſe verſus Marannon, quum tot flumina & tantum terrarum ſpacium interſit: idem & in aliorum deſignationibus obſervavimus quum de Peruvia ageremus, quæ hic repetere non eſt neceſſe: ut autem hunc errorem ſemel tollamus & liquido pateat, cui potiſſimum flumini id nomen jure competat; ſingulorum horum fluminum origines, curſus & oſtia diſtinguemus. *Orenoque* qui aliter *Vyapari* dicitur, de quo ſuo loco plura dicemus, oritur ex orientali latere montium qui Popayanam vel etiam Novum Regnum Granatæ ab ortu concludunt, & pluribus oſtiis exit in oceanum è regione Inſulæ Trinitatis, uti omnibus jam notiſſimum eſt. Orellana autem ſive *Rio de las Amazonas* potiſſimum oritur (nam ab alterutra plaga plures in illum confluunt amnes) è Peruvianis Andibus haud longè à Quito, ut Pizarri expeditio, de qua mox, facit fidem; & egreditur in Oceanum per plurimas inſulas duobus aut circiter gradibus ab Æquatore verſus Arctum, & aliquot centenis milliaribus ab Orenoque verſus Ortum: ita ut mirum ſit *Herreræ*, qui expeditionem hanc *Pizarri* Hiſtoriæ ſuæ inſeruit, & qui recte, meo quidem judicio alibi ſcribit, amnes omnes qui ſupra & infra *Xauxam* vallem oriuntur, labi in *Paraguayum* & ita per flumen Argenteum in Oceanum Atlanticum, potuerit excidere, Orellanam oriri haud longe à *Cuſco*; quanquam non ignorem vulgari errore Hiſpanis, in Peruvia Marannon paſſim in Limano Conventu juridico oriri. Maran non denique, ſive id fluvii nomen ſit nec ne (nam fluvium eſſe negat Abbævillanus, ut ſtatim videbimus) conſtanter agnoſcunt omnes Tabulæ Geographicæ, & itineraria Luſitanorum hoc loco ad quem jam deſcriptionis ordo nos deduxit; flumina autem illa tria quæ hic in ſinum confluunt, cui inſula Maragnan injacet; & imprimis medium quod peculiari nomine vocant *Taboucourou*, oriuntur procul intra Continentem, deſcenduntque recta à Meridie verſus Arctum, pone Braſiliæ provincias; quum cætera Orenoque nimirum & Orellana, è montibus Peruviæ, aut Novi regni Granatenſis dilapſa, ab occaſu aut Africo deſcendant verſus ortum aut boream. Quare, ut hanc ambiguitatem ſemel profligemus, nomen Marannon huic flumini ſive fluminibus vindicabimus, quæ in hunc ſinum confluunt & inter plures inſulas eluctantur; & inter Braſiliæ ſeptentrionalis provincias numerabimus, quia ſcriptor Luſitanus *Oliveira*, eam inter Capitanias numerat quæ à Portugallis in Braſilia poſſidentur. In ea autem deſcribenda potiſſimum ſequemur Claudium Abbævillanum Capucinum, qui anno cIↃ IↃ cxii Commentarium ſuum Pariſiis edidit qui inſcribitur, *Hiſtoire de la miſſion des Peres Capuchins en l'iſle de Maragnan.*

Cap. IX.

Deſcriptio Maragnanæ ſecundùm Claudium Abbævillanum.

SCRIPTORES omnes Geographici (inquit) qui Braſiliam deſcripſerunt, nuſquam meminerunt Inſulæ *Maragnan*, quum frequenter mentionem faciunt fluminis *Marannon*, quod in hiſce partibus plane ignotum eſt, niſi ſi ſinum *Maragnan* pro flumine velis accipere, aut id nominis alicui fluviorum, qui hic exeunt, aſſignare; magno errore, quia ſingula obtinent propria nomina, ut mox dicetur; neque accolæ id nomen ulli fluviorum tribuunt, ſed Inſulæ. Porro ſinus hic patet ad mare in longitudinem inter duo terræ cornua ſupra viginti & quinque milliaria, & pene totidem in ambitu intra Continentem.

Ab ortu clauditur primum modica inſula, quam barbari vocabant *Vpaonmiri*, Galli nunc *Iſlette de S. Anna*; excipit dein aliquot leucarum intervallo magna Inſula *Maragnan*, patens in ambitu circiter quinque & quadraginta milliaria, & diſtans ab Æquatore verſus Auſtrum duobus gradibus & triginta ſcrupulis.

In intimum ſinus gremiũ egrediuntur tria pulcherrima flumina, è regione magnæ hujus inſulæ *Marignanæ*, eamque undique cingunt, ita ut ab una parte quinque aut ſex milliari-

milliaribus, ab altera duobus aut tribus, à cæteris partibus pluribus aut paucioribus Mounin. abſit à Continente. Primum flumen & maximum Orientale appellatur *Mounin*, quod quadraginta aut quinquaginta milliaribus ſupra oſtium, è Continenti dilabitur, eſtq; in oſtio latum quartam milliaris partem. Secundum ſive medium flumen vocatur *Taboucourou* circiter dimidium milliare in oſtio latum, & ſupra quadringenta vel for- Tabou-courou. te quingenta milliaria è Continente deſcendens. Tertium ſive Occidentale appellant *Miarii*, quinque aut ſex milliaria in oſtio latum, & ut communis eſt opinio, ſub ipſo Tropico Capricorni oriens, à quo barbari illud deſcendere ferunt. Sunt alia hîc præter hæc flumina, uti *Maracou* quod ſe condit in amnem *Pinaren*; *Pinare* autem confluit in *Miaryn*, circiter ſeptuaginta aut octuaginta leucis ab illius oſtio. Et ſupra hunc adhuc alius amnis, qui *Ouaieoup* nominatur qui è ſylvis egrediens, itidem à *Miarii* recipitur: quo fit, ut *Miarii* perniciter deſcendat, quemadmo- Miarii. dum & *Taboucourou*, qui in ipſo pene oſtio nonnihil coarctatur à duobus ſcopulis; quo fit, ut hæc flumina ingentes fluctus evolvant, & Inſulam Maragnanam difficilem acceſſu faciant: quibus accedunt vada & brevia quibus exterius & verſus Oceanum cingitur, ita ut ſumma cautione & peritiſſimis naucleris opus ſit iis, qui ſinum hunc ingredi & inſulam attingere deſiderant: Nam inſula hæc veluti clavis eſt hujus provinciæ; reliqua enim ora tam verſus ortum quam verſus occaſum, cum ſummo diſcrimine aditur, propter vada & arenoſos pulvillos, quibus inde à Promontorio *de la Tortue* uſque ad Promontorium *des Arbres Secs*, ut Gallis dicuntur, tegitur, ad quatuor quinque & interdum plura milliaria in altum egredientibus; ad eundem modum ora ſe habet, à Promontorio *Tapouytapere* quod ſinum ab Occidente claudit, ad magnum flumen *Amazonum*: univerſa enim tegitur infinitis inſulis, ipſaque ora penitus obſita eſt denſiſſimis nemoribus arborum Maguium (Galli vocant *Apparituriers*) quæ ramis ita inter ſe connexæ ſunt, ut inſtar vepreti oram obſepiant; (præterquam quod littoris arena veſtigia hominum hauriat) & allabentes in terram penetrare prohibeat.

Quum itaque ora utrimque & ad ipſam inſulam ita ſe habeat, reſtant tantum duo ad ſinum & Inſulam aditus, unus inter Promontorium Arborum ſiccarum & exiguam illam inſulam *S. Annæ*; qui & ipſe non vacat diſcrimine, & etiam à gnaris metuitur; neque tamen majora navigia ulterius aſcendere poſſunt quam ad hanc Inſulam, minoribus autem ad magnam inſulam licet promovere. Alter aditus ab altero *S. Annæ* latere nuper inventus fuit, majoribus quidem navibus idoneus, ſed non ſine peritiſſimo nauclero & certis tempeſtatibus tentandus. Incolæ majoris Inſulæ Maragnan, vocant pagos ſuos *Oc* ſive *Tave*, qui tantum conſtant quatuor grandioribus domiciliis, inſtar clauſtri quadrangulari forma conjunctis, ita ut amplam aream in medio concludant: Sunt autem utplurimum ducentos nonnumquam & trecentos, atque etiam quingentos paſſus longa; & viginti quinque aut triginta pedes lata: compoſita è vaſtis arborum truncis & ramis inter ſe connexis; à ſolo ad faſtigium Palmarum foliis adverſus aëris injurias tecta; Palmæ arbores, ipſis dicuntur *Pindo*, naſcunturque hic paſſim in ſylvis maxima copia.

Horum pagorum numerantur in hac majori inſula ſeptem & viginti, diverſæ magnitudinis; qui ab inſula *S. Anna* appellentibus primo aditur, dicitur *Timbohu*; proximus *Itaparii* à tribus piſcinis quæ adjacent; tertius *Carnoupiop*: quartus *Euayne*: quintus, *Ira-Endave*: ſextus *Aroſove-leuve*; ſeptimus *Pindotune*: octavus *Ova Timbooup*: nonus & maximus *Iuniparan*: decimus *Toroiepeep*: undecimus *Ianouarem*; duodecimus *Ovarapiran*: decimus tertius *Coyeup*: decimus quartus *Euſſa-ouap*: decimus quintus *Maracana Piſip*: decimus ſextus *Taperouſſou*; decimus ſeptimus *Torooup*: decimus octavus *Aketeuve*, decimus nonus *Carana-uve*: vigeſimus *Ieuireu*; vigeſimus primus *Eucaton*: vigeſimus ſecundus minor *Ieviree*, vigeſimus tertius *Oury-Ovaſſueupe*: vigeſimus quartus *Mayone*: vigeſimus quintus *Pacoury-Euié*: vigeſimus ſextus *Euapar*: vigeſimus ſeptimus *Meruouty-Euve*. In hiſce pagis interdum ducenti aut trecenti, interdum & quingenti aut ſexcenti reperiuntur incolæ; ita ut Galli judicent Inſulam tum à decem aut duodecim millibus fuiſſe habitatam.

Cap. X.

Inſulæ Maragnanæ *Cœli ſolique qualitates.*

COELUM in hac inſula plerumque ſudum, dieſque utplurimum ſereni: nullum pene frigus aut immodicæ ſiccitates: rariſſimæ nebulæ aut vapores valetudini habitantium noxii: nullæ tempeſtates aut ventorum turbines; nullæ nives aut grandines; infrequentia tonitrua, nec niſi pluviis menſibus; fulgura nonnumquam ſub veſperam, atque etiam matutino tempore, cœlo vel maxime ſereno.

Sol autem à Tropico Capricorni, ad Cancri Tropicum revertens, in omnibus hujus plagæ regionibus, pluvias præ ſe agit, quadraginta utplurimum diebus antequam ſupra verticem aſcendat, & poſtquam zenith illarum ſuperaverit, duobus aut ad ſummum tribus menſibus hic continuo pluit pro clymatum diverſitate; in hac vero Inſula ab exitu Februarii ad initium aut medium Junii. Poſt ſolſtitium autem æſtivum, ſole verſus Capricorni tropicum regrediente, venti ab Orientali plaga (*Briſas* vocant vulgo) excitantur, & quo propior ad illarum zenith accedit, eo intentius; quo vero longius abjerit, eo remiſſius perflant; oriuntur fere poſt crepuſculum, hora videlicet ſeptima aut octava matutina, & quo magis ſol ſupra Horizontem elevatur, eo vehementius ſpirant; poſt meridiem ſenſim remittunt, & ſole Occidente ſpirare deſinunt. Nec tamen alius in hac inſula & vicina Continente ventus ſentitur quam ab Orientali plaga, quo & æſtus egregiè temperatur & aër imprimis ſalubris efficitur. Quumque hæc inſula tam exiguo intervallo diſtet ab Æquatore, æquabili dierum noctiumque diſcrimine, atque uniformi aëris temperamento gaudet per totum pene anni tempus: nec ullum clyma jucundius aut habitationi hominum accommodatius facile poſſet reperiri.

Solum hujus Inſulæ licet undique circumcingatur à mari, nihilo ſecius abundat fontibus & ſcaturiginibus, dulcium, limpidiſſimarum & ſaluberrimarum aquarum; pluribuſque rigatur rivulis: adeoque fæcundum eſt, ut licet numquam ſtercoretur aut interquieſcat, tamen Mayzium (quod incolæ hujus Inſulæ vocant *Avattyii* intra tertium menſem ex quo ſatum eſt reddit ingenti fænore, idque aliquoties ſingulis annis. Radices *Maniot* quibus pro farre vulgo utuntur celerrime in magnam accreſcunt molem: melones maturantur intra ſecundum à ſatione menſem, colligunturque pene omnibus anni menſibus: reliquorum fructuum ſimilis eſt ratio.

Porro quæ mercium loco ex hac Inſula & Continente peti poſſunt, hæc fere ſunt: lignum Braſilienſe, itemque croceum & alia: Goſſypium, *Rocou*, id eſt, tinctura quædam rubra, quæ maxima hic paſſim copia reperitur; Laccæ quædam ſpecies: & Balſamum, quod Abbævillanus, quem hic ſequimur, cum Arabico componit; optimæ notæ Tabaccum; Piper ſive Axi, & ſimilia. Qui autem telluris dotes accuratius explorarunt, Sacchari cannis alendis vel maxime idoneum arbitrantur. Ad oram autem maris non raro reperitur Ambar, ut vocant griſeum.

Nec gemmarum effæta eſt tellus; reperitur enim in terræ viſceribus jaſpidis quædam, ut volunt, ſpecies, è qua lapillos illos, quos labiis ſuis inſerunt, ſolent polire: item Cryſtalli candidi & rubicundi vena, quæ adamantes, quos Galli vocant Alenzonios ſuperat duritie, & plures ejus generis gemmæ.

Quæcunque ad ædes fabricandas neceſſaria ſunt, paſſim reperiuntur, materies dura atque firma, lapides peridonei, argilla quoque ad lateres coquendos aptiſſima, cæmentum denique & calx.

Denique nec patentiores campos obtinet hæc Inſula, nec in vaſtos aut altos montes aſſurgit, ſed modicis tantum collibus erigitur, ad quorum radices limpidiſſimi fontes exſiliunt, qui planiciem rigant; & non paucos rivos atque torrentes progenerant, barbarorum quoque lintribus navigabiles. Cætera denſis arborum lucis obſita ſunt (inter quas Palmæ eminent, ut mox dicemus) magno venatus & aucupii compendio.

Cap. XI.

Arbores fructiferæ quæ in hac Inſula reperiuntur.


HÆc inſula habet pleraſque fructiferas arbores cum reliqua Braſilia communes, quas jam ſupra deſcripſimus, ita ut pene ſupervacaneum videri poſſit eaſdem hic denuo attingere; verum quum nomina nonnihil differant, & notæ quædam diligentius ab Abbævillano videantur obſervatæ, lectoribus haud ingratum fore exiſtimo, eaſdem hic ſecundum illius obſervationes deſcribere. Inter illas eminet *Acayou* proceritate atque caudicis craſſitie pomos aut pyros noſtrates plerumque ſuperans; folia nucum frondibus haud abſimilia; flores exigui, roſcidi & non inelegantis odoris, qui à longinquo ſentitur; fructus fert diverſarum formarum, & colorum. Nam alius eſt pyro ſimilis, colore ubi maturuerit flavo exterius, interius candida carne & ſucci plena; cui nux quædam ſuccreſcit, renis ovillæ forma, duriſſimo putamine & oleoſo, ita ut facile flammam concipiat, nucleo inſtar amygdalæ. Alter magis rubet, ſed acidiori eſt ſucco. Tertius longe minor atque acidior, è quo acetum conficiunt. Quartus longe maximus, gratiſſimique ſaporis, vocant *Acaiou-Ovaſſou*: omnes autem incipiunt matureſcere menſe Martio atque Aprili, & fere omnibus anni menſibus. Barbari exprimunt ex illis liquorem quendam, quem vocant *Acaiou-Caoum* candidum & potari pulcherrimum, palatoque imprimis gratum. Magna harum arborum hic ubique eſt copia, facillime enim ſuccreſcunt è nucleis, atque altero ſtatim anno dant fructus. Sed plura de hac arbore diximus jam ſupra.

Bannanna procera arbor foliis prægrandibus, & ſupra cubitum longis & binos palmos latis: fructu cucumeris pene magnitudine, cortice croceo, ſed carne albicante inſtar pomi. Bannanna.

Mangua fructus fert prunis præcocibus non abſimiles, ſed paulo majores & exoſſes, ſuavis atque optimi ſaporis. Supra deſcripſimus ſub nomine *Manguabæ*. Mangua.

Iracaba arbor vaſta & patula ramorum opacitate in vertice laſciva, foliis pene ficulneis; floribus flavis; fructu pyri formâ, cortice ſubflavo, carne intus ſapida & optimi, ut credunt, nutrimenti. Iracaba.

Ovaierova alta & vaſta arbor, foliis quercus ſed paulo majoribus, floribus dilutè flaveſcentibus; fructum fert pedem longum & majoribus melonibus parem, extra & intus flavum, ſuaviſſimi & fragrantiſſimi odoris, ſed exilibus & nigricantibus nucleis plenum. Ovaierova.



Iunipap procera & ramoſa arbor, foliis item quercus, ſed duplo majoribus, floribus candidis, fructu rotundo inſtar pomorum; immaturus amarior eſt: barbari maſticant illum ut ſuccum eliciant, qui licet limpidus ſit atque albicans, faciei tamen aut manibus illitus, paucis horis ita nigricat, ut atramentum videatur, neque ablui poteſt, ſed poſt octo aut decem dies evaneſcit ſponte; cutem ſuam hoc ſucco tingunt barbari. Ubi autem maturuerit, intus atque exterius flaveſcit & gratiſſimi eſt ſaporis. Supra eandem arborem deſcripſimus *Ianipabæ* nomine, hic autem Iconem addimus ex Clar. Viri Caroli Cluſii exoticis. Iunipap.

Agoutitreva, vaſta arbor foliis aurantiorum, ſed latioribus; floribus roſcidis, Agoutitreva.

fructu

fructu amplo, cortice viridiore, intus concludit exiles acinos inſtar granatorum, dulces & palato non ingratos.

Araticou. *Araticou* foliis & floribus præcedenti non diſſimilis, ſed fructu paulo majori, optimi ſaporis & jucundiſſimi odoris.

Caoup. *Caoup* frondibus pomi, ſed magis patulis, floribus è luteo & rubro mixtis; fert fructum aurantio malo forma atque ſapore haud diſſimilem, nucleis plenum.

Euvavirap. *Euvavirap* procera & vaſta arbor, frondibus perexiguis, floribus rubicundis, fructu exili, qui unam criſpam tam mole quam figura non male refert.

Ama-uve. *Ama-uve* cum ficu, tam foliis, quam fructibus omnino videtur convenire.

Goyave. *Goyave* ſine *Morgoya* fruticis ſpecies, quæ arbores complectitur, foliis campanellæ, flore eleganti & palmum lato, echinatis foliis & ſtellæ in modum diductis, purpurei coloris; fructum fert ovi magnitudine, ſed rotundiorem, plenum granis, & cortice è viridi & luteo mixto; grati ſi coctus fuerit ſaporis: quare & ſaccharo conditur.


Ovacourii. Palmarum quatuor ſpecies hic reperiuntur; prior dicitur *Ouacourii*, quæ vera Indorum palma, ferens folia *Pindo*, quibus tuguria ſua contegunt: nuces fert oblongas ovis anſerinis forma & magnitudine pares, putamine ligneo, quatuor aut quinque nucleos continente, oblongos; grati ſaporis, è quibus barbari ſuaviſſimum atque optimum oleum exprimunt. In ipſo autem arboris trunco reperitur medulla candida, pro arborum mole major minorve tibia humana, *Ovacoury-rovan* vocant barbari quæ cruda coctaque inter cibos uſurpatur.

Meuruty-uve. Altera ſpecies appellatur *Meuruty-uve*, quæ fructum itidem fert ovi magnitudine, cortice exterius rubicundo & nigris maculis diſtincto, intus rubro; qui unicam tantum nucem continet, dulcem atque edulem.

Ynaia. Tertia dicitur *Ynaia* frondibus & caudice præcedentibus ſimilis, fert fructus ſuos racematim, magnitudine olivarum, ducentos nonnunquam & trecentos uno racemo, ita ut unus ſingulis racemis ferendis vix par ſit.

Carana-uve. Quarta ſpecies *Carana-uve* folia fert patula, inſtar flabellorum, quibus fœminæ ſolent uti, fert autem fructum pruno damaſceno non abſimilem.

Forte & ad hanc Palmarum claſſem referenda eſt arbor, cujus tantum fructum accepimus quem hic exprimendum curavimus, duriſſimo & ligneo putamine, quo duæ nuces continebantur ea mole, quam in Icone adjuncta videre eſt.



Toucon-uve duabus prioribus palmæ ſpeciebus, foliis haud abſimilis, verum aculeatis, qualis & truncus illius atque rami, medulla intus nigra & dura, barbari utuntur illius

illius materie ad arcus & clavas ſuas. Fructus illius proveniunt racematim, vocant *Tocons*, rotundi, & ubi maturuerint exterius flavi, nucleo albo & ſuaviſſimo.

Pacoury. *Pacoury* procera & vaſta arbor, pomi frondibus, flore albo, fructu duorum pugnorum magnitudine, cortice dimidium pollicem craſſo, qui coctus aut ſaccharo cõditus, imprimis celebratur; continet præterea binos aut ternos nucleos haud inſuaves.

Vva-ouaſſoura. *Vva-ovaſſoura* ingens arbor, frondibus pyri, floribus candidis, fructum fert *Pacoury* non abſimilem, cute flava, dulcis ſaporis, oſſe interius facto ad perſicorum modum, nucleo amygdalis paulo majori & ejuſdem ſaporis.

Wamenbec. *Wamenbec*, magnitudine, frondibus, floribus atque fructibus à pomo non multum abludens; fructu croceo & delicato; ſed nucleus non manditur ob inſignem acrimoniam qua pollet.

Copo-vih. *Copovich-ovaſſou* pyro frondibus & fructu admodum ſimilis, niſi quod fructus oblongior ſit & flavior, & tria intus oſſicula perdura continet.

Copovich-ajoup pruni arboris mole, frondibus caſtaneæ, floribus candidis & luteo colore mixtis, fructum fert inſtar minoris pomi, flavum, oſſiculo intus exiguo, nucleo autem eduli.

Acaja. *Acaja* ingens arbor, foliis pyri, floribus rubicundis, fert fructum inſtar minoris pomi, ſed oblongiori forma & acidioris ſaporis.

Yacaranda. *Yacaranda* pruno arbori admodum ſimilis, ſed foliis latioribus, flore candido; fert fructum duorum pugnorum magnitudine, & ubi coctus fuerit, edulem: barbari coquunt ex illo pulmentum quoddam ſtomacho imprimis amicum & ſalubre quod vocant *Manipoy*. Manipoy.

Onbou. *Onbou* Mangaæ foliis ſimilis, fructus fert perſicis non abſimiles, intus & extus plane luteos ubi maturuerint; nec edules ſunt niſi quum ſponte decidunt ob egregiam aciditatem, horum ſupra quoque meminimus.

Pajoura fert fructus ſimiles præcocibus, licet arbor longe ſit minor.

Uva-Cave. *Vva-Cave* pomi arboris magnitudine, frondibus aurantiæ, flore ſubcroceo; fert fructum oblongum inſtar ovi, flavum & palato gratum.

Pitom. *Pitom* mole, frondibus, & fructibus pruno ſimilis, ſed fructus ſuavior eſt.

Avenonbovih-Acajou pomo valde ſimilis, ſed fructus illius magis ſimiles ſunt prunis, niſi quod crocei ſunt coloris, ſuaviori ſapore; oſſiculo perexiguo.

Yachica. *Yachica* pruno admodum ſimilis, floribus flavis quidem, ſed fructus illius prunis omnino ſunt ſimiles, lutei coloris, nucleo candido & ſuavi.

Præterea *Cayoveen* & *Maukai-ene* quæ parum differunt à præcedentibus.

Ovagiron. *Ovagiron* naſcitur utplurimum in arenis ad littus, nec adoleſcit ſupra fruticis modum, fructum fert inſtar majoris pruni, rubri coloris.

Morecy. *Morecii* itidem amat arenoſum littus, fructus illius acrioris eſt ſaporis.

Amyjou. *Amyjou*, pyri folia obtinet ſed oblongiora, flores candidos; fructum fert pomi magnitudine, & inſtar cucumerum tuberculis plenum, ſapore perſicorum.

Mouroure. *Mouroure* non multum quoque abludit à pruno, flores fert luteos, fructus inſtar ceraſorum, longis pediculis, oſſiculo exiguo, carne crocea & ſuavi.

Uva-Vyatou. *Vva-vytou* folia fert oblonga, flores cæruleos, fructus aurantiis haud abſimiles, niſi quod ſuaviores ſint.

Uvapirup. *Vva-pirup* arbor valde aculeata, foliis juglandis, floribus è flavo, ceruleo & rubro colore eleganter diſtinctis; fructum fert inſtar pomi orbicularem & menſis pergratum, ſed non niſi pluviis menſibus decerpitur.

Onmery. *Oumery* fructum fert magno pyro; *Araſa* parvulo pomo ſimilem; qui inter optimos fructus, ubi plene maturuerint, facile primum locum flagitant.

Pekey. *Pekey* truncus interdum ita craſſus eſt, ut vix trium quatuorve hominum complexu ambiri poſſit, fert frondes pruni, fructum duorum pugnorum, cortice craſſo duroque, qui intus continet tres quatuorve fructus luteos, forma renis, optimi odoris, & ſaporis non ingrati, oſſe admodum aculeato. Vide quæ ſupra de eodem diximus.

Plures alias brevitatis cauſa omitto; atque harum etiam nomina, quæ jam retuli nonnihil mutata ſuſpicor à Gallis, qui literam W, hiſce nationibus uti videtur perfamiliarem difficulter proferre & difficilius ſcribere poſſunt; deſcriptiones

nes autem harum, cum iis quas libro ſuperiori produximus, omnino conferendæ ſunt, ut quid ſimile aut diſſimile habeant, melius appareat.


Cap. XII.

Herbæ aliquot atque Plantæ hujus Inſulæ Maragnanæ.

INTER omnes hujus Inſulæ plantas facile principem locum meretur Ananas, cujus fructus jam ante aliquoties meminimus & Iconem dedimus.

Karouata.

Proximum locum ſibi vindicat *Karouata*, priori non multum abſimilis, niſi quod folia producat fere ulnam longa & duos pollices tranſverſos lata, craſſiora & utrimque valde aculeata, è quorum medio erumpit ſcapus, cui circiter duos palmos ſupra ſolum, confertim annaſcuntur quinquaginta & interdum longe plures fructus digitalis longitudinis, piramidis triangularis in modum, intus atque extus flaveſcentes, optimi ſaporis & palato pergrati. Nactus ejuſmodi fructus ſatis recentes ex inſula *Tabago*, unum integrum & per medium ſectum pingi curavi, cujus Iconem hic appono. Noſtrates vocant *Slyptongen*, Galli *Cypreceville*. Plenus autem eſt fructus ſpongioſa quadam materia & plurimis oſſiculis ſive ſeminibus minutis, ſuccus illius ex acri dulcis eſt, gratus palato, ſed ſi quis veſcatur, ſanguinem elicit è lingua atque gingivis, unde noſtri nomen indiderunt: utiliter adhibetur in febribus, & adverſus ſcorbutum; fructus ſuos incipit protrudere poſtquam pluviæ deſinunt.



Yarammacarou.

Yarammacaru mirabilis & pene monſtroſa eſt planta, aſſurgit enim ad decem aut duodecim palmos, tibiæ humanæ craſſitie, ſpargitque ramos tres quatuorve ejuſdem magnitudinis; caule verum adeo eſt tenero, ut perfacile ſit aliquot plantas ſimul gladio detruncare; cortex eſt viridis, medulla autem candida, nulla fert folia ſed ſpinas digitales; florem fert miniatum cæruleo colore intermixto, cui ſuccedit fructus pugni magnitudine, exterius eleganter rubens, intus candicans, exiguis granis, quæ una comeduntur, ſcatens, ſuavis atque gratiſſimi ſaporis, qui à fragorum noſtrorum ſapore nihil differt.

Gyromon.

Gyromon planta foliis & floribus Anguriæ (quam vulgo Citrulũ vocant) pene ſimilis; fructu rotundo & depreſſo, tenerrimo cortice; qui coctus utiliter menſis infertur.

Taker.

Taker ſive *Kaker* præcedenti pene ſimilis, niſi quod fructus illius eſt oblongior & major & cortex longe durior.

Uva-een.

Vva-een melonum ſpecies videtur, fructum fert magnitudine capitis humani, exterius læte virentem, intus ſolidum, carne candida & nigris granulis permixta, ſucci ſuaviſſimi & pergrati plenum, ita ut crudus inſtar pomorum comedatur: per medium diſſectus plane liqueſcit & diffunditur inſtar aquæ; ſi vero tantum excavetur ſtatim implet lacunam dulciſſimo liquore, ita ut mirum in modum recreet.

Commanda.

Commanda Ovaſſou ſunt ipſorum fabæ, maximæ & planæ, & variorum colorum: *Commanda* autem *miri* ipſorum piſa, magis oblonga, quam rotunda, & melioris ſaporis quam noſtratia; interdum octodecim aut viginti inveniuntur in uno lobo ſive ſiliqua. Supra audivimus è Lerio eiſdem nominibus à *Tovoupinambautiis* fabas atque piſa appellari.

Xeteuch.

Radices quæ alibi *Patates* dicuntur, hic vocant *Yeteuch*; Lerius atque Thevetus à ſuis barbaris *Hetich*.

Caræ ſunt aliæ radices, ſolidiores quidem quàm *Patates*, ſed multo deteriores.

Taya-

Taya-ovaſſou radix eſt rotunda & candida inſtar rapi, noſtratis boni, ſi coquatur, ſaporis. Taya.

Mandovi potius tuber eſt terræ, quam radix, Braſilienſis *Manobi*, Iconem vide ſupra credo enim eandem eſſe plantam. Mandovi.

Manioch craſſa radix plantæ quam vocant Manieup, folia profert ficulneis haud abſimilia, barbari farinam ex hac conficiunt, qua pro farre utuntur. *Macachet* & *Manioch-ete* itemque *Manioch-cave* radices ſunt ejuſdem pene ſpeciei & uſus, quæ parum inter ſe differunt: quemadmodum & *Vſenpopovitam* quæ rubro eſt colore.

Cap. XIII.

Variæ volucres quæ in hac Inſula & vicina Continente reperiuntur.

INGENS præterea in Inſula hac Maragnana & Continente illi vicina reperitur omnis generis volatilium copia & varietas, quarum aliquot è commentariis Abbævillani Galli, hic breviter deſcripturi ſumus, nequid temere prætermittamus.

Inter feroces aves & quæ rapto vivunt, primum locum merito ſibi flagitat *Ovyra-Ovaſſou* (obſervandum autem quod Lerius ſcribit, barbaros *Tovoupinambautios* univerſas aves uno & communi nomine appellare *Oura* ſive *Ouyra)* avis aquilâ pene duplo major, plumis veſtita elegantiſſimis, tanto autem robore atque ferocia, ut ovem integram abripiat atque dilaniet, homines facile proſternat, & nec à cervis abſtineat: memini me videre pennam ex alis, uti opinor, hujus avis detractam, quæ ulnam noſtratem longe ſuperabat, elegantiſſimo colore & rotundis maculis diſtinctam, inſtar gallinarum quæ ex Africa advehuntur: roſtrum quoque ejuſdem validum, & ungues imprimis acutos.

Huic proxima viribus & magnitudine *Ovyrata-Ovyran*; & *Ovyra-Ovaſſo Povytan* aliæque plures ejuſcemodi rapaces aves aquilis aut majores aut paulo minores, ſingularis adhæc formæ, & plumis variorum colorum eleganter diſtinctæ.

Pſittacorum itidem ingens numerus atque varietas hic paſſim reperitur.

Moyton ſive *Mouton*, (cujus & Lerius meminit,) avis eſt pavonis noſtratis magnitudine aut paulo major, præalta criſta ſpectabilis & per univerſum pene corpus nigris albiſque plumis eleganter variegata, carnes illarum cibo ſunt opportunæ; hujus quoque avis variæ viſuntur hic ſpecies. Moyton.

Aliæ item aves phaſianis Europæis perſimiles, quas barbari hi *Iacou* & *Iacou Obough* atque etiam *Aracouan* vocant, mira plumarum varietate & decore. Lerius meminit earundem, in ſuis commentariis. Iacou.

Aliæ perdicum formâ, ſed majores paulo, quas *Nanbou* & *Nanbou-Ovaſſou* appellant, cæruleis plumis ornatæ atque ova itidem cærulea ponentes; itemque *Nanbou-im* & *Macoucaova*, uti & Lerius ſcriptum reliquit.

Toucan (cujus Lerius atque Thevetus meminerunt) palumbi magnitudine, roſtro oblongo atque lato, ingluvie ſub pectore, tres quatuorve digitos tranſverſos lata, crocei coloris elegantiſſimi & miniatis plumis circa oras diſtincta, pectore candido, dorſo exquiſite rubenti, alis atque cauda nigris; pulchra aſpectu, & carne palato admodum grata: hujus & alia ſpecies appellatur à barbaris *Ovaycho*, cui roſtrum eſt paulo diverſum & è rubro flaveſcens. Toucan. Ovaycho.

Ourou perdicis quidem magnitudine, ſed galli gallinacei in modum criſtata, plumis rubris, nigris atque candidis inſigni varietate; aliaque ejuſdem nominis, cothurnici noſtrati admodum ſimilis, ſed longe majore corporis mole. Ourou.

Tata Ouyra Ovaſſon & *Tata Ovyramiri*, itemque *Arou mara* ſingulæ columbarum noſtrarum magnitudine, ſed ſingulari plumarum varietate & elegantia. Tata.

Quædam minimæ molis aviculæ hic reperiuntur papilionibus noſtratibus haud multo majores, quas *Iapyii*, & *Ovenonbouch* vocant barbari indigenæ; de quibus ante ſatis multa diximus.

Veſpertiliones hic viſuntur admodum grandes, barbari vocant *Andheura*, quæ magnum

magnum ſtrepitum inter volandum cient, & noctu homines ita lancinant & mordent, ut largum ſanguinem eliciant qui quàm difficulter interdum ſiſti poteſt; ita ut inter lues harum Provinciarum merito numeretur.

Aquaticarum ſive paluſtrium volucrum ingens quoque hic eſt copia, inter quas celebrantur à barbaris *Ovara-Tamatian*, & *Ouara-Caon*, Eloriis, quos Galli *Corlieu* & *Corlis* vocant, ſimiles, niſi quod plumarum elegantia plurimum ab illis differant; magno autem numero viſuntur juxta littora, rarius intra Continentem.

Sunt & hic aves quædam quæ magis ſupra terram feruntur, quam volant; qua- **Yandou.** lis illa quæ à barbaris vocatur *Yandou*, ſtruthiocamelorum, uti videtur, ſpecies & proceritate corporis ſtaturam humanam ſuperans, maximæque velocitatis.

Et *Salian* Turcici galli magnitudine, roſtro & cruribus Ciconiæ, quæ licet volare neſciat, tamen tam perniciter currit, ut venaticos canes effugiat.

Gallos vero & gallinas Turcicas vocant barbari *Araignan*: communes vero & noſtratibus pene ſimiles *Ouira Sapoukay*.

Anſeres autem appellant barbari *Upec*, noſtratibus tamen longè ſpecioſiores & carnibus palato gratioribus.

Anates itidem vocantur à barbaris hiſce *Potiry*; palumbes denique *Picaſſou* & columbæ *Picaſſoutin*: non multum differunt à noſtris.

Cap. XIV.

Piſces marini & fluviatiles qui in hiſce partibus reperiuntur.

Mare quod hanc Inſulam alluit atque flumina quæ in ſinum deſcendunt valde piſcoſa eſſe dicuntur; nos aliquot piſcium genera ex Claudii Abbævillani commentariis hic annotabimus.

Manatos de quibus alibi diximus, vocant hi barbari *Ovâroâvâ*.

Pyraon. *Pyraon* ipſis dicitur piſcis edulis, ſex ſeptemve palmos longus, doliari amplitudine, ſquamis autem nigris & grandioribus tectus.

Pirapem ſive *Camauroupovi* alius piſcis ejuſdem quidem formæ atque molis, ſed ſquamis longe minoribus.

Ouyrii. *Ouyrii* piſcis tres quatuorve pedes longus, lato capite; binas habet in dorſo pinnas circiter ſemipedem longas longeque acutiſſimas, quarum punctura admodum noxia eſſe dicitur, cætera præſtantioribus piſcibus merito accenſendus; horum nonnulli in fluminibus reperiuntur qui muſcum dicuntur redolere.

Oury-Iouve præcedenti perſimilis præterquam quòd colore ſit luteo.

Ouaracara Aloſæ noſtrati perquam ſimilis, ſed ſpinis multo rarioribus, ideoque & melior & palato gratior.

Ouatoucoupou barbaris cruſtaceus eſt piſcis, duos circiter palmos longus, capite flavo, & cibis idoneus.

Paraty & *Pira-cuvave* ſimiles ſunt mullis: Lerio *Parati* & *Kurema*.

Camboury Ovaſſou, quatuor circiter palmos longus, capite porcino, cauda flava, ſquamis undique tectus.

Yavebouyre. Planorum, ut vocant piſcium multæ hic reperiuntur ſpecies: *Yavebouyre* Rayæ quidem forma ſed longè major, duos cubitos longus latuſque, & palmum craſſus, cauda ſeſquicubitum longa & aculeo circa medium armata, acutiſſimo & valde venenato.

Narinnary. *Narrinnarii* ejuſdem ſpeciei, cauda quidem breviori, ſed aculeo longiori, & totum corpus nigris albiſque lineis diſtinctus.

Ovara. *Ovara* ejuſdem ſpeciei, duos utplurimum palmos longus, unum latus, argenteo colore nitens, pinnis vero flavis ſive croceis.

Acara. *Acara-Ovaſſou* ejuſdem quoque ſpeciei, tres palmos longus & pene totidem latus, nigris ſquamis undique tectus: *Acara-peve* præcedente paulo minor: & *Acara-poytan* præcedenti ſimilis, ſed nigris albiſque lineis pictus: *Acara-pourourou* lineis flavis eleganter variegatus, cætera nigricans: *Acarajou* denique unum tantum palmum longus, ſquamis oppletus, capite viridi, ſuperiori quidem parte corporis flavus, inferiori vero pene candidus.

Aramaſſa. *Aramaſſa* ejuſdem quoque ſpeciei, ſoleæ noſtrati non abſimilis, duos palmos longus,

longus, & tres digitos tranſverſos craſſus, ventre candido, dorſo nigro; ferunt cibis perquam idoneum eſſe, unde magni fit à barbaris.

Araovaova octo interdum palmos longus, cute dura atque aſpera, gladium habet duos treſve pedes longum, roſtri loco, quo alios piſces trucidat: & *Panapan* præcedenti ſimilis, niſi quod gladius huic ſit brevior.

Pacamo glaber piſcis, colore griſeo, duos quidem pedes longus, ſed vaſto admodum capite pro mole corporis, ſub ſcopulis plerumque reperitur; uti & *Caramourou* anguillæ ſimilis, cujus jam ante mentionem fecimus. Pacamo.

Tinmocou-Ovaſſou anguillæ itidem forma, ſed cute albicante duos vel plures cubitos longus, roſtro Lucio noſtrati non abſimilis, quod palmum unum longum obtinet. Tinmocou.

Panyanajou præcedenti ſimilis, niſi quod ſuperior roſtri pars ipſi aliquantò longior ſit quam inferior. Inter fluviatiles piſces maxime admirandus videtur *Pourake*, quatuor interdum palmos longus, diverſis coloribus, cæruleo, rubro, viridi atque albo elegantiſſimè variegatus, nullos ictus metuit ne quidem gladii, ſed ſi ſe inter vapulandum commoveat, ferientis brachium tam acri dolore afficitur, ut interdum concidat; ita ut Torpedinis ſpeciem eſſe oporteat.

Caurimata carpis admodum ſimilis, ſed longior latiorque, & inter præſtantiſſimos harum regionum piſces facile princeps. Caurimata.

Yaconda piſcis tres palmos longus, cruſtis undique tectus, & flavis, rubris, albiſque lineis eleganter deſcriptus. Yaconda.

Pyrain palmum longus, ſemipalmum latus, ſine cruſtis, ſed flava atque rubra cute ſpectabilis, dentibus acutiſſimis inſtar novaculæ; quibus & *Opean* alterum piſcem ad eundem modum armatum ſcribunt.

Tarehure ſimilis *Paraty*, niſi quod ſpinoſior ſit, dentes habet acutos; quemadmodum & *Ierou*, cui caput rotundius & cærulei coloris, cauda rubra. Tarehure.

Tamoata ſemipedem longus, plenus cruſtis, carne flava & boni ſaporis. Tamoata.

Sarabo non abſimilis lampetræ, niſi quod latior ſit & longiori roſtro. Sarabo.

Hic quoque multæ & diverſæ reperiuntur cancrorum, aſtacorum & gammarorum ſpecies; quorum alias *Ovegnonioin* vocant longis & cæruleis chelis; alios *Ouſſa* hirſutis pedibus & rubris, qui plerumque in terram erepunt & fere ſub radicibus littoralium arborum, quas Galli vocant Apparituriers, inveniuntur.

Ouca-Ovaſſou aſtaci majuſculi, qui ſub Petris una cum oſtreis capiuntur. Ouca.

Aovara-Ovaſſou, ſunt cancri albi, pugno humano paulo majores, qui ambar griſeum avidiſſime appetunt, ita ut magna illius fruſta ſæpe in cavernis illorum deprehendantur.

Oureraup aſtacorum itidem ſpecies, qui in fluminibus tantummodo reperiuntur.

Crocodilos hi quoque barbari vocant *Yacare*, & reperiuntur hic prægrandes.

Plurima quoque hic ſunt oſtrea, noſtris majora & præſtantiora, barbari ſuo idiomate appellant *Rerii*, adhærent utplurimum ramis littoralium arborum: mytulos vocant ipſi *Xerourou*, & ſunt noſtris longe majores, quibus barbari communiter victitant; & ut cibum facile parabilem, unice amant.

Pluviis menſibus hic multa ſtagna fiunt, in quibus piſciculi quidam generantur circiter palmum longi, & palato pergrati, qui à barbaris capiuntur, antequam ſtagna rurſus ſiccentur, quod fit pluviis ceſſantibus: pluviis redeuntibus & aqua illa rurſus reſtagnante hi piſciculi denuo ſponte renaſcuntur, raro naturæ miraculo.

CAP. XV.

Quadrupedes hujus inſulæ & vicinæ Continentis.

QUADRUPEDUM ingens hic reperitur numerus, nos tamen tantum aliquot ſpecies, & maxime peregrinas deſignabimus, ſiquidem pleraſumque jam libro ſuperiori meminimus è Ioanne Lerio & aliis.

Cervi hic ſunt plurimi noſtratibus omnino ſimiles, barbari vocant *Sovaſſou-Aper*: infinitæ quoque capræ ſylveſtres: plures apri, vocant *Tajaſſou*, noſtratibus tamen minores, & umbelico ſupra dorſum; habent tamen & noſtratibus paulo majores, quos ipſi appellant *Tayaſſou-ete*.

Herinaceos, quos vocant *Coendou*, habent longe maximos & aprorum pene mole, longiſſimis & acutiſſimis ſpiculis armatos.

Tamandova. *Tamandova* animal eſt equi noſtratis mole, capite ſuillo, auribus caninis, proboſcide palmum longa & acuta, lingua longiuſcula & anguſta; jubis pene equinis, pedibus autem bovillis; victitat formicis: caro illius palato ingrata, ideoque raro comeditur à barbaris. l.15.c.5. Supra deſcripſimus ſub *Tamanduæ* nomine ſecundum Lerium, ſed Abbævillanus longe majorem molem hic illi tribuit.

Tapiyre-ete ſunt inſtar agreſtium vaccarum, auribus quidem longioribus, ſed brevioribus cruribus & cauda, acutis inſuper dentibus, ſine cornubus. Bezoar lapidem tantopere laudatum intra illius viſcera reperiri tradunt, hujus autem animalis ſuperiori quoque libro jam meminimus.

Tatou. *Tatou*, Hiſpanis *Armadillo*, jam ante deſcripſimus; hic tantum monebimus ex Abbævillano, hujus animalis plures in hiſce partibus reperiri ſpecies, quæ mole tantum differunt.

Tatou-Ovaſſou nimirum quæ magnitudine accedunt ad oves noſtrates: *Tatou-ete* quæ mole vulpeculas haud multum ſuperant; denique *Tatou-apar*, *Tatou-Ovainchun*, & *Tatou-miri* animalculum omnium horum longe minimum.

Covaty. *Covaty* accedunt quam proximè ad vulpeculas noſtras Europæas, ſed cauda aliquantum differunt, quam *Covaty* quidem habent longe minorem, verum nequaquam ita hirſutam.

Pac. *Pac* animal præcedenti paulo majus, totum teres, curto præterea & craſſo admodum capite, exiguis vero auribus, cauda brevi, brevibus itidem villis & è nigro atque albo mixtis, grata varietate.


Agouty. *Agouty* animalculum porcelli mole, capite quidem gliris, ſed perbrevi cauda, pilo porro denſo & ſubrubro.

Tapity. *Tapity* non multum differunt à noſtratibus cuniculis; diverſæ tamen reperiuntur illorum ſpecies: *Ponnare* qui ſunt cauda ſemipedem longa; *Amoco* & *Savia* caudis omnino carentes.

Inter fera animalia eminet *Ianovare*, lyncis uti videtur, ſpecies, mole Anglici moloſſi, pulchra & elegantiſſimè variegata pelle.

Sovaſſou-varan leonum pardorum genus & elegantibus notis inſigne; & *Margaia* feles ſylveſtres, pelle imprimis formoſa.

Unau. *Vnau* monſtroſum animal; capite nimirum rotundo pene inſtar humani, canis capillis: quatuor quidem pedibus, ſed parum admodum illis promovet; & tribus unguibus oblongis ad ſingulos digitos, quibus potiſſimum enititur & arbores ſcandit: à quibus non facile deſcendit, niſi frondibus & fructibus omnibus jam ambeſis; adeo ſegne & pigrum in proreptando animal, ut pigritiæ nomen ab Hiſpanis ob id meruerit: Iconem illius ex Clariſſi. Viri Caroli Cluſii exoticis hic adjungemus.



Scribit autem Cluſius de hoc animali ad hunc modum: A collo ad extremam dorſi

dorſi partem, paulo plus quam duodecim uncias longum erat illius corpus, craſſitudo vero ſive ambitus pene totidem continebat: in vivo autem animali longè majorem fuiſſe, non eſt dubium: collum ipſum ſex uncias longum erat & quatuor craſſum, comprehenſis etiam ipſis villis: anteriora crura ad pedum (quos planos habebat inſtar urſorum aut ſimiarum) uſque flexuram, ſeptem unciarum longitudinem ſuperabant; poſteriora autem ſex cum ſemiſſe duntaxat longa, ut anterioribus ferè integrâ unciâ eſſent breviora: anteriores pedes à flexura ad ungues uſque, tres uncias erant longi, poſteriores autem ejuſdem pene longitudinis, utrique tamen valde anguſti, licet plani, ut mirum videri non debeat, ſi cum difficultate ſubſiſtere & progredi queat: ſinguli vero tribus contiguis unguibus binas uncias cum ſemiſſe longis albis & valde mucronatis prædit, prona quidem parte arcus inſtar elatis, ſupina autem ſive inferna carinatis: univerſum corpus à ſummo capite ad ungues uſque, denſiſſimis, iiſque prolixis villis erat obſitum, coloris partim nigri, partim cineracei pene, ut meles, quem vulgus Taſſum vel Taxum appellat, mollioribus tamen, atque à collo ſecundum dorſi longitudinem uſque ad poſteriora pene crura, nigrorum pilorum quadam ſerie erat inſignitum: totum collum à cervice ad anteriora uſque crura veluti juba quadam nigrorum crinium in utrumque latus propendentium tectum habebat. Caput exiguum, brevibus pilis ſubrufis obſitum, cum menti & gutturis parte: roſtro ſimiam quodammodo referebat: breve enim, glabrum & obtuſum, ſimiſque naribus erat præditum, exiguis etiam dentibus, ſatis tamen latis: quum vero rictum amplum non habeat, hoc animal vix mordere poſſe mihi perſuadeo. Hæc ille.

Infinitus pene reperitur hic numerus ſimiorum & cercopithecorum, varia mole & diverſis coloribus, & quidem inter eos miro ingenio & aſtu: barbari vocant *Ouarive*: item *Cay-Ovaſſou*; *Cayon* nigro villo & candida longaque barba. *Cay-miri* & *Sapaiou*, minores ſed elegantes: *Tamary* minimi ſed pulcherrimi: *Marittina*, *Ioupara* & *Sagovy* argenteo colore, omniumque quidem minimi, ſed formoſiſſimi.

Canes ſuos venaticos vocant barbari ipſis, *Ianovare*, noſtratibus quidem paulo minores, ſed venationi vel maximè idoneos.

Inter Angues præcellit *Boy-ete*, interdum duas & plures orgyas longus, pelle eleganter picta; tantum quatuor ipſi ſunt dentes, verumtamen acutiſſimi; linguam habet duobus veluti ſpiculis armatam, quibus horrendum in modum pungit, uti & cauda; vulnere plerumque lethali: verum quod & ſupra monuimus, ad extremitatem caudæ, veſiculam admodum tenuem ipſi aſſuit Naturæ author, quæ tam magnum ſtrepitum edit, pene inſtar tintinabuli, quo monentur homines maturè de via decedere, ne ab angue hoc lædantur. Boy-ete.

Reperiuntur hic & alii angues atque ſerpentes, lacertique, quos barbari vocant *Iouboy* & *Tara-gouyboy*, & *Tare-huboy*, quos tamen ipſi nonnumquam comedunt; quemadmodum & Bufones, (quos ipſi vocant *Courourou*,) qui hic prægrandes reperiuntur.

Infeſtantur denique hic quoq; ab illis pulicibus quas in Hiſpaniola vocant *Niguas*, hic autem à barbaris vocantur *Ton*: adverſus hoc malum non uno remedio opus eſt; ipſi adhibent oleum palmarum, & *Roucou* atque *Oroucou*, notæ tincturæ ſpeciem, de qua jam alibi diximus.

Cap. XVI.

Incolarum origines, mores & inſtituta, aliaque quæ huc pertinent.

Barbari, qui jam hic incolunt, narrant, pene ſub Capricorni tropico, amæniſſimam provinciam jacere, *Cayeten* nomine (quaſi dicas ingentem ſaltum) denſis nemoribus proceriſſimarum arborum paſſim obſitam, quam majores eorum olim tenuerint, *Toupinambæ* dicti, à virtute bellica qua vicinos ſuos facile anteibant; quare & hi eodem nomine hodieque vel maxime gloriantur. Portugalli ea parte Braſiliæ potiti, omnem dabant operam, ut hanc gentem ſubjugarent; ſed illi armis Europæis impares, primo in denſa ne mora ſe receperunt: & quum ne hic quidem ſatis tuti eſſent, immenſa terrarum ſpacia emenſi, ad Oceanum uſq; & in ſeptentrionales has Braſiliæ provincias commigrarunt, ubi hodieque ſervato communi *Toupinambarum* nomine in plures cognationes ſunt diviſi & pro locorum quæ incolunt di-

verſitate, varia ſortiuntur nomina; nam qui ad littus maris habitant *Paranan-Engovare* appellantur: qui ſuper montem *Ibouyapap* ad eundem modum *Ybuoypap Engouare*: & ita quoque in cæteris prænomina accipiunt à locis quæ incolunt: ut à *Maragnan*; *Tabou-couru*, *Miary*, & denique à *Para* provincia tam ea quæ ab hac Inſula verſus ortum jacet, quam illa quæ verſus occaſum, de qua mox dicemus.

Narrant præterea qui inter barbaros ſunt majores natu, ridiculum quiddam, nimirum quum primum ipſi in has provincias commigraſſent, & publicum ſympoſium celebrarent, quod ipſorum idiomate dicitur *Caouen*, ingreſſam forte fœminã quandam, quæ pugno aliquem procerum cæciderit, unde primum rixa, deinde tam crudele certamen inter cognatos fuerit exortum, ut diſcordes inter ſe, alii huc, alii aliò conceſſerint; neque hactenus potuerint reconciliari, ſed vatiniano odio alii alios perſequantur, ex inſidiis opprimant, & inhumaniter commedant: Atque inde potiſſimum *Tabajarum* nomen apud ipſos originem accepiſſe, quo ſe invicem inſultabundi compellare ſolent; ſonat enim tantundem in ipſorum lingua, quàm hoſtis ſum tuus, uti tu es meus.

Porro *Toupinambæ* hi, utplurimum mediocri ſunt ſtatura, (quanquam & proceri & obeſi inter ipſos reperiantur:) ſimiis naribus, (quod obſtetricum opera aut vitio fieri autumant:) erecto corpore & robuſto, ita ut graviſſima onera facile ferant: rariſſime tentantur morbis, quia utplurimum parcè cibis utuntur, & cœlo fruuntur amæno & imprimis ſalubri, unde & longævi fiunt ſine canitie aut calvitio: fœminæ illorum ſervare dicuntur fœcunditatem ad annum octuageſimum & ultra: infantes naſcuntur eodem quidem quo noſtri colore, ſed inficiuntur à parẽtibus oleo quodam cui *Roucou* color mixtus fuerit, atque inde ſenſim fuſco aut olivaſtro colore evadunt. Capillum quidem capitis alunt, cæteros autem pilos univerſo corpore evellunt: mares attondunt cæſariem ſupra frontem: fœminæ promittunt uſque ad umbelicum, & in comis pectendis admodum ſunt accuratæ; atque, ut elegantiorem colorem capillis concilient, tingunt denique illos *Roucou*, abluuntque deinde aqua, in qua radix *Ovapacari* cocta fuerit, quæ ſpumam edit inſtar ſaponis.

Mares conſueverunt inferius labium perforare, & foramini indere viridem lapillum vel gemmam aut aliquid ſimile: quidam & nares perforant & indunt foraminibus oſſicula aut etiam ligna quædam, atque id imprimis formoſum judicant. Fœminæ autem auriculas quidem ad eundem modum perforant & appendent rotulas vel orbiculos ligneos aut ſimile quid monilium loco, labia autem minime.

Utrique autem prorſus nudi incedunt, præter jam maritatos aut ſenes, qui pudenda ſua panniculo aliquo cæruleo aut rubro obvelant, ſupra femora alligantes funiculo goſſypino, hoc velamen appellant ipſi *Carajove*. Cæterum totius corporis ſui cutem pingunt variis coloribus & figuris; crura deniq; inficiunt colore nigro, ſuccum Iunipap illinendo: plurimi quoq; mares acuto lapillo inſtar novaculæ, cutẽ ſibi incidunt variis modis, & illinunt puncturis colorem aliquem pertinacem, ita ut nunquam evaneſcant, id ſingularis fortitudinis inter illos argumentum eſt, & maxime decorum exiſtimatur. Supra modum quoque induſtrii ſunt, in variis ornamentis induſtrie concinnandis è diverſicoloribus avium plumis, nam & diademata ex illis contexunt, quæ vocant *Acangoop* ſive *Acan-Aſſoyave*: & coronas, ipſis *Acan-getar*: itemque collaria, ipſis *Ajovacara*; atque adeo integra pallia, quæ nominant *Aſſouyave*: periſcelides quoq; ipſis *Tabacoura*: quas etiam è filis goſſypinis componunt, & appendent ipſis certas nuces, quibus lapillos aut quid ſimile indunt, ut ſtrepitum edant, vocant *Aouay*: denique armillas, quas vocant *Mapovygh Cavay Chovare*, & ingentes criſtas, ipſis *Iandou-ave*. Lectos habent penſiles è filis goſſypinis connexos retium in modum, aut etiam contextos inſtar ſtraguli, quos vocant *Yni*, & diſtendunt illos inter duos palos ita ut tantum unius aut ad ſummum duorum hominum capaces ſint.

Loco panum aut farris utuntur farina è radicibus *Manioch*, *Mocachet* aut *Maniochete* confecta, quam vocant *Ovy*: è ſucco earundem coquunt juſculum aut pulmentum, ipſis *Manipoy*; & è fecibus ſubſidentibus pinſunt placentas, quas dicunt *Caſſave*: ex iiſdem denique radicibus & pollentam quandam deducunt, ipſis *Cayman*.

Veſcuntur præterea piſcibus, avibus, & omnis generis animantibus, quæ ſuper craticulam, *Boucan* ipſis, flammis torrent atque uſtulant: potus ipſorum communis eſt pura lympha, aut quem ſupra notavimus.

Arma

Arma ipſorum ſunt arcus, quos vocant *Ovyrapar*, & ſagittæ ipſis *Oouve* ſive *Tacovart*: crudeliſſimi ſunt in hoſtes ſuos, nam & captos inſtar ſuum ſaginant, & ſaginatos crudeliter mactant atque immaniter devorant; vindictæ quippe ſupra modum ſunt appetentes: & ut leves interdum ob cauſas bella vicinis ſuis indicunt, ita & pertinaci odio eadem gerunt; alioqui in cognatos & concives atque adeo advenas à quibus minimme læſi fuerunt, munifici & humaniſſimi.

Cæterum gentes hæ maxime amant littora Oceani & fluminum aut paludum ripas ob piſcandi opportunitatem, qua maxime capiuntur & quibus potiſſimum ſibi victum comparant: neque tamen diu in iiſdem ſedibus commorantur, ſed mutant ſæpius loca, licet fere pagorum ſuorum nomina ſervent; Qui plura de horum barbarorum moribus & inſtitutis deſiderat cognoſcere, adeat *Ioannem Lerium* aut *Andream Thevetum*, aut denique quem hactenus hic ſequuti ſumus Claudium Abbævillanum Capuchinum Gallum; nos enim maxime animadvertenda hic adjunximus.

Cap. XVII.

Provinciarum Tapovytaperes *& Commæ ad Continentem ſitarum deſcriptio.*

Ab inſula *Maragnana* verſus occaſum jacet alia provincia, quæ pars eſt Continentis, quam barbari vocant *Tapovytaperen*, diſtat autem illa ab inſula tribus aut quatuor leucis, freto interluente, quod in ſinum *Marignanum* penetrat. Partem Continentis dicimus, nam licet quum Oceani fluctus valide impleverunt, tota ab undis ambiri videatur, tamen fluctibus recedentibus, cohæret cum Continente & tantum arenoſa convalle ab ea dirimitur. Hæc provincia nequaquam tam munita eſt natura loci, quam inſula, ſed longe eſt fertilior atque amænior.

Incolitur ab eadem *Toupinambarum* natione, qui hîc quindecim & plures pagos habitant, quorum præcipuos obiter commemorabimus. Præcipuus pagus & provinciæ veluti caput, vocatur provinciæ nomine *Tapovytepere*, quod ipſorum idiomate ſignificat antiquam *Tapuyarum* ſedem, qui aut ſponte hinc emigrarunt, aut ab his pulſi alias ſedes quæſiverunt: ſecundus *Sery-jeu*: tertius *Ieneupa-eupè*: quartus *Meureuti-eupe*: quintus *Caagovire*: ſextus *Pindotuve*: ſeptimus *Aroveupe*: octavus *Tapavytiningue*: nonus *Eugarete-quitave*: decimus *Oraboutin Eugovave*. Omnes autem hi pagi longe frequentiores ſunt incolis, quàm quas in Inſula *Maragnana* recenſuimus.

Ab hac provincia tranſitur ad aliam, quæ à fluvio, qui illam ſecat, *Comma* appellatur; hujus itidem ſolum & fœcunditate & amænitate longe ſuperat inſulam *Maragnanam*; & provincia eſt longe populoſiſſima, ab eadem natione *Topinambarum* culta, qui hic ſedecim & plures pagos incolunt; quorum nominatiſſimi ſunt *Comma* provinciæ veluti caput, à piſcandi opportunitate ſic dicta: II *Ianovacouare*; III *Tavapiap*: IV *Covyjeup*: V *Arovypè*; VI *Taevovaio*: VII *Pacouripanam*: VIII *Aovayeuve*: IX *Maecan*: X *Couremaeta* qui pagus nomen accepit à *Couremam* fluminis *Commæ* oſtio, quod ita à barbaris appellatur: XI denique *Tapieuve*.

A *Comma* ad *Cayeten* provinciam, quæ proxime ad *Param* accedit, & diſtat ab Inſula *Maragnana* circiter octuaginta leucas, plures adhuc provinciæ habitantur ab eadem *Taupanimbarum* natione, præſertim juxta littora: atque adeo in ipſa *Cayetæ* provincia viginti aut viginti quinque pagos dicuntur habitare: ita ut hæc natio magnum terrarum ſpacium occupet. Maxime autem concordes inter ſe agunt incolæ Inſulæ *Maragnanæ*, *Tapovytaperæ* & *Commæ* provinciarum, fædere & connubiis inter ſe juncti: continua autem bella gerunt cum vicinis *Tapuiis*; uti à noſtratibus inveni obſervatum, qui anno cIↃ IↃ CX *Maragnanam* adjerant eodem tempore, quo *Raverderius* Gallus, primum luſtrandi cauſa huc acceſſit, ut mox dicemus. Nam ut hoc obiter dicamus, non modo Amſtelodamenſes ſed & Roterodamenſes mercatores, varias naves miſerunt ad has partes annis IX & X & XI ſupra cIↃ IↃ C,

Cap. XVIII.

Geſta Gallorum in inſula Maragnana; *& quæ ab ipſis obſervata de monte* Ybovapap.

RESTAT nunc, ut breviter explicemus quid Galli ſuperiori ſeculo in hiſce partibus geſſerint, prout à Claudio Abbævillano traditur.

Riffautius Gallus militum tribunus, à barbaro quodam Braſilienſi cui nomen erat *Ovyrapive*, quique in Braſilia inter populares ſuos plurimum poterat, invitatus anno cIↄ Iↄ xciv très naves inſtruxerat, ut fortunam in hac Americæ parte periclitaretur; verum comitum ſuorum diſcordia, & præcipuæ navis ſuæ jactura, re infecta in Galliam redire coactus fuit, aliquot ſuorum apud barbaros relictis & inter eos nobili juvene Domino *de Vaux*: qui barbaros urbanitate morum tantopere ſibi devinxit, ut Gallorum coloniam in ſuam provinciam deduci anxie efflagitarent, uti & adverſus hoſtes ipſos tuerentur, & inſtitutis Europæorum & præſertim religione Chriſtiana imbuerent. *Vauxius* poſt illa in Galliam reverſus, Regi Henrico magno, ordine exponit barbarorum deſiderium, regionis qualitates & inſignem opulentiam: Rex vero, ut certius cuncta edoceretur, mittit Dominum *de la Ravardiere* & *Vauxium* hunc ad Inſulam *Maragnanam*, futurum ſpondens, ut neceſſaria omnia ad hanc coloniam abunde ſubminiſtraret, ſi res ita ſe haberent, ut ille retulerat.

Ravarderius, haud cunctanter Regis mandato obediens, adit *Maragnanam* & totos ſex menſes ibidem commoratus, & omnia diligenter comtemplatus, revertitur in Galliam; verum maximo hoc Rege, interim immani parricidio trucidato; ceſſatum porro uſque ad annum cIↄ Iↄ cxi, quo *Ravarderius*, inita ſocietate, prius cum Domino *de Raſilly*, deinde & cum Barone *Sanſy*, ad iter ſe comparavit, impetratis à Regina matre quatuor Capuchinis; quorum unus fuit Claudius Abbævillanus, cui hanc narrationem debemus.

Solvit deinde è portu Britanniæ, qui dicitur *Cancale*, decimo nono Martii anni à Chriſto nato cIↄ Iↄ cxii cum tribus navibus; ſed ab adverſa tempeſtate rejectus in Angliæ portum *Pleymoutham*, ſubſtitit ibidem ad vigeſimum tertium Aprilis; dein ſecundam tempeſtatem nactus, inter Fortaventuram & magnam Canariam tranſiit ſeptimo May; & undecimo ejuſdem venit in conſpectum *Rio del oro* ad Africæ Continentem, quam deinde raſit pene ad ipſum Æquatorem; quo decimo ſeptimo Junii jam quatuor gradibus ſuperato, vela vertit verſus occaſum & vigeſimo tertio ejuſdem menſis applicuit ad Inſulam *Fernandi de Noronha*; ubi ſubſtitit ad octavum diem Julii: undecimo ejuſdem viderunt Braſiliæ Continentem, & ſub meridiem ſunt ingreſſi ſinum *Moucouru*; unde ſecundum oram navigantes promoverunt ad Promontorium, ut ipſi vocant, *de la Tortue*, duobus gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum.

Stetêre hic in anchoris ad vigeſimum quartum Julii, & vigeſimo ſexto demum attigerunt inſulam *S. Annæ*, & denique applicuerunt ad ipſam Inſulam *Maragnanam:* in qua arcem ſunt moliti, loco maxime opportuno; nimirum ſuper editum collem, juxta principalem hujus inſulæ portum, inter duos amnes, qui ſecus radices hujus collis dilapſi, egrediuntur in fretum: Machinæ duæ ſupra viginti in arce diſpoſitæ; eique nomen inditum *S. Ludovici*.

Dum militares homines hæc moliuntur, operam dederunt Capuchini, ut barbaros principiis religionis Chriſtianæ imbuerent, & aliquot baptizarunt: Claudius deinde in Galliam remeans aliquot barbaros ſecum duxit, qui publice Pariſiis magna ſolemnitate fuerunt abluti.

Gallos autem haud diu hanc inſulam retinuiſſe, ſed à Portugallis inde pulſos ſatis conſtat, ſed quo pacto inde pulſi fuerint nondum inveni ſatis explicatum: videtur id accidiſſe anno cIↄ Iↄ cxiv, quo Præfectus Pernambucenſis *Hieronymum Albuquerquium* cum valida claſſe miſit ad has provincias ſubjugandas; is menſe Octobri flumen *Perejam*, (quod ſupra diximus orientale oſtium ſinus Maranhaon aperire) ingreſſus, Portugallos, qui paulo ante oppidulum *Noſtræ Sennoræ del Roſario* ad ripam illius condiderant, ad ſe vocavit, & huc perſuaſit commigrare: quid porro actum ſit

inter

inter Gallos & Luſitanos mihi non conſtat; Satis liquet illos hinc excluſos & Luſitanos hic jam ſedes ſuas collocaſſe & mirum in modum confirmaſſe, uti ſtatim dicemus.

Conjunxerant ſe quoque Galli cum barbaris, qui in monte *Ybouyapap* degunt, ſed una cum barbaris hiſce ad eundem modum inde pulſi ſunt à Portugallis.

Mons autem hic haud longe à Fluvio *Camouſi*, vaſte attollitur, ita ut à radicibus ad verticem vix quatuor horis aſcendi poſſit; ſternitur autem illius jugum in latam & amœniſſimam planiciem, quæ patet in longitudinem quidem viginti & quatuor milliaria, in latitudinem autem viginti: rigaturque, ut ferunt, à pluribus fontibus, atque adeo quibuſdam amniculis, qui optimos piſces nutriunt; præterea in patentes campos & arva, atque umbroſa nemora grata varietate paſſim viſitur diſtinctus: ita ut, quemadmodum Galli teſtantur, à frequentibus barbaris tunc habitaretur, & pagi ſupra ducentos hic numerarentur.

Iidem narrant & alium, ſed multo minorem montem huic vicinum, barbaris *Cotiova*, ſex aut ſeptem pagis cultum fuiſſe.

Cap. XIX.

Situs Maranhaon, *& loca quæ à Portugallis hic tenentur.*

SUPRA oram Braſiliæ hujus Septentrionalis deſcripſimus ex obſervationibus Luſitanorum, uſque ad flumen *Peream*, ſeu primum aditum ad *Maranhaon* ab orientali plaga; diſtat autem ab Æquatore duobus gradibus & quinque ſcrupulis, ut à diligenti nauclero inveni obſervatum, qui anno cIↃ IↃ CXV cum Tribuno militum *Alexandro de Maira* has partes adnavigavit. Porro ab oſtio hujus fluminis *Pereiæ* navigatur ad Inſulam *S. Annæ*, quæ tantum leucam grandem ambitu ſua complectitur. Quibus autem propoſitum eſt petere Arcem *S. Ludovici*, ii primum recognoſcunt promontorium *Tapouytaperes*, deinde flectunt ad inſulam minorem, in qua ſita eſt arx illa quam Portugalli Gallis eripuerunt: atque ita porro ad alteram arcem, quam Portugalli ſtruxerunt, vocantque *S. Franciſco*.

Portum autem *S. Ludovici* collocant ad altitudinem duorum graduum & viginti ſcrupulorum ab Æquatore verſus Auſtrum.

Denique quemadmodum ex accurata Tabula Hydrographica obſervavi, Præfectura ſeu Capitania *Maranhaon* ita ſe habet; oſtium fluminis *Perejæ* ingreſſis & adverſo flumine ſubeuntibus occurrit ad levam ipſius ripam Arx *S. Iacobi* quam Portugalli hic ſtruxerunt ad exiguum receſſum; è cujus regione quamplurimæ minores inſulæ jacent, in ampliſſimo ſinu ſeu æſtuario, tam hujus fluminis, quam aliquot minorum amnium, qui hic è Continente egrediuntur.

Inſulas haſce exterius, (ſatis longo verſus altum intervallo, ut vada quæ ab inſulis prominent devitentur) prætervectis, occurrit aliud oſtium ſive canalis, ut vocant, egrediens è ſinu *Maragnano* per duas minores inſulas oblongas: Hunc canalem ingreſſus deprehendis ad lævam arcem *S. Mariæ* itidem à Portugallis ſtructam, & paulo ſuperius, ad idem latus, oſtium fluvii *Monin*; & deinceps oſtium *Tapocoru* pene tribus gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, à quo ora cubito flectitur verſus Occidentem, (hactenus enim pene recta pergit ad meridiem) ad oſtium ingentis fluminis *Meary*: à quo ora redit ad Arctum uſque ad Promontorium *Tapuyotaperæ*, oblongo & ſemicirculari gyro circumacto.

In medio autem jacet, atque adeo pene implet hunc ſinum, magna inſula *Maragnan*, ab Auſtro ad Arctum in longitudinem expanſa, alibi paucis, alibi pluribus milliaribus à Continente diviſa; in mediam autem inſulam irrumpit ab Occidente patens ſinus cujus ori objacet exigua inſula *S. Ludovici*; ad gremium autem ſinus & pene in meditullio ipſius magnæ inſulæ jacet Arx *S. Franciſci*, itemque *S. Ludovici*; & plures pagi, inter quos nominatiſſimi ſunt pagus *S. Andreæ* pene ad Arctoum Inſulæ angulum, & *S. Iacobi* ad Auſtralem jacentes.

Annotatum quoque illa Tabula à Luſitanis, Gallos unilignеis lintribus, flumen quondam *Tapourcouru* aſcendiſſe uſque ad quintum gradum ab Æquatore verſus Auſtrum, ubi ille fluvius alterum amnem ab Euro deſcendentem videtur excipere: ampliſſimum vero *Mearii* amnem, qui ab Africo devolvitur, uſque ad gradum octavum.

Cap. XX.

Reliqua ora Continentis à Maranhaon *uſque ad* Param.

A Promontorio *Tapuyotapera* oram legendo ſatis lato intervallo à littore, quod hic humilius eſt & vadoſum, circiter decem leucis, occurrit primo Portus *Aippe*; à quo ad inſulam *de Camara* numerant duas leucas; & ab hac ad inſulam *Supat-uve* totidem: inde ad *Inſulam Blancam* ſive *S. Ioannis* quatuor; diſtat hæc inſula uno gradu & XII ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum.

Sequitur deinceps ſex leucarum intervallo, fluvius *de Ambli* & porro *Vacatapui, Camarapuce*: atque inclinat ſe ora magis verſus corum, donec perveniatur ad cornu Continentis, quod diſtat ab Æquatore medium tantum gradum verſus Auſtrum: à quo deinceps ora ſe ſubducit verſus Africum vel pene ad Meridiem, & aperit ingentem ſinum, & canalem qui ducit intra Continentem, & tandem perducit ad inſulam, quæ objacet oſtio fluvii *do Sol*, & porro ad portum qui diſtat ab Æquatore gradu uno & XXX ſcrupulis verſus Auſtrum.

Sol fl.

In accurata iſta Tabula cujus ſupra memini, loca inter Promontorium *Tapuyotapera*, & terræ cornu quod ſe reflectit verſus Auſtrum, longe aliis nominibus deſignantur, quæ poſtea obiter commemorabo. Cornu autem hoc appellatur *Punta ſeparata*, quo ſuperato, & oram legentibus quæ ſiniſtra eſt, occurrit primo amnis ille *do Sol*, dein oblonga inſula *das Bandeiras*, & porro terræ Angulus, qui dicitur *Punta do mel*, à quo tranſitur ad obtuſum terræ Angulum, cui arx *Para* ſuperſtructa viſitur, quæ jam inter Capitanias Luſitanorum in Braſilia numeratur ab *Olyveira*.

Arx hæc *Para* quadrata forma ſtructa eſt ad oram fluminis, (quod hic circiter duo milliaria latum eſt, & circiter XV orgyas altum in medio alveo, & ſub ipſa arce X) ſuper ſcopulum quatuor aut quinque orgyas editum ſupra reliquum ſolum: qua flumen reſpicit, tantum vimineis cratibus obſepta eſt, inter quas plures machinæ ſunt diſpoſitæ, reliqua latera muro ſaxeo ſunt munita, duas orgyas alto & foſſa ſicca; circiter 300 Portugalli dicuntur hic incolere, qui Tabacco & ſacchari cannis colendis, & goſſypio legendo dant operam.

Ab hac arce verſus Auſtrum exiguo intervallo egreditur è Continēte fluvius quem Tabula illa vocat *Capim*: & circiter novem aut decem leucis magis ad Auſtrum, maximus fluvius *Mogu*, qui deſcendit è provincia *de los Topajos*; niſi forte ſit ramus ingentis illius fluminis *de las Amazonas*, quod valde videtur veriſimile: nam Portugalli qui *Param* habitant ſuperioribus annis aliquoties noſtros inopinantes in iſto flumine agreſſi, arces, quas moliri cœperant, diſiecerunt, & aliquot eorum captivos abduxerunt; à quibus hanc qualemcunque cognitionem hujus præfecturæ *Paræ* accepimus.

Capim fl.

Denique, barbari qui hic incolunt ex eadem natione *Tupinambarum* eſſe dicuntur, qui multum inviti Portugallis parent.

Sed antequam finiam, è Tabula illa breviter indicabo loca inter *Tapoutaperes* cornu & Promontorium *Paræ*. Poſt provinciam *Commam* pergendo verſus occidentem circiter leucas 25, (quo intervallo ora vadis & aliquot minoribus inſulis obſita eſt) occurrit ſinus, qui ad paucas leucas in Continentem penetrat, & dicitur *Comma uaſſou*; ab hoc ad fluvium *Comajamu*, leucæ ſunt V; & porro ad fluvium *Ioroquen* XV: quæ autem interjacet tellus, à Luſitanis appellatur *Coſta Alagoada*, à crebris ſtagnis & paludibus. A fluvio *Ioroque*, qui procul è Continente deſcendit, ad amnem *Paraguacoten*, ſunt fere XXV leucæ, & regio intermedia notatur nomine *Coſtæ Baxæ*.

Ioroque.

Poſt *Paraguacoten* ſequitur amnis *Surianame*, intervallum eſt octo aut novem leucarum: ſequitur deinceps amnis *Surama*, æquali pene intervallo: à quo ad *Itatam*, ſunt circiter XI leucæ, & ab *Itata* ad exiguum amnem *Namam* quatuor aut quinque leucæ. Denique ab amne *Nama*, ad Promontorium, quod diximus appellari *Pontam ſeparatam* circiter novem; huic autem objacet verſus corum, minuta quædam inſula quam vocant *Iſla de Area*.

RPJCB



Margarita
Frayles
Cola
Teſtigos
Granada
Tabago
Cotza
C. 3. Puntas
Bocca del Drago
Pueblo
Trinidad
Pta de Galera
Golf de Curiaco
Taropas
Monopado
Pta dlos Blanquiſales
PARIA.
Wiakebery R.
R. Ammacoura
R. Moruga
C. dela Shower, C. Naſſou
R. Iberme
R. Paryma
R. Wayni
R. Pauroma
Iwarepice.
Aro mai ia
S. Thomas
I. Ottoma
R. Iwapoi
R. d'Eſſekebe
R. de Mirara
R. Maheyca
R. Maycawiny
R. Apary
R. Berbice
R. Curetyne
Amapaia.
R. Bariquizemeto
R. Caſſanar
As chaguas
R. Beta
Catetios
Macurewarai
Muchikeri.
R. Daune
R. Obarro
R. Ouziarra
Rio de Paria, Yuyapari, Huria Paria, Worinoque, o Orinoque
Manoa, ó el Dorado
PARIME LACVS
Epuremei.
Anglicæ leucæ 20. in vno gradu.
Hiſpanicæ leucæ 17½ in vno gradu.
Germanica milliaria 15. in vno gradu.
WEST


GVAIANA
ſiue
Provinciæ intra
RIO DE LAS AMAZONAS
atque
RIO DE YVIAPARI
ſiue
ORINOQVE
LINEA ÆQVINOCTIALIS
OOST
C. d'Orange
R. Caßepouri
C. de Noord
R. Arykary
Arouen I.
Harrytiahans
ccas pop.
hous pop.
Ape
Rio de las Amazones
Vallen, Storting van't Water
Para
R. Domilo
R. Flaman
R. de Paulo
R. de Galeta
R. de San Marcal
R. Comma
Tatitepera I.
I. Compa
R. Mari
O. Maranhon
R. Tapicuru
R. Caurora
R. Macaria
R. Cajani
R. Wia
R. Cauwo
R. Wanary
Corpokery
Tilletille
Tockeskille
Cogemine
Matero
Gormoarou
Conſalius
Layes
Paraguacoto
R. Ioroquo
Weywey
Sapno
Waetali
Waterhuys
Roohoeck
Malleyoca

RPJCB

DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER DECIMUS SEPTIMUS.
GUAJANA.
INTRODUCTIO.

SVperiori libro abſolvimus deſcriptionem Braſiliæ ſeptentrionalis, & luſtravimus oram omnem uſque ad Param, quam Luſitani hodie numerant inter Capitanias, quæ ab ipſis in hac parte Americæ Meridionalis poſſidentur; licet Braſiliæ limites nunquam antè huc uſque pertinuerint, ſed ſecundum Bullam pontificis Romani & ea quæ poſtea inter Reges Caſtellæ & Portugalliæ convenerant, deſierint ad Maranhaon. Porro Regiones quæ deinceps ſequuntur tantum leviter cognitæ ſunt intra Continentem; ad oram autem maris & ripas fluminum, ſuperioribus annis maximè illuſtratæ fuerunt ab Anglis & Belgis noſtris; & ut fere ſolet fieri tam diverſis nominibus notatæ, ut non raro perdifficile ſit dijudicare num de iiſdem an de diverſis fluviis & regionibus loquantur, & nobis plurimum laborandum fuerit, in diſtinguendo & ſingula ſuis locis attribuendo: annitemur tamen quantum fieri poteſt difficultates omnes in ſequenti libro extricare. De communi harum provinciarum nomine non multum laborabimus, nam licet Herrera hanc Americæ Meridionalis partem ab Inſula Margarita verſus ortum & uſque ad Maranhaon videatur appellare Novam Andaluziam vel præfecturam Serpæ; eamque extendat ad trecentas leucas; eiſque comprehendi ſcribat percelebres in illis partibus populos Omaguas & Omigas, & in interiori Continente opulentiſſimum regnum El Dorado; tamen quia nomina jam diu obſoleverunt, & hodieq; dubium ſit, an Dorado extet in rerum natura nec ne, aut ſaltem anxie adhuc ab Hiſpanis & aliis quæratur: Nos univerſum hunc terrarum tractum inde à Para quam ſuperiori libro abſoluimus uſque ad Pariam de qua ſequenti agemus, nomine hodie maxime recepto appellabimus Guajanam, vel ut noſtris quoque appellari conſuevit, Oram Barbaram: Hanc dividam in tres partes, in flumen Amazonum, ut jam vulgo audit; in Guajanam proprie dictam, quæ complectitur plurima flumina quæ hic exeunt è Continente in Oceanum ſeptentrionalem, inter dictum Amazonum flumen & Oronoquen; & denique in ipſum Oronoquen; facilius enim hoc pacto & verus regionum ſitus, & illius diſtinctiones eluceſcent. Alii appellant hanc partem VVianam, ſed hæc nomina uti parum differunt, ita nullas tenebras huic deſcriptioni apud præmonitos offundent.

PARS PRIMA
ſeu
FLUMEN AMAZONUM vel ORELLANÆ.

CAP. I.

Expeditio Franciſci de Orellana *qui hoc flumen primus putatur inveniſſe & luſtraſſe.*

d.6.lib.8. cap.6.

ANTEQUAM deſcriptionem hujus fluminis aggredior, operæpretium me facturum exiſtimavi hic nobiliſſimam expeditionem commemorare, quæ occaſionem præbuit hoc flumen primum inveniendi, quemadmodum illam memoriæ tradidit *Antonius de Herrera*.

Poſtquam *Belalcaʒar Popajanam* ſubjugaſſet, & animum adjiceret ad alias vicinas provincias luſtrãdas, incidit in manus illius barbarus quidam peregrinus, qui ſe oriundum ferebat è provincia *Cundirumarca*, quæ multo auro aliiſque divitiis afflueret, ita ut incolæ illius laminis aureis armati belligerarent: unde factum eſt ut Hiſpani illis provinciis, quas barbarus hic deſignabat, nomen inderent *El Dorado*; id accidit, ut narrant anno cIɔ Iɔ XXXV. *Gonſalvus* autem *Piʒarrus* anno cIɔ Iɔ XL Præfectura Quitenſis provinciæ à Fratre *Franciſco* donatus, hanc *Dorado* provinciam luſtrare & ſubjugare unice deſiderans, idoneas copias adunavit & legatum ſuum fecit *Franciſcum de Orellana*. Dein è Quitenſi provincia tranſiens in provinciam *de los Quixos*, cum ſumma difficultate tranſcendit nivoſa & aſpera Andium juga, & deſcendit in convallem *Zumaquen*, triginta leucis à *Quito*; indeque digreſſus in *Canelam* quum nihil tanto conatu dignum ibidem reperiſſet, rediit denuo in *Zumaquen*, atque illi vicinam *Ampuam*: ex qua profecti, trajecto flumine, pagum attigerunt, quem barbari appellabant *Varco*. Cœperant jam dudum annonæ anguſtia premi, & inter hoſce barbaros parum admodum farris reperiebatur; itaque incerti quid potiſſimum agerent, cymbam ædificarunt: miſſuſque *Orellana* cum illa atque aliquot lintribus unilignéis ad commeatum inveſtigandum: itaque ſecundo flumine delapſus, & quotidie viginti aut viginti quinque leucas emenſus, (nam fluvius ſatis perniciter devolvebatur, ob crebros amnes qui dextra levaque in ipſum confluunt) aliquandiu nullos mortales offendit; octavo demum Januarii anni cIɔ Iɔ XLI incidit in pagum cujus incolæ & annona & aureis monilibus abundabant, illumque nullo pene negotio occupavit.

Orellana deinceps, (ſive noluerit, ſive nequiverit ad Præfectum ſuum reverti, quem omnium rerum & maxime annonæ inopem reliquerat) hic alteram cymbam cœpit moliri, flumen porro deſcendere certus. Quâ initio Februarii utcunque perfectâ, viginti leucas promovit; atque hic non leve diſcrimen adiit, cymbis à rapidiſſimo fluvio, qui ab Auſtro in hoc flumen confluebat pene everſis: à quo porro deſcendens, ducentarum leucarum intervallo, nulla domicilia invenit aut ulla hominum veſtigia; tandem ventum ad regionem ab hominibus cultam, & pagum cujus regulus Aparia dicebatur, qui & perhumaniter illos accepit, pſittacos & perdices, piſceſque elargitus; & monuit, ut provide ſibi caverent ab *Amazonibus*, quas in itinere obvias erant habituri: barbari ſuo idiomate vocabant *Comapuyaras*. Annona autem & aliis neceſſariis hic in cymbas impoſitis, XXIV Aprilis promoverunt, & circiter octuaginta leucas dilapſi, denuo inciderunt in vaſtas & incultas regiones: & ripæ fluminis hic ita altæ & præcipites erant, ut nuſquam daretur in terram deſcendere. Duodecimo demum May attigerunt provinciam *Machiparo* incolis frequentem, quæ fines jungebat cum altera cujus Regulus dicebatur *Aomagua*: hic à barbaris hoſtilia paſſi, qui biduo eos lintribus ſuis ſunt inſecuti, tandem applicuerunt ad pagum, omni

omni annonæ genere refertum, quem barbaris dilapſis nullo negotio ſunt ingreſſi; plures ab hoc ſemitæ ſatis tritæ tendebant in varias partes, ita ut provinciam hanc frequentem & bene cultam eſſe ſatis appareret: Atque hic itinerum rationibus ſubductis, circiter trecentas & quadraginta leucas jam ab Aparia deſcendiſſe compererunt.

Hinc ſolventes Dominica poſt feſtum Aſcenſionis, circiter duabus ab hoc pago leucis alium fluvium ſunt prætervecti, cujus ori tres parvæ inſulæ interjacebant, unde illi nomen indiderunt *Rio de la Trinidad*: regio hæc peramœna, & perfœcunda ipſis viſa, atque adeo incolis frequens, nam tot lintres ad ipſos adnavigabant, ut procul à ripa medium alveum tenere cogerentur, à barbaris ſibi metuentes. Poſtero die pagum qui ripæ aſſidebat ſunt ingreſſi barbaris nequicquam repugnantibus; in quo & plurimum annonæ invenerunt, & vaſa fictilia eleganter cocta & variis coloribus picta atque incruſtata; qualia paſſim in hiſce regionibus magna copia reperiri teſtabantur barbari, nec non plurimum auri atque argenti.

Duæ ſemitæ ab hoc pago ducebant ad interiorem regionem, verum ob ſuorum paucitatem, & barbarorum multitudinem, illam luſtrare inconſultum ipſis viſum: itaque medium alveum ſequentes, poſtquam circiter centum leucas promoviſſent, appulerunt ad provinciam cujus Regulus dicebatur *Pagnana:* à quo humaniter excepti, magnum numerum earum ovium hic viderunt, quas ſupra Peruviæ familiares eſſe diximus; & alterum ejuſdem provinciæ pagum prætervecti, venerunt ad aliam provinciam, à cujus incolis repulſi, annonam invitis barbaris abripuerunt.

Hinc digreſſi, fluvium offenderunt, qui ab leva deſcendens, in hunc tanto impetu undas ſuas nigras (unde ipſi nomen *Rio negro* datum) ſpargebat, ut ad viginti pene leucas curſum ſuum & colorem ſervaret: plures pagi licet exigui ad ripam viſi, quidam & ab ipſis capti, ut annonam raperent; atque ita per varias provincias & plurimos pagos dilapſi, pervenerunt tandem ad *Amazonum* provinciam, uti barbarus quidam quem ceperant teſtabatur, nec tamen in terram ſunt egreſſi ante ſeptimum Junii; quo die pagum ſunt ingreſſi, in quo tantum fœminas repererunt, viris demum ſub veſperam redeuntibus, quum jam ipſi annona onuſti ad cymbas ſuas remeaſſent: ventum deinceps ad alterum pagum, quem nominarunt *de las Picotas*, quia hic ſeptem capita humana palis ſuffixa videbant: ab hoc variæ ſemitæ ſilicibus ſtratæ egrediebantur, utrimque arboribus amænè tectæ: regioque hæc omnis & populis frequens & bene culta apparebat.

Ventum deinde ad inſulam amnicam, ſub qua aliquantulum ſubſtiterunt, monitique ſunt à fœmina, quam ibi offenderant, intra Continentem mortales agere Hiſpanis ſimiles, atque duas fœminas colore candido agere apud regulum quendam, qui illas adverſo flumine ſubduxerat: unde ſuſpicati ſunt aut *Didacum de Ordas* aut *Alfonſum de Herrera* illac iter agere, (de horum expeditionibus poſtea dicetur.) Ab Inſula digreſſi porro navigarunt, & licet plures ubique pagos ad ripam cernerent, nuſquam exſcenderunt, ne quidem ad pagum, quem fœmina illa ad peregrinos illos ducere affirmabat; donec ventum fuit ad municipium, in quo non tantum plurimum Mayzii ſed & hordeum, Europæo non abſimile repererunt, è quo barbari potum ſuum dicebantur coquere: multi quoque hic panni goſſypini viſi, & templum in quo barbari arma ſua ſuſpenderant; & duæ mitræ Epiſcopales è variis plumis eleganter contextæ.

Vigeſimo ſecundo Junii plurimi pagi ad ſiniſtram ripam ab ipſis viſi, ad quos appellere prohibebantur à pernici aquarum lapſu. Mox cornu quodam terræ ſuperato, longe adhuc plures pagos conſpexerunt & incolas in armis, ut advenas hoſce arcerent, inter quos fœminæ aliquot, vaſto corpore, cæſarie prolixa, & candida cute viſæ quæ magna animoſitate mares ad pugnam educebant: *Amazonas* crediderunt Hiſpani de quibus jam ante incertum rumorem acceperant; non ſatis idoneo, uti *Herrera* recte monet, argumento, neque enim novum aut mirum fuiſſe in illis Americæ partibus fœminas atque adeo adoleſcentulas una cum viris in prælia ruere & fortiſſimè cum hoſtibus pugnare, cujus rei exempla apud ſcriptores Hiſpanos obvia ſunt. Hæſit tamen hac de cauſa flumini nomen. licet hactenus nihil de *Amazonibus* conſtiterit, etiam eis qui flumen aliquot centenis milliaribus aſcenderunt.

Plurimos

Plurimos deinceps pagos & valde frequentes ad dexteram præternavigarunt, à quibus ab indigenis arcebantur, neque uſquam audebant in terram deſcendere. Hanc provinciam appellarunt *Sancti Ioannis*, quia feſto illius die primum illam attigerant: erat autem imprimis amæna, bene culta, & uti eminus judicabant, perfœcunda; montes qui paſſim aſſurgebant, pluribus arboribus vernabant, præſertim proceris quercubus; ſolum maxima parte editum & campeſtre & venationi peropportunum; denique ad centum leucas aut circiter ſe extendebat, plurimis pagis ad ripam fluminis ubique obſitum.

Hinc medium fere fluminis alveum ſequentes, inciderunt in plurimas inſulas, editas & haud infœcundas & indigenis plenas, qui piraguis ſuis (ita vocant hic cymbas barbarorum uniligneas,) allabentes Hiſpanos ſagittis petebant: maxima inſularum quinquaginta leucas in longitudinem patere viſa. Atque hic ſub ſylva paululum quieverunt, & barbarum quendam captivum nactus *Orellana*, varios cum illo ſermones habuit, ope vocabularii quem in itinere ſenſim confecerat: Hic mira narrabat de *Amazonum* opulentia atque potentia, nam & multum auri atque argenti poſſidere; imprimis autem quatuor templa in terris illarum viſi quorum ſolum atque parietes, aureis laminis tecta eſſent; ædes privatas è lapidibus ſubſtructas; oppidaque muris cincta, aliaque ejuſcemodi, quæ difficulter apud harum regionum gnaros fidem inveniunt.

Ab hac inſula ſolventes, ad lævam fluminis ripam, editum & peramænum ſolum & frequentes pagos conſpicantur, pene centum leucarum ſpacio; barbarus autem ille narrabat, ampliſſimam hanc regionem parere Regulo cui nomen erat *Carapuna*, qui plurimum argenti poſſideret; incolæ hujus regionis ſagittis utebantur veneno infectis; atque hic tandem æſtum maris cœperunt ſentire. Ventum porro ad aliam provinciam cui *Chipago* imperabat; continuo à barbaris armis petiti, ita ut duo illorum caderent.

Regionem omnem à dextera tam populoſam videntes, & indigenas tam infeſtos experti, ad ſiniſtram ripam declinant, quæ nullis pagis culta erat, licet & hic plures barbaros intra Continentem degere haud vanis indiciis conſtaret.

Hinc porro & Continentem humiliorem, & plurimas inſulas offenderunt, ita ut Continentem poſtilla attingere nequiverint, licet ut ipſis viſum, per haſce inſulas pene ducentarum leucarum iter abſoluerent, & æſtum maris valide aſcendentem toto hoc intervallo experirentur.

Denique juxta oſtium fluminis, paululum commorati, & cymbis ſuis refectis alto ſe committunt inter duas inſulas, quæ quatuor leucas à ſe invicem diſtabant eluctati, vigeſimo ſexto Auguſti Anno cIↃ IↃ XLI. Et oram Continentis radentes nono demum die pervenerunt ad Fretum quod vulgo vocant *Golſo de Paria*; quod ſeptiduo enavigantes, per anguſtias quas appellant *las Bocas del Drago* (de quibus poſtea) undecimo Septembris appulerunt ad *Cubaguam*. Rationibus autem itinerum ſubductis, ſe circiter mille & octingentas leucas Flumen illud ingens deſcendiſſe ſunt opinati.

CAP. II.

Secunda Expeditio Franciſci Orellanæ *ad magnum hoc flumen.*

QUUM *Orellana* ad iſtum modum, maximum hoc flumen, inveniſſet, quantocius in Hiſpaniam eſt profectus, & Carolo V Imperatori & Hiſpaniarum Regi ex ordine narravit quæcunque viderat, & quantum divitiarum ex provinciis quæ flumini adjacent ſperari merito poſſet: Et ab ipſo haud difficulter impetravit, ut ſibi ſoli liceret flumen illud adire, & provincias illas domare & Coronæ Caſtellæ adjungere: Neque tamen expeditionem ſuam ſuſcepit ante annum cIↃ IↃ XLIX; quo anno undecimo menſis May cum tribus onerariis ſolvit è portu *S. Lucæ*, adiitque Teneriffen Canariarum unam, ibique ſubſtitit tribus menſibus; & ſub Promontorio Capitis viridis ad Africæ Continentem, duobus: octo ſupra nonaginta ſuorum variis morbis interea deſideratis, & circiter quinquaginta qui navigationi inidonei judicabantur relictis; in trajiciendo autem Oceano ab Africa ad Braſiliam tempeſtates valde contrarias expertus, ita ut omnibus ſiti pereundum fuiſſet, niſi

pluviæ

pluviæ ipſis ſuccurriſſent; & una navi qua ſeptuaginta viri & undecim equi vehebantur, Oceano hauſta aut alicubi fracta (nam quid illa factum ſit ignoratur;) cum duabus reliquis continentem adnavigavit haud longe à vadis *S. Rochi*. Atque hinc ſecus oram Americæ Meridionalis navigans, & flumen *Maranhaon* circiter centum leucas prætervectus; medio gradu ab Æquatore verſus Auſtrum & circiter duodecim leucis à terra dulces latices offenderunt in alto mari, ita ut *Orellana* conſtanter affirmaret, flumen illud ingens quod quærebat hic evolvi.

Flumen ingreſſi, applicuerunt ad duas inſulas frequentibus barbaris cultas à quibus annonæ copiam permutatione mercium acceperunt: Hinc alveum fluminis ad centum pene leucas ſubvecti cum utraque navi, anchoras jecerunt juxta barbarorum pagum, quibus admodum parca annona erat: Atque hic quum ſeptem ſupra quinquaginta ſuorum amiſiſſet, neque ſuperſtites utrique navi regendæ pares eſſe animadverteret, lyburnicam moliri cæpit, (& alteram navium demoliri, ut ferramentis uteretur;) perfecitque tertio menſe.

Aſcendit deinceps flumen circiter viginti leucas, fregitque hic alteram navem, & è tabulis alteram lyburnicam eſt molitus, quam triginta viri vix duobus menſibus & dimidio perfecerunt. *Orellana* interea cum priori lyburnica adverſo flumine ſubvectus anxie & diligenter requirebat principalem fluminis alveum, ſed nullo operæprecio facto ad ſuos reverſus, denuo idem aggreditur, ſuis mandans, ut lyburnica perfecta ipſum ſequerentur ad *Cornu S. Ioannis*.

Hiſpani hi Præfecto ſuo parentes, lyburnica abſoluta, & commeatu comparato, flumen aſcendunt uſque ad Inſulam *Marribuique*, & porro ad Inſulam *Caritan* ſupra quam circiter triginta leucis flumen dividebatur in tres ramos, qui deinde rurſus in unum alveum conveniebant, ita ut hîc latum eſſet circiter duodecim leucas.

Verum quum ſe numero multum diminutos & omnium rerum inopes agnoſcerent, ulterius aſcendere inconſultum viſum; itaque ſecundo flumine dilabentes; circiter quadraginta leucis ab oſtio fluminis, applicuerunt ad continentem, uti opinabantur, ſolo ſatis edito; *Comao* appellari referebant barbari; ubi annonam, vili pretio ſunt nacti. Atque hic centum Hiſpanos, ſoli bonitate & amænitate allectos, ſedes fixiſſe, prodit *Herrera* (quod tamen minime veriſimile eſt, quis enim credat aut poſt tot viros variis morbis extinctos, tot adhuc ſupereſſe potuiſſe, aut tantum hominum numerum una Lyburnica vehi.) reliquos oſtium fluminis egreſſos ſecundum continentis oram navigaſſe & tandem applicuiſſe ad Inſulam *Margaritam*; ibidemque inveniſſe *Orellanæ* viduam, quæ maritum intra flumen ex mærore obiiſſe teſtabatur, quod principalem fluminis alveum fruſtra jam bis indagaſſet, & opes ſuas tam irrito conatu profudiſſet.

Atque hæc quidem de utraque *Orellanæ* expeditione dicta ſunto; è quibus ſane Geographiæ parum lucis poterit accendi, ſiquidem nullas aut altitudinum obſervationes, aut plagarum deſignationes, prout res poſtulabat, ſubminiſtrat.

Id tantum ſatis manifeſtis indiciis opinor patere, *Orellanam* hunc, flumen hoc de l.3.c.2.
quo nobis jam ſermo eſt deſcendiſſe, & ſecundo petiviſſe, ita ut jure adhuc de nomine ipſius debeat appellari.

Orellanam ſed multorum annorum intervallo ſecutus eſt Petrus de Orſua, anno nimirum cIↃIↃLX, ut ſcribit *Ioannes de Caſtellanos*, cujus expeditionis ita meminit *Ioſephus de Acoſta:* militum (inquit) Tribunus *Petrus de Orſua* aliam expeditionem ſuſcepit ſecundum hoc flumen (loquitur autem de flumine Amazonum licet familiari errore etiam appellet *Marannon*) & ipſo defuncto, & militibus tumultuantibus alii tribuni, donec perventum fuit ad mare ſeptentrionale. Narravit (inquit) mihi religioſus noſtræ ſocietatis, ſe adhuc ſecularem illi expeditioni interfuiſſe; & deprehendiſſe æſtus marinos ad centum leucas adverſo flumine aſcendere, & quando flumen Oceano miſceri incipit, ſub ipſo Æquatore aut circiter, æſtuarium illius ſeptuaginta leucas latum eſſe, quod pene fidem ſuperat, & excedit latitudinem maris mediterranei; licet alii in ſuis deſcriptionibus, tantum vigintiquinque aut triginta leucas attribuant: hæc ille. Meminit hujus expeditionis *Waltherus* Ralegus in *Guianæ* deſcriptione; & ſcribit *Orſuam* è Quito digreſſum per fluvium *Ojam* in *Amazonum* flumen ingreſſum:

& ab Agrio Cantabro trucidatum fuiſſe. Meminit ejuſdem & Lupus Vazius.

Non reperio quenquam Hiſpanorum poſtilla hoc flumen luſtraſſe, aut coloniam ad provincias has deducere conatum, ita ut apud *Herreram* & alios Hiſpanos ſcriptores, quos quidem viderim, altum de hoc flumine ſit ſilentium; Solus *Lupus VaZius*, cujus commentarius Anglicè fuit excuſus, ſcribit Portugallum quendam id tentaſſe, ſed irrito ſucceſſu, & flumen niſi paucis leucis ſubvectum, neque quicquam notabile deſignaſſe. Poſt annum autem cIↃIↃCXV Portugalli ad Paræ ripam, qui ſine dubio hujus magni fluminis ramus eſt, cœperunt incolere, ut ante diximus, & animum ad cætera forte adiicient, niſi ab Anglis & Belgis noſtris impediantur. Sed jam ad fluminis deſcriptionem nos conferemus.

Cap. III.

Magni fluminis Amazonum *deſcriptio ſecundum Anglorum & Belgarum obſervationes.*

MAXIMUM hoc flumen, quod à barbaris putant appellari *Tobo*, vel etiam *Param* (ut ſolent fere omnia magna flumina, lacuſque & ipſum mare *Paræ* nomine deſignare; communiter nominatur ab Hiſpanis *Rio de S. Iuan de las Amazonas*; & interdum à primo inventore *Orellana*; licet hoc nomen etiam attribuant *Oronoquæ*, uti videre eſt variis locis apud *Ioſephum de Acoſta* & *Antonium de Herrera*, eodem errore, quem ſupra manifeſtavimus in *Marannon* deſcriptione.

Scriptores omnes qui hujus fluminis meminerunt, maximam latitudinem aſſcribunt illius æſtuario, intervallum inter duo promontoria, alii quinquaginta, alii ſexaginta, alii adhuc pluribus leucis definientes: quanquam autem à noſtratibus, qui à Promontorio illius Orientali, ſecundum quod *Para* elabitur, ad dextram fluminis ripam navigarunt longe pauciores leucæ deprehenſę fuerint, ita ut os anguſtius eſſe neceſſe videatur; tamen quum conſtet latitudinem utriuſq; Promontorii plurimum differre, & Orientale quidem circiter dimidium gradum ab Æquatore divergere verſus Auſtrum, Occidentale vero duos gradus ab eodem Æquatore verſus Arctum; utraq; opinio ſatis commode poterit reconciliari; nam qui maximam latitudinem illi aſſignant, ab uno Promontorio ad alterum videntur putare, qui minimam rectam lineam à Promontorio Orientali ad oppoſitam oram ſequi.

Mira quoque narrantur, præſertim ab Hiſpanis de pernici hujus fluminis lapſu, & copioſis undis quas devehit in Oceanum, quo fiat ut ad plurimas leucas curſum ſuum inter maris fluctus ſervet & potabiles undæ longe extra oſtium hauriantur: quæ ſane veriſſima eſſe experientia comprobavit; ſed oportet diſtinguere inter anni tempeſtates, nam pluviis menſibus, quum maxima undarum copia à montibus defluente flumen hoc intumeſcit, id maxime fieri conſentaneum eſt. Narrat *Harcourtius* Anglus qui has partes egregie illuſtravit in *Guianæ* deſcriptione, ſe nono May circiter triginta milliaribus à terra fluminis curſum in alto deprehendiſſe, undaſque hauſiſſe tam pulchras potari, quam ſi è fonte aliquo emanaſſent: & altitudine æquoris bolide tentata orgyas inveniſſe triginta fundo arenoſo: poſtero autem die undæ color mutari cœpit & craſſior atque lutoſior evadere, mari ibidem tredecim & rurſus ſeptendecim orgyas alto: undecimo demum terram ad Occidentem conſpexerunt: Idem & ab aliis obſervatum.

Noſtrates qui jam pluribus annis hoc flumen adierunt commerciorum gratia & quam diligentiſſime, ut ſolent, obſervarunt, teſtantur illud haud commodius & cum minori diſcrimine adnavigari poſſe, quam ſi oram Braſiliæ ſeptentrionalis & *Maranhaon* prætervectus, requiras altitudinem unius gradus & triginta ſcrupulorum ab Æquatore verſus Arctum, & deinceps curſum inſtituas verſus Occidentem, ut facilius vites rapidum fluvii decurſum; ad hanc autem altitudinem, deprehendes bolide quadraginta aut triginta orgyas & fundum arenoſum, & ſenſim aſcendens ad viginti & tandem ad duodecim aut pauciores, aquam ſalſam reperies qualis eſt in alto, deinceps æquali pene quinque aut quatuor orgyarum altitudine navigabis integrum diem; verum ubi mare magis altum evadit, & deſcendit ad octo aut novem orgyas, jam terra videri eminus incipit, & ſenſim aqua potabilis accidit & qualis fluviorum

eſſe

eſſe ſolet. Ad hanc autem altitudinem continens nullo ſpeciali indicio diſcernitur, nam ſolum fere æquale eſt, & arboribus obſitum; littore ſtrato inter Eurum atque Corum; ſi quis autem pluviis menſibus hic accedat, cautio eſt locis vadoſioribus anchoras jacere, donec aut noctu aut interdiu altitudinem poli datur dimetiri. Quo pacto autem fluvius ſubeundus ſit, nulla ratione præſcribi poteſt, quia vada tam crebro mutantur, ut bolide altitudinem aquarum periclitari unica ſit cautio.

Continens, flumen hoc ab occidente contingens, prominet in altum vaſto Promontorio duobus gradibus ab Æquatore verſus Arctum; quod ab aliis *Cabo Race*, ab aliis *Cabo de Nord*, à noſtratibus *de Noord Caep* appellatur; ab eo deſcendit ingens vadum ad aliquot milliaria in altum; ad quod uti & ad ipſum Promontorium Oceanus ingentes fluctus voluit, ut validis funibus atque anchoris opus habeant, qui juxta illud forte in anchoris coguntur conſiſtere.

Porro à Promontorio hoc oram continentis legentibus, circiter novem leucis, primo occurrit *Arewary* non tam fluvius, quam fluvii ramus, ſive fretum, Promon- Arrevvary. torium cum magna parte continentis veluti abſcindens; ita ut ii qui forte imprudenter Promontorium fuerint prætervecti, haud difficulter velificando per hoc fretum in flumen poſſint regredi: os autem illius ſeptentrionale diſtat ab Æquatore uno gradu & triginta ſcrupulis verſus Arctum & intrat primo recta verſus Auſtrum, deinceps verſus eurum, unde cubito reflectitur & tandem egreditur verſus boream. Infra autem os hujus freti circiter duabus leucis prominet cornu continentis, quod vocant *Arrepoco*.

Ab *Arrewary* ad primam ſive ſeptentrionaliorem inſulam, (earum unam quæ Arrepoco. vaſto æſtuario hujus fluminis magno numero injacent, ab una ripa ad alteram) numerant duas leucas, hæc à quibuſdam appellatur *Kaluarie*, ab aliis *Arrepoco*, atque etiam aliter.

Ab hac ad *Sapno* ſive *Sapenou* ad dexteram fluminis ripam numerant quatuorde- Sapno. cim milliaria, quinquaginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, ut à noſtratibus accurate invenio annotatum: antequam autem perveniatur ad *Sapno*, egreditur è continente exilis amnis quem vocant *Weywey*: *Sapno* exigua eſt inſula, injacens ſemicirculari ſinui, quem continens hic admittit, in quem exeunt duo amniculi, infra quidem inſulam *Arrowas*, ſupra vero *Paricores*, ad cujus ripas barbari incolunt. E regione denique ad ſiniſtrum fluminis latus jacet inſula *Arrowen*.

Ad latus autem fluminis dexterum ſequitur exiguo intervallo pagus *Matarem*, & magis intra continentem *Roakery* & *Anarcaprock*. Ad ſiniſtrum vero, quod totum inſulis obtegitur Inſula *Sapanapoock*; & *Matiana* ſub ipſo Æquatore: itemque Sapanapoock. pene dimidio gradu ab Æquatore verſus Auſtrum inſula *Corropokery* ſive, ut alii nominant *Corpecari*.

Ad continentem autem è regione *Corropokery*, deſignant elicem ſive amniculum quem vocant *Tockes Kille*. Ab hoc loco flumen aſcendentibus pene ad unum gradum ab Æquatore verſus Auſtrum, occurrit fluminis ramus, qui verſus Aquilonem deſcendit inter plurimas inſulas, ubi ad Orientalem fluminis oram viſuntur *Aropoya*, *Corpoppy & Capitan*; ſive, ut ab aliis appellantur *VVayecorpap*, *Mannetibi* & *Corpappi*. Et deinceps ad idem latus paulum ſupra *Aropoyan* ſequitur *Matorion*, & pene ad altitudinem unius gradus & quinquaginta ſcrupulorum verſus Auſtrum barbarorum pagus *Huaman*; & duobus gradibus & viginti ſcrupulis ab Æquatore pagus barbarorum, quos vulgo vocant *VVomians*.

Alii annotant ad latus fluminis dexterum *Cogemymne* ſive *Coyminne*, à quo flu- Coyminne. vium aſcendentibus occurrunt multæ exiguæ inſulæ & vada atque rupes, denique Cataractes, qui prohibet hunc fluminis alveum altius aſcendere, ita ut certo certius ſit hunc non eſſe principalem hujus fluminis ramum.

Qui accuratius oram continentis luſtrarunt, teſtantur inſulam *Sapno* circiter Sapno. leucam unam patere in latitudinem, ſitamque eſſe inter duos amnes *VVeypo* & *Matianam*; ab hac autem ora ſe producere verſus Ortum uſque ad cornu terræ quod vocant *VVetaly*, cui unius leucæ intervallo ad ortum objacet inſula *Quiriana*: ab illo autem verſus Auſtrum circiter duas leucas & ſemiſſem

 incipit

incipit Inſula *Arowan*, cujus angulo Meridionali, ad continentem è regione objacet locus qui à noſtris vocatur *Water-huys*; flumen inter utrumque latum eſt pene duo milliaria. Ab angulo *Water-huys*, ad rubrum Angulum numerant quatuor leucas; è regione ad ſiniſtrum latus jacent quatuor inſulæ humiles & undis pene æquales, & in medio alvei oblonga inſula, quam noſtri vocant Coci Inſulam.

A rubro Angulo inclinat ſe ripa verſus occaſum ſpacio ſeſquileucæ, ubi Continenti objacet Inſula leucam longa, freto valde profundo ſed tantum centum paſſus lato à Continente diviſa, id fretum vocant noſtrates *Appelrack*: hæc inſula uti & Continens ſeu prima terra, eſt edita, quæ hoc flumen aſcendentibus fit obvia. E regione hujus freti intervallo unius leucæ, incipit ad orientale fluminis latus Inſula *Sapenopoko*. Ad oram porro Continentis ſive ripam fluminis dexteram ſequitur *Callepoke* & mox Inſula quæ ab amne ambitur qui ab occidente illabitur in magnum flumen, & appellatur *Breſt*; & paulo ultra *Taurege* elix ſive torrens, cui intra Continentem aſſidet pagus *Taurege*; ſequitur deinceps ad eandem ripam *Okiarii* amnis, ſupra quem intra Continentem ſiti ſunt tres barbarorum pagi.

Angli & Noſtrates multum laborarunt ut principalem hujus fluminis ramum ſcrutarentur; & tandem, ut à fide dignis accepi, invenerunt: deſcendit autem ab Africo, profundo & nullis vadis impedito alveo; ſed ubi potiſſimum egrediatur & quibus notis dignoſci poſſit ſtudioſe celant. Memini autem me ſuperioribus annis audire ex Anglo quodam fide haud indigno, quod principalem fluminis alveum verſus Occidentem aſcendiſſet ad trecenta milliaria, & penetraſſet in grandem lacum, cujus undæ exquiſitè virebant, neque potabiles erant, vidiſſeque in itinere oppidum barbarorum, in quo ducentæ aut trecentæ ædes & circiter mille animæ numerabantur.

Cap. IV.


Continentis hujus & Inſularum cœli ſolique qualitates & fructus atque incolæ.

REGIONES quæ magno huic flumini adjacent, cœlo gaudent ſatis ſalubri: Solum autem non eſt uniuſmodi, nam arenoſum atque effœtum hic reperitur; & alibi fœcundum atque omnis generis fructuum feraciſſimum. Frequentes ſunt ſylvæ, in quibus pene reperiuntur omnis generis arbores, quas huic Continenti familiares eſſe jam ante diximus, licet aliter à barbaris appellentur. Inter fructiferas arbores celebratur una, cujus alibi non video mentionem fieri, quam barbari vocant *Ademonie Totocke* & fructum *Totocke* (notandum autem *Ademonie* ipſis ſonare arborem:) Eſt autem arbor valde procera & ramoſa; foliis grandibus (& quæ forma non multum abludunt ab ulmi frondibus,) obſcure virentibus, niſi quod poſtica parte nonnihil videntur candicare; nullos fert flores, ſed certas gemmas quæ colore nihil differunt à foliis, quæ ſenſim craſſeſcunt & protrudunt fructum grandem & mole interdum capitis humani, pene rotundum, antica parte nonnihil compreſſum, cortice ligneo, duro & admodum craſſo, exterius ſtriato & tuberoſo, coloris fuſci & pene nigri: Dividitur interius certis ſeptis in ſex veluti regiones, in quarum ſingulis concluduntur, octo, decem & interdum duodecim nuces arcte inter ſe conjunctæ; quæ ſingulæ iterum ligneo, duro & ſatis craſſo cortice tectæ ſunt & variæ formæ, pleræque tamen triangulares una parte convexiore, cum tribus veluti ſuturis, valde rugoſæ & aſperæ, minus tamen quam exterior cortex, tres uncias longæ & ſeſqui unciam latæ, coloris roſſi & interdum cinerei aut fuſci: his continetur oblongus nucleus, totas implens inſtar amygdali, rubicunda membrana tectus, carne candidiſſima, & ſolida, & nonnihil oleoſa: ſapore magis videtur accedere ad avellanas quam amygdala, horum tamen uſum in omnibus egregie poteſt ſupplere, etiam ad tragemata facienda, uti à noſtris fuit obſervatum. Barbari attribuunt ipſi facultatem venerem excitandi, & proverbio dicuntur uſurpare *Pigue Secke in ſaccuwe pingean Totocke*, id eſt, ſi venerem ambis aut appetis, comede *Totocke* fructum. Clariſſ. Vir. Carolus Cluſius meminit interioris

Totocke.


l.2.c.18.


rioris nucis in Exoticis, ejuſque dat qualemcumque Iconem, nos eandem ad vivum accurate exprimẽdam curavimus, ea mole & forma qua erat, quæ tamen multis modis ludit, prout compreſſæ fuerint nuces in ſuis regionibus. Quoniam arbores quæ hunc fructum ferunt adeo ſunt altæ, & fructus adeo gravis & durus; illis maturis, non audent barbari ſylvas ingredi niſi valida parma aut alio tegmine caput tecti atque muniti, nam fructus hi decidentes inſtar ſilicis caput illis comminuerent.



Naſcitur quoque in ſylvis arbor quæ fert nuces myriſticis plane ſimiles, & virtute quadam aromatica præditas, ſed invalida & quæ ſtatim evaneſcat.

Accepi & à quodam noſtrorum fructum elegantiſſimum, quem hic naſci referebat in arboribus ſylveſtribus, quarum tamen frondes haud ſatis poterat explicare, itaque fructum tantum ad vivum expreſſum hic adjunximus ea mole qua erat. Fructus hic erat cortice lignoſo, exterius tuberculis multis aſpero, eleganter conformato & è duobus veluti orbibus conjuncto, coloris fuſci ſive cinerei qui interius ſepimento ligneo dividuntur in duas orbiculares cellas, quibus ſingulis continentur ſinguli nuclei, rotundi quidem ſed ea parte qua ſepimentum contingunt nonnihil compreſſi; ſuis itidem corticibus tecti, lignoſis itidem ſed tenuibus, coloris interiori parte purpurei ſive violacei; nucleus autem ipſe intus vacuus erat, materie pene inſtar gallarum, ſed magis fungoſa.





Præterea reperiuntur hic variæ arbores, materie admodum dura, & elegantibus coloribus: variæ itidem quæ reſinas & gummi fundunt. Naſcuntur variis locis Sacchari cannæ. Copioſiſſime denique pita herba, cujus alibi meminimus.

Nec deſunt hic variæ gemmæ & metalla, aliaque commerciis apta, de quibus in ſecunda hujus libri parte plenius dicemus.

Barbari qui Continentem habitant potiſſimum ſunt è gente quam vocant *Yaos*; ingenio minime malo: intra Continentem & aliæ incolunt, præſertim *Arwaccæ*, itemque *Cockettuway* & *Pattecui*, *Tockianes* atque *Arytianes*, denique *Comoes* & *Wackehanes*. Quibus ab aliis adduntur *Maraons* qui *Sapno*, *WeyWey*, *AneWyan*, *Quarian* & *Wetaly* incolebant: Et *Arowians* qui in reliquis inſulis degebant, de quibus obſer-

vavit quidam noſtrorum, hoſce longo capillitio uti inſtar fœminarum; atque hinc potiſſimum putat opinionem de Amazonibus natam, quod ſane vero non eſt abſimile.

Fruſtra ſit qui hodie eaſdem plane nationes iiſdem ſedibus hic ſe reperire poſſe ſperet, nam præterquam quod levem ob cauſam ſæpe mutent, poſtquam Luſitani è Para has partes adierunt, tanta mutatio facta eſt, ut quum noſtri anno cIↃ IↃ CXXIX hic appellerent, alibi nullos, alibi plane alios barbaros repererint. De moribus & inſtitutis atque idiomate alibi dicetur, nam fere uniuſmodi ſunt ad univerſam hanc oram barbarorum mores, idioma tamen diverſum eſt, uti è collatione, quam mox inſtituam manifeſtè patebit.

CAP. V.

Brevis narratio eorum quæ à Belgis in his partibus fuerunt geſta.

ANTEQUAM hanc partem concludam, operæprecium fuerit meminiſſe eorum quæ à Belgis noſtris in hiſce partibus fuerunt geſta.

Belgæ enim noſtri qui confœderatas provincias habitant, decreto ſatis rigido ab Rege Hiſpaniarum, dominiis ipſius omnibus excluſi, longinquiores navigationes tentare cœperunt, & imprimis has Americæ Meridionalis partes, ab Hiſpanis & Luſitanis adhuc intactas tentare. Quare anno cIↃIↃXCVIII & etiam ante, Amſtelodamenſes atq; alii mercatores, naves ſuas ad has oras deſtinarunt, ut commercium cum barbaris qui has oras accolebant conſtituerent & ſtabilirent; earum una quum anno jam dicto oram omnem inde à Braſilia Septentrionali raſiſſet & Maranhaon eſſet prætervecta, atque adeo promontorium magni fluminis Amazonum, quod luſtrare intenderant, attigiſſet, derepente & præter opinionem ſe ſatis longe à littore inter vada & arenarum pulvillos veluti concluſam animadvertit; Itaque anxii & quid agerent incerti, antequam exitum ex illo diſcrimine inveniſſent, vicinam Continentem, & præſertim flumen quod vaſto ore in Oceanum hic egreditur luſtrare in animum induxerunt; itaque liburnica propius ad terram provecti, oram omnem Continentis pone Promontorium humilem & æquori æqualem, & non paucis locis ab eodem ſuperfuſam deprehenderunt; præterea arboribus illis manguis ad fluctus uſque maris ita obſitam, ut nullus aut perdifficilis ad terram aditus pateret: Dein ad interiora promoventes, amnem offenderunt, qui ab ortu in majorem alveum elabebatur; hunc ingreſſi penitus perluſtrarunt, deprehenderuntque intra Continentem illum in plures receſſus vel forte totidem ramos ſpargi, paucis tantum milliaribus navigabiles; verum quum nihil magni pretii hic inveniſſent, aut ſaltem nullum lignum Braſilianum, quod potiſſimum tum requirebant, irrito ſucceſſu ad navem ſuam ſunt reverſi; amni huic ab ardeis, quas magno numero hic viderant, nomine impoſito: quem credo eundem eſſe, ad quem Portugalli aliquot annis poſtilla arcem Param condiderunt; didicerunt autem à barbaris partem hanc Continentis ab ipſis dici *Marapam*; nec quicquam operæpretii præterea tum ab ipſis factum, niſi quod etiam inſulam unam atque alteram, earum quæ à dicto Ardearum flumine jacent verſus occaſum, & ampliſſimum magni fluminis Amazonum æſtuarium in plures ramos diſpeſcunt, viſitarunt eminus, neque tamen propter vada potuerunt penitius perluſtrare.

Alii deinceps ſuccedentibus annis etiam magnum Amazonum flumen adire & luſtrare ſunt aggreſſi; in quo potiſſimum Zelandorum opera atque induſtria enituit, adeo ut etiam colonias ad fluminis hujus ripas deducere & duas arces hic moliri non dubitaverint; unam quidem, quam Naſſavicam dixerunt in *Coyminne*, quæ inſtar inſulæ anguſto fluminis ramo à reliqua Continente disjungitur ad milliaria pene viginti; diſtabat autem hæc arx circiter octuaginta milliaribus ab oſtio fluminis Amazonum. Alteram, quam Auraicam nominarunt circiter ſeptem milliaribus infra priorem. Juxta utramque denique & agris colendis & commerciis cum barbaris exercendis gnaviter incubuerunt.

Poſtilla quum jam ampliſſimo diplomate, illuſtriſſimi & potentiſſimi Confœderati Belgii ordines generales, navigationem ad Americam utramque certæ Societati

tati addixiſſent, cæteris omnibus ſuis ſubditis, præterquam iis qui nomina ad hanc Societatem dederant, excluſis: Alii deinceps hujus Societatis auſpiciis, atque permiſſu huc colonias deſtinarunt, & arces variis locis ſunt moliti. Tentarunt idem eodem pene tempore Angli atque Hyberni. Verumtamen tam hi quam noſtri à Portugallis è Para venientibus inopinatò oppreſſi & fugati, non leve damnum fuerunt perpeſſi; ad quod reſarciendum, & acceptas injurias vindicandas, majori conatu & viribus inſtitutum repetere & urgere ſatagunt.

Cap. VI.

Ora hujus Continentis, & flumina quæ ex illa egrediuntur, à magnò flumine Amazonum *ad flumen* VViapoco.

MAGNI fluminis *Amazonum* æſtuarium egreſſis & occidentali illius promontorio ſuperato, occurrit verſus occaſum littus legentibus, primum inſula, duobus gradibus & quinq; ſuprà quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum, quam noſtri vulgo vocant *Conijnen-Eyland*, id eſt, cuniculorum inſulam.

Ab hac inſula ad *Crabbebooren*, ſive ut alii vocant *Caaripapooren* numerant triginta milliaria verſus occidentem: quo nomine deſignant ſive plures inſulas anguſtis fretis diviſas, ſive continentem variis partibus ab æquore ſuperfuſam, & lacubus ſtagniſque diſtinctam; duobus gradibus & quinque ſupra viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Accepi à quodam Belga, qui navi ad hanc oram fracta, enataverat, & pene octo annis inter barbaros vixerat, hanc partem continentis, maximam partem à fluctibus maris, ubi æſtus implevit, tegi & barbaros qui hic incolunt, piſcibus potiſſimum victitare, alterius annonæ & farris fere inopes: abundant tamen fructibus quibuſdam palmarum, ſatis grati ſaporis, quos pro farre uſurpant.

Ab hoc loco, ad fluvium *VViapoco*, egrediuntur è Continenti modici aliquot amnes, qui non niſi quum æſtus valide implevit mediocribus navibus adiri poſſunt, æſtu relabente pene oblimati. In nominibus autem illorum deſignandis nonnihil variant Authores: *Harcourtius* Anglus poſt *Arrawary* de quo ſupra; nominat *Micary*, *Conawini* & *Caſſipurough*; *Laurentius Keymis* itidem Anglus, *IWaripoco*, *Maipari*, *Coanawini*, *Caſpurough*; alii adhuc alia aſſignant nomina, ſed à præcedentibus parum diverſa. Operæprecium erit ipſum *Harcourtium* audire, qui in deſcriptione *Guianæ* ita infit; Occidentale fluminis *Amazonum* brachium ſive ramus appellatur *Arrapoco*, juxta quem plura barbarorum dominia ſita ſunt. Ab *Arrapoco* verſus Arctum, exit *Arrawary* pulcherrimus amnis, quique amœniſſimam regionem perlabitur. Ab *Arrawary* ad amnem *Caſſiopurough* extendit ſe provincia *Arricary*, comprehendens dominia *Arrawary*, *Maicary* & *Cooshebery*, quibus imperat *Anakyary* gente *Yajus*, qui è provinciis ad *Oronoquen* ſitis ab Hiſpanis pulſus, iiſdem ſupra modum infenſus, in hanc provinciam cum ſuis commigravit, & ſedes fixit *Mooruga* in provincia *Maicary*. Ab hac provincia verſus Corum egreditur in Oceanum amnis *Conawini*, cum quo Dominium *Cooshebery* fines jungit, cujus regulus nominatur *Leonardus Ragapo*, vaſallus *Anakyary*; à *Ralegho* in Angliàm deductus, & ibidem baptizatus, unde Anglis obnoxius, & ipſorum idioma utcunq; callet. Cæterum in *VViapogo* aliquandiu hærens, quum è barbarorum relatione accepiſſem, in hujus reguli provincia reperiri gemmas quaſdam, quas vulgo adamantes eſſe opinantur; Cognatum meum *Fisherum* miſi, ut hanc rem penitius indagaret & ejuſcemodi gemmas mihi afferret: Is ab hoc *Leonardo* perhumaniter acceptus, facile impetravit barbaros, qui illum ad locum ducerent, ubi hæ gemmæ dicebantur reperiri, circiter quinquaginta milliaribus intra continentem. Viſus ab ipſo in itinere editus mons, quem vocant *Cowob*, in cujus vertice narrant barbari lacum jacere qui optimos piſces nutriat: cætera quoque regio fœcunda & peramœna apparuit. Verumtamen gemmas haſce nequaquam adamantes, verũ è *Topaſiorum* genere patuit, qui eleganter politi interdum nitore cum adamantibus certant: ſpes tamen haud vana ſuperat, forte & adamantes hic repertum iri, ſiquidem *Topacij* in India in iiſdem cũ adamantibus venis reperiri volunt. Hæc ille. Hæ gemmæ etiam alibi ad hanc oram repeụntur, quarum plurimas vidimus, & poliri fecimus, ſed neque duritie neq; nitore ullo

modo cum Orientalibus *Topaſiis* comparandas; ſunt enim nitore lacteo & nebuloſo, & haudquaquam tam tranſparenti quam illi.

Noſtrates collocant ad hanc oram fluvium *Arikaryn* duobus gradibus & ſeptem ſupra viginti ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum. Et quatuor milliaribus & ſemiſſe ab hoc verſus eorum *Carſewinnen* ſive *Caſſewinin*, duobus gradibus & quatuor ſupra triginta ſcrupulis ab Æquatore.

Quidam & noſtrorum qui hanc oram accurate luſtraverat; à Promontorio *de Nord* numerat primò ad fluvium *Makaryn* circiter undecim milliaria; dein tredecim ad oſtium fluvii *Clapepouri* (ut ipſe vocat) tribus gradibus ab Æquatore verſus Arctum, tertiò ab hoc ad fluvium *Caſſipouren* undecim, tribus gradibus & quinque ſupra quinquaginta ſcrupulis verſus Arctum; quartò à *Caſſipaure* uſque ad *Wiapoco* flumen duodecim.

Porro *Caſſipoure* amnis licet pene dimidium milliare in oſtio ſit latus, tamen vix quinque palmos eſt altus, quum æſtus paulum cœpit recedere: elabitur autem è paludibus; ripam ſiniſtram accolunt *Arracoſy*; & ſupra hos verſus *Clapepouren* degunt *May*, qui hoſtes ſunt omnium littoralium barbarorum, & ſupra modum ab iis metuuntur; neq; injuria, ſunt enim bellatores ſtrenui, & periculorum atque adeo mortis ſummi contemtores: Nam (uti accepi à quodam noſtrorum qui expeditioni interfuerat *Arracoſiorum* rogatu cum ſex ſeptemve aliis Chriſtianis;) noſtrorum bombardas tam parum metuebant, ut pluribus jam cæſis ſex illorum intra lanceæ tactum auderent accedere, & quinque ſtatim proſtratis, ſextus cui tantum crus globo alato ablatum fuerat, ad extremam ſanguinis guttam ſeſe defenderet.

A flumine *Caſſipoure* (ut *Harcourtius* prodidit) verſus fluvium *Arracouw*, & porro intra continentem uſque ad fluvium *Arwy*, (qui ſupra Cataractas in *Wiapoco* deſcendit) jacent provinciæ *Arracoriorum* & *Morovnia*; quæ haud minus amœnæ & fertiles ſunt quam *Coosheberya*. Provincia *Arracooria* adhæc admodum eſt populoſa, parebat tum regulo, cujus nomen erat *Ipero*. Licet autem *Arracorij* & *Wiapocenſes* amici eſſe videantur, neque ſe invicem armis infeſtent, tamen animis nonnihil diffident.

Morounia quoque à plurimis barbaris incolitur, qui ab humanitate erga advenas imprimis commendantur; in ejus pene medio exſurgit editus mons & ad modum pyramidis à natura formatus, à cujus vertice amæniſſimus in ſubjectam undiquaque regionem proſpectus eſt.

Morouniam excipit verſus Auſtrum & ripas fluvii *Arwy*, alia provincia quam vocant *Norrack*, cujus incolæ ſunt *Caribes*, & hoſtes *Morouniorum* atque *Wiapocenſium*; quum utrique hi, uti & plures littorales barbari, *Anakyari* pareant longe maximo *Yaorum* principi, qui omnem oram uſque ad flumen *Eſſequeben* (de quo poſtea) occupant. Atque hactenus quidem pertinent regiones & provinciæ quas magno *Amazonum* flumini aſſignamus.

PARS ALTERA

WIAPOCO.

Cap. VII.

Deſcriptio fluminis VViapoco *& aliorum vicinorum, provinciarumque quæ illis adjacent.*

PROMONTORIUM quod ſinum ab ortu claudit, in quem flumen *Wiapoco* & alii minores amnes egrediuntur, diſtat ab Æquatore IV gradibus & XXX ſcrupulis verſus Auſtrum; appellaturque ab Anglis quidem nunc *Cabo de Conde*, nunc *Cabe Cecil*; à noſtratibus autem *Cape d'Orange*, & non raro *Cabo de Nord*.

Hoc promontorio ſuperato, flectit ſe continens verſus Auſtrum; atque hic egreditur amnis *Arracouw* in ipſo oſtio pene dimidium milliare latus, procul è continenti & ex provincia *Arracoſiorum* barbarorum deſcendens, qui *Yais* confœderati, juges inimicitias exercent cum *Mayis*. Excipit autem *Arracoa* alios ab dextra levaque amnes; & imprimis *Arcobile* quem noſtrates luſtrarunt anno CIↃ IↃC, & circiter

duo

duo milliaria ſubvecti offenderunt alterum amnem quem vocant *Ycoripen*; & poſt tria milliaria tertium, *Tamynen* barbaris, altum quidem, ſed undis adeo placidis, ut pene ſtare videatur; hinc quatuor milliar. aſcendentes offenderunt barbarorum pagum *Sapyten*, & per nemus & profundam uliginem penetrarunt ad alium pagum *Awarapatan*.

Harcourtius autem ſcribit intra continentem in *Aracoam* confluere fluvium *Wats*, de quo nihil præterea accepimus.

Circiter dimidiam leucam magis verſus Auſtrum egreditur flumen *VViapoco*, quatuor gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum; exonerat autem ſe in ſinum circiter tria milliaria latum (una cum amne *VVainari*) in ipſo quidem oſtio circiter milliare unum latum & pene duas orgyas altum, interius autem haud ſupra ſeptem aut octo palmos, & ſuperius adhuc lõge pauciores; ripæ illius juxta oſtium ſunt paludoſæ, ad tria pene milliaria; & deinceps ita accedunt & à duobus terræ Angulis coarctantur, ut latitudo illius centum paſſus raro excedat: ſuperius autem præcipitat ſe de Cataracte in ſubjectas rupes, ita ut altius cymbis aſcendi nequeat niſi forte menſe Auguſto; diſtant autem Cataractæ ab oſtio circiter ſedecim milliaria.

Paulum ſupra Cataractem, confluit in *VViapoco* amnis *Arwy*, cujus jam ante meminimus. Solum autem quod ripas hujus fluminis attingit, perfæcundum judicatur & Tabacci imprimis ferax, ita ut interdum ad novem & plures palmos aſſurgat: ſacchari cannæ hic ſponte naſcuntur: uti & frutices quæ goſſypium & tincturam illam ferunt, quam vulgo vocant *Orellanam*. Cervorum maxima hic reperitur copia, uti & ſuum: ſupra Cataractas quoque plurimæ vaccæ ſylveſtres, uti noſtri vocant, à barbaris autem hoc animal appellatur *Moirè*, vaccis noſtratibus haud diſſimile niſi Moire. quod cornubus careat: flumina denique valde ſunt piſcoſa, imprimis nutriunt prægrandes *Manatos*.

Quidam tradunt hanc regionem juxta littora, cœlo eſſe inſalubri & valetudine incolarum infami; ſed *Harcourtius* negat, haud vano argumento; nam quum anno cIↃ IↃ CVIII, hic triginta ſuorum unà cum Germano ſuo deſtituiſſet, qui hic triennium habitarunt in pago, (qui à barbaris vocatur Caripo) ad ipſum ſinum ſuper editum & petroſum collem ſito, difficilem admodum acceſſu, ob denſa nemora & præruptas petras quibus pene undique cingitur: toto illo tempore tantum ſex eorum defuncti fuerunt, idque variis infortuniis potius quam morbis. *Harcourtio* adſtipulantur etiam noſtri qui ante Anglos hic incoluerunt, & cœlum potius ſalubre judicant, quia ægri aliunde advenientes hic quantocius convaleſcere ſunt viſi.

Barbari qui ripas hujus fluminis & vicinam continentem incolunt, utplurimum ſunt *Yayi* aut *Maroans*; utrique ſatis urbani & hoſpitales: *Yayi* quidem juxta fluminis oſtium & ſecus littora uſque ad *Commaribo*; *Maraons* autem intra continentem uſque ad Cataracten, atque etiam ſupra: pauci quoque hic degunt *Arwaecæ* præſertim inter *VVaynarin* & *Commaribo* ſuper editum montem quem barbari vocant *Maſſoure*. Omnes autem nudi agunt, licet à veſtibus non abhorreant, quando ſuppetunt: piſcatione imprimis delectantur, & in hunc finem adhibent ligni quoddam genus, quod ipſis dicitur *Ayauw*, gravis admodum odoris, ita ut aquis injectum piſces ita ſopo- Ayauw. ret, ut manibus ſe contingi & capi patiantur. Farris loco utuntur *Caſſavi*; è quo & potum ſuum maſticando conficiunt ad Braſilienſium modum, quem & large & ad ebrietatem uſque ſolent haurire, familiari hiſce nationibus vitio: potum hunc vocant *Pernou*, fit autem è caſſavi prius toſto & fere aduſto, dein maſticato, & tum ebullito, denique per vimineum corbem percolato; ita ut clarum & limpidum, eodem pene cum cereviſia Lubecenſi colore; verum paucis diebus ſervari poteſt. Mirum in modum hic infeſtantur à Niguis, nec minus à culicibus.

Narrat *Harcourtius* circiter tridui itinere ſupra Cataractas hujus fluminis, alios barbaros degere è natione *Caribum* (quos vocant *Maranſhewaccas*,) quibus grandiſſimæ & pene monſtroſæ ſint aures, ſi barbarorum relationibus tuto licet credere: qui & hoc addunt, barbaros illos idolum inter ſe habere, quod ſummopere venerantur, effigie viri calcibus ſuis innixi, genubus divaricatis, quibus brachia cubitis incumbunt, manibus elevatis, & palmis obverſis, cæterum oculis ad cœlum erectis, & ore patulo atque hiante.

Noſtrates

Noſtrates meminerunt & alterius nationis barbarorum,quos vocant *Nourakes*,qui circiter ſexaginta milliaria ſupra fluminis *Wiapoco* oſtium incolunt, qui plurimum goſſypii colunt, & ex illo induſtrie texunt *Amackas* ſive lectos penſiles, quos aliis barbaris indiligentioribus vendunt; plurimam quoque colligunt Orellanam: hi barbari cœlo fruuntur longe ſalubriori, quam ii qui juxta littora degunt. Inveniuntur in ipſorum provinciâ certæ gemmæ, quæ colore accedunt ad rubinos,quos vocamus balaiſios.

CAP. VIII.

Plura de hoc flumine à noſtratibus obſervata, & de vicinis aliquot minoribus amnibus, præſertim Apurwaka.

A Noſtratibus, qui diligentiſſime flumen *Wiapoco* luſtrarunt, accepi, in oſtio illius deprehendi quatuordecim aut quindecim palmorum altitudinem; ſubeuntibus autem ſiniſtram ripam aliquandiu radendam eſſe, donec flumen recta aſcendat verſus Auſtrum: tunc curſum rectâ tenendum verſus editum ſolum: ſtatimque veniri ad amnem qui ab occidente haud longe à continente in hunc deſcendit,neutiquam niſi uniligneis lintribus navigabilis: ad ripas autem illius accolere *Arwaccas* qui colendis agris dant operam, in tribus pagis. Porro ad utramque ripam plures præterea jacent pagi, & aliquot minores rivi inde exeunt.

Ab *Wiapoco* porro verſus Corum labitur amnis *Winipoco* cymbarum tantum patiens: alii tantum ramulum majoris fluminis faciunt, quod magis videtur veriſimile. Cujus ripæ accoluntur ab *Arwaccis*; plurimæ reperiuntur hîc tigres; & tanta culicum copia, ut neque noctu neque interdiu fere detur quieſcere.

Ab oſtio fluminis *Wiapoco* ſupra tres leucas verſus Corum, imminet ſinui mons, quem vulgo vocant *Gomeribo* vel *Commaribo*, cujus ſolum ab inſigni fœcunditate imprimis commendatur à noſtratibus, qui illum aliquando coluerunt: Iidem teſtantur olim inſulam fuiſſe, anguſto freto à Continente diviſam,nunc autem oblimato & ab arenis impleto alveo illo coaluiſſe cum Continente.

Inter extremum autem fluminis cornu & montem quem jam diximus, egreditur tenuis amnis *Wainary*; quem tamen alii negant eſſe amnem, quum nullos fontes habere videatur, & paucis tantum milliaribus in Continentem penetret recta verſus occidentem, ita ut unius diei itinere ad finem illius perveniatur.

A *Waynari* ordiuntur montium editorum juga,quæ ſeſe extendunt verſus Arctum & maximè verſus Corum, procurruntque uſque ad *Apurwakam*, de quo ſtatim dicemus: horum autem montium clivi & convalles ſolo dicuntur eſſe fœcundo & feraci, ita ut Tabaccum longe optimum ferant, & arboribus quæ goſſypium ferunt conſerendis imprimis conveniant.

A ſinu *VViapocenſi* verſus Corum,atque à *Commaribo* circiter quinque milliaribus, egreditur è Continenti in Oceanum fluvius *Apurwaka*, qui ab aliis etiam *Caperwaca* appellatur; quem *Harcourtius* à frequentibus barbaris tradit accoli;verum *Laurentius Keymis* qui *Raleghum* in expeditionibus fuit comitatus, contra teſtatur, ſe hunc fluvium ingreſſum & circiter quadraginta milliaribus ſubvectum, nullos barbaros hîc inveniſſe,(quod minime mirum aut inuſitatum in hiſce partibus,nam barbari ita ſueti ſunt crebro ſedes mutare, ut interdum plures,interdum rari, nonnunquam & nulli in eiſdem locis reperiantur) verum ad radices cujuſdam montis, tantum ligni Braſiliani cæcidiſſe, quantum cymba ſua poterat deducere. Hic quoque reperiri copiam earum arborum, quarum cortices Canellam æmulentur, quales ad oras Freti Magallanici magno numero naſci ſupra indicavimus.

Secundum delineationem hujus fluvii,quam vidi ſatis accuratam,illum latum eſſe oportet, intra oſtium quoque aliquot minores inſulas complectitur; excipit præterea à dextera lævaque aliquot minores amnes atque torrentes; extimus illius angulus fertur diſtare ab Æquatore quatuor gradibus & quatuor ſupra viginti ſcrupulis, alveus autem primo aſcendit verſus Eurum, atque inde cubito ſe flectit verſus Africum. Noſtrates qui fluvium hunc adierunt anno CIↃ IↃ XCVIII, teſtantur oſtio illius injacere parvam inſulam oblongam, quæ deſinat in acutum angulum;

angulum; ad ripas denique illius in nemoribus reperiri ingentem numerum pſittacorum & aliarum elegantiſſimarum avicularum: nec non maximam copiam pulcherrimarum ſimiarum.

Ab oſtio hujus fluvii circiter ſex milliaribus verſus Arctum objacet Continenti inſula quæ *Oncaiarie* vel etiam *Aocayari* appellatur; crebris tempeſtatibus & frequentibus nimbis ſupra modum obnoxia, præterquam ſolſtitio hyberno, uti à pluribus invenio obſervatum.

Cap. IX.

Amnium Cauwo *&* VVia *deſcriptio, cum adjacentibus provinciis.*

AB *Apurwaka* ſequitur ad eandem oram, intervallo duorum milliarium, uti à noſtratibus invenio obſervatum, fluvius *Cauwo* vel *Couwa*; in ipſo oſtio inter duas & tres orgyas altus; interius tres quatuorve.

Laurentius Keymis Anglus ſcribit ſe hic anno cIↃ IↃ XCVI inveniſſe barbaros è natione *Yajorum*, qui paulo ante huc confugerant, pulſi ab Hiſpanis è *Moruga* & provinciis ad flumen *Oronoquen* ſitis, quas *Arwaccæ* jam occupabant, vaga natio & Hiſpanis obnoxia. Nam *Yayoi* hi, ut ille narrat, pleraſque oras ad oceanum poſſederant; ſueti, ut ab aliis nationibus diſtinguerentur, faciem & reliquum corpus notis quibuſdam perſignare; adhibentes ad id acutiſſimos dentes cujuſdam animalculi, quod forma haud multum abludit à glire, quibus cuticulam dividebant, haud ſecus quam acu aut acicula: ita ut cicatrices nunquam evaneſcerent.

Noſtrates qui has oras luſtrarunt anno cIↃ IↃ XCVIII, eoſdem barbaros hic invenerunt. Verum *Harcourtius* qui aliquot annis poſt illos hic fuit, teſtatur ſe nullos hic barbaros reperiſſe.

Keymis accepit à barbaris ligni quoddam genus, quod Braſilianum opinabatur, Vrapo.
barbari vocabant *Vrapo*, & referebant magna copia traduci ad Inſulam Trinitatis, indeque peti à Gallis; verum noſtrates negant hoc lignum recte Braſilianum appellari; ſed reperiri hic aliam ſpeciem rubri ligni, idque à barbaris appellari *Moura*, quod à vero Braſiliano non multum differat. Moura.

Diſtat denique hic fluvius ab Æquatore quatuor gradibus & viginti ſcrupulis, & aſcendit cubito flexus, verſus Africum.

Wia.
Duarum deinceps leucarum intervallo ſequitur ad eandem oram fluvius *VVia*; quatuor gradibus & quadraginta ſcrupulis ab Æquatore verſus Arctum; pulcherrimus amnis, & longe penetrans intra continentem, amœnis ripis atque fœcundis, & lato ore ſive æſtuario inſtar ſinus.

Laurentius Keymis teſtatur ab hoc ſinu verſus Favonium, optimam ſtationem eſſe navibus, ſub certis inſulis, quæ hic continenti objacent; quarum maximam vocat *Gowateri*, & à barbaris *Shebaiis* habitatam, atque apris aliiſque feris, volucribus, & omni genere commeatus abundare ſcribit, deniq; mare in ambitu egregie eſſe piſcoſum. Aperit præterea egregium portum, quatuor aut quinq; orgyas altum, & plurium navium capacem longeque ſecuriſſimum. Extimæ quoque tres verſus occaſum, trianguli formâ ſitæ, à quo & nomen meruerunt, eiſdem quoque animantibus, & commeatu abundant, præbentque ſatis commodam navibus ſtationem, verum cum præcedenti portu neutiquam comparandam. Obſervat denique in Continenti paſſim reperiri herbam quandam, quam barbari appellant *Wiapaſſam*, cujus radix ſit acris inſtar zinziberis, & ſingulari virtute pollens, imprimis contra lyenteriam, & dolores capitis.

Mattory.
Inſula quæ inter *Wiam* & *Caianam* media eſt, appellatur ab *Harcourtio Mattoory* editiſſimo ſolo & circiter ſedecim milliaria ambiens: alii vocant hanc inſulam *Mayeri*, & juga montium quæ ſinui, qui vergit verſus *Wiam*, imminent *Moriori*; quæ vero pene in medio inſulæ conſurgunt *Matorwi*, quod à priori inſulæ nomine non multum differt. Invenio à noſtratibus obſervatum inſulam hanc incoli à natione *Caribum*, haud mala: paſſimque, potiſſimum tamen in campeſtribus ſponte naſci arbuſculas quaſdam duos palmos altas, quæ fructus ferunt inſtar prunorum, colore purpureo, & ſapore pene inſtar myrobalanorum.

Inſulas autem minores, quæ huic majori, verſus ortum objacent, quarum paulo ante meminimus, alii vocant, orientaliorem quidem *Sannawom*; occidentaliorem autem *Speneſari*; binas autem quæ hiſce objacent verſus altum *Eponeregemera*; quæ barbara ſunt nomina; nam Europæi, ut fere ſolent, in nominibus multum variant.

CAJANE.

CAP. X.

Fluminis Cajanæ *deſcriptio, & Continentis illi vicinæ, populorumque mores qui hic habitant.*

POST *VViam* ſequitur *Cajane*, circiter trium milliarium intervallo, celebris fluvius; diſtans ab Æquatore quatuor gradibus & quinquaginta ſcrupulis verſus Arctum, prout à noſtris invenio obſervatum. Notandum autem duos amnes hic per unum oſtium in altum egredi, *VVackam* atque *Cajanam*; quorum ille oritur è vicinis montibus, & tantum ſeptem aut circiter milliaria deſcendit; hic vero longe altius penetrat in Continentem. Oſtium autem *Cajanes* ſatis latum eſt, & fere tres quatuorve orgyas altum; ſed in adeundo ſumma cautione opus eſt, ob ſcopulos qui procul in alto objacent, præſertim unum, quem barbari vocant *Hocaiari*, noſtrates *Conſtapel*, qui diſtat ab oſtio tria quatuorve milliaria verſus Ortum: & marinorum fluctuum curſum, qui hic valide fertur verſus occaſum.

Harcourtius obſervat, flumen hoc ſubeuntibus ad dexteram jacere inſulam, quam barbari vocent *Muccumbro*; ea concluditur ab ortu quidem à *Cajana*, ab occaſu ab amne *Meccoria*, patetque in ambitu circiter ſedecim milliaria, maxima ſui parte plana & campeſtris; in medio autem illius conſurgunt duo montes, quorum unus vocatur *Muccumbro*, alter autem *Cillicedemo*, à quorum faſtigiis, amæna hæc regio, undique oculis luſtratur: pauci hic viſuntur luci, plures campi, in quibus magnus ferarum numerus vagatur.

Idem teſtatur, *Cayanæ* accolas, & qui hanc partem continentis habitant, natione *Caribes* eſſe, quorum præcipuus regulus dicebatur *Arrawicary*, & juxta Cillicedemum montem incolebat, advenis & præſertim Anglis (ut inquit *Harcourtius*) valde addictus & fidus: *Caribes* enim antiquiſſimi harum regionum incolæ creduntur, nam *Iajoi*, *Sappajoi*, *Arwaccæ*, atque *Paragoti*, aut ab Inſula Trinitatis aut ex *Oronoquæ* provinciis huc confugerunt, ab Hiſpanis pulſi, aut ſaltem eorum ſævitiam metuentes; ita ut inter hoſce & *Caribes* qui littora accolunt, haud ſatis bene, niſi forte in ſpeciem conveniant & non raro inter ſe diſcordes, ad rixas & mutuas cædes prorumpant: nam inter *Caribes* qui interiorem continentem, & montana incolunt, & hoſce barbaros perpetuum eſt bellum; ſæpius enim deſcendunt è montanis ad littora, & miſeros hoſce opprimunt inopinantes, mactantque alios, & non paucos abripiunt in miſeram ſervitutem: verumtamen poſtquam Europæi has oras adire & cum littoralibus commercia habere cœperunt, nonnihil armorum ab his acceperunt, quorum uſum leviter edocti, minus minuſque jam montenſes *Caribes* metuunt, atque adeo nonnumquam ultro ipſos aggrediuntur.

Porro intra continentem, in montana regione verſus Africum plures aliæ degunt barbarorum nationes, quorum nomina (& mores) non ſatis hactenus ſunt cognita: quanquam pro regionum amplitudine admodum infrequentes ſint incolæ; ſuetum enim pleriſque barbaris, qui hanc continentem incolunt, ſedes ſuas crebro mutare, nec fere, niſi perraro, eaſdem figere præterquam ad ripas fluminum, aut ad oram maris, quia piſcatione imprimis delectantur, piſceſque facillime parabilem victum, & maxime idoneum opinantur, natura enim deſides & laborum intolerantes abhorrent à cultura agrorum, obviis contenti. Nulla pene ipſis Reipublicæ forma, niſi quod plerumque in ſingulis provinciis, atque adeo pagis, regulos ſive, ut barbari vocant, Caſiques habeant quibus parent quandiu libet: duo tantum crimina punire dicuntur homicidium, & adulterium per carnifices ad id deſtinatos. Plures ſumunt ſibi uxores, & de earum caſtitate ſummopere ſunt ſolliciti: nam in adulterio deprehenſis ſtatim cōminuunt cerebrum ſine ulla judicii forma. Vxorum multitudo hic inter decora

æſtimatur, & ſingulare eſt opulentiæ argumentum: Nam, præſertim ſeniores, miniſtrant maritis, inſtar mancipiorum, omniaque domeſtica miniſteria explent, viris interim otioſis aut genio indulgentibus. Verum quum jam pene ad centrum mediæ hujus partis pervenerimus, antequam ad reliquos fluvios deſcribendos procedamus; de cœli ſolique qualitatibus, incolis, & plantis atque animalibus nonnulla dicemus.

Cap. XI.

De Cœli Solique qualitatibus, in hiſce partibus Continentis, & de Incolarum ingeniis, moribus atque inſtitutis.

TEMPESTATES anni in hoc clymate plurimum variant; nam in orientali Guianæ parte quæ vergit verſus Flumen Amazonum, æſtas inchoatur à menſe Auguſto, hyems à Februario: in occidentali autem parte & verſus Orenoquen ſumit æſtas exordium ab Octobri, hyems ab Aprili: Quæ tempeſtates, quod & alibi monuimus, tantum pluviis (unde barbari pluvias & hyemem uno nomine denotant) & ſiccitatibus; itemque graviſſimis ventorum flatibus & malaciis diſtinguuntur: nam quum hæ regiones tam exiguo intervallo abſint ab Æquatore, exiguam admodum caloris & frigoris patiuntur viciſſitudinem: Neque tamen omnibus annis, æqualiter aut æque diu pluit; ſed diſcrepant interdum uno atque altero menſe, & pluviarum copia aut mediocritate.

Solum quoq; plurimum differt: nam primò ad oram maris fere eſt humile, & niſi auræ pene perpetim interdiu ab oriente valide perflantes, æſtum egregie temperarent, à mortalibus habitari neutiquam poſſent, nunc vero vel maxime à barbaris habitatur, ob fluminum quæ paſſim hic effluunt, opportunitatem, & telluris fœcunditatem, atque adeo cœli (paucis quibuſdam locis exceptis quæ incolarum valetudine male audiunt) bonitatem atque ſalubritatem. Intra continentem plurimi viſuntur montes, quorum quidam fæcundo ſolo culturam facile admittunt; alii penitus ſunt aſperi, ſed variis metallorum venis ſcatere creduntur: in hiſce montibus nonnihil algetur, nihilo tamen ſecius aër hic ſaluberrimus judicatur, quo fit ut plures barbari ibidem habitent. Inter hæc extrema, veluti medium eſt, ſolum modicè editum, præcedentibus longe feracius, atque amænius, nemoribus atque lucis, campis atque pratis grata varietate diſtinctum, adhæc pluribus amnibus & torrentibus riguum; cœloque imprimis ſalubri; neque metallorum in variis provinciis penitus inops. Cæterum duas peſtes hic patiuntur indigenæ, culices ipſis *Mapiery*, & niguas, ipſis *Sico*: adverſus priores tamen in promtu remedium eſt noctu luculentum focum in ædibus alere.

Barbari qui has oras accolunt, (quemadmodum à quodam noſtrorum accepi, qui aliquandiu hic vixerat,) ſunt ſeptem nationum, quæ nonnihil à ſe invicem moribus, multum autem linguis differunt, *Mayi* nimirum, *Aricoury*, *Maraons*, *Caribes*, *Arwacca*, *Iayoi* & *Sapajoi*.

Omnes autem maximam partem, ſtatura ſunt mediocri, crinibus nigris, quos interdum ornatus gratia rubro colore inficiunt; oculis quoque nigris; auriculis, & naribus, atque inferioribus labiis perforatis; univerſum denique corpus inficiunt tinctura quadam, quam *Iajoi* atque *Shebajoi* vocant *Annoto*, *Caribes* autem *Coutſauwe*: hanc tincturam à primis annis uſurpant adverſus æſtum ſolis. Fœminæ inſuper nonnullæ & præſertim adoleſcentulæ, pingunt cutem certis figuris, gummi quoddam nigrum ad id uſurpantes, quod colori illi caſtaneo ſuperinducunt.

Vtrique tam mares quam fœminæ, utplurimum nudi incedunt, niſi quod quidam utriuſque ſexus nonnumquam pudendas partes panniculo leviter velant, magis ornatus, quam honeſtatis cauſa aut pudoris. Fœminæ capillos vittis quibuſdam ſubligant ſupra verticem: pariunt facillime: & infantes ſuos circumgeſtant, lumbis ſuis inſidentes, aut faſcia ſubnixos: ſuntque utplurimum breviori ſtatura quam mares, præſertim in provinciis, quæ magnum flumen *Amazonum* contingunt.

Religio ipſis nulla eſt: Solem quidem & Lunam, quos animatos arbitrantur, venerantur, non tamen aut adorant, aut quicquam illis immolant, offeruntve; quantum hactenus à noſtris potuit obſervari: carent omnibus ceremoniis, niſi forte in exſequiis defunctorum ullas adhibeant: nam in Regulis ſuis funerandis, ſympoſia celebrant, & ad ex-

ad extremam ebrietatem hauriunt, liquorem quem vocant *Parnouw*, tribus aut quatuor diebus; certis quibuſdam fœminis interim mortuum plangentibus maximo ejulatu, non ſine quibuſdam ſuperſtitionibus, uti videtur.

Quemadmodum nullis Sacris operantur hi barbari, ita nullos quoque habent ſacerdotes: ſed tantum hariolos quoſdã & fatidicos, quos ipſi vocant *Peeaios*, qui miſeros miris faſtigiis ludunt; perſuadent enim ſe crebro cum dæmone ſermones ſerere, quem *Wattipam* nominant, & res geſtas in longinquis regionibus ab ipſo edoceri, nec non futuras præmoneri: agnoſcunt autem hunc ſpiritum malum eſſe; neque injuria, nam haud raro miſerum in modum ab ipſo flagellantur.

Obſervatum quoque à noſtratibus, aliquos barbaros, præſertim *Iaios*, pro numine venerari *Tamoucum*, ut vocant, quem in ſuperiore aëris regione degere, & inferiora hæc pro nutu gubernare profitentur, unde mane atque veſperi ipſum ſolent adorare: Sed hoc hiſce barbaris peculiare videtur.

Credunt utplurimum animarum immortalitatem, & vita functos, ſi bene vixerint ad cœlum ferri, quod ipſi vocant *Caupo:* ſi vero improbe, ad inferos ſive terræ viſcera detrudi, quæ nominant *Soy*. Itaque Regulis ſuis aut magnatibus decedentibus, mancipiorum ipſius unum, aut ſi nulla habeant, famulorum aliquem ſolent mactare, ne miniſterio in altera vita deſtituantur.

Natura ſunt timidi & valde ſuſpicaces, neque minus vindictæ cupidi, unde facile uti à noſtris accepi, ſibi ab hiſce *Peeiais* patiuntur perſuaderi, aliquo amicorum immature uti ipſis videtur defuncto, ipſi exitium ab hoc aut illo maturatum, unde gravia odia & non raro cædes & alia mala inter ipſos oriuntur.

Cap. XII.

De barbarorum horum idiomate, præſertim Yaiorum.

Y*Aiorum* gens uti latiſſime patet, ita & idioma ipſorum maxime commune eſt in illis partibus; itaque hujus potiſſimum ſpecimen dabimus; & aliorum puta *Arwaccarum* & *Shebaiorum* aliquot vocabula adjungemus ut differentia aliquo modo percipiatur.

Pater Yais dicitur	*Pape* Arwaccis	*Pilplii* Shebayis	*Heja*
Mater	*Immer*	*Saeckee*	*Hamma*
Caput	*Boppe*	*Waſsijehe*	*Wackewyrrij*
Auris	*Pannaëe*	*Wadycke*	*VVackenoely*
Oculus	*Voere*	*Wackosije*	*Noeyerii*
Naſus	*Hoenaly*	*Waſſyerii*	*VVaſſibaly*
Os	*Hopataly*	*Dalerocke*	*Darrymaily*
Dentes	*Hoieelii*	*Darii*	*VVadacoely*
Crura	*Pollelii*	*Dadane*	*VVatabaye*
Pedes	*Poepe*	*Dackoſye*	*VVackehyrry*
Arbor	*Wewe*	*Hada*	*Ataly*
Arcus	*Hoerappe*	*Semarape*	*Hoerapallii*
Sagittæ	*Mappoeroe*	*Symare*	*Hewerry*

Omnes hi barbari tempora diſtinguunt Lunis; Jaioi autem vocant Lunam *Nonna* vel *Noene:* Arwaccæ autem *Cattehee*; Shebaioi *Kyrtryrre*. Solem itidem vocant Jaioi *VVeyo*; Ar: *Adaly:* She: *VVecoelije*, cujus nomine Jayoi etiam diem denotant.

Licet autem numeros fere digitis indicent, & quum decem volunt dicere utriuſque manus digitos erigant, & quum viginti eoſdem cum pedum digitis conjungant; tamen & vocabula propria numerorum habent Jaioi (nam de cæteris mihi non conſtat:) ut 1 *Tewyn:* 2 *Tage:* 3 *Terrewaw:* 4 *Tagyne:* 5 *Mepatoen:* 6 *Tewyne Ieclyckene:* 7 *Tage Ieclyckene:* 8 *Terrewan Ieclyckene:* 9 *Tagyne Ieclyckene:* 10 *Iemerale mepatoen:* Deinceps prioribus quatuor numeris ſubjiciunt *abopene*; ut 11 *Tewyne abopene:* & ita porro: 15 autem *Habopboppene:* 20 *Pemoene.*

Quæ

Quæ ſequuntur vocabula è *Iaiorum* lingua à noſtratibus ſunt obſervata.

Guttur	*Ieene*	Cœlum	*Capou*	Aper	*Pingo*
Collum	*Boppomery*	Stella	*Chirika*	Tigris	*Aroua*
Humerus	*Hoomotaly*	Aër & ventus	*Pepeïte*	Canis	*Pero*
Cor	*Hoppelabolle*	Pluvia	*Kenape*	Cuniculus	*Acouri*
Venter	*Holopotaly*	Tonitru	*Tonimerou*	Anſer	*Rapone*
Pectus	*Pyelapo*	Terra	*Soye*	Ardea	*Ouakare*
Ubera	*Mannatii*	Mare	*Parona*	Pſittacus	*Courga*
Brachium	*Iapelly*	Ignis	*Ouapoto*	Cancer	*Coiia*
Genua	*Goenaly*	Lapis	*Tapou*	Securis	*Oüoe*
Frater	*Huoroye*	Aurum	*Carecoury*	Culter	*Rapou*
Soror	*Waryee*	Arbor	*Veüe*	Ligo	*Maſſeta*
Filia	*Comi*	Cervus	*Ouſſari*	Remus	*Aguebute*

Verborum quædam à noſtratibus ex eorundem lingua obſervata.

Edere	*Ouaouinne*	Bibere	*Euenike*	Dormire	*Vniguenè*
Venire	*Taſe*	Plorare	*Ouamonu*	Cædere	*Pogue*

Plurima autem verbo componunt è nominibus adjecto ſub finem nominis *Eri*, ut *Amaka-Eri* facere *Amakam* aut lectum penſilem, & ſimilia.

Ita	*Iä* & *Iaſay*	Bonus	*Coure*	Grandis	*Nomone*
Non	*Ouati*	Malus	*Icone*	Parvus	*Enchiqüe*
Candidus	*Topouroume*	Niger	*Topiouroume*		

Atque hæc tam nomina quam verba à noſtratibus inveni obſervata ex *Iayorum* idiomate.

Cap. XIII.

De annona barbarorum, animalibus, piſcibus & Plantis.

ABUNDANT hæ regiones variis rebus ad victum neceſſariis; Pro farre utplurimum uſurpant *Caſſaven*, quæ fit è certis radicibus, quas jam ante deſcripſimus; quas ſupra lapidem ad id comparatum comminuunt, & exprimunt liquorem, qui crudus noxius eſt & venenoſus, verum coctus cum pipere Braſiliano, ſive Axi perutilis & palato gratus: farinam autem cogunt in panes ſive liba, & torrent ſuper lapidem: panes hi pergrato ſunt ſapore, & pene inſtar eorum qui fiunt ex hordeo, ſed meliores. Componunt itidem è Caſſavi varias potiones; quarum aliam vocant *Paſſiauw*, quæ quinque diebus ſervari poteſt; aliam *Parranouw*, quæ decem: quæ & generoſa eſt & variis modis ab ipſis miſcetur; optime autem à *Iayis* & *Arwaccis*, quæ duæ nationes mundiciam maxime amant. Habent & Mayzium, de quo ſupra ſatis multa jam diximus.

Abundant præterea melle, quod licet ſylveſtre ſit & è concavis arborum truncis & cavernis ſubterraneis eruatur, tamen longe optimum eſt, ita ut optima aqua mulſa ex illo fiat. Vites quidem hic minimè reperiuntur, licet haud fruſtra judicent, earum haud impatiens eſſe ſolum, & ſi hic plantarentur, cœlum procul dubio uvas maturaturum, ita ut præſtans vinum exprimi poſſet, quo hæc clymata imprimis opus habent.

Plurimæ reperiuntur hic feræ, venationi peropportunæ: nimirum cervi; apri duorum generum, qui tamen fere mole diſtinguuntur; majores vocant *Pingo* vel *Panigo*, Europæis haudquaquam inferiores: minores *Pockiero*, qui umbelicum in dorſo obtinent. Infinitus numerus leporum & cuniculorum, qui à noſtratibus diverſi eſſe dicuntur. Et vaccæ ſylveſtres quas vocant *Maypouri* vel *Maipuries*, (de quibus ſupra diximus) carne inſtar bovillæ, & quæ ad eundem modum muria condiri ſe patitur. Aliud animal quod vocant *Baremo*, carne inſtar ovillæ: variæ damarum ſpecies & ab Europæis nonnihil diverſæ; etiam aprorum quædam ſpecies, quæ lardo caret, & ipſis dicitur *Abihera*: & animantia illa quæ à pigritia nomen meruerunt, quia tardiſſime progrediuntur aut ad faſtigia arborum ſubrepunt, ipſis *Waricarii*: infiniti Simii & Cercopitheci: & plures majorum atq; minorum quadrupedum ſpecies, quæ paſſim in

hac America Meridionali reperiuntur; etiam feroces & hominibus infeſtæ animantes, tigres, leones, pardi, lynces.

Avium quoque magna hic copia atque varietas, nam præter anſeres atque anates quas hi barbari vocant *Raponne*; ardeaſque quas vocant *Ovakare*; grues, ciconias, phaſianas aves, perdices, columbas, merulas, ficedulas ſive ſcolopaces, pſittacos variorum generum & cornices elegantibus plumis; aliaſque: reperiuntur hic quoque fere omnes illæ volucres, quas in Braſilia utraque deſcripſimus: aviculam autem illam Covaka. monſtroſo & grandi roſtro vocant *Covakan:* pſittacos *Courga*. Nec deſunt hic plures aves quæ raptu vivunt, præſertim falcones variorum generum.

Piſcium quoq; maxima hic eſt varietas, tam marinorum quam fluviatilium; & quidem præter eos qui noſtro quoq; mari familiares ſunt; piſcem habent Salmoni noſtrati non abſimilem, præterquam quod carnes illius ſunt crocei coloris, uti noſtratium rubri. c. 14. Itemque quem ſuperiori libro deſcripſimus ſub nomine *Araovaova*, quem hi barbari vocant *Chipari*. Adhæc ſpeciem *Rayæ* ſive paſtinacæ, cujus cauda oſſe ſemipedem longo armata eſt acutis denticulis utrimque aſpera, quorum punctura imprimis Pakame. noxia eſt; barbari hi vocant *Pakamen*; nos eundem ſupra deſcripſimus ſub nomine Cavimo. *Taveboayre*. Quibus noſtrates addunt *Cavimo* piſcem Aſello majori mole pene parem, ſine ſquamis, verum armatum ſex acutiſſimis ſpinis, valde venenatis; in cerebro illius lapidem reperiri tradunt, admirabile remedium contra arenas & lapillos renum. Et Accare. *Accaren* crocodilis haud abſimilem, ſed magis gracilem, longioremque & roſtro breviori atque obtuſiore, victitat piſcibus, egreditur tamen nonnunquam in terram: cibis idoneus, ſed captu perdifficilis, licet grato odore, quem fundit, ſe prodat: minor Ovvanna. ejuſdem ſpecies appellatur à barbaris *Owanna*. *Aymaren* item inſtar grandis aloſę, qui in fluviis tantum capitur. Quos autem alibi vocant *Manatos*, hi barbari vocant *Cojumero*.

Caſſoorvva. *Harcourtius* addit hiſce *Caſſoorwan* rarum piſciculum, paulo majorem *Apua* cobite vel ſpiringo, ſed multo meliorem: hic in ſingulis oculis duas habet acies, ita ut inter natandum alteram infra aquam, alteram ſupra teneat: dorſum habet planum cum ſpina, & coſtis rotundis, pene ad humanum modum. Denique fluviatiles piſces tam multi, & tam præſtantes hic reperiuntur, (licet à noſtratibus multum diverſi) ut vix ulla regio in terris magis illis abundare poſſit. Teſtaceorum piſcium hic quoque infinitus eſt numerus, maxime oſtreorum.

Arbores fructiferæ, variæque plantæ & herbæ hic naſcuntur paſſim, quas jam ſupra deſcripſimus; Pinnæ, Platani, Meſpyli, quarum fructus noſtrates mole ſuperant: pruni diverſorum generum, ſed fructus minus commendantur, quia crebrius comeſti lyentieriam provocant, quæ in hiſce partibus admodum periculoſa eſt: Nuces variorum generum, & peregrinæ quoque formæ.

Licet autem tot fructibus abundet regio, tamen, (quemadmodum à noſtris accepi) communiter veſcuntur barbari, certis radicibus, quæ oblongis rapis valde ſunt ſimiles, ipſi vocant *Napi* & cancris ſive aſtacis, quorum magna copia in riguis campis atque ad oram maris reperitur, quos barbari ſuo idiomate vocant *Coa*.

CAP. XIV.

De aliis quibuſdam plantis, reſinis, & lignis, quæ commerciis apta ſunt, & ſingularem habent uſum in Medicina.

INTER præſtantiſſimas plantas, quæ ſponte hic naſcuntur, merito primum locum ſibi flagitant cannæ ſacchari, è quarum cultura ingens quæſtus poſſet fieri, ſi hic machinæ ad cannas molendas comparatæ excitarentur, quemadmodum à Portugallis in Braſilia videmus factum, ad quas quidem initio magnis expenſis opus eſt, quæ deinceps maximo quæſtu refunduntur.

Proximum locum merentur arbuſculæ quæ goſſypium ferunt, quæ & frequentiſſimæ hic ſunt, & facile admodum coluntur & propagantur, & intra annum ex quo ſatæ ſunt uberes fructus reddunt. Barbari autem noverunt illud in fila ducere & ex illis lectulos ſuos penſiles contexere, magni in hiſce partibus uſus.

Naſcitur hic quoque infinita pene copia cannabis ſive lini quædam ſpecies, admodum

dum elegans & tenuis, ita ut byſſum æmuletur; è cujus filis varii panni texi poſſunt, uti experientia eſt comprobatum.

Præterea varii hic naſcuntur fructus, qui tincturas edunt ſupra modum elegantes, quarum uſum & barbari noverunt; qualis eſt *Annoto*, quam alii vocant *Orellanam*, quâ lanæ & præſertim byſſus, colore inficiuntur aurantio. Habent & alium acinum, qui cyaneum colorem edit. Necnon gummi quoddam, quod à certa arbore funditur, quod pannos eleganti & pertinaci colore flavo tingit. Atque frondes cujuſdam arboris, quæ bene præparatæ, colorem obſcure rubentem fundunt.

Præterea lignum quod elegantem colorem purpureum edit; ut & alterum quod croceum: tertium denique cujus liquor excoctus, fervens quidem purpureo tingit colore, frigidus autem coccineo. Nec dubium eſt diligenti inquiſitione & alia ejuſcemodi ligna hic poſſe reperiri, quæ magno uſui ſint futura.

Gummi & reſinæ bene olentes & magni in medicina uſus hic reperiuntur plures; inter quas celebrantur ab *Harcourtio Colliman* ſive *Carriman*, & *Baratta*.

Colliman.

Colliman, ut inquit ille, reſina eſt nigricans & reſplendens, inſtar picis duræ, quæ prunis impoſita gratiſſimum fundit odorem; *Waltherus Caryus Buckingamius*, vir exacti de ſimplicibus quæ in medicina uſurpantur judicii, teſtatur fumum hujus ter quaterve quotidie naribus hauſtum egregiè mederi gravedini capitis, & cerebro humido frigidoque plurimum prodeſſe, & rheumata ſiſtere: adhæc efficaciſſimum eſſe remedium adverſus paralyſin, cujus capitis gravedo & ſomnolentia prognoſticon ſolet judicari. Medetur quoque doloribus, quos fœminæ quæ crebro pepererunt, patiuntur juxta lumbos, & inferiore dorſi parte, ſi liquefactum illinatur pelliculæ, & calidum applicetur parti affectæ, inſtar cerati. Creditur & neruos corroborare; & levamen adferre illis qui artrithidis doloribus torquentur; denique & recentia vulnera egregie conſolidare.

Baratta.

Baratta itidem prunis impoſita egregium fundit odorem; eſtque balſamum præſtantiſſimum, & adverſus recentia vulnera imprimis efficax, uti experientia à multis eſt comprobatum. Reperiuntur & plures hic reſinæ, quæ gratum odorem fundunt; & præſertim una quæ odorem ſpargit inſtar *Majoranæ* nobilis.

Naſcitur hic paſſim præſertim juxta littora, arbuſcula ſive frutex, cujus jam ante aliquoties meminimus, ferens fructum (ut inquit *Harcourtius*) inſtar viridis pomi; & quidem minuti, pollens ſomnifera qualitate, ita vehementi, ut vel particula quævis exigua imprudenter uſurpata lethalem ſomnum inducat; & vel una gutta illius liquoris hauſta tam valide dejiciat alvum, ut obſervatum ſit ſexaginta ſedes non ſine extremo diſcrimine operatam: Putatur tamen, ſi maligna illius qualitas à medicis corrigatur, caute in medicina poſſe uſurpari.

Acinus qui barbaris dicitur *Kellete* utiliter adhibetur contra dyſenteriam. Succus autem herbæ quam vocant *Vppee*, adverſus vulnera à venenatis ſagittis inflicta. Denique ſuccus foliorum quæ *Icari* nominantur adverſus dolores capitis. Pluraque ſimplicia, quæ peropportune ad medicinæ & Chirurgiæ uſum poſſent traduci.

Naſcitur præterea hic arbor, quam barbari maximi faciunt, & plerumque juxta domicilia ſua colunt, ob inſignem in piſcatione uſum: ſolent enim in receſſibus & elycibus, poſtquam æſtus maris implevit, & copiam piſcium adduxit, è cymbis ſuis, ramulos hujus arboris, prius nonnihil fractos, manibus terere inter undas, ita ut ſuccus corticis ſe diffundat; piſces autem illo ſucco ita ſoporantur, ut ſtatim ſupernatent; & manibus capiantur.

Huic accedit arbor quæ materiem fert quantivis pretii, barbari vocant *Pira Timinere*, noſtrates vulgo *Letter-hout*; eſt enim valde ſolidum, durum & grave, colore roſſo elegantibus notis ſubnigris grata varietate diſtinctum, & inſignis ad fabrilia opera uſus: Arbor eſt procera & recta, glabro cortice, frondes tantummodo ferens in faſtigio trunci, quæ ad pyri folia quam proxime accedunt.

Gemmarum quoque copiam plurimis locis repetiri volunt, ut Iaſpidis, Porphyrii, & illius quam ſummopere commendant adverſus Nephritidem. Nec metallorum etiam præſtantiorum effæta creditur tellus, licet hactenus nullæ auri aut argenti venæ hic apertæ fuerint; quamvis ſtudioſe à multis quæſitæ.

MARWIN.

Cap. XV.

Aliorum fluviorum qui ex eadem ora in Oceanum exeunt & imprimis Marwinis, *deſcriptio.*

Macuria. REVERTIMUR jam ad Continentis deſcriptionem. Poſt *Cajanam* de qua jam diximus, ſequitur ad eandem oram, tenuis amnis *Meccooria*, vel ut alii vocant *Macuria*, de quo nihil ſingulare accepimus, eſt enim parvi momenti. Et

Cavvroora. poſt hanc *Courwo*, ut *Harcourtius* vocat, aut *Cawroora* ut noſtrates, octo milliaribus à *Cajana* verſus occidentem, ut à quibuſdam noſtrorum invenio obſervatum: anguſto quidem oſtio ſed ſatis alto, ita ut portum haud inidoneum aperiat: objacent autem illius oſtio tres inſulæ: Solum ad ripas fluminis limoſum eſt, producens maximam copiam cannarum, quæ Sacchari quidem cannis videntur ſimiles, verumtamen ita ſunt venenoſæ, ut linguam ſupra modum inflent, & loquendi facultatem impediant, quare monendi ſunt hic forte appellentes, ut ſibi ab illis caveant.

Manmanurii. Sequitur deinceps fluvius *Manmanurii* novem milliaribus à *Cajana* verſus Corum; ab hujus oſtio verſus Arctum tres illas inſulas Continenti objacere tradunt noſtrates:

Synnamari. qui & ab hoc ad tenuem amnem *Icarowary* duo numerant milliaria; & porro ad *Synnamaryn* quinq; aut ſex: à quo ad *Amonam* vel *Amanam* deſignant quindecim milliaria.

Harcourtius nominat poſt *Cawroram*, *Manmanuryn*, *Sinnamaram*, *Oorassowinin*, *Coonannoniam*, *Vracco* & *Amannam*: *Laurentius* autem *Keymis*; *Cunanammam*, *Vracco*, *Mawarin*, & *Mawarparo*: alii adhuc alia nomina prodiderunt, quæ hic prætermittimus.

Marvvyn. Ab *Amana* ad *Marwynen* numerant noſtrates duo milliaria: qui fluvius diſtat ab Æquatore quinque gradibus & quinque ſupra quadraginta ſcrupulis verſus Arctum: Inſignis fluvius, & ſupra milliare germanicum in oſtio latus, & ſatis altus; verum obverſantur quædam vada, quibus ſuperatis intra oſtium & præſertim ad latus ſubeuntibus ſiniſtrum ſeptem & octo orgyarum altitudo deprehenditur; quæ pertendit uſq; ad tres parvas inſulas, ſupra enim has jam minus atque minus altus deprehenditur: Hæ inſulæ appellantur à barbaris *Curewapory*, non coluntur tamen, quia quum pluviis menſibus fluvius intumeſcit, inundari ſolent: Deſcendunt in hunc ab utraque plaga minores aliquot amnes & imprimis duobus milliaribus ſupra oſtium tenuis amnis *Cuſſewini*.

Narrat *Harcourtius* ſe hunc fluvium aſcendiſſe anno cIↄIↄcviii, & ſuperatis illis inſulis adiiſſe pagum *Moyemon* ad ſiniſtram ripam ſitum, & à Paragotis habitatum, quorum regulus vocabatur *Maperitaka* vir bonus & advenis fidus, poſtero die aſcendiſſe pagum *Crewynay* ad dextram ripam ſitum, & à *Caribibus* habitatum, quorum regulus dicebatur *Minapa*, & duabus cymbis unilignеis ab ipſo acceptis provectum ſecus plures utrimque pagos uſque ad viginti leucas ab oſtio, offendiſſe plures rupes, de quibus undæ cum magna violentia ruebant, ita ut cum ſumma difficultate porro aſcenderent, & quo altius proveherentur, eo plures Cataractas inveniſſe; ſuperato autem primo monte quem barbari vocant *Sapporouw*, è longinquo proſpexiſſe longe editiores montes quos barbari appellabant *Matawere Moupanana*, & quum jam ſex dierum itinere & circiter quadraginta leucas ab oſtio aſcendiſſent, tot rupes & tantos Cataractas offendiſſe, ut altius ſubire neutiquam valerent. Teſtatur autem ſe hic vidiſſe plantam illam, cujus alibi meminimus, quæ roſarum plantis haud diſſimilis, ſentiendi facultate videtur prædita; nam ſi folium vel leviter digito contingas ſtatim ſe contrahit, & ſi forcipe amputes, tota planta veluti marceſcere videtur, & vix poſt dimidiam horam rurſus folia ſua explicat.

Idem narrat cognatum ſuum *Fisherum* cum aliquot comitibus & barbaro *Maperitaka*, aquis fluvii auctis, novem dierum itinere eundem aſcendiſſe, & circiter centum leucis ab oſtio adiiſſe pagum *Taupuramunen* à Caribibus habitatum: à quo ad *Moreshego* alterum pagum ab eadem gente habitatum quatridui iter eſt: atque ibidem accepit à barbaris ſex dierum itinere ſupra *Moreshego*, plures barbaros incolere, longe majore ſtatura & robore quam cæteri barbari, qui auriculas, nares & inferius labium perfo-

perforant, & validis atque ingentibus utuntur arcubus: hic autem ab dextra lævaque plures amnes in *Marwynen* confluere, *Arrenneen, Toppanawin, Errewin, Cowommam, Pooraketten, Arrovam, Arretowenen, Waounen, Anapen, Aunimen* & *Carapion.* Denique à *Taupuramune* ad fontes fluminis *Marwyni* viginti dierum iter ſupereſſe.

Accepi autem à noſtratibus qui ſuperioribus annis fluvium hunc luſtrarunt, quinque nationes barbarorum ripas illius accolere: nimirum paulum ſupra oſtium *Percottas, Arwaccas* & *Shebaios:* & ſupra hos *Caribes*, populoſam nationem, ferocem & cui parum eſt fidendum; mares ſunt procero & obeſo corpore, capillis in orbem detonſis, inſtar coronæ ſacerdotalis, & cutem rubro colore tincti, velant pudenda panniculo quodam unum palmum lato & duos longo, cætera nudi: fœminæ autem puſillo ſunt corpore, ſubligant capillos faſciis quibuſdam, prorſus nudæ: communis illorum victus eſt caſſavi, & piper Braſilianum & cancri: potus è caſſavi maſticato valde ſpiſſus, quem vocant *Wocke*; parent regulis, quos è fortiſſimis eligunt, vocantque *Puve*, id eſt Patres: denique ſupra hos degunt *Iayoi*, quorum mores à *Caribibus* haud multum diverſi ſunt, niſi quod humaniores ſint & tuto ipſis fidi poſſit; his conjuncti ſunt *Sappayoi*, eiſdem moribus ſed lingua diverſa. *Arwaccæ* quoque & *Parcottæ*, utplurimum conjunctim habitant: quorum illi ebrietati ſupra modum ſunt dediti, cætera natio haud mala; tam mares quam fæminæ degunt prorſus nudi: Fæminæ autem facillime enituntur fætus ſuos: ſi autem interdum accidat difficilius parturire, infantem utplurimum necant patres; quemadmodum &, ſi claudus aut aliquo membro mutilus ipſis naſcatur; aut ſi uxor fæmellam pariat quum vir marem unice cupivit: denique ſi fæmina geminos pariat, quod tamen rariſſime hic fit, etiam ipſa periclitatur ne à conjuge cædatur, ea eſt barbaries harum nationum.

Amanæ fluvii accolæ omnes ſunt *Caribes*, uti à noſtratibus accepi.

Solum juxta oſtium *Marwinis* eſt humile, & tellus rubicunda, haud admodum fœcunda: ſex aut ſeptem milliaribus intra oſtium attollit ſe ſolum in modicos colles, itidem rubra tellure & haud ſatis feraci: plures hic reperiuntur Sacchari cannæ, ſed incultæ; plurimæ arbores quæ goſſypium ferunt, ſed ea eſt gentis ſegnities, ut illud negligant colligere. Naſcitur denique optimum lignum, quod à noſtratibus *Letterhout* diximus appellari. Pluvii menſes hic initium ſumunt à Calendis Decembribus, menſibus autem Januario, Februario & Martio pene continuo hic pluit; atque hac potiſſimum tempeſtate lignum hoc deducendum eſt, quod viliſſimo pretio à barbaris comparatur, puta nonaginta & interdum ſupra centum libræ pro una ſecuri; pro cultello autem viginti & interdum triginta.

Cap. XVI.

Aliorum aliquot fluviorum qui ex Continente egrediuntur deſcriptio, videlicet Sarnames, Sorames, Corretines, Berbices, Demararis.

Post *Marwinen* ſequitur ad eandem oram, octodecim milliarium (uti à noſtris invenio obſervatum) intervallo, fluvius *Sarname*, vel ut alii vocant *Sewrano:* Sarname
diſtat ab Æquatore ſex gradibus verſus Arctum, inſignis fluvius, oſtio ſatis anguſto ſed admodum alto; circiter tribus milliaribus intra oſtium, deſcendit in illum ab Euro alius amnis qui à barbaris appellatur *Ikouteca*, à cujus confluente, fluvius principalis tortuoſo alveo porro aſcendit uſque ad pagum *Noyeben*, cujus incolæ ſunt *Caribes* & *Sapaioi*, diſtat autem ab oſtio fluvii circiter duodecim leucas. Studioſe autem cavendum eſt ab hiſce populis, ſunt enim infidi & crudeles, multorum Chriſtianorum cædibus infames. Hic quoque magna copia illius ligni reperitur, de quo ſupra, ſed minus laudati.

Icotecam autem ſubeuntibus viginti aut viginti quinque leucas, ad tenuem rivum quem barbari vocant *Corewinnen*, ejuſmodi lignum multo laudatius reperitur; verum provide cavendum à barbaris, qui & Caribes ſunt & noſtratibus ſupra modum infeſti: odium hoc meruiſſe noſtros memorant ſuperioribus annis, impudicitia ſua & libidine, qua factum fuerit, ut plures barbarorum conjuges adulterio polluerent, quod barbari ægerrime patiuntur.

A *Sarname* ad *Soramem* numerant noſtri duodecim milliaria; hic fluvius circiter Sorame.

 dimi-

dimidiam leucam in oſtio eſt latus, ſed quia vadum objacet, à navibus adiri nequit; accolæ ſunt *Caribes*, qui ligno illo abundant, atque goſſypio.

Coretine. A *Sorame* ad *Coretinen* ſunt duodecim aut tredecim milliaria: hic fluvius tantum eſt modicus, lato quidem ore, ſed minus profundo, cui parva inſula injacet; diſtat ab Æquatore ſex gradibus verſus Arctum; ejus accolæ ſunt *Caribes*. *Thomas Mashamus* Anglus, qui ſtudioſe illum luſtravit, comparat cum *Marwine*; ſcribit ab oſtio illius ad primum cataractem circiter quinquaginta eſſe milliaria, confluereque in illum *Manonem*, *Tapueron* & *Tabuebâin* amnes: ripiſque illius adjacere ſex barbarorum pagos, *Warrawallen*, *Mawranamen*, *Maapueren*, *Maccharibin*, *Yohoron* & *Vaperon*.

Berbice. Sequitur deinceps decem leucarum intervallo *Berbice*, aliis *Berbiu*, mediocris amnis, diſtans ab Æquatore ſex gradibus & triginta ſcrupulis verſus Arctum: oſtium illius circiter quartam leucæ partem eſt latum, & circiter duas orgyas & nonnuſquam tredecim palmos altum, interius aliquanto altius, ſed majoribus navigiis minime opportunum. Hic amnis quinquaginta aut ſexaginta milliaribus ab oſtio intra Continentem deſcendit à Cataracte, præcipitatque ſe magno murmure in ſubjectas rupes: dilabitur autem tortuoſo alveo; intra oſtium ad utramque ripam, humile habet ſolum & denſo nemore obſitum, ubi viginti aut viginti quinque milliaria aſcenderis, aliquanto altius eſt, ſed arenoſum & effœtum, ſternens ſe in patentes campos, quos vulgo vocant *Sabanas*, arboribus nutriendis ineptos, & nec ſatis idoneos, quare barbari plurimum laborant ut ſolum inveniant *Caſſaves* radicibus conſerendis aptum: Barbari autem qui hic degunt ſunt *Arwaccæ*, haud inhumana natio & advenis fida: plures quidem hic reperiuntur feræ, cervi, apri utriuſque generis, verum difficulter capiuntur, quia ſe in ſylvis & paludoſis locis occultant; & barbari quibus continuum bellum eſt cum Caribibus qui Coretinen accolunt, vix audet ſylvas illas ingredi, ne ab hoſtibus ex inſidiis capiantur aut trucidentur. Solum hic tantum producit arbuſculas quæ goſſypium ferunt, atque etiam quæ tincturam illam quam vocant *Orellanam*; reliquæ arbores fere ſunt ſylveſtres & nullius pretii. Noſtrates jam ab aliquot annis hic egerunt inter barbaros, & coloniam huc deduxerunt: Præter Niguas, quibus infeſtantur, aliud hic incommodum patiuntur vulgo, pruriginem ad talos & pedes ita ut ferri vix poſſit, & ſi vel tantillum ſcabas, magnum diſcrimen incurritur & non raro aliquot menſibus claudicant.

Demarari. A *Berbice* ad *Demararin* numerant noſtrates undecim milliaria verſus Corum; diſtat hic fluvius ab Æquatore ſeptem gradibus: oſtio ſatis eſt alto, ita ut majoribus navigiis adiri poſſit; ſed barbari procul ab oſtio degunt intra continentem, & perdifficile eſt commercia cum illis exercere.

ESSEQUEBE.

CAP. XVII.

Eſſequebes *fluvii & aliquot vicinorum deſcriptio.*

POST Demararin ſequitur ad eandem oram, quatuor milliarium intervallo, *Eſſequebe* vel *Deſſekebe*, nobiliſſimus fluvius, & latiſſimo quidem oſtio, ſed tot vadis impedito, ut hic provido & perito gubernatore opus ſit; injacent prætera vaſto illius æſtuario tres oblongæ & ſatis grandes inſulæ, quæ fluvium hic in totidem canales dividunt: Solent autem utplurimum orientalem alveum ſubire; ſuperius jacent adhuc plures inſulæ, ſed minores.

Laurentius Keymis narrat à barbaris ſe accepiſſe, viginti dierum itinere ab oſtio, fluvium hunc oriri; & tantum unius diei itinere inde abeſſe magnum & famoſum lacum, quem *Iayoi* quidem *Roponowinin*, Caribes *Parimen* appellent; vaſtum inſtar maris; ad cujus ripas *Manoam* urbem conditam volunt; quam multi Hiſpani atque Angli jam diu fruſtra inveſtigarunt. Quemadmodum à quodam noſtrorum accepi, ſupra primum hujus fluvii cataracten, (habet enim plures, ita ut ad fontes uſque neutiquam aſcendi poſſit) inveniunt barbari cryſtallum valde durum & pellucidum.

Ad ripas fluvii habitant primo *Arwaccæ*, (humanioribus moribus, & Hiſpanis infenſi,) in variis pagis, & in ſingulis domiciliis, quatuor quinqueve familiȩ, ſedulam dant operam arboribus illis colendis, è quarum fructibus tinctura illa fit, cujus jam ſæpius memini,

memini, quam hinc imprimis laudatam noſtrates ſolent petere. Viri ſupra modum ebrietati ſunt addicti; utrique autem tam mares quam fœminæ prorſus nudi agunt; præterquam quod mares pudenda exiguo panniculo obvelant, magis ornatus quam honeſtatis cauſa, mares quidem capillos in orbem detondent, fœminæ autem promittunt: quæ & hoc peculiare habent à juventute, crura infra genua & ſupra talos tam arcte faſciis, quas induſtrie norunt circumtexere, ita conſtringere, ut ſuræ illarum in ſummam craſſitiem excreſcant, quod valde formoſum & decorum putant: dæmonem tantummodo venerantur, non quod malum eſſe ignorent, ſed ne illis malum duat.

Supra hos incolunt alii barbari, quos vocant *VVaccewayos*; qui ab *Arwaccis* tantum idiomate differunt; juge bellum gerunt cum *Caribibus*; abhorrent quoque à Chriſtianis; in ipſorum provinciis reperitur eadem illa tinctura; ad hæc maxima ligni illius ut ita dicam litterati copia.

Caribes denique degunt ſupra Cataractas & pene ad fluvii fontes, ita ut difficulter ad ipſos penetrari poſſit, niſi aliorum barbarorum ope; degunt in pagis, ſingulæ familiæ in ſingulis ædibus, in medio autem pagi habent domicilium paulo majus, ſed undique apertum, in quo hoſpites ſuos accipiunt, peregrino quodam modo: nam advenientem introducunt reguli, nec tamen alloquuntur, porrigunt dein ipſi ſedile & tabaccum, atque ita aliquandiu relinquunt ſolum donec quieverit & abſolverit tabaccum haurire; tum demum accedit regulus; & quærit an venerit, & illo annuente, conſidet juxta & ſerit varios cum ipſo ſermones: accedunt deinceps alii è promiſcua turba, ad eundem modum quærentes, & inter ſe garrientes ad aliquot interdum horas. Hi barbari valde ſunt ſobrii, licet feris abundet regio; victus eorum communis eſt Caſſave, juſculum piperatum, terreſtres cancri, & interdum piſces: incedunt prorſus nudi: erga advenas valde inurbani & arrogantes: fœminæ in pectendis capillis admodum ſunt diligentes, id imprimis decorum arbitrantur, ducuntur autem ab uno plures, & non raro poſtquam diſplicuerunt, ab iis mancipio traduntur. Patiuntur quidvis à Pyais ſuis ſibi perſuaderi; & ubi quis defungitur, ſolent agnati illius quærere quare deceſſerit, ſi autem hariolus alicui infenſus reſpondeat, hujus aut illius cauſa, nunquam quieſcent agnati illi antequam deſignatum è medio ſuſtulerint. In ſepeliendis mortuis maximos edunt planctus; operiunt cadaver terrâ & ubi jam à putredine caro univerſa conſumta fuerit, oſſa exhumant, & feſto atque choreis celebratis recondunt oſſa denuo; & totum pagum abolent flammis, aliò commigrantes, ne & ipſi, ut ajunt, defungantur.

Solum ad ripas hujus fluvii paulum ſupra oſtium humile eſt & in plures inſulas diviſum; ſed ubi ſeptem aut octo leucas aſcenderis, altius eſſe incipit & maxima parte fœcundum. Superius autem diſpeſcit ſe fluvius in tres veluti ramos, qui à diverſis plagis deſcendunt, & fœcundiſſimum ſolum permeant. Plurimum hic & optimum reperitur lignum litteratum; ſed non ſine magno labore & impenſa devehi poteſt ad naves.

Sequuntur deinde ad eandem oram adhuc aliquot amnes *Caopici, Pawrooma* & *Moruga* (quem noſtrates vocant *Ammegoren*) cujus accolas, Hiſpani è *Margarita* & *Caraccis* advecti, anno cIɔ Iɔ XCVI ope *Arwaccarum* ex avitis ſedibus pepulerunt. Sed mox de his plura dicentur.

PARS TERTIA.

ORENOQUE.

CAP. XIX.

Deſcriptio fluminis Orenoques *in communi ſecundum ea quæ ab Hiſpanis ſunt prodita.*

PERVENIMUS jam ad nobiliſſimum flumen, quod pene omnes Europæi jam vulgo vocant *Orenoquen:* de quo Hiſpani juxta atque Angli, mirabilia prodiderunt; conſtanti jam diu fama, per iſtud iter patere ad auriferam *Guaianam*,

ſive

ſive *Dorado*; atque tantopere decantatam & anxie quæſitam civitatem *Manoam*: quæ ex vero nomen ſortita videtur; plures enim vana auri ſpe allecti, difficillima itinera ſuſceperunt, ut hanc civitatem & auream provinciam invenirent: potiſſimum autem per hoc flumen, quia credebant & Peruviæ propinquius eſſe, & ab *Orellana* enavigatum, unde & nomen illius non raro illi attribuunt. Vt autem commodius fluminis & regionum adjacentium ſitum explicemus, ab expeditionibus Hiſpanorum (uti & alibi fecimus) ordiemur, quas variis temporibus & diverſis occaſionibus inſtituerunt. Videtur quidem Chriſtophorus Columbus tertia ſua expeditione Anno cIↃ ccccxcviii haud procul ab oſtiis hujus fluminis abfuiſſe, nam quum Inſulam quam hodieque vocant *la Trinidad* inveniſſet & ſuperato Orientali illius promontorio, ingreſſus eſſet in fretum, quod illam à continenti dirimit, viſa eminus Paria, per anguſtias, quas vocant *la Boca del Drago*, ad *Margaritam* penetraſſet, flumen hoc præteriit: neque dubium eſt Americum Veſpucium, qui Anno cIↃ cccc xcix has oras uſque ad promontorium *de la Vela* luſtravit, idem fuiſſe prætervectum: & poſt illum Anno cIↃ IↃ *Pinzonum*; nullus tamen Hiſpanorum hoc flumen adiit aut luſtravit ante *Didacum de Ordas*, qui demum Anno cIↃ IↃ xxxi ab Imperatore & Hiſpaniarum Rege Carolo, ampliſſimum impetravit diploma, quo ipſi ſoli permittebatur continentem Americæ Meridionalis, à Promontorio *de la Vela*, ducentis leucis verſus ortum, luſtrare, colonias deducere, & provincias illas Præfectura complecti. Is itaque rebus omnibus neceſſariis mature paratis, & quadringentis militibus cum idoneo belli apparatu & annona in naves impoſitis; continentem adnavigavit haud longe à *Marannon*, ibidemque haud opinantes in cymba unilignea intercepit quatuor barbaros, penes quos invenit duas gemmas inſtar Smaragdorum, quarum una pugni molem ſuperabat: quas magna copia intra fluvium profitebantur reperiri; ad hæc circiter xl leucis intra continentem ad fluminis ripas jacere editum montem, infinitis arboribus conſitum quæ thus ferrent: Quibus permotus ille unice deſiderabat dictum flumen luſtrare: verum à vadis propius accedere prohibitus & una navium cum exitio multorum ad ſcopulos fracta, atque à valido undarum lapſu verſus occaſum, præter oſtium illius raptus, oras illius continentis porro ſtrinxit uſque ad *Pariam*. Hic appellens deprehendit, præfectum Inſulæ Trinitatis Antonium Sedennum hic jam arcem ſtruxiſſe in provincia Reguli *Yuripari*, & idoneo præſidio cuſtodiendam dediſſe Legato ſuo *Ioanni Gonzales*: nihilo tamen ſecius hic exſcendens & arcem cepit & ſuis militibus attribuit; illique præfecit *Martinum Ioannes Tafur*; cauſatus Sedennum & limites præfecturæ egreſſum, & contra edictum Hiſpaniarum Regis indigenas illius regionis mancipio cepiſſe & alio abduxiſſe in miſeram ſervitutem. Poſt illa flumen luſtrare aggreſſus, maximam annonæ inopiam eſt paſſus, donec ventum fuit ad municipium Reguli *Viapari*, de cujus nomine, ut plurimum hoc flumen, ſuperiori ſeculo, agnominabatur. Hîc peramice à Regulo acceptus, locum hibernis cepit, multum refragantibus illius militibus, qui ulterius procedere maluiſſent, & magis intra continentem oppidum moliri. Hibernis autem exactis, flumen aſcendere cœpit, verum principali ipſius navi ad rupem quandam fracta, ducentos pedites & quadraginta equites expoſuit in terram; & deinceps terreſtri itinere proceſſit ſecus ripam fluminis; plurimis diebus nulli mortales ipſis viſi præter paucos barbaros qui piſcibus victitabant, cæterum rudes & omnium rerum inopes, è natione *Caribum*: non enim audebat longe à ripa diſcedere propter ſuorum paucitatem. Ad hunc modum quinquaginta dies progreſſus cum ſummo labore & commeatuum inopia offendit alterum flumen, quod in hoc confluebat: licet autem barbarus è natione *Aruacca*, qui hactenus illi iter monſtraverat, ſuaderet relicto majori alveo, alterum hoc flumen aſcendere, futurum ſpondens, ut poſt aliquot dierum iter opulentas gentes & veſtibus utentes reperiret; nequaquam aſſenſit, ſed majorem alveum eſt ſecutus, donec ad Cataractas ventum fuit, de quibus undæ magno impetu ſe præcipitabant in ſubjectas rupes, ita ut naves ulterius aſcendere neutiquam poſſent: Quare voti irritus iter flexit, & paucis diebus ad ſuos remeavit. Propoſuit deinde ad fretum quod vocant *Cariaco* navigare, & ibidem oppido condendo locum capere: verum ab adverſa tempeſtate ad Cubaguam rejectus, hic à militibus ſuis fuit diſertus; quare animo æger Hiſpaniolam petiit, atq; inde Hiſpanias, & paulo poſt deceſſit, in Hiſpania, an vero in ipſo itinere, incertum eſt. Atque ad hunc modum

Her. d. l.10.c.10.

d.5.l.1. c.11.

dum habuit ſe prima Hiſpanorum expeditio in hoc flumine *Yuapari*, ut tum audiebat: de qua plurimas fabulas ſibi perſuaderi paſſus eſt Ralegus ab Hiſpanis, quæ nullo idoneo authore confirmantur. Superiora autem ab *Herrera* Hiſtoriographo Regio accepimus.

CAP. XX.

Narratio eorum quæ porro ab Hiſpanis in hoc flumine luſtrando fuerunt geſta, & imprimis ab Ortalio.

POST *Didaci de Ordas* obitum, *Pariæ* præfectura ab Imperatore attributa fuit Hieronymo *de Ortal* anno cIↃ IↃ XXXIII: qui ad arcem illam appellens, Legatum ſuum inſtituit *Alfonſum de Herrera*; illumque cum ducentis militibus & quinque celocibus ablegavit ad flumen *Yujapari* penitius luſtrandum. Hic flumen ſubiens pervenit primò ad *Caroam*, locum jam ante notum, ubi aliquandiu ſubſtitit; miſſis interim aliquot ſuorum, ut interiorem continentem luſtrarent; qui quum nullos mortales inveniſſent & annona deſtituerentur, ad naves redierunt; promovit deinde ad fluvium *Carinacam*.

Ortalius interea ad *Cubaguam* profectus, ut ſuos, qui ab adverſa tempeſtate eo rejecti fuerant, requireret; & variis modis retardatus, conſilium mutavit animumque adjecit ad aliam expeditionem, ut ſuo loco explicabimus. d.5.l.7. c.1.

Herrera autem quum videret ad dexteram *Carinacæ* fluvii ripam multos barbaros habitare, exponit copias ſuas, & poſt anceps certamen profligat barbaros, plurimosq; illorum capit: nonnihil annonæ hic inventum, quo famem profligarunt. Aſcendit deinde alveum fluvii *Caxavanæ*, qui per ſolitudines labitur, ita ut milites præ annonæ inopia deficerent; nec ullos mortales hic obvios habuit, præter paucos *Caribas*, qui cum pyraguis ſuis deſcendebant; quos cum aliqua ſuorum clade cæcidit aut cepit: atque hic è captivis hiſce didicit *Gujanam* jam poſt tergum ab ipſo relictam, ante autem ipſum jacere ampliſſimam regionem *Metam*, cujus incolæ & veſtibus uterentur, & maximis opibus abundarent. Monſtrarunt deinceps hi barbari ipſi iter ad *Caburutum*.

Operæpretium fuerit *Antonii Herreræ* judicium hic audire: multi (inquit) hodieque credunt, fluvium qui *Metam* perlabitur, eundem eſſe cum illo qui in Novo regno Granatenſi oritur atque illic à barbaris appellatur *Turmeque*, idque eo argumento, quod fluviorum, qui fontes ſuos habent in dicto Novo Regno, alii dilabantur verſus occaſum, alii verſus ortum: verum hæc opinio non probatur; ſiquidem ii qui has regiones perambularunt, teſtantur hunc fluvium dici *Orinoco*, inter quem & *Marannonem* vaſtæ provinciæ interjacent, quæ vulgo nominantur *El Dorado*. Sed ut meum quoque judicium interponam, hæc poſterior ſententia nequaquam evertit priorem, nam neque novum eſt neque mirum, unum idemque flumen diverſis locis & à diverſis nationibus, alio atque alio nomine appellari: ita ut *Orinoco* & *Turmeque* unum idemque flumen eſſe poſſint: maxime autem veriſimile eſt *Orinoquen* maxima ſui parte è Novo Regno deſcendere, ut poſtea dicemus. Sed ad expeditionem regrediamur. d.5.l.9. c.6.

Hiſpani à *Cabaruto* moventes, regionem omnem à *Caribibus* invenerunt pervaſtatam, & pervenerunt tandem ad Cataractas, à quibus Ordas retro ceſſerat: verum *Herrera* nequaquam deterritus, cymbas exonerari, & ſummo cum labore & diſcrimine traduci fecit; Cataractis autem ſuperatis, regionem planam & campeſtrem, ſed nullis mortalibus cultam ingrediuntur; ventumque tandem poſt plurium dierum iter ad oſtium fluvii qui *Metam* perlabitur; Hic ſubductis cymbis, & exſcenſione facta, permoleſto itinere per paludoſa & impeditiſſima loca, penetrarunt ad pagos barbarorum, quos vocant *Xaguæ*: (qui & ferociſſimi & antropophagi eſſe dicebantur) Xaguæ. illumque poſt acre certamen fugatis barbaris ingreſſi, ſatis magnam annonæ copiam acceperunt. Trajecto deinde amne, in altero pago locum hybernis ceperunt, ubi inter alia animalia, canes muti ab ipſis inventi, quos barbari Mayos atque Auries vocabant, carne palato haud minus grata quam caprarum ſylveſtrium. Verum barbari paulo poſt tam inopinato in illos irruerunt, ut multi caderent, plures vulnerarentur, & inter eos *Herrera* qui rabidus paulo poſt exſpiravit: ſucceſſit illi

Alvarus

Alvarus de Ordas, qui ſuperſtites reduxit ad naves, & denique ad Pariam; verum quum arcem jam deſertam reperiſſet, (quia Ortalius, ut ſupra diximus, conſilium mutaverat) copias aliò traduxit. Atque hæc quidem ab Hiſpanis in flumine *Viapari* geſta uſque ad annum cIↃIↃxxxvi.

Plures poſtilla expeditiones ab illis ſuſceptæ, dum anxiè quærunt *El Dorado*; quarum varii authores meminerunt, ſed uti incertos hic conſulto præterimus, properantes ad ea quæ noſtris temporibus acciderunt.

Cap. XXI.

Quæ porro ab Hiſpanis hic geſta fuerunt & præſertim à Gundiſalvo Ximene de Queſada, *&* Antonio de Berreo.

Quemadmodum *Petrus de Orſua*, auro opulentam regionem *El Dorado*, quæſiverat è præfectura *Quitenſi*, *Pizarrum* imitatus, ita *Gundiſalvus Ximenes de Queſada* idem tentavit è Novo Regno Granatenſi, per fluvium *Papamenem*, ut narrat *Walterus Ralegus* in *Gujanæ* deſcriptione; verum non minus irrito conatu. Is filiam ſuam elocavit *Antonio de Berreos*, qui ſoceri veſtigiis inſiſtens, tandem incidit in manus *Ralegi*, in Inſula Trinitatis ab eodem interceptus, qui expeditionis ſuæ ordinem & eventum expoſuit, uti à *Ralego* in commentarios fuit relatum, è quibus hic compendio quædam referemus. *Antonius de Berreo* (inquit) aditum ad
Caſſanar. *Gujanam* inveſtigavit è Novo Regno Granatenſi, & deſcendit fluvium *Caſſanar*, qui in
Meta. majorem amnem confluit, qui *Pato* appellatur, & hic porro in *Metam*, qui denique ſe condit in *Barraquan*, quem alii vocant *Orenoquen*.

Pato. Oritur autem *Caſſanar* in Novo Regno Granatenſi è Montanis Tuniæ; è quibus
l. ix. & *Pato* deſcendit; uterque autem confluit in *Metam*, qui oritur haud longe à *Pampelona* ejuſdem Regni Granatenſis oppido. Nos ſupra in deſcriptione Novi Regni mentionem fecimus fluvii *Pati*, verum eundem, ſecundum *Herreram* in magnum fluminis *Magdalenæ* alveum ſe condere diximus. *Meta* porro, una cum *Guajare*, (qui oritur è montibus, qui *Timanæ* imminent) confluunt in *Barraquen*; omnes hi fluvii veluti totidem ſunt rami magni hujus fluminis, in quod ingreſſi, nomina ſua amittunt, non minus quam ipſe *Barraquen*, qui inferius appellatur *Orenoquen*. *Berreo* itaque cum copiis ſuis per *Caſſenarem* deſcendit ad *Metam*, atque ita porro ad *Barraquen*, partim ſecundum ripas fluviorum incedens, partim cymbis vectus; verum poſtquam magni fluminis alveum fuerat ingreſſus, magnam jacturam paſſus eſt hominum atque jumentorum, pluribus cymbis aut ad cæcas rupes fractis, aut à rapido undarum lapſu & crebris vorticibus, everſis: plures quoque ſuorum deſideravit in præliis cum barbaris qui montana incolunt; neque integro anno ullum operæprecium fecit, incertior multo *de Gujanæ* ſitu, quam antea; donec ventum fuit ad limites *Amapajæ*, octidui itinere à
Catoli. fluvio quem vocant *Caroli*.

Amapaja. *Amapaja* provincia ſita eſt ad ripas *Orenoques*, auri imprimis opulenta, ſi *Antonio de Berreo* & barbaris qui hic incolunt tuto creditur. Subſtitit hic menſibus ſex, & fortiſſimo quoque ſuorum militum, & pleriſque equis in variis certaminibus cum ferocibus barbaris, deſideratis, tandem pacem à barbaris impetravit, & octo ſimulachra ex auro abſoluto conflata & tam induſtrie, ut ipſe teſtatur, facta, ut cum Europæis certarent; quæ ad Regem Hiſpaniarum fuerunt miſſa: barbari à quibus hæc accepta
Anebas. gentili nomine dicebantur *Anebas*; fluvius autem *Orenoque* juxta illorum provinciam jam duodecim milliaria latus eſſe traditur, licet hæc provincia ſeptingentis aut octingentis milliaribus credatur ab oſtio fluminis abeſſe. Porro *Amapajæ* provinciæ ſolum ad ripam fluminis humilius eſt & paludoſum, & rivi atque torrentes qui illud permeant, rubicundum colorem trahunt à limo; generantque quam plurima inſecta ſupra modum venenata, ita ut valde periculoſum imo lethale eiſdem haurire, quemadmodum *Berreus* narrabat ſe multorum exitio fuiſſe expertum.

Hinc digreſſus, & ſecundum Auſtralem fluminis ripam incedens, anxie & diligenter cœpit inveſtigare, ſi quem aditum in *Gujanam* poſſet reperire, ſed fruſtra, paſſim enim imminebant altiſſimi & præcipites montes: ad hæc plures offendit amnes, qui à dextra lævaque in *Orenoquen* deſcendebant, quorum tamen nomina ſe ait non

non didiciſſe aut oblitum profitebatur, præterquam fluvii *Caroli*; (ſimulabat enim ſe coſmographiæ adeo imperitum eſſe, ut ne plagas quidem diſcernere noſſet.) Ita ut de ſucceſſu expeditionis jam peſſime ſperaret, donec ventũ fuit ad *Emeriam* provinciam, Emeria. in qua annonam ſatis largam invenit, & incolas longe urbaniores. Regulus hujus provinciæ dicebatur *Caripana* pene centum annorum ſenex, qui in adoleſcentia ſua Inſulas *Trinitatem* atque *Margaritam* inviſerat, atque etiam in aliis partibus cum Chriſtianis commercia exercuerat; ita ut inſtituta illorum edoctus, & ſuos pacifice gubernaret, & cum vicinis *Caribibus* ipſi haud male conveniret. *Berreus* hic aliquandiu commoratus, poſtquam ſe jam ſatis multa *de Gujana* comperiſſe exiſtimavit, ſecundo flumine deſcendit ad Inſulam Trinitatis, atque inde navigavit ad *Margaritam*; à qua cum quinquaginta militibus ad inſulam Trinitatis remeavit, & ibidem domicilium fixit: ſed paulo poſt aliquot ſuorum cum idoneo duce dimittit ad *Carapanam*; qui eoſdem deſtinavit ad vicinum regulum *Morequitem*, itinerum ad *Guianam* haud dubio magis gnarum, ſiquidem illius provincia tantum quinque dierum itinere dicebatur abeſſe à *Macureguara*, primo *Gujanæ* oppido.

Morequitus hic ſuperioribus annis plurimum auri deportaverat ad *Cumanam* atque *Margaritam*; & ingentem *Gujanæ* opulentiam tam magnificè extulerat apud *Videm* qui tum præfectum in Inſula *Margarita* agebat; ut ille ab Hiſpaniarum Rege diploma poſtularet, quo ipſi ſoli liceret illam luſtrare & ſubjugare: cujus rei conſcius *Morequitus* & *Berreo* haud dubio iniquior, milites illius haud lubenter accepit; non tamen palam detrectari auſus, aliquot ſuorum delegit, qui *Berrei* militibus, inter quos & monachus fuit, viam ad *Gujanam* commonſtrarent: ita ut undecim dierum itinere penetrarent ad urbem *Manoam*, & magnam auri vim nanciſcerentur, Manoa. (uti *Berreus* referebat, ſed negant barbari illos umquam eouſque proceſſiſſe) verum inde redeuntes, quum jam ad fines provinciæ *Aromajæ* perveniſſent, omnes à *Morequiti* ſubditis ſunt trucidati, uno tantum excepto, qui cladis nuntium & rem prout geſta erat ad *Berreum* pertulit: qui ſtatim plures ſuorum dimiſit, commilitonum ſuorum cædes vindicatum; verum *Morequitus* id metuens trajecto flumine *Orenoque* per provinciam *Saimam* & fines *Wiquirorum* profugerat ad *Cumanam*, apud præfectum *Videm* ſe latibulum Saima. Wiquiri. & delictorum veniam reperturum fruſtra credens: verum ille, licet *Morequitus* ingens auri pondus pro vitæ ſuæ incolumitate promitteret, quia tamen tot Hiſpani & inter illos religioſus illius opera perierant, *Berreo* nomine Regis illum poſtulanti, negare nequaquam auſus, miſerum vinctum ad Inſulam Trinitatis deſtinavit, ubi & ſupplicio à *Berreo* fuit affectus. Milites autem ab ipſo miſſi provinciam pervaſtarunt, capiunt *Topiawarin* patruum *Morequiti*; qui poſtea ſe redemit centum laminis aureis & pluribus gemmis, quas Hiſpani vocant *Piedras Hiadas*, & *Aromajæ* præfuit.

Berreus interea quum ſe hiſce factis, pleriſq; accolis fluminis *Orenoques* inviſum cerneret, qui *Morequitum* dilexerant, haud amplius ſuos eo audebat mittere, præterquam ad *Carapanam*, cujus auxilio ſperabat ſe aliquando ad *Guianam* viam reperturum. Et ut *Morequitenſes* rurſus demereretur, cognatum defuncti baptizari & *Don Iuan* fecit appellari, atque eiſdem præfecit. Magnam quoque auri vim miſit in Hiſpaniam, & varias Americæ Meridionalis partes, ad milites cogendos, quibus aliquando *Guianam* perdomaret: Quum inopinato inter hæc molimina à *Walthero Ralego* caperetur.

Poſt illa ad ripam *Orenoques* colonia deducta fuit ab Hiſpanis, & oppidum *S. Thomæ* conditum, de quo mox dicemus, ubi primum ea quæ à *VValthero Ralegho* in in his partibus geſta fuerunt, prout ab ipſo narrantur, retulerimus.

Cap. XXII.

Prima expeditio Equitis VValtheri Ralegi *ad flumen* Orenoquen *quæ incidit in* annum cIↄ Iↄ xcv.

Raleghus jam ſatis multa *de Guianæ* opulentia & de itineribus quæ ad illam ducunt à *Berreo*, uti putabat, edoctus; omnibus modis, illam ſibi tentandam exiſtimavit; ſed variæ objiciebant ſe difficultates, & præſertim una longà maxima, quod ignorarent, per quod potiſſimum oſtium in magnum fluminis alveum penetrandum eſſet: miſſus itaque primum Vice-Admiralius ipſius *Georgius Giffordus*

 cum

Capuri. cum lyburnica & minori navigio, ut fluminis oſtium, quod *Capuri* vocant, periclitaretur, verum irrito ſucceſſu, nam licet in ipſo aditu, ubi æſtus impleuit novem palmos, quum receſſerit, tantum quinque altum eſſe ſatis conſtabat, tamen non poterant tantum promovere verſus ortum, aut vada quæ ab inſulis in altum deſcendunt, ſuperare, antequam æſtus relaberetur: deinde & *Regius* cum cymba dimiſſus, ut alterum Amana. ramum luſtraret (quem barbari vocant *Amanam*,) qui in intimum ſinus *Guanipæ*, ut vocant gremium egreditur, ſed hic quoque vadoſior & vel mediocribus navigiis inidoneus eſt repertus: Tandem tamen à *Ioanne Dowglaſſio* quatuor oſtia inventa, patentiſſima quidem illa, ſed exeuntia in ſinum haud ſupra ſex palmos altum: Quare majoribus navigiis in portu relictis, ſe uni lyburnicæ & aliquot cymbis commiſere. Erratum aliquandiu inter inſulas, & plurimos canales, (Ferdinando barbaro, quem ducem itineris ſecum duxerant horum locorum penitus imperito;) uſque ad vigeſimum quartum May; quo bonis avibus lembum barbarorum obvium habuerunt, in alveo fluminis (cui rubræ Crucis nomen indiderunt) & unum illorum licet invitum coegerunt, ut iter ipſis monſtraret, erat enim ſenex & locorum illorum admodum peritus.

Barbari (inquit *Ralegus*) qui inſulas haſce incolunt, communi nomine appellantur Tiviti-væ. *Tivitivæ*, ſuntque duarum nationum, alii enim ſunt *Caiwani*, alii *VVarraweery*; robuſto corpore neque invenuſto, quique Idioma uſurpant admodum virile & magnificum. Æſtivis menſibus ædes ſuas in ſolo conſtruunt, hybernis autem in faſtigiis arborum; nam à menſe Mayo ad Septembrem ita intumeſcit flumen *Orenoque*, tantaſque devehit undas, ut inſulæ maximam partem inundentur, paucis editioribus exceptis, & aqua interdum viginti palmos ripas excedat. Victitant palmitorum & aliarum arborum fructibus, atque ferina; neque ullam agris colendis impendunt operam, deſides & laborum intolerantes.

Flumen autem *Orenoque*; per ſedecim aut forte plura oſtia exiens, quamplurimas inſulas hic dividit, quarum quædam Vectæ magnitudine pares eſſe putantur, quædam minores: ita ut Auſtralius oſtium ab omnium ſeptentrionaliſſimo putent diſtare circiter centum leucas, & æſtuarium illius in univerſum patere ſupra trecenta milliaria Anglica, & æſtuarium fluminis *Amazonum* longe excedere; Inſularum autem aliæ appellantur à barbaris *Pallamos*, aliæ *Horotomeka*, quarum hæ ſubeuntibus ad dexteram jacent, illæ ad ſiniſtram: canalis denique qui ab *Amana* ad *Capurin* pertinet, vocatur à barbaris *Macuri*.

Raleghus hunc ducem tam opportune nactus, & à *Giawanorum* inſula ſolvens, qua-Amana. tridui itinere promovit ad patentiorem fluminis alveum, qui major *Amana* nominatur, & directius aſcendit verſus Auſtrum: jamque ad quintum latitudinis gradum ab Æquatore verſus Arctum ventum erat; quum navales ſocii præ nimio æſtu, & labore animo linqui cœperunt, & univerſi ſumma annonæ anguſtia premi; & haud dubio re infecta redeundum fuiſſet, niſi à conductore ſuo per amnem qui ab dextera exibat, ad pagum quendam indigenarum fuiſſent deducti, ubi nonnihil annonæ acceperunt: ſuffecerat hæc tantum pauculis diebus, & rurſus inciderunt in eaſdem anguſtias, quum commodum in eos inciderunt cymbæ unilignеæ, quæ commeatu onuſtæ, *Margaritam* inſulam petebant: Ex his non modo nacti ſunt quo famem amolirentur, ſed & *Martinum* quendam, ex *Arwaccarum* natione, ſed ab Hiſpanis baptizatum, qui iter ipſis compendiò ad principalem *Orenoques* alveum demonſtravit, ita ut jam alta montium juga & *Guianæ* fines eminus conſpicerent.

Quum autem hic anchoras jeciſſent è regione trium amnium, qui hic in magnum flumen confluunt, venit ad ipſos *Toparimaca* illius provinciæ regulus, adferens varios fructus illius regionis & alios commeatus, & deduxit illos ad ſuum pagum, ſupra monticulum ſitum, & amænis viridariis & fæcundis arvis undique cinctum; pago nomen erat *Arowocay*, incolæ è natione *Nepojorum*. Hic alium ductorem nacti, qui horum locorum ſitum & fluminis imprimis lapſum exacte percallebat, rurſus ſolverunt, & aura ab Oriente valide perflante, quæ ipſis ſecunda erat, (nam alveus hic pene recta pergit verſus occaſum) prætervehuntur primum ad ſiniſtram inſulam, quæ circiter viginti quinque milliaria in longitudinem, ſex autem in latitudinem pa-Aſſapana. tebat, (barbari vocant *Aſſapanam*) principali fluminis alveo alterum inſulæ latus radente:

dente: deinde alteram inſulam recta pene duplo majorem, quam *Iwanam* appellabant; alveum vero qui illam à *Guianæ* continente dirimit, *Arrowapanam*; ita ut continens utrimq; diſtet circiter xxx milliaria. Ad dexteram porro & verſus occaſum ab *Aſſapana* inſula, egreditur in *Orenoquen Europa* amnis, ab Arctoa plaga deſcendens: hujus confluentem prætervecti anchoras jecerunt ſub inſula *Ocaywita*, ſex quidem milliaria longam, duo autem latam: & poſtero die ſub inſula *Putaymæ*, è cujus regione altus mons è continente ſurgit, quem barbari nominant *Oecopen*: à quo provehentes verſus occaſum, ad dexteram amæniſſimam planiciem & fœcunda arua ſunt conſpicati; quæ barbarus nauclerus campeſtria *Saymæ* appellari narrabat, planiciemque per magna terrarum ſpacia ad *Cumanam* pertingere, atque adeo ad *Caracas* pene centum & viginti leucis verſus ſeptentriones, intermedio vero ſpacio quatuor diverſas nationes incolere; primum *Saymanos*; deinde *Aſſawayos*; tertio *VVikiros* populoſiſſimam gentem, quæ ſuperioribus annis *Petrum Hernandez de Serpa* cæciderit; denique *Aroras*, cute quidem nigra pene inſtar Nigritarum, ſed glabro & depexo capillitio, cæterum bellicoſiſſimam nationem, & quæ venenatas ſagittas uſurpat. Europa. Sayma. Wikiri. Arroræ.

Tertio die jecerunt anchoras ſub ſiniſtra fluminis ripa inter duos montes *Aroamin* & *Ajum*: quarto die præternavigarunt *Manoriparam* inſulam, in medio fluminis ſitam; quinto demum adnavigarunt provinciam *Aromajam*, & anchoras jecerunt ad occidentalem Angulum *Murrecolimæ* Inſulæ, quæ in longitudinem quidem decem, in latitudinem quinque milliaria patebat; & poſtero denique die in ipſo *Moriquiti* portu; ubi ad ipſos venit patruus *Morequiti*, à pago qui quatuordecim milliaria à ripa aberat, licet jam decimum ſupra centeſimum ætatis annum attigiſſet.

Senex hic *Guianæ* ſitum ita explicabat: omnem hanc regionem uſque ad *Emeriam* vocari *Guianam*, indigenas autem communi nomine *Orenoqueponos*, uſque ad montana *VVacarimæ*, quæ procul intra continentem erat cernere: trans montes porro aliam planiciem ſterni, quæ *Amariopacana* vallis dicitur, cujus incolæ itidem ſunt *Guianiatæ*; in provincias vero quæ ſupra iſtos jacent ſuperioribus annis adveniſſe peregrinas gentes, quæ ſe *Orejones* & *Epuremejos* vocant; ab his veteres illarum regionum incolas partim cæſos, partim pulſos ex avitis ſedibus; (exceptis tantum *Awarawaqueris* & *Caſſipagotis*) & inſignem urbem cum magnificis ædibus ſtructam, quam vocant *Macureguaran*. Guiana.

A portu *Morequito* profecti, & flumen porro aſcendentes, prima nocte ſubſtiterunt ſub Inſula *Caiama* quæ quinque aut ſex milliaria patet in longitudinem: poſtero die venerunt ad *Caroli* fluvii oſtium, ſed propter pernicem illius lapſum illum nequaquam potuerunt aſcendere: miſſi itaque aliquot barbari *Canuriam*, rogatum, ut ad ipſos deſcenderent; poſtero mane venit ad ipſos *VVanuretona* regulus cum plurimis ſuorum, qui omnis generis commeatum & varios fructus adferebant: Erant enim non tantum *Epinemjorum* ſed & Hiſpanorum infenſiſſimi hoſtes. Referebat Regulus intra continentem ad oram magni lacus *Caſſipæ*, è quo fluvius *Caroli* effluit, tres potentiſſimos populos habitare *Caſſiapagotos*, *Eparagotos* & *Arawagotos*, Hiſpanis ſupra modum infenſos. Miſſi aliquot à Ralego ad vicinam regionem luſtrandam; de cujus opulentia mira narrat in ſuis commentariis. Ad ſiniſtram fluvii *Caroli* ripam degunt *Awarawaqueri*, quorum paulo ante meminimus. Ex eodem lacu prodit & alter amnis qui vocatur *Aroy*; poſt quem labuntur bini alii amnes *Aloica* & *Caora*; ad poſterioris ripas barbaros illos incolere tradunt capitibus intra humeros ita depreſſis, ut multi crediderint illos oculos in humeris & os in pectore habere, vocant *Ewaypanomas*. Quartus ordine à Carolo verſus occaſũ fluvius dicitur *Caſnero*, ſecus *Amapajam* in *Orenoquen* ſe condens, amplitudine cum quovis Europæ noſtræ fluvio comparandus. Cajama. Caroli. Canuria. Caſſipa. Caſnero.

Cap. XXIII.

Amnium qui in Orenoquen *influunt Catalogus; & Expeditionis* Ralegianæ *reliqua.*

Antequam expeditionem *Raleghi* perſequamur, operæpretium erit hic præmittere amnium Catalogum, qui in *Orenoquen* influunt. Primus amnis (inquit *Ralegus*) qui ab Arcto in *Orenoquen* deſcendit appellatur *Cari*: & huic proximus verſus Favonium, *Limo*: inter utrumque autem degunt ad ripam & intra conti- Cari. Limo.

continentem canibales ſive antropophagi; quorum præcipuus pagus vocatur *Acamacari* ubi quotidie mercatus fœminarum celebratur, quarum ſingulas emunt *Arwacæ* pro tribus quatuorve ſecuribus, & venales deportant ad alias Americæ Meridionalis provincias. Sequitur deinceps verſus occaſum amnis *Pao*, & mox *Caturi Voari* atque *Capuri*, qui derivatur è magno flumine *Meta*, quod *Berreum* è novo Regno Granatæ venientem deſcendiſſe diximus. A *Capuri* verſus occidentem jacet provincia *Amapaja* in qua ille hibernavit, & plures ſuorum deſideravit à venenatis aquis enectos. Supra *Amapajam* verſus Novum Regnum Granatæ, deſcendunt in *Metam*, *Pato* atque *Caſſanar* amnes. Ab hoc fluvio verſus occidentem & provinciam barbarorum qui dicuntur *Ashaguæ* atque *Catety* ſuccedunt amnes *Beta*, *Dawney* atque *Vbarro*; & in finibus Peruviæ jacent provinciæ *Tomebamba* atque *Caxamalca*. Haud procul denique à Quito, ad ſeptentrionale Peruviæ latus, labuntur fluvii *Guiacar* & *Goavar:* denique ad alterum montium latus *Papamene* fluvius, (qui per provinciam *Mutylonum* delapſus in *Maranonem* vel *Amazonum* flumen deſcendit) ad cujus ripas *Petrus de Orſua* cymbas ſuas ſtruxerat, quum aditum ad *Dorado* quæreret, per fluvium *Amazonum*. Confuſiſſima eſſe hæc facile quivis videbit qui veram Peruviæ deſcriptionem vel à limine ſalutaverit.

Pao. Caturi. Ashaguæ. [marginal notes]

Inter *Dawney* autem & *Betam*, complectitur Flumen *Barraquan* (ita enim *Orenoque* ibidem appellatur) famoſam inſulam *Athulen*, ſupra quam navigia paulo majora aſcendere nequeunt, ob Cataractas & pernicem undarum lapſum.

Cæterum quum jam crebris imbribus *Orenoques* alveus ſupra modum inciperet intumeſcere, conſultius *Ralego* viſum, curſum retro flectere; itaque *Caroli* amnis oſtio relicto, eodem die revertitur ad *Morequitum*; ubi denuo cum *Topiawari* ſermones de *Epuremeorum* rebus ſerens, cognovit primum ipſorum oppidum *Macureguaram* tantum quatridui itinere ab hujus pago abeſſe; & quum *Ralegus* promitteret ſe proximo anno cum majoribus copiis rediturum; à Regulo quidem filium accepit, & duos itidem ſuorum veluti obſides ibidem reliquit.

Deſcendit cum *Ralego*, *Putima Warapanæ* regulus, deducturus illum ad montem in ſua provincia ſitum, qui opulentas auri venas abſcondere credebatur: deſcenderunt autem primum ſecundo flumine *Manâ*; relicto ad dexteram pago *Tuteritona*, qui ad provinciam *Tarracoam* pertinet: præter quam jacet pulcherrima vallis *Amanocapana* quæ circiter ſexaginta milliaria in longitudinem patere creditur inter ortum & occaſum; deinde *Oianam* amnem per tranſverſum ſecantes, paulum ſubſtiterunt juxta lacum, qui hic medium alveum occupat; & ſtudioſe requiſiverunt alterum lacum, ut ita attingerent montem *Iconurin* qui aurum continere dicebatur: Verum quum *Ralegus* moleſtias itineris amplius ferre non poſſet, *Keymiſium* ablegat, ut ſtudioſe locum luſtraret, & per vallem tranſiret ad fluvium *Cumacam*, ubi ipſum erat præſtolaturus.

Mana. O jana. [marginal notes]

Deſcenderunt ergo porro flumen ſecus provinciam *Parino* ad *Ariacoam* uſque, ubi *Orenoque* ſe dividit in tria pulcherrima brachia, quorum unum, quod *Cararoopana* dicitur, ducit ad provinciam *Emeriam*, cui *Carapana* tum imperabat: atque hoc quidum *Ralegus* ipſe deſcendit, ut *Keymiſio* occurreret. In hoc brachio plures & inſignes inſulæ ſparguntur, quarum quædam ſex, aliæ decem, quædam & viginti milliaria patent. Sub ſolis occaſum inciderunt in aliud fluvii brachium, quod *Winicapora* dicitur; intra hoc mons Cryſtalli eſſe ferebatur, verum longitudine itineris, & anni tempeſtate minus propitia deterriti illum tantum è longinquo viderunt, inſtar candicantis turris, & admodum altæ. Præcipitat ſe de hoc monte fluvius ingenti murmure in grandem abyſſum, ita ut non facile alibi ejuſmodi Cataracten ſit reperire, barbari vocant *Wacarimam*. Hic autem didicerunt *Carapanem* relicta *Emeria* ſe ſubduxiſſe cum quibuſdam Hiſpanis verſus *Cairamum* ſub montibus qui *Guianam* ab *Orenoque Ponis* dividunt: quare à *Winicapora*, (relictis ad ortum quatuor amnibus *Waracayari*, *Coirama*, *Anakiri* atque *Iparoma*, qui omnes è montibus *Emeriæ* deſcendentes ſe condunt in *Orenoquen*,) cum maxima difficultate redierunt ad caput fluvii *Carerupanæ*, atque inde ad oſtium fluvii *Cumanæ*; & accepto *Keymiſio* cum ſociis promoverunt ad locum, ubi *Orenoquen* in tria brachia ſe diſpeſcere diximus; deinceps ſalutata ex itinenere Inſula *Aſſapana*, portum *Toparimacæ* ſubjerunt; atque inde ſolventes, quia impoſſibile erat, ea via quam venerant, per *Amanam* regredi, alium brachium *Orenoques*,

Cairamo. [marginal note]

ques, quod *Capuri* dicitur ſunt ingreſſi, atque ita non ſine ingenti diſcrimine (diſtabat enim *Capuri* oſtium à navigiis ipſorum, pene tanto intervallo, quanto *Dovera* à *Grevelinga*) tandem ad claſſem ſuam remearunt; & poſtea in Angliam. Capuri.

Non eſt nobis propoſitum hic inſerere quæ à *Ralego* magnifice prædicantur de opulentia harum regionum, & incredibili auri copia, ſiquidem nondum fidem apud Europæos invenerunt; ſi quis iſta penitius cognoſcere deſiderat, legat ipſius *Raleghi Guianam*: nos reliqua Anglorum geſta in hac Americæ Meridionalis parte breviter perſequemur.

Cap. XXIV.

Secunda Anglorum expeditio in Guianam *duce* Laurentio Keymis *anno* cIↃ IↃ XCVI. *& Tertia duce* Thoma Mashamo *eodem anno & ſequenti.*

R*Aleghus* domum reverſus, ſecundam expeditionem cum duabus navibus (quarum una tantum liburnica erat) committit *Laurentio Keymis* impigro viro & navigationum illarum admodum perito. Is ſolvit ex Anglia XXVI Januarii anno cIↃ IↃ XCVI. XIII Feb. attigit *Canarias* inſulas; & paulo poſt Heſperides. A quibus XXVIII Feb. profectus, XIV Martii Continentem Americæ Meridionalis adnavigavit, fixitque primum anchoras in oſtio fluvii *Arrowari* (de quo ſupra). Atque inde littus legens verſus corum, & amnes qui inter Magnum flumen Amazonum & *Orenoquen* interſunt obiter luſtrans, demum VI Aprilis pervenit ad oſtium *Orenoques*, ſive *Raleanæ*, ut ipſe vocat. Obſervat autem hunc alveum, qui dudum curſum in mari ſervat, non niſi ſex ſeptemve orgyas altum eſſe, novem aut decem milliaribus ab ipſo oſtio; in limine autem, ut ita dicam, æſtuarii vix duas; nec æſtu maris accedente ſupra quinque palmos augeri, niſi forte nova aut plena Luna. Hic barbaros conductores nacti, & octiduum adverſo flumine ſubvecti, portum *Topiawari* attigerunt: nuſquam barbaris amicis viſis, qui de Anglorum adventu, quia promiſſum tempus jam exſpiraverat, deſperantes, Hiſpanorum metu in diverſa ſe receperant. Hiſpani enim viginti aut triginta tuguria in municipii modum hic conſtruxerant, ex adverſo petreæ inſulæ, quæ fluvii Caroli faucibus objacet, ut barbaris majore numero ex improviſo incumbentibus in hanc tanquam arcem ſe poſſent recipere; dum majores copiæ è variis partibus advenirent. *Keymiſius* itaque quum ſe Hiſpanis imparem, barbaros incertæ fidei, & intuta omnia cerneret: quantocius ſibi redeundum exiſtimavit. In aſcendendo autem, *Toparimaco* portum prætervectus, ubi alveus vadoſior eſt, quum altiſſimus continentem *Gujanæ* propius radat, deſcendens auſtrale latus legit, ob inſignem alvei latitudinem & profunditatem, nam multis locis viginti orgyas, pauciſſimis duas & ſemiſſem deprehenderunt. Atque ita quinto menſe, poſtquam ex Anglia ſolverat, columis in patriam in rediit, nullo operæprecio facto, niſi quod commodiſſimum aditum ad *Orenoquen*, & genuinum fluminis alveum primus Anglorum detexit. Cap. III.

Miſit & eodem anno *Ralegus* aliam minorem navem, ad eandem expeditionem, eique præfecit *Thomam Mashamum*: Is ſub exitum Decembris ſoluit è *Waymoutha*; & XXV Jan. anni cIↃIↃXCVII majorem *Canariam* prætervectus; VIII Feb. attigit inſulam Salis, Heſperidum unam: à qua XII ejuſdem ſolvens, vigeſimo ſeptimo ejuſdem menſis continentem Ameriæ Meridionalis adnavigavit, ad altitudinem duorum graduum & triginta ſcrupulorum ab Æquatore verſus Arctum. Adiit deinde amnem *Wiapoco* & cæteros qui ordine jacent ad illam oram uſque ad *Corretinen*, ubi à XVIII Aprilis ſubſtitit uſque ad ſextum May; nullo operæ precio facto, licet à barbaris deceptus, (ut veriſimile eſt) flumen ad Cataractas uſque aſcendiſſet, ut auri venas & opulentas nationes requireret. A *Corretine* recta navigavit ad *Caribum* inſulas, & vigeſimo octavo Junii rediit in Angliam, *Orenoque* flumine ne quidem viſo. Non invenio poſt illud tempus quicquam magni ab Anglis in illis partibus tentatum, nam poſt Sereniſſimæ Reginæ *Elizabethæ* deceſſum, & *Iacobi* Regis inaugurationem, *Waltherus Ralegus* conſpirationis in Regem publico judicio convictus, & capitis damnatus, Regis clementia in perpetuum carcerem fuit ſubmotus & in turrim Londinenſem concluſus.

CAP. XXV.

Poſtrema VValtheri Ralegi *in* Guianam *expeditio annis* cIↃ IↃ CXVI *&* XVII. *& illius ſupplicium.*

POSTQUAM *Ralegus* in Turri Londinenſi pene quatuordecim annis captivitatem toleraſſet, Regi perſuaſit ſe nullo negotio opulentiſſimam auri fodinam in *Guiana* poſſe detegere & Regnum Angliæ multo auro beare; itaque licentiam impetravit cum claſſe plurium navium quam ſuis & amicorum impenſis paraverat, eò navigare. Quis expeditionis hujus exitus fuerit, ex ipſius *Ralegi* Epiſtola quam ab Inſula *S. Chriſtophori* ad *Radulphum Winwoodum* Magnæ Britanniæ Regis Secretarium perſcripſit, planum fiet, quæ ita ſe habuit. Nullam tibi hactenus, Domine, expeditionis meæ in Indiam reddidi rationem: neque ſane argumentum literarum ſeſe obtulit niſi triſte & infortunatum; nam quum utplurimum inter Inſulas Heſperides & Americæ continentem tantum quindecim aut ad ſummum viginti dierum iter ſit, ventos adeo adverſos tamque graves tempeſtates & nimbos ſum expertus, ut vix ſex ſeptimanis abſoluerem: quibus acceſſere maximus æſtus & aquarum potabilium inopia, funium atque anchorarum jactura ſub inſula Brava & Promontorio viridi, ubi ſummum vitæ diſcrimen adivimus; denique ægritudines & mortes tam lectiſſimorum militum quàm peritiſſimorum nautarum. Decimo ſeptimo demum Novembris venimus in conſpectum *Guianæ*, & jecimus anchoras ad oſtium fluminis *Calianæ* (quam ſupra vocavimus *Cajanam*) quinque gradibus ab Æquatore verſus Arctum, ubi ſubſtitimus ad quartum Decembris. Hic ægros omnes expoſuimus, lembos & celoces, quas ex Anglia adduxeramus, inſtruximus, aquavimuſque, Regulo hujus tractus *Henrico Calliano*, amico veteri, nos & opere & commeatu peramice adjuvante. Eram tum ipſe æger & in ſummo vitæ diſcrimine, ita ut ſex ſeptimanis me vix poſſem commovere. Itaque *Keymiſio* imperavi, ut cum quinque navibus *Orenoquen* ſubiret & duceret ad fodinam. Hiſce navibus vehebantur quinque, quinquaginta militũ ſingula; quibus præerant *Parkerus*, *Northius* (frater dominorum Montis aquilæ & *Northy*) nobiliſſimi viri, & laborum, inediæ & æſtus patientiſſimi; Filius meus, *Tornapius Cantianus*, & *Chudleyus* per legatum: *Pigotius* jam deceſſerat, & Legatus meus *VVarrhamus S. Leger* periculoſiſſime ſine ſpe vitæ ægrotabat: cognato autem meo *Georgio Ralego*, qui multis annis in Belgio cum laude militaverat, & nunc vicem meam ſupplebat, nondum adulta authoritate, miles haud ita obediens erat, quam expeditionis gravitas poſtulabat. Quum noſtri flumen aſcenderent, Hiſpani ſtatim hoſtilia in illos cœperunt moliri, tormentis majoribus & minoribus illos petentes; ita ut vim vi repellere cogerentur, & Hiſpanos paulò poſt ex oppido propellerent: Filius meus hic in primo congreſſu cæſus, magis gloriæ quam ſecuritati ſuæ conſulens: in quo, ut verum fatear, non modo chariſſimi pignoris jacturam feci, ſed & omne quod mihi in hac vita charum erat amiſi. Reliquæ meæ naves ſub Inſulam ſe ſubduxerant, nullum commodiorem portum in vicinia *Guianæ* reperientes. Harum ſecundæ præerat Vice-Ammiralius meus *Ioannes Penningtonus*, de quo jure teſtari poſſum, illum inter rei nauticæ peritiſſimos, quos Anglia nutrit, numerandum eſſe: tertiæ *VVarrhamus S. Leger* fortiſſimus & generoſiſſimus eques; quartæ *Ioannes Fearnius* eques; quintæ Tribunus *Chudlæus Devonienſis*. Hiſce quinque navibus expectabam quotidie Hiſpanienſem Claſſem; quæ ſi in nos irruiſſet, dum claſſis noſtra ita diviſa erat, procul dubio non modo nos, ſed & qui flumen aſcenderant, nullo negotio oppreſſiſſet: verum nos potius una cum Hiſpanis perire & conflagrare optaſſemus, quam vel tantillum illis concedere. Videntur tamen Hiſpani conſultius æſtimaſſe ſub inſula *Margarita* nos operiri, quæ nobis prætereunda erat Americam petituris. Nam quum Regi placuiſſet mihi jurato imperare, ut terras & flumina quæ adire propoſueram, nominatim deſignarem, adhæc navium magnitudinem, militum atque machinarum numerum, & reliquum belli apparatum ſcripto explicarem: Ea omnia ſtatim Hiſpaniarum Legato fuerunt propalata; qui quantocius omnia *Madritum* deſtinavit, antequam à Thamiſi ſoluiſſem: nam primæ Regis literæ, quas celoce ad præfectos ſuos in Americam miſit, ſcriptæ erant XIV Martii anni cIↃ IↃ CXVII; has

Caliana.

has tibi mitto, alteras mihi ſervo, metuens ne forte hæ meæ intercipiantur. Alteræ Regis litteræ ſcriptæ erant XVII May miſſæ ad *Didacum de Palameque*, *Guianæ*, *El Dorado*, & *Trinitatis* Gubernatorem: Tertiæ ſcriptæ erant ab Epiſcopo *Portus Rici*, & à *Palameque* acceptæ XV. Julii, in Inſula *Trinitatis:* quartæ ſcriptæ erant à Secretario Telonei Indici, & una cum regiis litteris miſſæ. Miſſi etiam fuerant, qui quam ocyſſime trecentos milites cogerent & decem machinas è *Portu Rico* ad *Guianam* deducerent; præter centum quinquaginta milites qui ex NovoRegno Granatenſi ſub tribuno *Antonio Mexia*, & totidem qui è *Portu Rico* ſub tribuno *Franciſco Sanchio* accerſebantur. Quum autem omnibus qui Americam adierunt, hoc Rege noſtro rerum potiente notiſſimum ſit, Hiſpanos promiſcue in omnes peregrinos, quos intercipere potuerunt, immaniter ſæviſſe, licet tantum commerciorum gratia adveniſſent, quid de nobis futurum fuiſſe cenſes, ſi in illorum manus incidiſſemus, quorum vires, conſilia & adventum tanto tempore præcognoverant? Sed objicitur mihi, quare fodinam non fuerim aggreſſus; quanquam autem nemini (Majeſtate regia excepta) rationem reddere tenear, præterquam mihi & ipſi, qui & chariſſimi pignoris & facultatum mearum omnium infelici hac expeditione jacturam feci; tamen ſatis conſtat Hiſpanos magis anxios fuiſſe de fodina, quam de ipſo oppido; & facile ipſis fuiſſe nos ab illa arcere, præſertim quum, ut Regis literæ loquuntur, via ad illam ducens aſpera ſit & fragoſa. Verum præterea eſt, *Keymiſium* fluvii alveum tenuiorem inveniſſe, ita ut circiter milliare à ripa cogerentur abſtinere; & quum locum exſcenſioni idoneum reperiſſet, tantum globulorum nimbus è vicino nemore in noſtros incubuit, ut duo remiges exanimarentur, ſex graviter vulnerarentur, & imprimis tribunus *Tornapius* in capite, è quo vulnere adhuc languet. *Keymiſius* quoque propoſiti ſui tenax, negabat conſultum eſſe; noſtros enim qui in urbe *S. Thomæ* relicti erant, quotidianis hoſtium inſultibus impares tandem futuros: viamque quæ ad fodinam ducit, per denſum nemus agendam eſſe; neque operas ad manum eſſe ad metallum egerendum aut eliquandum. Cæterum ſatis mihi conſtat, Hiſpanos duas auri fodinas haud longe ab hoc oppido habere: quarum una poſſidetur à *Petro Rodrignez de Parama*, altera ab *Herviano Frontino:* Tertia denique, quæ eſt argenti, à *Franciſco Faſciardo:* ſed deſunt ipſis Nigritæ, indigenas enim ad laborem invitos non licet compellere propter interdictum Car. V. & Hiſpani neque volunt neque poſſunt eum laborem tolerare. Dicat Hiſpanicus Legatus *Praggadocia*, quicquid lubet, per literas poſſeſſoris, Telonei rationale, & Quintos Regios, demonſtrabo rem ita ſe habere. Deinde quam facillime, non modo harum, ſed & ſex ſeptemve aliarum, quas neque hoſtes hactenus attigerunt, neque aut Angli aut Galli aut Belgæ unquam adierunt, nos compotes fieri poſſe, nullo negotio demonſtrabo. Verum *Keymiſius* ab *Orenoque* reverſus, quum conſilia & facta illius improbaſſem & quererer fortunas meas ab ipſo penitus everſas, & famam apud Regem ita læſam, ut in integrum reſtitui nequiret, ingreſſus in conclave ſeipſum interemit, &c. Scriptæ erant hæ literæ XXI May, anno cIↃ IↃ CXVII ita ut in litteris datis, quarum *Ralegus* meminit aliquid erratum ſit oportet. Atque hic fuit exitus poſtremæ *Ralegi* expeditionis in *Guianam*; qui poſtilla in Angliam reverſus, capitis damnatus & ſupplicio fuit affectus XXIX Octob. anno cIↃIↃCXVIII.

CAP. XXVI.

Fluminis Orenoques *deſcriptio ſecundùm Belgarum noſtrorum obſervationes.*

SUPERIORIBUS capitibus compendio deſcripſimus, quæ ab Anglis auſpiciis *Waltheri Ralegi* in *Guiana* & ſuper flumen *Orenoquen* ab anno cIↃ IↃ XCV ad annum cIↃ IↃ CXVII fuerunt geſta: interea tamen & etiam antè plures expeditiones ſuſceptæ fuerunt tam ab Anglis quam à noſtratibus ad flumen *Orenoquen* & oppidum *S. Thomæ*, commerciorum gratia, atque imprimis Tabacci, quod hic ab Hiſpanis diligenter colebatur: ita ut ſatis conſtet, noſtros interdum octo & novem navibus uno anno flumen aſcendiſſe & cum præfecto *S. Thomæ* contraxiſſe, antequam Rex Hiſpaniarum graviſſimo interdicto Hiſpanos cum peregrinis omnibus commercia vetaſſet exercere. Pervenit ad manus meas itinerarium cujuſdam Belgæ ſatis accura-

tum, è quo hæc de fluminis ſitu & condicione hauſi. Prætermiſſis autem quæ navigationem uſque ad continentem Americæ hujus Meridionalis tangunt, quæ jam ſatis vulgo nota eſt. A fluvio *Eſſeequebe* pertinet ora circiter decem milliaribus, verſus Arctum, ubi eminus cernere eſt arborum lucum qui eminus tuguriorum ruſticorum formam oſtentat; à quo navigantibus ſecus oram ubi mare tres orgyas & aliquot palmos eſt altum, occurrit oſtium alterius fluvii, & rurſus lucus, & poſt hunc vaſta ſylva, hæc ora tendit verſus corum; ad altitudinem autem octo graduum & quindecim ſcrupulorum ab Æquatore verſus Arctum, objacent tres exiguæ inſulæ, haud longe à Continente. Quibus ſuperatis ſubducit ſe nonnihil ora ſinum moliens, ad quem videntur tres colles inſtar ſtruum fœni, & paulo ultra alii tres, & fluvii itidem oſtium cui inſula objacet, omnis hæc ora humilis eſt, pertinens ad corum, & mare procul à terra nonniſi duas orgyas & interdum tantum undecim palmos altum, ita ut hic ingentes fluctus ad littus volvat, uſq; ad promontorium ſuper fluminis *Orenoques* oſtium, imprimis editum: hoc prætervectis & inſulas eminus conſpicientibus, ora è propinquo radenda eſt, hic enim alveus altiſſimus eſt, ita ut primum duæ inde tres, & poſtilla ſex ſeptem atque etiam octo orgyæ deprehendantur, curſus hic inſtituendus eſt verſus Africum & interdum magis verſus Auſtrum. *Orenoques* fluminis oſtium diſtat ab Æquatore octo gradibus & quinquaginta ſcrupulis verſus Arctum. Siniſtra porro ripa radenda eſt uſque ad orbicularem inſulam, quæ ad ſiniſtram relinquenda eſt, & ſecus inſulas navigandum quæ ad dexteram jacent, ubi alveus altior eſt; ad ſiniſtram autem continens terra pluribus alveis videtur diſſecta & pumilis arboribus veſtita; de hinc aperiunt ſe varia oſtia ad dextram lævamque, ſed medius alveus ſequendus eſt verſus Favonium uſque ad Inſulam, à qua utrimque alvei deſcendunt, ſed dexter ingrediendus eſt verſus corum, donec ad aliam inſulam veniatur, à quâ flectendum eſt verſus Africum: fiunt & plures inſulæ obviæ, quarum aliæ ad dexteram aliæ ad ſiniſtram relinquendæ ſunt uſque ad ingens oſtium, à quo rurſus deflectendum verſus corum, nec tamen alvei ingredeundi qui ad dexteram deflectunt, ſed ſiniſtra ora ſequenda & medio alveo navigandum, neque declinandum in oſtia quæ à dextera ſeſe aperiunt, aut in alveos quæ inſulas permeant. Atque ita tandem pervenitur ad patentem alveum qui deducit ad Inſulam Trinitatis & vulgo *Mapure* appellatur, quo ad dexteram relicto, uti & altero qui ab leva deſcendit è continente, recta pergitur, donec ad ſiniſtram ſe aperiant quatuor aut quinque editi montes, à quibus ad oppidum *S. Thomæ* numerantur ſex ſeptemve milliaria. Atque hæc quidem ille.

Mapure.

Flumen autem hoc accuratiſſimè fuit luſtratum & deſcriptum à noſtris anno cIↃ IↃ cxxix, qui auſpiciis ſocietatis Indiæ Occidentalis, ductuque Ammiralii *Adriani Janſony Patris* flumen ſubjerunt; è quorum Itinerariis obſervavi.

A fluvio *Ammegore* (quem à *Keymiſio Amacur* ſuſpicor appellari) qui ab ortu deſcendens è continenti exit oſtio circiter duas tertias partes milliaris lato, & haud ſupra octo palmos alto, ubi æſtus refluxit; ab hoc inquam, ad Arctoum terræ cornu ſecus quod *Orenoques* alveus effluit, ſunt quatuor milliaria verſus occaſum, intermedio autem ſpacio exit alter amnis ab ortu deſcendens verſus occaſum. Porro *Orenoques* oſtium pluribus inſulis dividitur, à quibus vada deſcendunt ad tria quatuorve milliaria in altum, à quibus mature cavendum. Ab *Ammagore* autem navigatur ad exiguam & orbicularem inſulam, quæ alteri majori adjacet, ante fluminis oſtium, à qua declinandum eſt verſus Africum & cornu terræ petendum, quod ad ſiniſtram jacet, pene milliare unum ab Inſula, atque hæc eſt latitudo alvei fluminis iſto loco. Ab hoc cornu navigatur verſus occaſum unum milliare verſus aliam inſulam quæ à dextera è propinquo ſtringenda eſt, & dimidio milliari ad Africum tendendum, ad aliam exiguam inſulam, quæ ad ſiniſtram relinquitur, uti & altera ad dexteram; ab hiſce inſulis, haud integro milliari, verſus Africum, valde coarctatur alveus ita ut certis locis vix quartam partem milliaris ſit latum; atque ita porro variis meandris, ſed maxime verſus Africum, aſcendit uſque ad oppidum *S. Thomæ*, uno atque altero loco tantum duodecim, tredecim aut quatuordecim palmos altus: hic æſtus maris ſentiri deſinit.

S. Thomas.

Fluminis oſtium diſtat ab Æquatore verſus Arctum octo gradibus & quinque ſupra quadraginta vel etiam quinquaginta ſcrupulis; oppidum autem *S. Thomæ* octo gradibus & ſedecim aut viginti ſcrupulis. Iuxta oſtium fluminis & in inſulis habitant

Tivitivæ

Tivitivæ indigentiſſima natio, quæ maximè piſcibus victitat, & certis nucibus palmitorum, magnitudine ovi, quæ racematim L aut LX generantur, aſpero & acuto putamine, carne inſtar cocorum. Hic quoque infinita pene copia volitant quædam inſecta, mole & forma formicarum, quæ quatuor alas habent, quas excutiunt ſimulac conſederint, barbari uſurpant illa loco ſevi. Habitant hic quoque *Caribes*, ſed procul intra continentem, ita ut ripæ flumina à rariſſimis barbaris jam accolantur. Ab oſtio ad viginti aut viginti quinque milliaria ripæ admodum ſunt humiles & undis pene æquales, ita ut pluviis menſibus inundentur. Ab hoc loco ſenſim ſe erigit ſolum, ita ut duas aut plures orgyas ſupra undarum ſuperficiem extet; & ubi ſupra triginta milliaria aſcenderis, tum deſinunt Inſulæ & verus *Orenoques* alveus intratur, ripis porro utrimque editis; ab eo loco ad oppidum numerant duodecim aut quatuordecim milliaria.

Oppidum *S. Thomæ* conditum eſt ad ripam fluminis ſiniſtram aſcendentibus, patetque in longitudinem pene quartam milliaris partem. Noſtrates appulerunt hic XI Decembris anni CIↃIↃCXXIX, verum oppidani, noſtros nequaquam operiri auſi, incenſis ædibus jam profugerant: quæ triginta aut quadraginta ſupra centum fuerant, leviter admodum ſtructæ, in medio erat exiguum templum, & ad extremum verſus occaſum monaſterium Franciſcanorum.

In hiſce provinciis, ut Hiſpani teſtabantur, graviſſimè pluit menſibus Aprilis & Mayo, ita ut alveus fluminis interdum tres orgyas intumeſcat; juxta oſtium fere continuo pluit, ita ut aër ibidem ſit inſalubris. Ad hoc flumen, (ſecus quam in aliis ſolet ad hanc quidem oram,) juxta oſtium nulli aut perpauci reperiuntur moſquiti, interius autem plurimi. Flumen hoc valde piſcoſum eſt, nutritque varii generis piſces & inter illos unos congris haud diſſimiles, tres quatuorve palmos longos, ventre flavo & cæruleis notulis diſtincto, patulo rictu inſtar *Torpedinis*, cum qua & hoc commune habet, quod manu aut cultro tactus, torporem ſed ad breve tempus inducat, cæterum innoxius & edulis. Volucrum quoque maxima hic eſt copia, inter quas nomen merentur plateæ, plumis rubris & ita elegantibus, ut nihil formoſius fingi poſſit. Continens autem alit omnia illa animalia, quorum in ſuperioribus jam memini; Hominum tantum hic ſumma eſt infrequentia, qui Hiſpanorum ſævitiam metuentes, alii aliò commigrarunt.

CAP. XXVII.

Deſcriptio Inſulæ quam vocant la Trinidad.

INSULA quam Hiſpani hodie vocant *la Trinidad*, longe maxima eſt earum quæ hic continenti Americæ Meridionalis objacent, quaſque illi vocant *de Sotovento*, quia à claſſibus illorum quæ continentem petunt, per medias *Caribum* inſulas, ad ſiniſtram relinquuntur: diſtat ab Æquatore verſus Arctum octo gradibus aut circiter pro partium illius diſpoſitione: ad occidentem dirimitur à continente Pariæ anguſto freto, cui Columbus primis illis temporibus nomen indidit *Boca del Drago*, à diſcrimine quo enavigatur; & concludit ampliſſimum ſinum inter ſe & *Guianæ* continentem, in quem flumen *Orenoque* pluribus oſtiis erumpit, uti ante diximus. Oviedus altitudinem polarem hujus inſulæ accuratius diſtinguens ſcribit Auſtrale illius latus diſtare ab Æquatore novem gradibus, Septentrionale decem; quod melius cum veris obſervationibus convenit, licet *Raleghus* cornu illius quod vulgo vocatur *Punta del Gallo* ſive *Curiapan* ad octavum gradum verſus Arctum collocet. Belgæ noſtri ſecundum ſuas obſervationes, deſignant Orientalem illius Angulum latuſque ſeptentrionale ad altitudinem decem graduum & triginta ſcrupulorum; & meridionalem Angulum ad altitudinem novem graduum & triginta ſcrupulorum, aut paulo plurium. Ab *Amagore* fluvio navigantes verſus Arctum paulum declinantes verſus Favonium appellunt ad quoddam illius cornu, quod vulgo dicitur *Punta Blanca*; à quo ora illius quinque aut ſex milliarium intervallo verſus Africum aut *W. S. W.* jacet uſque ad dictum cornu *del Gallo*, humile & æquori pene æquale, à quo petroſum vadum in altum deſcendit, ubi mare haud ſupra undecim aut duodecim palmos eſt altum. Ab hoc cornu ad anguſtias illas numerant quatuordecim aut quindecim milliaria. Porro fretum hoc inter

inter Continentem & occidentale Inſulæ hujus cornu, quidem circiter tria milliaria latum eſt, ſed injacent illi quatuor aut quinque inſulæ quæ illud anguſtant, & tantum anguſtos aliquot meatus relinquunt, inter quos fluctus magno impetu eluctantur: E quatuor autem meatibus tantum duo utplurimum navigantur; quorum unus quem minus os vocant, ita altus eſt ut bolide fundum tentare nequeas.

Diſtat hæc Inſula, uti ab Hiſpanis obſervatum invenio ab Hiſpaniola ducentas leucas: à Dominica ſexaginta, inter Auſtrum & Arctum: à Margarita & Cubagua quadraginta. Patet in longitudinem, ſecundum *Herreram* quinquaginta leucas (aut ut alibi ſcribit quinq; ſupra triginta aut plures) in latitudinem triginta: Secundum *Oviedum* vero in longitudinem quidem viginti quinq; leucas, in latitudinem autem octodecim aut viginti; quod vero magis conſentaneum eſt. Forma autem eſt triquetra quæ ſcriptoribus anſam dedit tam variè de latitudine illius & amplitudine ſcribendi.

Cœli vitio laborare creditur, & inſalubrior eſſe, quia utplurimum, denſis nebulis tegitur, & à vaporibus obumbratur.

De Soli qualitatibus non minus diverſa traduntur à ſcriptoribus: *Herrera* negat illud fœcundum eſſe aut ſementi faciendæ aptum; *Raleghus* qui anno cIↄ Iↄ XCV ſub illa aliquandiu in anchoris ſtetit, eamque luſtravit; ſcribit ſeptentrionale quidem latus montibus aſperum eſſe; cætera ſolo eſſe ſatis fœcundo, frugumque feraci, præſertim earum quæ huic orbis parti familiares ſunt; cannis autem Sacchari ferendis maxime eſſe idoneum: abundare Mayzio & caſſavi, & aliis radicibus quæ in cibis uſurpantur, variiſque haud inutilibus fructibus. In ſilvis magnum numerum ferarum vagari præſertim aprorum; etiam quorundam animalium quæ alibi aut non aut raro inveniuntur: ita ut incolis quantumvis numeroſis, alendis abundè ſufficiant.

Metallorum nequaquam inopem eſſe, atque adeo auri, *Ralegho* perſuaſum fuit ab Hiſpanis, ejuſque venarum haud levia indicia ab iis deprehenſa: non tamen anxie perquiſitas fuiſſe aut tentatas ab ipſis, quia ad *Guianam* auro, ut creditur, opulentiſſimam anhelabant; grana tamen nonnulla ab aliquibus collecta, & ex amniculis qui Inſulam ſecant hauſta; fides ſit penes authores.

Indigenæ uno & communi nomine vocantur *Cairi* vel ut alii *Carâi*; unde olim in duas partes ſive provincias volunt fuiſſe diviſam, quorum una dicebatur *Camucararum*, quibus præerat regulus *Baucumar:* altera *Chacomarium*, qui *Marvani* parebant.

Immigrarunt in illam è Continente & aliæ nationes, *Iaöi* nimirum juxta *Parico* ſedes ſortiti; & *Arvacæ* juxta cornu *de Carao*, ut vocant; *Sebay* vel *Salvaj* juxta *Curiapan*; *Nepoy* haud longe à promontoriolo *de Galera:* denique *Carinepagotes* haud longe ab Hiſpanorum colonia tendentes. Barbari autem hi à reliquorum habitu nihil differunt, nudi fere agunt, pinguntque corpora ſua rubrica, ut alibi de cæteris diximus.

Porro Hiſpanorum oppidulum, *S. Ioſephi* nomini ſacrum jacet ad auſtrale inſulæ latus ad ripam amniculi, qui appellatur *Carone*; conſtabat circiter quadraginta ædibus quum à *Walthero Ralego* diriperetur, & præfectus illius *Antonius de Berreo* caperetur. Non exiſtimo poſt illa magnopere auctum, nam præter Tabacci culturam nihil hic ab Hiſpanis geritur. Qui bonam partem incolarum aut alio coëgerunt concedere, aut in ſervitutem redegerunt.

Nobiliſſimus Eques *Robertus Dudleius* Anglus, qui ante *Raleghum* Inſulam adiit, narrat ſibi haud longe à *Curiapan* ab incolis barbaris, venas quaſdam oſtenſas, quas ipſi *Caluori*, id eſt, aurum occultare opinabantur; verum marcaziten tantum fuiſſe deprehenſam, quæ ſplendore ſuo ignaros ludebat.

Inter præclara hujus Inſulæ celebrant terræ quendam angulum, quem barbari quidem vocant *Pichen*, Hiſpani *Terra de Brea*, juxta quem pix quædam foſſilis reperitur tanta copia, ut innumeræ naves illa onerari poſſe credantur, quam inde devehere vix operæprecium puto, maxime quia impicandis navibus haud ſatis idoneam arbitrantur, utpote quæ à ſolis calore facillime molleſcat.

Cap. XXVIII.

De Inſula Tabago *vulgo dicta, quam noſtri jam vocant novam* Walachriam.

INsulæ Trinitatis quam ſupra deſcripſimus, vicina eſt verſus ortum, & ſeptem aut octo milliarium intervallo, Inſula *Tabago*, quam noſtri jam ab aliquot annis Novam *Walachriam* nominare cœperunt. Ea diſtat, ſecundum noſtrorum obſervationes, ab Æquatore verſus Arctum XI grad. & XVI ſcrupul. Orientale illius latus ſic ſatis editum eſt, eique objacent inſulæ duæ minores & aliquot ſcopuli. Plures habet ſinus, ſtationibus navium haud inidoneos. Verum quia in longitudinem inter Aquilonem & Africũ protenditur, ab ortu allabentes, quam difficillime ad eam poſſunt appellere, & tantum in duobus aut tribus ſinubus anchoras jacere; fluctus enim validè feruntur verſus favonium, ut caute velificandum ſit iis, qui inſulam cupiunt attingere, ne à fluctibus præter ipſam abripiantur, ut ſæpius accidiſſe meminimus.

De cœli ſolique qualitatibus vix quicquam certi poſſum affirmare, laudantur enim utraque ab his, culpantur ab illis.

Diximus aliquot ſinus habere ſtationi navium opportunos; horum unus jacet ad occidentale Inſulæ cornu, iis qui auſtrale inſulæ latus radunt peropportunus; pone humile illius cornu & ſub littore arenoſo, ubi mare à duodecim ad quinque & viginti orgyas altum deprehenditur, & anchoris figendis idoneum eſt.

Alter ſinus jacet ad ſeptentrionale inſulæ latus, diſtans à priori grande milliare: cui littus itidem eſt arenoſum; atque hic deſcendunt in mare quatuor potabiles amniculi, clauditur ab ortu edito cornu, quod circiter ſeptem aut octo orgyas fluctus ſuperat; pone quod læta planicies ſternitur, ſementi faciendæ haud inidonea.

Tertius ſinus diſtat à ſecundo verſus Arctum circiter dimidium milliare, arenoſo itidem littore, in quem quoque pulcherrimus amniculus evolvitur.

Ex hac inſula deſcendunt in altum, ad varias mundi plagas octodecim aut novemdecim amniculi potari pulcherrimi.


Præter innumeras arbores ſylveſtres varii generis; reperitur hic maximus numerus palmitorũ; quorum cacumem manditur; & non differt multum ſapore à *Crambis*; folia autem aptiſſima ſunt ad tuguria contegenda. Item *Bannanes*. Præterea arbores quædam vaſtæ & proceræ, quæ fructus ferunt inſtar prunorum, crocei coloris quos aqua coctos exprimunt: eliciuntque liquorem palato admodum gratum neque inſalubrem. Adhæc *Papaja* arbor, quæ uno anno adoleſcit & fert fructum: excreſcit autem, utplurimum ad altitudinem quindecim & non raro viginti palmorum; & craſſitudine humana: caudex autem illius eſt mollior & ſpongioſus; ſine ramis; ſed tantum foliis in ſummitate coronatus, quæ forma accedunt ad ficulnea; fructus adnaſcuntur caudici, rotundi & mole globi qui pendet XV libras, ſapore admodum ſimiles Meloni; & refertus intus granulis nigris ſapore ſinapi; denique alvum leniter creduntur laxare: fructus maturantur omnibus anni menſibus. En tibi Iconem.



Papay.

Reperitur hic quoque arbor illa, quæ fructus fert admodum grandes, inſtar cucurbitarum; ita ut à noſtris acceperim viſi nonnumquam qui duas ſtopas & dimidiam, ut noſtri loquuntur, caperent: folia hujus arboris ſunt longiſſima ſed anguſtiora & obtu-

& obtuſa: fructus annaſcuntur trunco & majoribus ramis, cortice duriſſimo & pene ligneo, ſed non adeo craſſo; pleni pulpa quadam ſpongioſa, optimi ſaporis; ſuccus dicitur alvum, & ſanguinis profluvium ſiſtere: naſcitur locis modice humidis datque fructus pene omnibus anni menſibus. Iconem à quodam noſtrorum acceptam hic adjungo.



Naſcitur hic quoque Arbor mirabilis quæ copioſam admodum reſinam fundit vel leviter vulnerata, crocei coloris; à ramis hujus arboris deſcendunt certa filamenta, quæ poſtquam terram attigerint, radices agunt, & ramos veluti ſuſtentant: folia habet lata, ante obtuſa & craſſa lanugine tecta; fructum fert pene inſtar capitelli papaveris, qui licet & ipſe reſina ſive gummi ſcateat, à pſittacis tamen avide manducatur. Nos folia & fructum hîc adjungimus.




Itidem Arbor, cujus materies rubra eſt inſtar ligni Braſiliani, folia pene orbicularia, fert racematim fructus uvis haud diſſimiles, ſaporis admodum grati; naſci-

naſcitur potiſſimum juxta littora. Foliorum & fructuum Iconem adjicimus.




Denique Arbor quæ caſſiæ quandam ſpeciem producit, verum ſilveſtrem; procera arbor foliis inſtar *Tamariſci:* fructus ſimilis eſt veræ Caſſiæ, ſed groſſior, cellulis ad eundem modum diviſus; ſed pulpa illius eſt amarior & aſtringendi facultate prædita ſupra quidem deſcripſimus ſimilem arborem ſub nomine *Mizquitl*, ſed ſapor ſiliquarum non convenit. Foliorum & fructus Iconem hic damus, prout accepimus. l.5.c.3.



Inter plantas celebrant illam quam ſupra deſcripſimus, & à noſtratibus diximus appellari *Slijptongen.* l.16.c.12.

Itemque altera inſtar Aloes, quæ ſemeſtris ſpatio caulem emittit interdum triginta palmos altum, in cujus ſummitate naſcuntur fructus; forma pyris haud

diſſimiles, ajunt folia illius ſaponis vicem quamoptime explere. Iconem hic adjungimus.



Animalia hic reperiuntur varia: nimirum porci Americani raris villis, & umbelico in dorſo, ad Continentem, vocantur à barbaris *Pacquires*, craſſo lardo; tum Caſſecamans ſive Armadilli: itemque Iguanæ: & animalcula quæ fœtus ſuos in Sacculo circumgeſtant.

Aves quoque hic quamplurimæ, præſertim Pſittaci variorum colorum, turtures; aliæ: plurimæ quoque littorales & marinæ volucres, quæ facile in nidis ſuis intercipiuntur utpote hominum inſuetæ.

Mare quod ambit, valde eſt piſcoſum, præſertim juxta littora, & in ſinubus. Marinæ denique teſtudines immenſo numero ſolent ad littora adnatare à menſe Aprili ad Septembrem; quibus menſibus ova ſua excludunt; capiuntur noctu, nullo pene negotio, modo animum diligenter advertas.

Paulo prolixiores fuimus in hac inſula deſcribenda, quia indubia fide hæc accepimus à noſtris qui Inſulam jam ab aliquot annis cæperunt colere.

DESCRIPTIO



VEN
OCCIDEN
NOVÆ
C. de la Vela
C. de Coquibocoa
Monjes
Portete
B. Honda
Coquibocoa
I. Aruba
Quraçao
Bonayre
I. d'Aves
C. San Roman
Golfo de Venecuela ó de Coro
Pa: rago: ana
La Rancheria
Rio de la Hacha
Nuestra Señora delos remedios
Puerto d'l Pico
Coro
Porto de Guayra
Sierras de Xizaharas
Pocabuyes pop.
Lago de Mara caybo
Axaguas pop.
Alcoholados pop.
Llanos de Carora
Nueva Valentia
Laguna de Tocarigua
Provincia de St Iago de Leon los Caracas
VE NEZVELA.
Laguna
Portilla de Carora
Bobures populi.
Nueva Xerez
Valle de Ambroſio
Sierras de San Pedro
Xuruara prov.
Nueva Segovia
Coromochos pop.
Bariqui cemeto provincia.
Trugillo, ó Nra Sra dla Paz
R. Tucuyo
Tucuyo
R. Bariquicemeto
Prov. de Cuycas.
WEST
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5



RDT
VELA,
ue
LIS PARS
DALVSIÆ
Dominica
Matalino
S.ta Lucia
S. Vincente
Bekia
Vogeleylandt
I. Blanca
Orchilla
Granada
Tabago
Tortuga
Frayles
Cola
Margarita
Teſtigos
Mor negro
S. Pedro
Cobana
Coetza
P. Araya
C. 3. puntas
Bocca del drago
Pta de Galera
Salina
G. de Cariaco
I. de Caribes
I. S. Ioan
C. Salinas
I. dla Trinidad.
S. Ioſeph
Golfo de Paria.
Iaropas
Monopado
Pta del Gallo
Brea
P.ta dlos Blanquiſales
Comana
nueva Cordoba
Indios de Perito
PARIA.
Indios Palenques.
Orinoque.
Worinoque ó
NVEVA ANDALV
S IA
Huriapari,
Rio de Paria, Yuyapari,
Iwarepice.
S. Thomas
Anglicæ leucæ 20 in vno gradu.
Hiſpanicæ leucæ 17½ in vno gradu.
Germanica milliaria 15 in vno gradu.
OOST

[illegible]

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER DECIMUS OCTAVUS.

NOVA ANDALUZIA.

INTRODUCTIO.

Eduximus jam deſcriptionem Americæ Meridionalis ad illam partem Continentis quæ Orientali ſua parte fines jungit cum maximo flumine Orenoque *quod ſuperiori libro deſcripſimus, & cum freto illo cui Inſula* Trinitatis *objacet, atque frequentibus illis inſulis, quæ quamplurimis oſtiis magni illius fluminis diſſecantur; quæque longo latoque terrarum tractu prominet verſus Occidentale inſulæ* Trinitatis *cornu, à quo anguſto illo freto dirimitur, quod ſupra* Boca del Drago, *id eſt,* os Draconis *appellari diximus. Porro Continentis hæc portio olim ab Hiſpanis dicebatur* Nova Andaluzia; *quod nomen commune eſt plurium provinciarum, quæ ab hiſce limitibus ad Occidentem pertendunt uſque ad præfecturam* Rio de la Hacha; *quarum quidem præcipua & maxime Orientalis appellatur* Cumana, *cui famoſæ aliquot inſulæ prætenduntur; præſertim* Cubagua *&* Margarita; *quæ olim celeberrimæ fuerunt ob opulentam capturam concharum* Margaritiferarum: *E quarum regione prominet terræ cornu quod vulgo dicitur* Punta de Araya *nobiliſſimis ſalinis notiſſimum: Occidentalior autem illius pars eſt præfectura* Venezuela: *licet autem hæc Continentis pars plures alias provincias complectatur, tamen in duas potiſſimum partes deſcriptionem illius dividemus,* Cumanam *ſive* Novam Andaluziam *proprie dictam &* Venezuelam. *Quanquam autem hæc Continentis pars inter primas ab Hiſpanis fuerit detecta & crebriùs adita, tamen omnium negligentiſſime illam ab ipſorum ſcriptoribus invenimus deſcriptam: conabor tamen, quantum potero, aliquid lucis ipſi è noſtrorum & aliorum obſervationibus affundere.*

INSVLA MARGARITA.

CAP. I.

Deſcriptio nobiliſſimæ Inſulæ Margaritæ.

ANTEQUAM deſcriptionem Continentis hujus Americæ Meridionalis proſequamur, neceſſarium erit Inſulas aliquot perluſtrare, quæ hîc illi objacent, ob varias circumſtantias, quæ in Continentis delineatione ad has referuntur. Inter Inſulas autem haſce principem locum meretur nobiliſſima Inſularum MARGARITA. Quam Chriſtophorus Columbus primus invenit anno CIↃ CCCC XCVIII nimirum tertia ſua ad partes haſce Americæ navigatione: nam paulo magis verſus Auſtrum, ab inſulis primum ab illo inventis, provectus incidit in Inſulam, cui nomen indidit *la Trinidad*, quod hodieque obtinet, ut ſupra diximus, & penetravit in fretum illud quod inter hanc inſulam & continentem veluti concluditur, quod ille tum appellavit *Golfo de la Vallena*; vidit quoque Her. d. 1. l. 3. c. 10.

quoque eminus continentem *Pariæ*, uti hodie dicitur, ſed inſulam eſſe credens nominavit Inſulam *Sanctam*, & poſtea *de Gracia:* Inde cum ſummo diſcrimine per *os Draconis* eluctatus, adiit varios portus Continentis, inſulam opinatus, quam vocavit *Pariam*. Adnavigavit deinceps varias inſulas, quarum uni impoſuit nomen *Aſſumcion*, alteri *la Concepcion*; & tribus minoribus *los Teſtigos*; poſt illas alii inſulæ *el Romero*; aliis itidem *las Guardas*; atque ita tandem pervenit ad *Margaritam*. Pauca autem nomina quæ ille tum impoſuit hodie durant, uti in progreſſu apparebit; nunc Inſulam hanc deſcribemus.

Inſula *Margarita* (inquit *Herrera*) patet in longitudinem quidem circiter quindecim leucas, in latitudinem autem ſex; grata viriditate peramæna aſpectu, & quondam indigenis frequentiſſima. Diſtat ſex ſeptemvis leucis ab Americæ Meridionalis continente, anguſto freto interluente, in quo duæ inſulæ jacent *Cubagua* & *Coche*, brevi intervallo à ſe invicem diſiunctæ, de quibus mox dicetur. Abeſt autem ab Inſula Trinitatis (ſecundum *Herreram* in deſcriptione Indiarum) viginti leucis verſus occaſum; ſecundum noſtrorum vero obſervationes; octo aut novem milliaribus ſupra triginta: ab Hiſpaniola denique ſecundum eundem *Herreram* leucis centum & ſeptuaginta.

Diſtat autem ab Æquatore ſecundum accuratiſſimas obſervationes, verſus ſeptentriones gradibus undecim; quod de parte Inſulæ pene media intelligendum.

In longitudine autem illius diſcrepant nonnihil ſcriptores; ſunt qui ſedecim illi leucas tribuant: Oviedus univerſum illius ambitum definit quinque & triginta leucis.

Potabilium quidem aquarum pene eſt inops, quas è continenti & præſertim è provincia *Cumana* petere conſueverunt; fertilis tamen & arborũ lucis peramæna, paſcuis quoq; dives, & *Mayzii* uberrimo proventu, aliorumq; fructuum copia commendatur.

Duo omnino Hiſpanorum municipia ab *Herrera* produntur, unum ſub Arce, quam Oceanus alluit, Gubernatoris hujus inſulæ Domicilium: Alterum duabus leucis à mari ſejunctum quod Hiſpani vocant *El valle de Santa Luzia*,

Teſtigos. Ad ortum ipſi objacent inſulæ aliquot vel potius ſcopuli, quos vulgo vocant *los Teſtigos*. Invenio à noſtratibus obſervatum, numero eſſe octo, edito ſolo; & diſtare ab Æquatore verſus Arctum undecim gradibus & triginta quinque ſcrupulis, & ab Inſula *Granada* verſus Africum circiter ſeptemdecim milliaribus.

Porro Noſtrates qui hanc Inſulam luſtrarunt longe aliter de illa judicant: nam utrumque illius angulum, tam ad ortum, quam ad occaſum, in juga erigi teſtantur, medium autem Inſulæ veluti ſubſidere in arentia & ſiticuloſa arva, ſolo nitroſiore atq; adeo infæcundo; atque maligne admodum annonam & alia neceſſaria incolis ſuis ſubminiſtrare: Piſcatio tamen in ambitu ſatis commoda quæ magnam victus partem ſuggerit: Mayzio communiter utuntur, è quo placentas quaſdam coquunt.

Locupletiſſima unionum piſcatura hic multis annis floruit, itaque ad Orientalem Inſulæ angulum quondam Arx fuit exſtructa, quam vulgo vocant *Monpater*, non magni hodie momenti, ut noſtri teſtantur, ſub qua Hiſpani naves ſuas in anchoris ſiſtunt. Præcipuum municipium in mediterraneis ſitum eſt, vergens ab Arce verſus Occidentem; à quo haud longo intervallo abeſt pagus *Makanao*.

Peculiarem habet Gubernatorem, præcipuæ quum floreret Inſula Dignationis; pertinebant enim tunc ad illam plurimæ celoces, quas in unionum captura uſurpabant; ad quam Nigritarum opera utebantur; quos ex Africæ continenti juxta Promontorium viride, è *Guinea* atque Angola advectos magno precio à mangonibus redimebant, & urinandi artem edocebant; detrectantes autem aut tardiores immanibus ſuppliciis compellebant: opus quippe permoleſtũ & magni diſcriminis, oſtrea, quibus uniones continentur, à latentibus ſub æquore ſaxis, & in quinque, ſex, nonnumquam & ſeptem octove orgyarum altitudinem demerſis, avellere magno conatu & dudum ſub fluctibus hærere; ubi miſeri nonnumquam à Tuberonibus graviter lædebantur & non raro membris mutilati exſpirabant: emergentibus autem & præ anguſtia reſpirationis pene deficientibus aut Tabacci aut vini hauſtum præbebant. Unionum captarum quinta pars Hiſpaniarum Regi cedebat. Ab aliquot jam annis hæc unionum captura multum eſt imminuta, ſi non penitus defecit: cauſa incerta eſt, ſive oſtrea aliò commigrarunt, ſive quod magis veriſimile eſt, Hiſpanorum inſatiabilis

avaritiæ

avaritia ſeminium oſtrearum immaturè prævortit, atque propagationem impedivit; atque ita jam obſcurior hujus Inſulæ fama eſt.

Indigenæ quia ſponte Hiſpanos admiſerant, & tantum unionum, quas ipſi nihili faciebant, theſaurum expoſuerant, libertatem ab Hiſpaniarum Rege adepti, multi hodieque ſuperſunt, & Hiſpanis ſupramodum obnoxii, & dicto audientes habentur.

Balduinus Henricedes Edamenſis Exconſul, cum Claſſe Societatis Indiæ Occidentalis hic appellens anno cIↃ IↃ cxxvi Arcem quam diximus, cepit, & muros illius diſiecit, deductis quatuor æneis & ſeptem ferreis machinis.

Cap. II.

Inſulæ Cubagua *&* Coche *deſcriptæ.*

Diximus ſupra, inter Inſulam *Margaritam* & Americæ Meridionalis Continentem duas minores Inſulas jacere *Cubaguam & Cochen*; quarum ſuperiori ſeculo magna fuit dignitas, quum unionum captura floreret, nunc illa deficiente, obſcura admodum fama; ita ut ſane illas præterire potuerim, niſi & præcedentium operæpretium eſſet meminiſſe.

Cubagua, ſecundum *Oviedum*, cujus tempore imprimis florebat, diſtat ab Inſula l. 19. c. 1.
Hiſpaniola circiter centum & ſexaginta leucis; ab anguſtiis illis quas vocant *Boca del Drago* ſive promontorio Salinarum illis adjacente pene quinquaginta leucis verſus occaſum, à *Margarita* circiter leucam unam, complectitur in ambitu tres leucas. Solo eſt admodum effæto, & fere nitroſo aut ſalſo; fontium & aquarum potabilium plane inops; rariſque arboribus veſtita præſertim *Guayacan*: denſo tamen vepreto, quod pene inviam facit: Nam ut obiter hic moneam, tam in inſulis hiſce quam in Continente, locis incultis & alibi paſſim naſcuntur vepres, ſive cardui, longiſſimis & acutiſſimis ſpinis armati; quarum Clar. Car. Cluſius meminit & Iconem exhibet in exoticis. Ad- l. 2. c. 6.
juncta (inquit) erat ſpina, cui certe ſimilem videre non memini: etenim tametſi non integra quinque unciarum longitudinem ſuperabat, lævis, politiſſima, & præ nigrore ſplendens, adeo ut mihi primo adſpectu imponeret, & dentiſcalpium ex teſtudinis marinæ teſta confectum eſſe exiſtimarem: paulo tamen anguſtior erat. Eam autem ex Cardui alicujus capite detractam fuiſſe veriſimile eſt: nam altera brevior & confracta (valde enim fragiles ſunt) addita erat, quæ infima parte veſtigium adhuc retinebat, quo cardui capiti, aut alteri plantæ, cui annata fuerat, videbatur adhæſiſſe. Hæc ille. Vidimus plures ejuſcemodi ſpinas, & variæ longitudinis, non tamen majoris, quam quæ hic à Cluſio proditur; plantæ deſcriptionem accuratam nondum potui adipiſci, ſed toto illius corpori annaſci mihi ſatis conſtat: parte autem qua plantæ ad hæret veſtita eſt lanugine quadam fuſca, cætera ſplendens & nigerrima.

Cæterum præterea nihil pene herbidi ſortita tellus, unde neque animalia hic reperiuntur præter paucos cuniculos: raræ quoque aves præter marinas aut littorales. Barbari qui hanc incolebant, quum Hiſpani hic primum appellerent, victitabant potiſſimum piſcibus & imprimis oſtreis *Margaritiferis* illis, & aquam petebant è *Cumana*, quæ ſeptem leucis hinc abeſt: pingebant autem cutem variis coloribus, ad aliorum barbarorum normam. Latus illius Auſtrale diſtat ab *Araya* quatuor aut quinque leucis ſecundum Oviedum: portum autem vel potius ſtationem ſatis commodam habet ad ſeptentrionale ſui latus. Teſtatur Oviedus ad cornu illius Orientale ſcaturire liquorem quendam aromaticum, reſinoſum & alicujus in Medicina uſus, qui undis ſuperfluitat.

Fuit ſuperiori ſeculo juxta hanc inſulam unionum captura imprimis opulenta; adeo, ut memoriæ traditum invenerim, non paucis annis, quintam partem, quæ Regi Hiſpaniarum debetur, valuiſſe quindecim millia ducatorum; erant autem tum uniones, præ nimia copia, fere triplo viliores quam ſunt hodie; ita ut monſtro ſimile videatur tam parvo ambitu tantum theſaurum ſingulis annis ex alto erui potuiſſe: & non mirum eſſe oſtrearum propaginem penitus exhauſtam.

Hac æquoris opulentia & inſulæ opportunitate allecti Hiſpani deduxerant ſuperiori ſeculo huc coloniam, condiderantque oppidulum *Novum Cadiz*. Anno autem cIↃIↃxxi quum barbari Continentis monaſterium fratrum minorum in *Cumana* fun-

ditus evertiſſent,Hiſpani licet numero haud infra trecentos,ſibi nimium metuentes, inſula derelicta profugerunt in Hiſpaniolam : Verum Conventus Juridicus *S. Dominici*, quantocius miſit *Iacobum Caſtellonem* cum quinque onerariis,qui oppidum reſtauravit & lapideis ædibus plurimum auxit atque ornavit:floruit deinceps pluribus annis & quandiu unionum captura vigebat, verum illa deficiente, non modo & ipſum defecit,ſed plane fuit derelictum,ita ut nullum hodie illius veſtigium videatur; aut ulla inſulæ ratio habeatur.

Coche altera inſula, ſed minor; diſtat à *Cubagua*, circiter quatuor milliaribus; verſus ortum & Continentem; ambiens pene tria: humili ſolo & æquori pene æquali:juxta hanc quoque imprimis nobilis & dives unionum captura pluribus annis viguit, inde ab anno cIↃIↃxxix, quo primum fuit inventa.Sunt qui memoriæ tradiderunt,mille quingentas marcas unionum hic uno menſe fuiſſe captas, variæ molis & formæ: Hodie autem nulla hujus inſulæ ratio habetur, neque dudum ullæ uniones hic reperiuntur, non magis, quam circa *Cubaguam* aut *Margaritam*.

Obſervandum autem ſuperiori ſeculo non tantum juxta haſce inſulas, ſed etiam ſecundum univerſam hanc oram, inde à Freto Pariæ uſque ad Promontorium quod vocant *de la Vela* & ultra, unionum copiam fuiſſe inventam, è qua Hiſpani ingentes divitias hauſerint, unde oram hanc, quæ fere ad quadringenta milliaria ſe extendit, ſolent appellare *Coſta de las Perlas*.

ARAYA.

CAP. III.

Deſcriptio Promontorii quod vocant Araya, *& famoſarum ſalinarum quæ illi adjacent.*

REVERTOR nunc ad Continentem & quidem illam partem,quæ exordium ſuum ſumit à Promontorio quod vocant *de Salinas*, vel etiam *Pariæ*, è regione extremi Anguli Inſulæ *de Trinidad* verſus occaſum, & ab inſula anguſto freto, vel faucibus *Draconis* dividitur; pertinetque ad alterum promontorium quod vulgo dicitur *Punta de Araya*, quod pene celebres illæ *Salinæ* ſitæ ſunt: Intervallum ferunt eſſe circiter ſeptuaginta leucarum: verum adeo nihil plane ſingulare ſortitur, ut vix ulla alia Americæ Meridionalis pars hodieque obſcurior ſit: nam præter pauca nomina promontoriorum aut ſinuum,quæ obiter in Tabulis Hydrographicis deſignantur; uti promontorii *de tres Puntas*, ut vocant, quod pene medio hujus intervalli ſpatio in altum egreditur; & ſimilium; vix quicquam animadverſione dignum à quoquam gentium obſervatum inveni.

Promontorium autem de *Araya*, quod famoſiſſimum eſt in hac parte, prominet acuto pene angulo in altum, ex adverſo occidentalis cornu Inſulæ *Margaritæ*; atque concludit ab oriente fretum, quod hic ad plurimas leucas penetrat intra Continentem & appellatur vulgo ab Hiſpanis *Golfo de Cariaco*: quod ibi quidem latiſſimum eſt, ſed ubi paululum proceſſeris anguſtatur, pene è regione viæ quæ ducit ad oppidulum *Cumanam*. Solum hujus promontorii uti & Continentis ad aliquot leucas humile eſt & fruticeto atque vepribus illis obſitum de quibus ante diximus. Pone ipſum Promontorium jacet Salina haud ita magna neque copioſa; & quod importunum navigantibus, longius à littore remota, unde Sal haud facile ex illa peti poſſit.

Verum paulo interius, flectit ſe continens cubito quodam aperitque patentiſſimum ſinum ad quem jacet longe maxima & copioſiſſima Salina, qualis hactenus nuſquam fuit reperta; neque ſupra trecentos paſſus diſtans ab ora maris; in qua nullis non anni menſibus Sal optimus & duriſſimus reperitur;interdum ſub muria latens,interdum & extans,pro variis anni tempeſtatibus: nam pluviis menſibus,neque tantum ſalis hic reperitur, neque tam facile poteſt deduci, quam æſtivis.

Variant judicia de origine hujus Salis; ſunt enim qui opinentur, fluctus marinos à validis tempeſtatibus in littus propulſos in ſtagnum recipi & cum exitus non pateat à Sole in Salem coagulari,ut fieri ſolet in Salinis quas induſtria hominum in Hiſpania atque Gallia invenit: alii negant fluctus ingredi poſſe ob orarum convexitatem, ſed

undas

undas illas ſalſas è ſcaturiginibus promanare aut per occultos terræ meatus ex æquore exundare. Eorum autem judicium maxime probaverim qui è fontibus promanare arbitrantur; niſi forte & pluvias aquas à ſalſugine telluris, quam hic paſſim nitroſam eſſe ſatis conſtat, in muriam & ab æſtu Solis qui hic admodum vehemens eſt, in ſalem ex coqui credamus. Atq; id ſatis patet exemplis multarum ſalinarum, quæ in Mediterraneis & quam longiſſime ab omni mari, tam in Aſia quam Africa obſervantur, ad quas aquas maritimas per meatus ullos penetrare nullo modo veriſimile eſt. Solent autem ii qui ſalem ex hac Salina petunt, lembis & cymbulis, quibus alvei plani ſunt, eam ingredi, & ſalem ferreis inſtrumentis excidere, atque in cymbas acceptum ad oram perducere, magno labore & apparatu; dein truſatilibus vehiculis ad ipſum mare promovere, & denique majoribus cymbis ad onerarias vectare.

Salina hæc in plano ſolo ſita eſt, clauditur tamen à variis partibus, præſertim ab Auſtro, editis montibus: totaque regio effæta eſt, ſiticuloſa, neque ullis amnibus aut fontibus rigua, ita ut incolis aqua, quam potent, aliunde petenda ſit, non minus quam annona: utrumque autem ſolent petere ex adverſa parte Continentis; & aquam quidem è fluviolo ſatis limpido, qui circiter tribus milliaribus inde diſtat intra fretum illud Mediterraneum, & vulgo ab Hiſpanis vocatur *Bordones:* commeatum autem à *Cumana* municipio. Alit nihilominus vicina regio plurimas feras, cervos, capreas, lepores, cuniculoſque præter plurima animalia noſtro orbi ignota; quædam etiam noxia animantia & hominibus infeſta, tigres atque ſerpentes: mare quoque pluribus piſcibus fætum ita ut perfacile etiam retibus in littus attrahi poſſint. Cæterum tellus quæ Salinas ambit ad ipſum pene æquor, ſcatet vepribus ita aculeatis, ut iter perdifficile ſit; niſi ante magno labore trames exſcindatur.

Noſtrates conſueverant jam à multis annis, nemine vetante aut impediente, hic appellere & ſale naues ſuas onerare: verum anno cIↃIↃCV menſe Novembri ſupervenit inopinantibus ex Hiſpania Claſſis octodecim navium, multo milite & belli apparatu inſtructarum; quæ noſtros imparatos facile oppreſſit & naves eorum cepit atque abduxit: alii enim in ipſa Salina cymbulis ſalem conquirebant, alii vehiculis protrudebant; aut majoribus cymbis ductabant ad naves; nihil in navibus paratum ad reſiſtendum, quia nihil hoſtile adhuc metuere conſueverant: Sævitum dein in miſeros ab Hiſpanis, pro illius gentis conſuetudine & affectu in Belgas: quidam ſuſpenſi; plures ſervituti addicti & ad remigium in triremibus in oppido *Cartagenæ* damnati; quorum pauci admodum poſt inducias cum Hiſpaniarum Rege ſancitas, poſt longas miſerias domum incolumes redierunt.

Repetita deinceps induciarum tempore à pluribus navigatio, ſed cautius, ut aliorum calamitate jam edoctis; præſertim à Weſt-Friſiis noſtris. Donec Rex Hiſpaniarum aditum ad Salinam, Arce valida ibidem conſtructa, impediret.

Anno enim cIↃIↃCXXII, quum jam Societas Indiæ Occidentalis ab Illuſtriſſ. D. D. Ordinibus Generalibus confœderati Belgii ſtabiliretur, & non levis controverſia orta eſſet inter provinciales utriuſque Hollandiæ de Salinis hiſce, quas Boreales limitibus Societatis includi nolebant, Directores vero Societatis omnino includendos pertendebant: Hiſpaniarum Rex, qui harum molitionum minime ignarus eſſe poterat, uſum harum Salinarum noſtris præripere in animum induxit; quod quum facere aliter non poſſet, Arcem hic validam molitus eſt & multis machinis inſtruxit atque idoneo militum præſidio.

Arx autem hæc quemadmodum à multis qui viderunt accepimus, ad hunc modum ſe habet; Exſtructa eſt ſuper petram modicè editam ſupra reliquum ſolum, circiter centum, neque multo pluribus paſſibus à mari: forma quadrata, quatuor propugnaculis diſtincta: latus illius Orientale ſive quod Continentem reſpicit, valido muro è vivo ſaxo eductum eſt, & pene quadraginta palmos altum; reliqua dimidiam habent altitudinem: latus denique quod ſtationem aſpicit, omnium invalidiſſimum eſt & humillimum: In Machinarum numero variant, qui minimum, tribuunt triginta & tres, quarum pene media pars ex ære conflata dicitur. Præſidiariorum quoque numerus incertus, numquam tamen uti volunt minor ducentis.

Imminet huic arci mons, tantum convalle ab ipſa diviſus: omniſque annona bis ſingulis ſeptimanis à *Cumana* petitur; præter ea quæ Hiſpania mittit, oleum, vinum,

veſtes & ſimilia. Habent & ſpeculam in vicino monte, qui præſidiarios mature monet, quando naves ex alto allabuntur.

Nomen Arci dederunt *S. Iago:* quæ ſane tam opportuno loco collocata eſt ad Salinas cuſtodiendum, & naves inimicas arcendum, ut opportunius non poſſit; nam minori bombarda ferire poſſunt quoſvis qui Salinam ingredi tentaverint, atque etiam naves in anchoris ſtantes valide quatere & perforare.

CUMANA vel COMENA.

Cap. IV.

Cumanæ *provinciæ deſcriptio, cœli ſoliqui qualitates, animalia, Indigenarum denique mores.*

ARayam excipit *Cumana* vel *Comena*, è regione promontorii *de Araya*, atque Inſulæ *Margaritæ:* diviſa à famoſis illis Salinis & vicinis provinciis per fretum illud quod *Golfo de Carriaco* vel etiam *Comenæ* diximus appellari; penetrat autem intra Continentem, ut Hiſpanis placet, circiter quadraginta leucas; ſuperioribus ſeculis in ambitu à frequentibus barbaris accolebatur: qui ut fere cæteri nudi agebant, præterquam mares qui pudenda ſua cucurbitarum collo, aut conchis quibuſdam, cannis, aut denique aureis thecis concludebant; vel vulgò tenia aut faſcia goſſypina inter fœmora reducta abſcondere moliebantur.

Ad bellum autem progredientes, palliola humeris circumdabant, ſeque plurimis plumis decoris gratia ornabant: feſtis quoque diebus cutem illinebant tenaci quodam glutine, & plumas quaſdam parvas variarum avicularum afflabant, volucres æmulantes: pilos quidem barbæ penitus evellebant; capitis vero ſupra aures in orbem attondebant: dentes quam nigerrimos habere imprimis formoſum putabant, itaque folia cujuſdam herbæ continuo pene in ore geſtare & maſticare ſoliti; cujus beneficio & hoc conſequebantur, quod utplurimum à dentium doloribus vacarent, & beneolentem halitum ſibi conciliarent.

Iuvenculæ prorſus nudæ incedunt, & inter formæ decora exiſtimant craſſas & obeſas ſuras: quas arte quadam ſibi conciliant; à teneris annis crura valide ſub genubus conſtringendo: pudoris aut pudicitiæ perexigua illis cura: verum poſtquam uni viro conjunctæ ſunt, tum & velare obſcœna & paulo caſtius agere incipiunt, metuentes maritos adulterii vindices.

Reguli plures atque adeo ſumunt quot lubet, & id imprimis hoſpitale autumant, advenis ſuas concubinas ad tempus elargiri. Fœminæ non abhorrent ab ullis exercitiis virilibus; facile enituntur: & fœtus ſuos educant diligenter; & quia formoſum putant, longa facie & genis gracilibus eſſe, capita infantium leniter comprimunt inter duo pulvinariola. In cibos adhibent omnis generis animantia, ita ut ne ab immundiſſimis quoque dicantur abſtinere; licet neque farre, neque laudatis carnibus atque piſcibus deſtituantur; & non inſipidum potum noverint conficere. Horum barbarorum adhuc in hac parte Continentis magna eſt copia; qui hactenus libertatem ſuam fortiter adverſus Hiſpanos defenderunt, & non raro ipſis damnum inferunt.

Laborant hi barbari atque caligant plerumq; oculis; quod quidam opinantur illis accidere ab aquæ potu, quæ è maximo hujus provinciæ flumine hauritur, quod & *Cumana* vulgo appellatur; ſed magis aſſentior iis qui illud improbo nutrimento quo utuntur attribuunt. Fœminarum fere munus eſt tellurem colere, fodere, Mayzii & Axi ſementem facere, cucurbitas & alios fructus ſerere & annonam procurare. Olim & hoſtium ſuorum carnibus, quos in bello aut aſtu ceperant, avide veſcebantur: neque à mancipiorum ſuorum, quos redemerant, carnibus abſtinebant; hos etiam ſi graciliores eſſent, ſaginabant inſtar porcorum.

Inter arbores quæ ſponte hic paſſim naſcuntur memorantur à ſcriptoribus Hiſpanis; quædam quæ lacteum quendam liquorem fundunt, qui durus admodum evadit inſtar gummi & ſuavem odorem de ſe fundit; aliæ quæ liquorem quendam edunt inſtar lactis coagulati, qui in cibis ab ipſis uſurpatur ſine noxa.

Aliæ

Aliæ itidem quæ fructus ferunt inſtar mororum, è quorum ſuccu ſyrupum efficiunt imprimis utilem adverſus raucedinem: harum materies adeo ſolida eſt atque dura, ut inſtar ſilicis ignem ejiciat colliſa.

Arbor præterea materie beneolente ad modum cedri, cujus ſpecies videtur, quæ utiliter ad varia fabrilia opera adhibetur, ſed ſi panem aut ſimilem annonam eis concludas, contrahunt ingratum amarorem: utiliſſima denique cenſetur ad naves fabricandas, minus enim ſentit cariem.

Eſt & quæ tenaciſſimum viſcum fundit, quo in aucupiis utuntur, & cutem ſuam inungunt, quum plumulas afflare deſiderant.

Caſſia denique ſolutiva hic paſſim ſponte naſcitur, ſed dubito ſilveſtrem illam eſſe ſpeciem cujus ſupra meminimus, licet & genuinam habeant.

Tellus quoque luxuriat variis & beneolentibus floribus, præſertim roſis, licet quidam flores tam fragranti ſint odore ut cerebrum tentent, atque offendant.

Præter leones, tigres, apros aliaque ferocia animalia; etiam quædam animantia hic reperiuntur, aliis provinciis inſueta, aut ſaltem non ita familiaria; inter quæ ſcriptores memorant unam ſpeciem, quam barbari ſuo idiomate vocant *Capam*; quod animal mole pene ſuperat aſinum, villoſum & atrum, atque admodum ferox; licet hominum conſpectum metuat, atque fugiat; adverſus canes etiam plures fortiſſimum, quos & intrepide manet & non raro enecat atque devorat. Capa.

Itemque alterum animal, quod ipſis appellatur *Aranata*; mole quidem venatici canis, prolixa autem barba inſtar hirci; & horrendum quoddam murmur ciens: minime tamen carnivorum, ſed fructibus arborum victitans, quas facile aſcendit: hæc animalia fere gregatim dicuntur incedere. Aranata.

Capiuntur hic quoque quidam feles ſilveſtres, ſimiis haud abſimiles, qui catulos ſuos ſupra modum diligunt, eoſque in ulnis circumgeſtant, & cum iis quandiu teneriores ſunt, arbores ſcandunt: catuli autem longe pulcherrimi ſunt, & admodum ingenioſi, ita ut ab Hiſpanis magni fiant.

Reperitur hic & aliud animal valde ferox & hominibus infeſtum, moloſſi pene mole, quod barbari ſupra modum metuunt, ideoque noctu nunquam prodeunt (eſt enim animal noctu ambulum & quod interdiu rariſſime videtur) ſine ardenti teda; narrant autem inſignem hujus feræ aſtum, quo conſuevit juxta tuguria ejulatum edere inſtar infantis, ut homines eliciat è tuguriis, atque inopinantes opprimat.

Volucrum omnis generis hic magna quoque eſt copia atque varietas, imprimis elegantiſſimorum Pſittacorum & ſimilium. Veſpertilionum ingentium maxima copia, qui inter lues hujus provinciæ merito numerantur: licet non deſint & aliæ atque imprimis culices, *Moſquitos* vocant, corpore quidem exili ſed tam acriter pungentes, ut noctu vix ſomnum capere liceat, niſi remedium aliquod opponas.

Apum quæ mellificant tres hic reperiuntur ſpecies.

Aranei atque phalangii longe grandiores quam in Europa & diverſorum colorum, qui telas nent ita pertinaces ut vix diſrumpi poſſint.

Mare quod alluit egregie piſcoſum eſt: amnes quoque pluribus piſcibus fœti, ita ut hæc provincia commeatu omnis generis abundet.

In fluminibus denique reperitur magnus numerus crocodilorum, quos hic vulgo vocant *Caymanes*, & Hiſpani *Lagertos*; qui neque forma neque natura differunt ab iis quos Nilus alit; licet mole nonnihil differant.

Cap. V.

Eorum quæ ſuperiori ſeculo ab Hiſpanis crudeliter in hac Continentis parte geſta fuerunt: & municipii Cumanæ *deſcriptio.*

Licet Hiſpani in omnibus pene Americæ provinciis in miſeros barbaros ſævierint, nuſquam tamen tam aſtutè atque crudeliter ſunt graſſati quam in hac. Narrat enim *Herrera*; monachos ordinis S. Dominici, anno cIↃ IↃ XIII d.1. l.9. obnixe ab Hiſpaniarum rege poſtulaſſe ut ipſis ſolis liceret indigenas hujus conti- c.14: nentis ad Chriſtiana Sacra pellicere & religionis principiis imbuere; quod quum facile à religioſo imperatore impetraſſent; duo tantum in hanc provinciam haud longe

longe à *Cumana* fuerunt expoſiti; & à barbaris perhumaniter accepti, ita ut magna ſpes eſſet illos non modo cicurari, ſed ad fidem noſtram pellici poſſe: verum haud dudum poſt ſupervenit Hiſpanorum navis, qui uti ferebant, uniones ab incolis precio compararent: hi apud monachos hoſce doli ignaros tantum perfecerunt, ut Regulo loci perſuaderent navem ingredi ad ſympoſium: verum illi miſerum cum uxore & ſeptemdecim ſuorum, nequicquam monachorum & hoſpitum fidem obteſtantem, anchoris ſublatis avehunt in duram ſervitutem: cæteri barbari, qui monachis conſciis hæc facta ſuſpicabantur, in illos irruere, & mortem intentare; illi vero fidem ſuam obligare, regulum cum ſuis quamprimum reductum iri; ceſſatum ergo aliquandiu ab ipſorum cæde: donec ſero ſe illuſos ſentientes, monachos hoſce trucidarunt.

d.2. l.3. c.7. Nihilo tamen ſecius, rurſus anno cIↃIↃXVIII, hic plures monachi applicuerunt, ex ordine partim Dominici, partim Franciſci; qui diverſis locis cœnobia bina condiderunt, uti tanto facilius barbarorum inſtitutioni vacarent. Ceperant autem Dominicani monaſterio ſuo locum in provincia *Chiribichorum* populorum, ſeptem leucis ab Inſula *Cubagua* verſus Occidentem, & impoſuerunt illi nomen *S. Fidei*. (Servat hodie nomen ſinus qui diſtat circiter duabus leucis à municipio *Cumanæ* verſus Occidentem; opportunus admodum navigantibus, qui hic interdum aquam & ligna ſolent petere, & tutiſſimo in anchoris conſiſtere, atque adeo vicinos barbaros haud impropitios experiri.

S. Fé.

Anno autem cIↃ IↃ XX rurſus appulerunt hic Hiſpani duce *Alonſo de Ojeda*, quorum adventus barbaros haud modice perturbavit: verum illi, ut facilius fallerent, ſublatis anchoris quatuor leucis inde promoverunt verſus *Maracapanam*, Mayzii à barbaris Montana incolentibus, (qui vulgo vocantur *Tangares*,) comparandi gratia ſe adveniſſe ſimulantes. Quum tamen iſti barbari, tantum Mayzii, quantum quinquaginta viri humeris ferre poterant, ad littus deportaſſent, & promiſſum pretium expectarent, in inopinantes irruerunt Hiſpani & triginta ſex illorum corripuerunt, & non paucos graviter vulnerarunt. Regulus hujus provinciæ, qui jam Chriſtianis Sacris initiatus, *Gil Gonſalez* dicebatur, ægerrime hæc ferens, & ut ſupra modum ſuſpicacia & vindictæ avida ſunt horum barbarorum ingenia, conſciis aut ſaltem non ignaris monachis hæc perpetrata fuiſſe; conſilium capit cum Regulo *Maraguey* in cujus ditione cœnobia erant condita, ut hic quidem monachos trucidaret, ipſe vero in *Oiedam* irrueret: nec mora quum *Oieda* inconſultius cum paucis in terram deſcendiſſet, ipſe cum ſex ſuorum oppreſſus & cœſus fuit; & monachi paulo poſt trucidati & monaſteria exciſa & flammis concremata.

Quum autem hujus excidii fama ad aures Conventus Juridici, qui in oppido *S. Dominici* agebatur, perveniſſet, crimen hoc exquiſitis ſuppliciis, atque adeo univerſorum barbarorum Cumanorum excidio vindicandum eſſe conſtituunt: miſſi itaque quantocius trecenti milites in tribus navibus, quæ fortè paratæ erant, præfecto *Gundiſalvo de Ocampo*.

Dum hæc in Continente geruntur, commodum applicuit ad Inſulam Hiſpaniolam Licentiatus *Bartholomaus de las Caſas*; qui ex formula contractus cum Hiſpaniarum Rege initi aliquot familias ruſticorum & aliorum operarum mercede conductas, adduxerat ut coloniam in Continentem juxta monaſteria religioſorum illorum deduceret. Audito autem hoc infortunio graviter indoluit, & modis omnibus fuit conatus expeditionem illam impedire, verum fruſtra.

Gundiſalvus ergo de *Ocampo* cum duabus navibus applicans ad portum *Maracapanæ* & aſtu ſibi graſſandum ducens, ut barbaros facilius in inſidias pertraheret, ſimulavit ſe ex ipſa Hiſpania, non autem ex inſulis advenire, neque eorum quæ geſta erant gnarum eſſe; adhæc ne barbari ſuorum multitudine deterrerentur, maximam militum ſuorum partem occultavit: Barbari itaque nihil mali ſuſpicantes, incautius in naves illius ſunt ingreſſi, præter Regulum qui ſe in canoa ſua continuit; milites autē Hiſpani ſub hæc ex inſidiis erumpentes, Regulum in canoa obtruncant; & cæteros captos de antennis laqueis ſuſpendunt: denique exſcenſione in terram facta pagum eorum diripiunt atque exſcindunt: municipiumque Hiſpanorum moliuntur ad ripam fluvii circiter dimidia leuca à mari, nomine *Toleti* ipſi impoſito.

Licentiatus interea *de las Caſas* nihil non moliebatur, ut incepta ſua ad finem perduceret,

ceret, & Societate inita cum Admirantio Columbo & aliis Regiis miniſtris in Inſula Hiſpaniola, applicuit ad Continentem, reperitque Ocampium in novo Municipio Toleto; diſplicuere novis colonis condiciones quas Licentiatus ferebat, itaque & ipſum reliquerunt, & municipium deſeruerunt vix inchoatum. Ille tamen propoſiti tenax, cum paucis familiaribus, & operis aliquot mercede conductis, contulit ſe ad locum ubi monaſterium Franciſcanorum fuerat, haud longe ab ora maris, & ſecundum ripam fluvii *Cumanæ*, ibidemque caſtellum cepit moliri: verum Hiſpani qui *Cubaguam* inſulam incolebant, ægre ferentes hoc facto excurſiones ſuas in miſeros barbaros, quibus aſſueverant, impediri; architectum, qui unus tantum Licentiato ſupererat, magnis promiſſis ad ſe traduxerunt; atque ita opus imperfectum remanſit. Emeria.

Licentiatus *de las Caſas*, ut hiſce impedimentis obviam iret, & *de Cubaguanorum* injuriis apud Conventum Juridicum querelam inſtitueret; transfretavit ad Hiſpaniolam, præfecto antè colonis ſuis *Franciſco de Soto:* Hic ſumma imprudentia, & contra quam Licenciatus juſſerat, binas naves (quæ ipſi relictæ erant, ut ſi quid periculi à barbaris ingrueret, ſuos in tutum poſſet ſubducere;) ſecus oram dimiſit ad mercimonia cum indigenis exercenda: Quare barbari, animo ob tantas clades quas jam ante & adhuc nuper ab advenis paſſi erant, adhuc nimium exaſperato; occaſione utendum rati, coeriuntur in colonos. *Soto* quidem vulnere accepto è quo poſtea diſceſſit, cum novemdecim aliis in cymba profugit ad promōtorium *de Araya*, reliqui occubuerunt, & municipium à fundamentis fuit dirutum. Quæ quum Licentiatus in Hiſpaniola accepiſſet, animo æger, (quod omnia quæ hactenus tentaverat ad barbaros conſervandos, & à maleficio coercendos, traducendoſque ad religionem Chriſtianam, quod unice optaverat,) ſeculo renuntiavit & ingreſſus eſt Cænobium Dominicanorum, & poſtea factus eſt Epiſcopus *Chiapæ*. Hic eſt *Bartholomæus* ille *de las Caſas*, qui prolixe deſcripſit, & Imperatori Carolo atque Hiſpaniarum Regi indicavit, quæcunque ab Hiſpanis impie & crudeliter in omnibus pene Americæ utriuſque provinciis, in indigenas fuerunt perpetrata; è cujus commentario Chriſtianus orbis didicit, quæ excidia gentium integrarum, quam horrenda ſupplicia magnatum, Novus ille orbis viderit & ingemuerit, poſtquam Hiſpani in illum pedem fixerunt.

Porro quum hæc clades ad aures Admirantii *Didaci Columbi* & Conventus Juridici Inſulæ Hiſpaniolæ accidiſſet, ſtatim de vindicta cogitarunt, & anno cIↃ IↃ XXII miſerunt *Iacobum de Caſtellon*; qui primum adiit inſulam *Cubaguam*, atque ibidem reliquit colonos qui urbem *Cadiz* reſtaurarent & denuo inhabitarent, paulo ante ab Hiſpanis barbarorum metu relictam: deinde applicuit ad *Cumanam*, ibidemque ſedes fixit: dimiſitque ſuos ad barbaros illius tractus capiendos, quorum quam plurimos, præſertim eos quos cædis monachorum & aliorum Hiſpanorum authores ſuſpicabatur, variis & crudelibus ſuppliciis ſuſtulit. Denique arcem ſtruxit ad oſtium fiuvii *Cumanæ*, ut ita aquationem *Cubaguanis* ſecuriorem redderet: à quo tempore Hiſpani hic domicilium retinuerunt. Municipium autem *Cumana* vel *Comema* ſitum eſt intra Continentem, circiter duobus milliaribus à mari, intra denſos arborum lucos, ita ut ab allabentibus ex alto, difficulter poſſit videri, præter præfecti ædes, quæ in edito colle ſitæ ſunt. Stationem habet ad mare peropportunam in ſinu quodam, ſemilunaris formæ, ubi tuto anchoræ figi poſſunt haud longe à littore, in mari duodecim aut tredecim orgyas alto, & fundo nullis rupibus impedito.

Cap. VI.

Narratio eorum quæ ab Hieronymo de Ortal *&* Antonio Sedenno *in hiſce provinciis fuerunt geſta.*

SUPERIORI libro compendio ediſſeruimus, quæ ab *Hieronymo de Ortal* fuerunt geſta in magno flumine *Viapari*, donec ſe alio converteret, nimirum ad hanc partem Continentis, de qua nunc agimus, itaque expeditionis illius reliqua hic eodem compendio proſequemur.

Hieronymus itaque *de Ortal*, aſſumſit ſibi Legatum *Auguſtinum Delgadum*, eumque miſit ad fluvium *Neverin*, qui in mare egreditur duobus milliaribus à *Maracapana*, imperans, ut ibidem arcem moliretur, quod & gnaviter perfecit. *Ortalius* interea ſe illi Neviri fl.

adjunxit

adjunxit cum centum militibus, ut expeditionem ſuam promoveret: verum duæ ſe ibidem ipſi objecerunt difficultates; prima quidem à *Cubaguanis* qui querebantur ipſum falcem miſiſſe in alienam atque adeo ſuam meſſem; altera & quidem maxima à militibus, qui à ſuperiori expeditione omnium rerum inopes & fere nudi redierant, quorum inopiæ ipſe nequaquam poterat ſuccurrere, quia Imperator Hiſpaniarum Rex graviſſimo edicto caverat, ne indigenæ barbari in ſervitutem alio abducerentur aut venundarentur: ipſeque omnibus mediis deſtitueretur: Verum ut ſuorum militum inopiæ aliquantum ſubveniret, permiſit ipſis mangonium exercere de ejuſcemodi barbaris, quos ipſi Indigenæ pro mancipiis haberent: improbo conſilio: nam milites hoc prætextu miſerum in modum in barbaros ſævierunt, & multa quoque libera captia manciparunt & mangonibus vendiderunt.

Delgadus autē quum è ſpeculatoribus ſuis quos præmiſerat, didiciſſet plurimos barbaros in interiori continenti degere, ſine mora iter eſt ingreſſus cum quinquaginta militibus: offenditq; primo denſiſſimas ſilvas & impeditiſſimos tramites, & raros admodum indigenarum pagos: tranſiitq; *Guacharucum* & *Paripomotum* duas provincias à pluribus bellicoſis & ferocibus barbaris habitatas: qui tamen cum vicinis ſuis diſcordes & continuo belligerantes, advenas hoſce peramice exceperunt, iiſque dederunt itinerum duces, qui illos introduxerunt in provinciam populo frequentē & annona omnis generis abundantem: hic primo acriter à barbaris fuerunt oppugnati, quos tamen

Vnare fl. nullo pene negotio in fugam conjecerunt; & iter ſuum promoverunt ad fluvium *Vnaren*, illumque non ſine certamine cum barbaris qui adverſam ripam tenebant tranſierunt: inciderunt que in pagum annona abundantem, & pace cum vicinis barbaris facta, vires ſuas recollegerunt. Opinantur autem Hiſpani *Ortalium* recte fuiſſe

Meta. facturum, ſi hic municipium aliquot condidiſſet, ſed properabat ad fluvium *Metam*; quare *Delgadus* poſtquam aliquot munuſcula à Regulis illius provinciæ accepiſſet, ad ducem ſuum revertitur.

Diximus quoque ſuperiori libro *Antonium Sedennum* controverſiam moviſſe *Ortalio* de hiſce provinciis; & primo quidem inter eos conveniſſe ut conjunctis viribus hanc expeditionem urgerent, ſed *Ortalium* poſtea à conventis reſiliiſſe: *Sedennus* itaque opulentarum harum provinciarum, uti credebantur, ab *Ortalio* inventarum fama allectus, *S. Ioannis de portu Rico* incolas permovit ut ipſi auxiliarentur; & applicuit ad hanc partem Continentis, duabus leucis à *Maracapana*, & intra limites præfecturæ *Venezuelæ*, licet graviſſime à Conventu Juridico Hiſpaniolæ vetitus in fines alienæ præfecturæ ingredi.

Hac *Sedenni* atque *Ortalii* diſcordia factum fuit, ut alter alteri omnibus modis incommodaret, & ſtuderet prævortere, & milites nunc hos nunc illos armis & commeatu exuerent & pene nudos deſtituerent; neuterque quicquam operæprecii gereret. *Ortalius* nihilominus expeditionem ſuam promovens, penetravit in provinciam cujuſdam Reguli, qui ſuperioribus annis à monachis illis baptizatus *Didaci* nomen fuerat ſortitus; & anxie requirebat provinciam *Metam*, iter agens per regionem bene cultam & populo frequentem, eamque miſere devaſtans ne *Sedennus*

Cuaniba. ipſum conſequi poſſet: refecit autem milites ſuos in pago *Guaniba* cujus incolæ quidem profugerant, ſed reliquerant magnam Mayzii copiam & annonæ cæteræ. *Delgadus* hic à barbaris vulnus in oculo accepit, è quo paulo poſt exſpiravit: & *Ortalius* à tumultuantibus militibus derelictus, qui maximam partem ſe *Nicolao Federmanno* adjunxerunt, qui à Coro venerat ut provincias haſce perluſtraret: ita ut cum decem ſolummodo militibus ad arcem ſuam repedaret, cui jam antè nomen *S. Michaëlis de Neveri* impoſuerat: verum monitus rivalem ſuum *Sedennum* cum magnis copiis juxta oras haſce incedere, illum minime manere fuit auſus, ſed profugit ad Inſulam *Cubaguam*, atque inde ad metropolin *S. Dominici* in Inſula Hiſpaniola.

CAP.

Cap. VII.

Expeditionis Antonii Sedenni *in hanc partem Continentis reliqua.*

A*Ntonius Sedennus*, quùm hoc pacto æmulum ſuum Ortalium depuliſſet, & Licentiatum *Frias*, quem Conventus Juridicus Hiſpaniolæ miſerat ut ipſum à finibus alienæ præfecturæ juberet abſtinere ; jam liber expeditionem inſtitutam proſequitur cum quingentis militibus,partim equitibus,partim peditibus: inceſſitque primo ſecundum oram maris uſque ad *Patigutarum*, atque inde ad mediterranea, nullo ordine aut diſciplina militari; ita ut indigenæ barbari, inſolentiam militum non ultra tolerantes, variis locis nonnullos ex inſidiis opprimerent atque cæderent; & viciſſim longe majore numero ab ipſis trucidarentur, & caperentur, atque *Cubaguam* mitterentur in duram ſervitutem, ſueto tum Hiſpanis mangonio.

Her. d. 5 l.10. c.16.

Laniena autem iſta barbarorum factum eſt,ut multa cadavera paſſim inſepulta in agris jacerent, quæ tigres depaſcentes, ita efferabantur, ut ne à viventibus quidem abſtinerent,nullo præſentiori tum adverſus illas feras remedio,quam in tenebris cum ardentibus tedis aut titionibus è tuguriis progredi.

Anno cIↃIↃxxxvii promovit *Sedennus* verſus provinciam *Anapujam* atque inde in alteram quæ *Orocomay* dicebatur, ubi peramicè à barbaris fuit acceptus. Tranſivit inde in provinciam *Gotoguaneyan*, cujus indigenas in armis invenit, qui exiguum caſtellum è lignis conſtructum objecerant, in quo plurimi erant barbari, ut Hiſpanos aditu provinciæ ſuæ arcerent: Hiſpani impetum facientes in hoc caſtellum, bis à barbaris fuerunt depulſi & plures vulnerati venenatis ſagittis, ita ut candenti ferro, cum ſummo diſcrimine venenum exhaurire cogerentur: barbari tamen pluribus ſuorum amiſſis, quum metuerent ne tandem ab Hiſpanis opprimerentur, locum deſeruerunt, & noctu cum uxoribus atque infantibus ſe receperunt ad vicinos montes, qui circiter leucam ab illo aberant, & denſiſſimo nemore erant obſiti.

Anapuja. Orocomay. Gotoguamey.

Poſtquam Hiſpani aliquandiu in hoc loco quieviſſent & corpora refeciſſent; promoverunt inde uſque ad provinciam, quæ duobus gradibus diſtabat ab Æquatore verſus Arctum, per incultos campos & plures amnes, in quibus nihil ad victum ſuppetebat præter ferinam,ita ut milites incommodorum pertæſi tumultuari inciperent; verum Sedennus tumultum ea vice compeſcuit, ſupplicio de præcipuis tumultus authoribus ſumto.

Venerunt tandem ad provinciam *Catapararo*, inter montes ſitam; in qua magnum Mayzii copiam invenerunt, & nonnulla indicia metallorum, imprimis auri; ita ut hic hiberna figerent: Sedenno, interea vita functo, ſurrogatus fuit in illius locum *Ioannes Fernandez*; itinerum autem ratione inita, jam centum & quinquaginta leucas ab ora in Mediterranea ſe profectos compererunt.

Catapararo.

Hybernis abſolutis paulum proceſſerunt, per paludoſa loca & aliquot amnes & offenderunt alium pagum annona abundantem: hic quoque obiit *Ioannes Fernandez*: nihilo tamen ſecius proceſſerunt per patentes & incultos campos, naucleris illos ducentibus ad pixidis maritimæ ductum; ventum denique in regionem valde humilem & riguam,quæ à paucis barbaris incolebatur, qui hybernis & pluviis menſibus ſe ad editiora loca recipiebant, quia tota regio illarum ab amnibus inundatur. Hiſpani itaque tot difficultatum pertæſi, nam ex paludoſis locis ægre eluctati, incidebant in vaſtos & arenoſos effætoſque campos, & magnam annonæ patiebantur penuriam; ad hæc poſt ducum obitum inter ſe diſcordes, expeditione penitus omiſſa, inque varias turmas ſeparati, diverſis itineribus repedare inſtiterunt; atque ita poſt longos errores alii ad *VeneZuelam*, alii ad *Maracapanam* atque inde *Cubaguam* redierunt. Hunc exitum ſortita eſt expeditio *Antonii Sedenni.*

Ex hiſce expeditionibus, in quibus nihil memorabile annotatum invenimus, quivis ſuſpicari poſſit, in hiſce provinciis nihil illuſtre, aut quod tantis molitionibus dignum ſit, reperiri poſſe: verum qui animum Hiſpanorum in ejuſmodi expeditionibus recte adverterit, nequaquam mirabitur hæc ipſis accidiſſe: nam ſueti erant aurum atque argentum aut ſimilia alicujus pretii, barbaris jam

parata eripere; neque anxie terræ abdita ſcrutari, ſed loca ubi nihil divitiarum ſtatim in oculos incurrebat, leviter præterire: quare non mirum eſt tot laboribus non plura ab ipſis fuiſſe inventa, quæ mortales ad penitiorem regionum ſcrutationem ſolent allicere.

VENEZVELA.

Cap. VIII.

Deſcriptio Generalis hujus provinciæ Venezuelæ *& partitio in varias partes.*

DUÆ omnino redduntur rationes ab Hiſpanis ſcriptoribus, cur hæc præfectura & provincia dicta fuerit *Venezuela*, id eſt, parvæ Venetiæ: prima quidem, quia *Alfonſo de Oreda* qui inter primos ad illam appulit anno cIↃ CCCC XCIX hic invenit municipium indigenarum barbarorum, cujus ædes omnes, in ipſis undis arboribus & tignis erant inædificatæ, quemadmodum Venetiæ ex ipſis fluctibus eductæ cernuntur, ſubliciis autem pontibus è Continente commeabant ad ædes, pluresque ſimiles pontes ab unis ædibus ad alteras erant perducti.

cap. 8. Altera autem (ut tradit *Herrera* in deſcriptione compendioſa Indiarum) quod Germani quum primum hanc præfecturam ab Imperatore Carolo V. accepiſſent anno à Chriſto nato cIↃ IↃ XXVIII deſtinaverant, ſecundum oſtium magni lacus *Maracaybo*, ſuper collem imminentem oſtio, oppidum moliri nomine *Venetiolæ* fauſto omine, licet numquam res effectum fuerit ſortita.

Acceperant autem hanc provinciam nobiliſſimi *Velſeri*, cives Auguſtani, uti bene de Imperatore Germaniæ meriti, hiſce limitibus, uti ex *Herrera* diſcimus, concluſam, ab ortu quidem *Maracapana*, de qua jam diximus, ab occaſu autem promontorio quod vocant *de la Vela*; patentem in longitudinem ſecundum orarum ductum circiter leucas ducentas. *(d.8. l.2. c.19.)*

Repererunt autem Germani hi provinciam hanc plurimis barbaris frequentiſſimam, ſed quia ipſis, uti patuit, propoſitum erat, potius rem familiarem augere & opimam prædam hinc deducere, quam colonias huc deducere, & rempublicam hic ſtabilire: ab ipſorum Legatis in miſeros barbaros ſævitum fuit, & maxima ipſorum pars ſenſim exciſa: Hiſpanis quoque qui vicinam Continentem & inſulas *Margaritam* & *Cubaguam* inſederant, pro more ſuo in idem excidium acriter conſpirantibus, unde factum eſt, ut populoſiſſimæ provinciæ ad ſummam paucitatem redigerentur, & incolis indigenis fere deſtituerentur.

Hodie præfecturæ hujus limites ita deſcribuntur; ab extremis finibus Novæ *Andaluziæ* ſive Serpæ vel etiam *Guianæ*; ad primos fines præfecturæ quam vulgo vocant *Rio de la Hachæ*; ita ut inter utramque illam præfecturam in longitudinem occupet centum & triginta leucas: in latitudinem vero ubi latiſſima eſt, octuaginta leucas ad Regnum novum Granatenſe.

Solum hujus præfecturæ admodum eſt fertile & frugum feraciſſimum, ita ut quotannis duas hic meſſes colligant. Ad hæc abundat paſcuis, ita ut hic ingens numerus armentorum, nec non pecudum paſcatur. Vnde meruit nomen granarii apud cæteras provincias, ingens enim copia farinæ triticeæ, plurimum panis biſcocti; multi caſei; ſuilla quoque; & ingens numerus pannorum goſſypinorum hinc deducitur, ad vicinas & remotiores provincias. Ad hæc immenſus numerus tergorum bovillorum, & magna vis *Sarzaparillæ*, à portu *Guayra* & *Caracis*, infertur Europæ.

Abundat regio omnis generis feris, ita ut venatio hic imprimis ſit opportuna: Amnis adhæc Unare valde piſcoſus eſt: ita ut barbari indigenæ, ſuperiori ſeculo crebro inter ſe bella geſſerint ob piſcandi limites & opportunitatem.

Nec metallorum inops creditur ſolum in variis provinciis, præſertim auri, & quidem ſatis abſoluti, & viginti duorum & ſemis caratiorum, ut loquuntur.

Complectitur hæc ampliſſima præfectura, plures provincias particulares & propriis

propriis nominibus notas, tam ad oram Oceani, quam in Mediterraneis; uti *Curianam, Cuicas, Caracas, Bariquicemeto, Tucuyo,* & ſimiles, quarum tamen limites minime diſtinctos invenimus apud Authores Hiſpanos: itaque contenti illas hic nominaſſe; earum mentionem facturi ſumus, in deſcriptione urbium quæ in illis hodie ab Hiſpanis habitantur.

Cæterum ſcribunt Hiſpani, in hiſce provinciis hodieque numerari ſupra centum millia barbarorum, Hiſpanis vectigalium; quo numero non comprehenduntur qui aut non attigerunt decimum octavum ætatis annum, aut jam quinquageſimum excedunt: omnes enim hi, ſententia Senatus Indici Hiſpaniarum, ab omni vectigali liberi fuerunt declarati: verum quia numerus eorum quotidie aut augetur aut minuitur, certa ratio iniri minime poteſt.

Habitantur in hac provincia ab Hiſpanis octo qua oppida qua municipia, quæ ordine deſcribam, ſi ante nonnihil dixero de variis expeditionibus, quæ tam à Germanicis præfectis, quam ab aliis, per has provincias olim fuerunt ſuſceptæ, quæ haud parvam lucem hujus præfecturæ deſcriptioni poterunt adferre.

Cap. IX.

Venezuelæ *prima luſtratio per Germanos, & quæ aliquot annis ab iiſdem ibidem fuerunt geſta.*

Licet *Ioannes de Ampues*, auſpiciis & mandato Conventus Juridici Inſulæ Hiſpaniolæ, jam ab anno cIↃIↃXXVII, provinciam hanc eſſet ingreſſus, exſcenſione in *Corianam* facta, eamque cæpiſſet luſtrare, amicitia prius cum *Manaure* potentiſſimo harum regionum principe confirmata: Nihilo tamen ſecius, ut jam ſupra dixi, Imperator Carolus V, præfecturam & cæteras immunitates in ejuſmodi conceſſionibus tribui ſolitas, ampliſſimo diplomate indulſit *Velſeris* Auguſtanis, vel ſi proprie loqui volumus, provincias haſce illis oppignoravit. Agebant tum res Velſerorum in aula Hiſpaniæ *Ambroſius Alfingerus*, *Hieronymus Saylerus*, & *Georgius Evigerus*. Quorum quidem *Alfingerus*, aſſumto ſibi Legato *Bartholomæo Saylero*, rebuſque omnibus rite præparatis, atque quadringentis militibus & octuaginta equis in naves impoſitis, ſoluit ex Hiſpania anno cIↃ IↃ XXIX. Et quum hic feliciter appuliſſet, *Ioannem de Ampues* ſtatim ſubmovit, tribus tantummodo inſulis *Curacao*, *Bonaire* & *Aruba*, quæ haud longe hinc Continenti objacent, illi relictis. Deinde barbaris qui Lacum *Maracaybo* accolunt, quem Hiſpani tunc vocabant *de Noſtra Sennora*, ad obſequium cogendis nonnulla opera impenſa, omnes conatus ſuos convertit ad auri aut argenti venas indagandas: & quum illud ex voto minus ſuccederet, tum demum aliquot expeditiones in Mediterraneas provincias ſuſcepit, in quibus ita fuit verſatus, ut ſummam, quaqua tranſibat, agris inferret vaſtitatem, & barbaris indigenis magnas clades incuteret & viciſſim ab illis pateretur.

Inſtituerat iter ſuum per *Cupiaren*, & per longa terrarum ſpatia penetravit uſque ad vallem *Eupari*, de qua ſupra diximus; licet illa extra limites diplomate *Velſeris* præſcriptos ſita eſſet, & haud dubio ad præfecturam *Sanctæ Marthæ* pertineret.

Idem *Alfingerus* alteram expeditionem ſuſcepit anno cIↃ IↃ XXX, & iter ſuum inſtituit ad barbaros, qui *Pocabuyes* appellabantur, & plurimum auri credebantur poſſidere quod cum vicinis ſuis permutabant; ab his tranſiit ad aliam barbarorum nationem qui *Alcoholadi* vocabantur, & auro ad eundem modum abundabant: Horum ager ſolo erat haud infæcundo, ipſique pro captu barbarorum, ingenio haud inurbano; ita ut in ipſorum provincia pedem figere, & municipium aliquod moliri, ſi rebus ſuis rite conſuluiſſet, omnino tempeſtivum fuiſſet; potuiſſet enim tum quam facillime inde in Novum Regnum quod poſtea Granatenſe fuit dictum penetrare, & Dominorum ſuorum res egregie ſtabilire: verum id ſuſque deque habens proceſſit inde ad flumen Grande, atque ita deinceps ad *Tamalemequen*, omnes regiones miſerum in modum pervaſtans uſque ad *Lebrixam*: à qua divertens ſubiit montanam & frigidam regionem, quam ab infinitis

barbaris invenit cultam, à quibus cum inſigni clade fuit repulſus, & vulnere hic accepto remeavit ad *Corianam*, & ibidem deceſſit è vulnere anno à Chriſto nato cIↄ Iↄ XXXII.

Huic deinceps ſucceſſor à Velſeris fuit miſſus *Ioannes Allemannus*, qui nullas expeditiones in provincias ſuſcepit, ſed brevi è vita exceſſit.

In illius locum itidem fuit ſuffectus *Geörgius de Eſpira* cum legato ſuo *Nicolao Federmanno* vel *Vredemanno* anno à Chriſto nato cIↄ Iↄ XXXV. Hic cum trecentis peditibus & centum equitibus, movit è *Coriana*, menſe Maio, verſus Auſtrum iter agens, & veſtigiis *Alſingeri* inſiſtens, Legato ſuo, ubi ante coloniam collocaſſet juxta promontorium *de la Vela*, cum reliquis copiis ſequi juſſo. Legatum interim ſibi ſumſerat *Franciſcum de Velaſco* Hiſpanum, qui quum jam pene ducentas leucas proceſſiſſent, milites, quod Hiſpanis familiare eſt quum peregrinis parent, ad ſeditionem tentavit permovere, verum dux molitiones illius mature animadvertens, illum munere ſuo movit, & ibidem deſtituit, nullo alio ſupplicio irrogato.

Federmannus autem illum ſecutus, & vaſta terrarum ſpacia emenſus, penetravit in vallem *Tucuyo*, anguſtam & undiquaque montibus cinctam in qua hybernavit; & interea quoque adiit provinciam *Bariquiſemeto*, ita dictam ab amne qui illam permeat.

Tucuyo.

Hybernis in *Tucuyo* abſolutis, & pro Præfecto hic conſtituto *Franciſco Vanega*, hinc promovit *Federmannus*, menſe Decembri, & magnis itineribus, per aſperos montes & denſas ſylvas, atq; impeditiſſima loca tandem penetravit in *Novum Regnum Granatenſe*.

Dum hæc in America in diverſis partibus à Germanis hiſce geruntur, *Eſpira* præfectura ſua movetur, & *Federmannus* in illius locum ſubſtituitur: verum quum plurimæ quoq; querelæ contra hunc fuiſſent inſtitutæ, denuo fuit amotus, & *Eſpira* in priſtinum locum & gratiam reſtitutus. Is anno cIↄ IↄXXXVIII *Corum* revertens, expeditionis ſuæ pene triennalis hanc reddidit rationem, quam ad Regem Hiſpaniarum deſtinavit: ſe ad quingentas pene leucas cum copiis penetraſſe in Mediterranea, & perveniſſe ad fines barbarorum, qui *Choques* nominantur; licet autem tantum viginti quinque leucis abeſſet, uti opinabatur, à loco quem hactenus inveſtigaverat; reverti tamen fuiſſe coactum, ut neceſſaria militibus compararet. Obiit autem paulo poſt, nulla alia re memorabili geſta.

Choques.

Dum *Velſeri* cunctantur alium præfectum mittere, manum admovit huic negotio Conventus Juridicus Inſulæ Hiſpaniolæ, qui in oppido *S. Dominici* reſidebat, varioſq; huc deſtinavit Subpræfectos, quorum quidam objerunt, quidam ob provinciam male adminiſtratam fuga ſe ſubripuerunt: Anno denique cIↄ Iↄ XLV miſſus ab eodem Conventu *Ioannes de Carvajal* J. U. Licentiatus, homo nefarius, qui improbiſſime & ſceleſtiſſime hic ſe geſſit; & quum oppidanis magnum numerum armentorum per vim ademiſſet, movit cum exercitu ſuo ex oppido *Coro*, & montana regione ad dexteram relicta, inceſſit per planiciem, pervenitque ad provinciam *Tucuyo:* quam tum frequentes barbari incolebant, quos appellabant *Cuibas*, linguis inter ſe diſcrepantes & maximam partem humanis carnibus veſci aſſueti.

Cuibæ.

Quum autem *Carvajal* enormibus ſceleribus nullum poneret modum, & graves querelæ quotidie ad aures Conventus Juridici acciderent, miſſus judex, qui in vitam illius & acta inquireret, & cauſa cognita pro merito illum puniret. Verum hic hominem ita jam potentem invenit & militibus, quibus nihil non indulſerat, adeo gratum & charum, ut contra hiſce re minime auderet: Ille vero ſcelera ſceleribus accumulans, *Philippum de Vten* propræfectum, & legatum illius *Bartholomæum Velſerum*, cathenis oneratos Corum pertraxit, & ibidem extremo affecit ſupplicio.

Miſſus deinde *Ioannes Pereſius de Toloſa* J. U. itidem Licentiatus, qui applicuit ad Corum anno cIↄ Iↄ XLVI, & aggregatis ſeptuaginta militibus, quos commodum in oppido offenderat, movit adverſus *Carvajalem*, ut illum pro meritis caſtigaret. Inſtituit autem iter ſuum per montana, ut *Carvajali* aditum ad Regnum novum Granatenſe ad quod fugere dicebatur, hoc pacto intercluderet. Et planiciem, quam vocant de *Carora* emenſus, milites aliquot illius obvios habuit, quos nullo negotio ſibi adjunxit; & quum ex hiſce didiciſſet, illum relicto *Tucuyo*, jam *Quiboræ* agere, quinque à *Tucuyo* leucis; magnis itineribus illo contendit, & hominem inopinantem

tem atque imparatum oppreſſit, & catenis oneratum ad *Tucuyo* provinciam retraxit, & ibidem ſupplicio afficiendum curavit.

Anno denique cIↄ Iↄ L, Nigritæ quorum jam ante magnus numerus ex Africa hic fuerat traductus, tumultuari cœperunt, ſed Hiſpanis molitionum illorum gnaris, facile fuerunt oppreſſi, & mares omnes ad internecionem cæſi.

Quæ porro in hac præfectura anno cIↄ Iↄ LII fuerunt geſta, commodius in deſcriptione oppidi *Segoviæ* dicentur.

Cap. X.

De Metropoli hujus Præfecturæ Coro, *ut vocant.*

PRINCIPALIS hujus præfecturæ urbs vulgo appellatur *Coro*, à barbaris quoque *Coranæ*: & ab Hiſpanis non raro communi totius provinciæ nomine *Venezuela*.

Sita autem eſt, uti communis eſt opinio, ad altitudinem undecim graduum ab Æquatore verſus Arctum. In regione quidem probe temperata, ſed potabilium aquarum & maxime fontium indigentiori, nec ullis amnibus rigua. Condita eſt in planicie, licet ager illius maximam partem ſit montoſus. Cœlo fruitur admodum ſalubri, ita ut medicis hic vix ſit opus, nec aliis Medicamentis, quam herbis, plantis, aliiſque ſimplicibus, quæ tellus hic liberaliſſimè ſponte profundit. Animalia tam terreſtria quam volatilia hic eadem reperiuntur quæ in reliqua America Meridionali; Leones autem ita imbelles & timidi, ut fuſtibus à barbaris facillime conficiantur: Tigres contra hic tanta pollent ferocia & truculentia, ut facile aliarum partium feras longiſſime ſuperent.

Ager hujus urbis perfœcundus audit; Sacchari enim cannæ luxuriant hic ſupra modum: Gingiberis radices læte proveniunt: mellis & picis hic habetur copia: neque maligne triticum tolerat tellus; incolæ tamen magis delectantur Mayzio, cujus pollinem cum ſucco cannarum ſacchari miſcent, & coquunt placentas, optimi ſaporis, & quæ haud ſecus quam panes biſcocti durant in longum tempus. Conficiunt & potum ex eodem Mayzio, & potatis radicibus, adeo generoſum, ut barbaros facillime inebriet. Oppidum hoc duos habet portus, unum quidem verſus Occidentem, una circiter leuca ab ipſo oppido, ad ſinum quendam pone Promontorium *S. Romani*, ut vocant: ubi & mare minus fluctuoſum eſt & haud ſupra tres orgyas altum: alterum autem ad arctoam plagam & duabus leucis cum ſemiſſe ab oppido, ubi æquor longe altius eſt & valde æſtuoſum. Hic quoque inſulæ *Curacao*, *Bonayre* & *Aruba*, quatuordecim leucarum intervallo (ut *Herrera* teſtatur) Continenti Americæ Meridionalis prætenduntur: infida hîc navibus ſtatio eſt & adverſus incerta ventorum minime munita; atque adeo Aquilonibus, qui hic jugiter & interdum valide perflant, expoſita; diſtant ab hoc portu circiter una leucâ optimæ Salinæ.

Ab oppido autem *Coro*, Continens ſeſe in altum producit, duodecim leucarum ſpacio, facitque quodammodo peninſulam; quæ à barbaris appellatur *Paragoana*, extimum vero illius cornu vocatur à navigantibus Promontorium *S. Romani*: complectitur hæc peninſula ambitu ſuo circiter viginti quinque leucas, maximam partem in planiciem ſtrata, & ferarum maxima copia ſcatens; ſed laborat fere aquarum penuria, neque ab ullo rigatur amne. Indigenæ barbari placido ſunt atque miti admodum ingenio. Paragoana.

Præfectus univerſæ provinciæ, utplurimum habitat in hoc oppido, quemadmodum & Epiſcopus, qui ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi *S. Dominici* in Inſula Hiſpaniola. Denique hæc urbs ab Anglis anno cIↄ Iↄ XCV, inopinato intercepta, fere tota in cineres fuit redacta.

Haud procul ab hoc oppido ſecus viam quæ ad Montana hujus provinciæ ducit, jacet planicies illa, quam vulgo vocant Hiſpani *los Lanos de Carora*, patens in longitudinem quidem ſedecim milliaria, in latitudinem autem ſex: fæcunda, atque annona, omnibuſque rebus ad vitam humanam neceſſariis egregie abundans; imprimis autem Mayzio atque ferina.

Ab oppido *Coro*, ad provinciam *Bariquezimeto*, iter eſt per mont ana, quæ barbaro nomine vocant *Xizabaras*, quæ haud longe ab oppido initium ſumunt; ſuntque non tam montes quam editi & convexi campi, ſylveſtres & inculti, atque hic aut illic in Axaguæ. modicos colles erecti; habitantur autem à barbaris populis, qui vocantur *Axaguæ*; ferox eſt natio & humanis carnibus veſci ſueta; quæque hactenus ab Hiſpanis nequivit penitus perdomari.

CAP. XI.

Alia oppida hujus præfecturæ, Noſtra Sennora de Carvalleda, S. Iago de Leon, Nova Valentia *&* Xeres.

SECUNDUM oppidum hujus Præfecturæ, appellatur ab Hiſpanis, *Noſtra Sennora de Caravaleda*, ſitum in provincia populorum quos appellant *Caracas*; conditum haud longe à littore Maris ſeptentrionalis. Diſtat à Metropoli *Coro* circiter octuaginta leucis, ut Hiſpani produnt, verſus ortum ſolis: portum quidem habet, ſed incommodum & navigantibus infidum.

In regione autem illius, ad oram ipſam Maris, arcem exſtruxerunt Hiſpani, Caracas. quam vulgo vocant *Caracas*. Continens hîc ad ipſam oram attollitur in altiſſima montium juga, ita ut à faſtigiato Inſulæ Teneriffæ, unius *Canariarum*, vertice quem vulgo vocant *Picum*, parum differant altitudine; ſub ora vero, æquor admodum eſt æſtuoſum & valde fluctuans, ita ut difficillimum ſit lembis aut ſcaphis ad illam appellere & exſcenſionem facere, præterquam juxta ipſam Arcem, in perexiguo ſinu ſive æſtuario.

Tertium hujus præfecturæ oppidum vocatur *S. Iago de Leon*, id eſt, oppidum *S. Iacobi* Legionenſis, in eadem *Caracarum* provincia ſitum, quinque aut ſeptem leucis ab ora maris, & ſeptem ſupra ſeptuaginta leucis à Metropoli *Coro* verſus ortum: tribus autem quatuorve à *Noſtra Sennora de Carvalleda*, verſus meridiem, ſecundum *Herreram*: Præfectus univerſæ provinciæ hic interdum Domicilium ſortitur. Hoc oppidum anno cIɔ Iɔ XCV inopinato captum fuit ab Anglis, atque direptum, quum paulo antè Arcem *Caracas* intercepiſſent. Duæ autem viæ dicuntur ab ora maris ad hoc oppidum ducere: una quidem facilis & ſatis expedita, ſed quæ nullo negotio ab incolis obſtrui & defendi poteſt; quia medio pene itinere ab arduis montibus & ſaltibus inviis, utrimque illi imminentibus ita arctetur, ut vix viginti quinque pedes in latitudinem pateat. Altera vero perdifficilis eſt aſperaque, per montes & præcipitia, hac tamen barbari utplurimum utuntur. Montibus enim illis ſuperatis, deſcenditur in regionem campeſtrem, in qua ipſum oppidum constructum cernitur.

Quartum hujus Præfecturæ oppidum vocatur *Nova Valentia*, diſtans quidem ab oppido *S. Iacobi* Legionenſis quinque & viginti leucis, à portu autem *Burburatæ*, ut vocant, ſeptem: à Metropoli denique *Coro*, ſecundum *Herreram* ſexaginta. In quo tamen ſuſpicor illum falli, & itinerum rationem evidenter indicare, ſupra quadraginta & quinque leucas vix eſſe poſſe.

Quintum hujus Præfecturæ oppidum vocatur *Nova Xerez*; diſtans à *Nova Valentia* quidem quindecim leucis, pene verſus Meridiem: à *Nova Segovia* vero una, & viginti leucis, à Metropoli denique *Coro* ſexaginta fere verſus Eurum. Nuper admodum ab Hiſpanis videtur conditum, neque enim valde antiqua illius eſt memoria apud Hiſtoricos Hiſpanos.

CAP. XII.

Vrbs Nova Segovia, *& regionum vicinarum ſitus & cœli ſolique qualitates.*

ANTEQUAM ad oppidum hoc deſcribendum accedam, operæ pretium fuerit hic commemorare, quod ante promiſeram, quæ in hiſce partibus à Germanis fuerunt geſta.

Ioannes

Ioannes de Villegas, *Velſerorum* nomine, hujus provinciæ præfectus anno cIↃ IↃ LII è provincia *Tucuyo* cum exercitu movens, primum detexit certas auri venas, ad radices editiſſimorum montium, qui uno & pene continuo jugo hanc provinciam pervagantur, (appellant hodie montes *S. Petri*,) juxta ripas fluminis, quod à barbaris quidem vocatur *Buria*, ab Hiſpanis autem ad eundem modum *S. Petri*, quia feſto illius primum ab ipſis fuit aditum. Et hac tam optata opportunitate illectus deduxit huc coloniam; quæ quum ob cœli inclementiam & loci inſalubritatem paulo poſt fuiſſet deſerta, traducti fuerunt coloni ad ripas fluminis *Bariquicemeti*, & urbs dicta fuit *Nova Segovia*. S. Pedro.

Fluvius porro hic nomen meruit ab aquarum ſuarum colore, commotæ enim lurido & cinereo colore dilabuntur.

Aëris temperies hujuſce provinciæ pene eadem eſt, quæ vicinarum: æſtatem quippe patitur iiſdem menſibus, quibus Hiſpania hyemem: in planicie quidem gravis toleratur æſtus; à montium vero jugis, quibus hæc regio inſtar vallorum utrimque concluditur, perflant ſubfrigidæ auræ, quæ æſtum egregie temperant, & magnum mortalibus adferunt ſolatium.

Plures hic incolunt barbarorum nationes, linguis utplurimum diſcrepantes.

Frugum atque annonæ hic ſumma eſt parcitas: Indigenæque fere à caule cujuſdam plantæ, quam ipſi vocant *Cocuy*, quæque carduis Hiſpanienſibus admodum videtur ſimilis, educunt quendam liquorem, Syrupo non abſimilem, quo vulgo utuntur: Mayzii enim habent perparum; ſed ſpeciem quandam cucurbitarum, quas Hiſpani vocant Calebaſſes. Cervorum tamen & cuniculorum Americanorum maxima hic eſt copia. Trans montes autem illos verſus Auſtrum, maxima Mayzii reperitur copia, uti & Yucæ & ſimilium radicum, quæ in hiſce regionibus pro farre uſurpantur, quia ſolum ibidem humidius eſt. Fluvii quoque *Hacarigua*, *Borante* & plures amniculi atque torrentes qui paſſim hanc regionem ſecant, pluribus piſcibus fæti ſunt, & longe optimis; quos indigenæ, radice quadam, (quam vocant *Barbaſco*) prius contuſa & in undas projecta ita inebriant vel potius infatuant, ut manibus ſe capi patiantur; aſtu etiam alibi barbaris familiari. Cocuy.

Ferarum quoque ingens hic numerus, cervorum puta, aprorum, damarum, & cuniculorum, quos æſtivis potiſſimum menſibus, incenſo gramine, quod tum in campis paſſim exareſcit, è latibulis ſuis eductos, ſagittis ſuis conficiunt. Nec deſunt hic ferocia & noxia animalia, Tigres, varii angues & imprimis majores Serpentes, quos barbari vocant *Bobas*.

Denique ad ripas fluminum, in concavitatibus arborum & juxta radices, deprehendunt multæ apes, quæ ibidem mellificant.

Porro omnes hi fluvii, & plures alii, qui ex Auſtrali horum montium latere profluunt, dicuntur per longa terrarum ſpatia & pene centum leucarum decurſu, properare ad maximum flumen *Viapari* aut *Huriapari*, id eſt, *Orenoquen*, & in illius patentiſſimum alveum ſe condere.

Montana autem regio, quæ ab oppido *Segovia* ad ſiniſtram jacet, & à populis incolitur, qui *Chicæ* appellantur, auri metallis abundare creditur, è quibus opulenta gaza educi poſſet ſi ſervitiis abundarent.

Hæc provincia olim frequentiſſima fuit, ſed nunc maxima indigenarum pars morbis, aliiſque incommodis, maxime autem propriis vitiis, ut Hiſpani credi volunt, pene intercidit: Ingenio enim ſunt bardo & admodum vili, atque puſillanimes, multis vitiis dediti, præſertim ebrietati, & rixis atque mutuis cædibus, quum nimium potu incaluerunt; deſides & ſine ulla in craſtinum cura, tanquam in diem vivunt, & uno interdum die helluant, quod in longum tempus poterat ſufficere: quare annona ipſis deficiente, agreſtibus radicibus & herbis miſere vitam tolerant, donec Mayzium in novam meſſem ſuccreſcat; quod hic in quibuſdam locis quadraginta diebus, in aliis tribus menſibus perfici tradunt.

Haud longe ab oppido *Segovia*, labitur torrens quidam ſive amniculus, quem Hiſpani appellant *Rio Claro*, ab aquarum puritate, qui haud procul ab origine ſua rurſus à tellure abſorbetur: hybernis menſibus admodum tenuis, æſtivis autem quum minus conſentaneum videtur exuberans, ita ut incolæ ſicca illa tempeſtate campos ſuos & R.Claro.

 ſata

ſata aquis illius rigent, & largam Mayzii meſſem hujus potiſſimum beneficio nanciſcantur.

Armenta, pecudes, ſues, nec non jumenta, hic magnum capiunt incrementum, plerique enim incolæ hic exercent pecuariam, atque ex eo potiſſimum faciunt quæſtum; dum omnis generis animalia ad Novum Regnum Granatenſe venalia exportant. Barbari autem jam goſſypinos pannos texere didicerunt.

Denique oppidum *Nova Segovia*, in hac, quam jam deſcripſimus, provincia ſitum, diſtat quidem à *Nova Xerez* verſus Meridiem leucis viginti; à *Tucuyo* decem: à Metropoli *Coro* verſus Eurum octuaginta. Iter autem à *Tucuyo* ad hanc urbem agitur per vallem duodecim leucas longam.

Cap. XIII.

Cætera hujus Præfecturæ oppida, Tucuyo, Truxillo: Laguna, *& provinciarum quæ hiſce adjacent qualitates.*

SEPTIMUM hujus præfecturæ oppidum, vulgo dicitur *Tucuyo*, à vallis nomine in qua conditum cernitur. Vallis autem hæc inter Auſtrum atque Arctum protenditur; patetque tam in longitudinem quam latitudinem circiter dimidiam leucam: undiquaque montibus concluſa: ſecat pene mediam amnis ejuſdem nominis. Commendatur autem ab inſigni cœli clementia, & aëris ſalubritate; nec minus ab omnis generis annonæ abundantia, & variorum fructuum copia, ita ut nihil hic neque Hiſpanis neque barbaris deſit ad neceſſarium victum aut voluptatem.

Oppidum autem diſtat ab Oceano Septentrionali leucis quinquaginta ab oppido *S. Iacobi Legionenſi*, ſeptuaginta: à *Nova Segovia* undecim: à *Portillo* ut vocat *de Carora*, quatuordecim: è *Truxillo* viginti quinque: à Metropoli *Coro* denique quinque ſupra octuaginta; ut *Herrera* annotavit.

Sacchari cannæ in hoc agro feliciſſime ſuccreſcunt, ita ut jam aliquot machinæ iis comminuendis ſtructæ hic conſpiciantur. Præterea plurimum goſſypii hic colligitur, è quo indigenæ barbari jam telas texere, iiſque ſe amicire cœperunt; frumentum quoque aliaſque fruges exoticas, plantas, oleraque admodum benigne tolerat tellus, & feliciter abſolvit.

In campis & ſylvis vagatur immenſa ferarum copia, maxime cervorum, ita ut oppidani, qui venationi gnaviter incumbunt, ſæpe bimeſtri ſpacio quingentos & ſupra cepiſſe memorentur: in nonnullis autem Bezoar repertum volunt. Nec deſiderantur hic noxia & infeſta hominibus animalia, tigres, leones & ſimiles feræ.

Licet autem hic auri venas tellure occultari indubium putent, tamen operarum inopia hactenus eas minime ſcrutantur: ſed oppidani armentis & pecoribus paſcendis, itemque equis alendis potiſſimum impendunt operam.

Cuibæ. Indigenæ hujus regionis, ſunt è gente *Cuibarum*, ut vocant, qui tamen linguis haud parum inter ſe diſcrepant: bellicoſa natio & pugnandi avidiſſima; pugnant arcubus & ſagittis, clavis itidem & ſaxis: & maximam partem humanis carnibus veſci conſuevere. Quidam illorum ab Hiſpanis jam domiti, manſuetius & urbanius agunt; & ipſis tributum pendunt, Mayzium (non enim alias divitias hactenus noverunt) ad oppidum comportantes.

Ab oppido hoc ad Novum Regnum Granatenſe, numerantur leucæ centum & quinquaginta; quarum quidem centenæ ducunt per planiciem amœnam & omnium fructuum perfœcundam; ad hæc variis amnibus & rivulis interſectam, qui & potari pulchri, & piſcibus pluribus fœti eſſe dicuntur: denique ferarum venationibus peropportunam: reliquæ autem quinquaginta leucæ paulo difficiliori itinere abſolvuntur, per editos & aſperos montes atque ſaltus valde impeditos.

Truxillo. Cuicæ. Octavum hujus Præfecturæ oppidum vocant *Truxillo* vel etiam *Noſtram Sennoram de la Paz*, conditum in provincia barbarorum quos dicunt *Cuicas*; diſtans à Metro-

Metropoli *Coro* fere leucis octuaginta recta verſus meridiem: ab oppido autem *Tucuyo* viginti & quinque verſus occidentem: denique à magno Lacu *Maracaybo* octodecim: ad cujus ripam aſſidet pagus huic oppido ſubjectus, ad quem oppidani merces ſuas, farinam, panes biſcoctos, carnes ſuillas, aliaque ſolent deducere; quæ ibidem imponuntur in naves, & opulento atque peropportuno commercio vectantur ad varias provincias hujus Continentis Americæ Meridionalis, ſemel quidem menſe Maio, iterum vero Novembri.

Cæterum aliud præterea municipium in hac Præfectura incolitur ab Hiſpanis, quod appellant *Lagunam*, quia adſidet oræ occidentali Lacus *Maracaybo*, circiter quadraginta leucis à Metropoli *Coro*, ad interiorem ejuſdem Lacus ſinum ſive receſſum, & crebris vadorum brevibus navigantibus inſidioſum; unde non niſi minoribus navigiis ad hoc aditus pateat: Ager huic municipio vicinus, licet campeſtris ſit, tamen fere vaſtus & incultus jacet. Cæterum magna hic eſt cervorum, cuniculorum aliarumque ferarum copia; avium quoque, maxime palumbum atque perdicum: mellis quoque ſumma abundantia. Verumtamen tantus eſt hic tigrum numerus & hominibus adeo infeſtarum, ut non reformident noctu municipium ingredi, & barbaros juxta atque Hiſpanos dilacerare. Laguna.

Cap. XIV.

Magni Lacus Maracaybo *deſcriptio, itemque* Maracapanæ *ad extremos hujus Præfecturæ limites verſus ortum.*

MAGNUS Lacus *Maracaybo*, cujus jam ſupra aliquoties meminimus, vocatur etiam ab Hiſpanis *Lago de Noſtra Sennora*; perrumpit autem inde ab Oceano in Continentem quadraginta leucis, vel ut *Herrera* alibi teſtatur viginti quinque, variant enim authores; patet in latitudinem utplurimum decem leucas; circumgyratque circiter octuaginta; licet quidam ambitum illius longe minorem faciant: Æſtuarium illius patet circiter dimidiam leucam; quo veluti oſtio, fluctus maris admittit atque remittit, æſtu ordinato; unde illius fluctus, licet plurimos amniculos & torrentes accipiat à variis plagis, ſubamari deprehenduntur: nihilo ſecius alit varios piſces & imprimis grandes *Manatos*.

In intimum hujus Lacus gremium, intrat fluvius, è *Novo Regno Granatenſi* deſcendens, cujus beneficio commercia inter hanc Præfecturam & dictum regnum percommode exercentur. Indigenarum nonnulli qui ripas illius Lacus accolunt tuguria ſua hodieque ſtruunt, in cacuminibus arborum, inter ipſas undas, aut ad ipſam ripam; Vnde quidam præfecturam hanc nomen Venezuelæ accepiſſe opinantur, uti jam ſupra diximus.

In ambitu hujus lacus, aut haud longe ab illius ripis, incolunt variæ nationes barbarorum: inter quos primo loco nominantur *Pocabuyes*, qui plurimum auri poſſediſſe dicuntur: deinde *Alcoholadi*, auri non minus divites: urbana & mitis natio, quæ fœcundos agros poſſidet & abundat omnis generis annona. Pocabuyes.

Inter montanam autem regionem & hunc Lacum, jacet provincia *Xuruara* plana atque campeſtris: montanam vero regionem, incolunt *Coromochi* ferox natio & valde bellicoſa. Ad intimum Lacus receſſum, quem Hiſpani vulgo vocant *Culatam*, alii degunt barbari, quos appellant *Bobures*, quorum provincia ob telluris uditatem & crebras uligines, inſalubrior habetur, & ſupra modum infeſtatur à Moſquitis. Xuruara. Bobures.

Denique à *Xuruara* ad Metropolin Coro, pene octuaginta leucarum ſpatio plures degunt barbari; rudi ingenio, & rerum omnium pene inopes, quos Hiſpani nondum debellarunt. Atque hactenus de hoc Lacu.

Maracapana claudit pene limites hujus præfecturæ verſus orientem: portus, qui inter optimos hujus oræ, facile primus cenſetur. Inter montes autem qui ab hoc portu, alibi duabus, alibi ſex, nonnullibi & decem leucis divergunt, habitant barbari, quos vocant *Chuigotos*; unius quidem linguæ, ſed haud ſatis Maracapana.

ſatis inter ſe concordes, bellicoſa natio, & humanis carnibus veſci ſueta, & Hiſpanis neque obſequens neque propitia.

Incolæ *Cubaguæ* hic olim modicum habuerunt municipium, alueruntque in eo præſidiarios quamplures, in ſpeciem quidem, ut hanc provinciam adverſus hoſtes defenderent, revera autem, ut miſeros barbaros abriperent in ſervitutem, & alio traducerent: quo factum eſt, ut provinciæ hæ hodie perpaucos indigenas, & raros pro amplitudine incolas numerent.

A *Maracapana* ad provinciam *Bariquicemeti*, vaſta planicies ſternitur, venationi quidem & piſcationi admodum opportuna, pene centum leucarum longitudine, verum tota regio, qua ab Hiſpanis, qua à Germanis, ſuperiori ſeculo ita eſt depopulata, ut jam plures Tigres quam homines nutriat, & vix iter hac agi poſſit.

CAP. XV.

Deſcriptio Inſularum quæ huic præfecturæ objacent, Inſulæ Blanca, Tortuga, Orchilla, Rocca, *Avium.*

INTER Inſulas quæ huic Continenti Americæ Meridionalis hic objacent, primo ſeſe offert quæ ab Hiſpanis & aliis nationibus appellatur *Iſla Blanca:* ea diſtat ab Æquatore verſus Arctum duodecim gradibus; aut ſecundum alios, undecim gradibus & quadraginta octo ſcrupulis; ab inſula Granada verſus favonium paulum declinando verſus Auſtrum, leucis circiter quadraginta: à *Margarita* itidem verſus favonium, ſed declinando paulum verſus Arctum leucis ſedecim. Continet in ambitu circiter ſex milliaria: præcipua illius ſtatio ſita eſt ad Occidentale illius latus, in ſinu arenoſo. Pauciſſimi in hac inſula viſuntur montes. Ad latus illius Occidentale, paucæ admodum naſcuntur arbores, præter raros lucos qui fere conſtant ex arboribus *Guajacan:* verum latus Orientale univerſum ſilvoſum eſt, ſub arboribus autem viſuntur multi frutices, è ſalviæ ſylveſtris claſſe, qui fragrantem odorem de ſe fundunt. Solum omne partim eſt ſcopuloſum, partim aridum, exſucce, atque adeo effætum, culturæ omnis impatiens; nam nullæ hic reperiuntur ſcaturigines, aut dulces latices, præter aquas pluvias, quæ in certis ſtagnis colliguntur. In ſylvis quoque ſuccreſcunt plantæ, acutiſſimis aculeis aſperæ, qui carnem ita penetrant ut ægerrime poſſint evelli: campi autem atque planicies gramine quodam veſtiuntur, quod ad genua uſque aſcendit. Pauciſſima reperiuntur hic animalia, præter hircos & capras, quæ maximum ceperunt incrementum, ita ut aliquot millia hic vagentur. Inculta eſt inſula, neque ab ullis barbaris, Hiſpaniſve habitata; qui illam tantummodo adire ſolent, ut hircos & capras venentur: neque à noſtris aut aliis gentibus, niſi ob eandem cauſam aditur, vel etiam interdum propter Salinas; licet illæ ſatis incommodo loco ſitæ ſint.

Tortuga. Sequitur deinceps *Tortuga* inſula, quæ diſtat ab Æquatore verſus Arctum, undecim gradibus & duodecim ſcrupulis, ab Occidentali Angulo *Margaritæ* verſus favonium duodecim aut quatuordecim milliaribus; ab Inſula *Blanca* quindecim aut ſedecim milliaribus verſus Africum: Ita ut ii, qui ſub hac inſula in anchoris conſiſtunt, non modo Inſulam *Margaritam* ſed & Continentem Americæ ſudo cœlo poſſint conſpicere. Patet in longitudinem quidem inter ortum & occaſum tria quatuorve milliaria, in latitudinem autem ſeſquimilliare. Latus illius Orientale, ut & maxima pars, ſolo eſt petroſo, effæto & nudo; petræ illæ ſunt aſperæ, poroſæ atque hiantes, ita ut difficillime veſtigia hic figantur, ſecus littus nonnulli luci viſuntur; ora autem ipſa uliginoſa eſt & crebris ſtagnis impedita, quæ ſcatent innumeris cancris nullius frugis atque inutilibus. Occidentale vero latus, pene uſque ad Inſulæ umbelicum, denſo nemore veſtitur, in quo excellunt arbores *Guajacan*; ad oram vero maris frequenti fruticeto pene eſt invium. Hæc inſula nihil memorabile ſortita eſt, præter modicam Salinam, quæ jacet pone cornu illius, quod Eurum adſpicit; in qua menſibus Septembri, Octobri & Novembri tantum ſalis reperitur, quantum tribus quatuorve navibus onerandis ſufficit: verum ſtatio haud admodum navibus eſt opportuna. Alit quoque hæc inſula plurimas capras præſertim ad plagam Occidentalem; quæ tamen difficil-

difficillimè capiuntur: & infinitas *Yguanas*, ad Orientale latus, quæ ob telluris ſterilitatem valde ſunt rancidæ: præter illas quæ in ſylvis deprehenduntur, quæ ſunt obeſiores: univerſum autem latus illius Auſtrale ita vadis & rupibus eſt contaminatum, ut ſub illo naves ſine diſcrimine anchoras figere non poſſint. Unicam habet ſtationem ſatis opportunam pone Aquilonare cornu, quod anguſto tramite veluti collo in altum prominet: ubi & naves, quum opus eſt, ſubduci & purgari poſſunt.

Tortugam excipit *Orchilla*, ut vocant Hiſpani, diſtans ab illa verſus *Corum* circiter quindecim milliaribus: ab Inſula autem *Blanca* pene novemdecim; aut paulo paucioribus, ut aliis placuiſſe video. In latitudine hujus tradenda variant inter ſe Naucleri: alii enim teſtantur illam diſtare ab Æquatore verſus Arctum undecim gradibus & quindecim ſcrupulis; alii triginta ſcrupulis; nonnulli & quinquaginta: ſed triginta magis ad veram altitudinem puto accedere. Conſtat hæc inſula pluribus partibus; una quidem majore, pene ſemilunari forma, & aliquot minoribus quæ tantum vadoſo freto à majori dirimuntur. Major maximam partem humili eſt ſolo; ad Orientalem & Occidentalem tantummodo Angulum viſuntur rari montes, in quibus capræ potiſſimum vagantur. Latus ejus Meridionale & quod Africum proſpectat, alto mari alluitur, & oræ illius ſunt præruptæ, ita ut quam proxime etiam majoribus navibus liceat accedere: qua Africum aſpicit raræ viſuntur arbores, & paucæ herbæ præter petroſelinon marinum: verum ad Orientale & Septentrionale latus frequentiores naſcuntur arbores: cæterum univerſa tellus ſalſa eſt & plantis nutriendis inidonea: nulli in univerſa inſula reperiuntur fontes, aut latices potabiles; ipſæque arbores quæ hic naſcuntur ſunt aridæ & informes: quare & raræ hic reperiuntur volucres: & ex animalium claſſe tantum lacertorum quædam ſpecies. Ad Arctum habet minores illas inſulas, & terras æquori æquales, & non raro dilutas.

Succedit deinceps *Rocca*, diſtans ab *Orchilla* circiter ſex milliaribus, verſus Occi- Roccæ.
dentem paulum declinando verſus Africum; ab Æquatore verſus Arctum duodecim gradibus & quatuor ſcrupulis, uti à noſtratibus fuit obſervatum. Non tam inſula, quam plures ſcopuli & minores inſulæ longa ſerie projectæ, multis arboribus paſſim veſtitæ: patent in longitudinem quidem inter ortum & occaſum quinque milliaribus, in latitudinem vero pene tribus: Continens Americæ Meridionalis facillime ab hiſce inſulis videri poteſt. Ad Arctum jacet exigua inſula, in qua altus mons ſeſe attollit, qui ob candorem procul ex alto videri poteſt. Meridionale latus præceps eſt, & mare ita altum, ut fundum illius bolide fruſtra tentent navigantes: Occidentale vero vadoſiori mari alluitur, hic æſtivis menſibus nonnihil ſalis reperitur. Nulla alit animantia; atque adeo rariſſimas volucres; præter quam unarum ſpeciem, quas alibi ab Hiſpanis diximus appellari *Flamencos*, longis tibiis inſtar ciconiarum, plumis rubicundis & elegantibus, longo & recurvo roſtro. Solum univerſum petroſum eſt, & æquori pene æquale.

Inſula Avium, ut vocant, itidem è pluribus minutis inſulis compoſita eſt; qua- I.de Aves.
rum Orientalior maxima eſt, forma triquetra, æquori pene æqualis, & multis arboribus veſtita, licet tellus ſit petroſa, diſtat ab Inſula *Rocca* verſus favonium paulum declinando verſus Arctum circiter decem milliaribus: ab Æquatore verſus Arctum duodecim gradibus, uti à nonnullis inveni obſervatum. Huic adjacent octo aut novem inſulæ minores, ſpacio unius milliaris, vadoſo æquore interluente, quæ nihil habent memorabile, uti nec major.

Cap. XVI.

Deſcriptio Inſularum Bonaire, Curacao, *atque* Arubæ.

B*Onaire* inſula diſtat ab Inſula *Avium* verſus Corum ſex aut octo mill. ab Æquatore verſus Arctum duodecim grad. atque aliquot ſcrupulis; ſatis ampla eſt & creditur circiter ſedecim aut ſeptendecim mill. in ambitu capere: oræ illius, utplurimum præruptæ ſunt, licet ſolum modice ſit editum ſecus littus, ita ut ad latus quod Corum adſpicit, ubi opportuniſſima ſtatio habetur, naves funibus ad arbores alligare,

alligare, aut anchoras in littore figere neceſſe ſit: objacet ab hac parte minor inſula: plurima hîc reperiuntur armenta, etiam pecudes atque capræ; nec non ſues & equi; quæ univerſa hic ab Hiſpanis fuerunt collocata, & in immenſum aucta. Incolæ maximam partem ſunt barbari, ex Inſula Hiſpaniola ab Hiſpanis huc traducti, & à multis annis Chriſtianis Sacris initiati; pauci admodum Hiſpani cum ſuo præfecto; qui in valle quadam inter montana hujus inſulæ incolunt: Cæterum hujus inſulæ ſolum haud admodum fertile eſt frugum; ſed nutrit innumeras arbores, quarum materies rubra eſt, & pro tinctura uſurpatur; quæ trunco ſunt ſcabro & contorto, pene ad modum vitium, ſed admodum ſolidæ & gravis materiæ, cortice cinereo, qui ad nihil utile cenſetur: Noſtrates à forma vocant *Stock-viſh-hout:* maxima copia jam ab aliquot annis Europæ cœpit inferri à variis nationibus, præſertim noſtratibus, ita ut præ nimia copia jam vileſcere cæperit, & hic non tanta copia reperiatur, aut tam facile devehi poſſit.

Minor inſula diſtat à priori exiguo admodum intervallo, & ipſa ripis valdè præruptis, & æquore in ambitu valde alto, ita ut ſub ipſa inſula, ad ſexaginta orgyas altum deprehendatur, ambit circiter tria milliaria, patens in longitudinem pene duo. Solum parte ſui maxima petroſum eſt, cætera nitroſum vel ſalſum, unde difficillime admodum potabiles aquæ in ea reperiuntur. Nihil memorabile ſortita eſt niſi ſimiles arbores; & Guayacan & paucas arbuſculas quæ goſſypium ferunt.

Curacao. *Curacao* inſula diſtat à *Bonaire* verſus Favonium paulum declinando verſus Corum circiter novem milliaribus, ita ut ſudo cœlo à *Bonaire* eminus conſpici interdum poſſit; ab Æquatore verſus Arctum duodecim gradibus & quadraginta ſcrupulis, uti à nonnullis invenio obſervatum. Ambit novem aut decem milliaria, inter Corum atque Eurum in longitudinem projecta. Solum illius multo fœcundius dicitur quam *Bonaires*, unde plures incolas habet, qui pecuariam exercent, & quotannis multos caſeos premunt, quos ad Continentem venum traducunt. Naſcuntur hic quoque arbores illæ, quas in *Bonaire* notavimus, verum non tanta copia. Sinum habet patentem ad latus quod Aquilonem deſpicit, ſed ſtatio majoribus navibus valde importuna eſt ob præruptas inſulæ ripas. Nondum inveni à noſtratibus fuiſſe aditam, aut ab aliis nationibus præter Hiſpanos.

Aruba. *Aruba* inſula diſtat ab inſula *Curacao* verſus Corum pene, circiter novem milliaribus, ut à noſtratibus inveni accurate ſatis obſervatum: expanſa eſt inter Corum atque Eurum tria milliaria: ſtationem habet ad latus quod Corum adſpicit, pone inſulæ Angulum; juxta minorem inſulam quæ hic illi objacet, in fundo arenoſo quinque orgyas alto & anchoris figendis peridoneo: reliqua inſulæ latera præruptas habent ripas & æquore admodum alto alluuntur. Ipſa inſula humili magnam partem eſt ſolo, quod alicubi in montes erigitur; quorum unus ſacchari conum æmulatur: ambitus eſt circiter quinque milliarium; Incolitur à paucis Americanis & pauciſſimis Hiſpanis: abeſt denique à Promontorio *Sancti Romani* circiter octo milliaribus verſus boream.

Cap. XVI.

Oræ univerſæ deſcriptio utriuſque præfecturæ Cumanæ *atque* Venezuelæ.

cap.v. CVmana ſive *Comena* diſtat à Promontorio *Arayæ* ſive famoſis illis Salinis verſus Auſtrum quatuor milliaribus; cætera ſuperius explicavimus.

A *Cumana* tendit ora primo verſus boream; atque hic primum egrediuntur in Oceanum fluvius quem Hiſpani appellant *Rio de Canoas*, & mox fluvius *de*
Moxina. *Bordones:* & deinceps portus ſecuriſſimus & undique adverſus tempeſtates ventorum munitus, qui vulgo dicitur *Moxina:* & ulterius ſinus ille quem ſupra diximus *S. Fidei* nomen ſervare: Hinc occurrit navigantibus ſcopulus quidem anguſto, ſed tamen alto & navigabili freto à Continente diviſus, qui noſtratibus dicitur *Borats,*
Commenagot. quo ſuperato aditus patet ad alterum ſinum, qui vulgo appellatur *Commenagot;*

got; pulcherrimus hic eſt ſinus, & navigantibus peropportunus, à *Maracapana* verſus Occidentem, arenoſo littore & fundo anchoris tenendis peridoneo; in Occidentalem ſinus partem egreditur amniculus, è quo aqua commodiſſime peti poteſt: in ambitu hujus ſinus & intra Continentem naſcuntur plurimæ arbores, quarum materies tincturæ rubri & crocei coloris utiliſſima cenſetur.

A Statione *Commenagot* ad exiguas inſulas quas vulgo vocant *Pirito* numerant quatuor milliaria, ita ut Occidentalis ſinus illius Angulus, reſpondeat Orientali cornui harum Inſularum.

Inſulæ *Pirito* duæ ſunt, circiter milliaris unius intervallo diſcretæ, diſtantes à Continente unum milliare; humiles ſolo & æquori pene æquales, nulliſque mortalibus habitatæ; è regione harum egreditur è Continenti amniculus cujus tamen aquæ ſalſæ deprehenduntur etiam tribus milliaribus intra oſtium: vocant *Rio de Ermacito*; accolitur à natione *Caribum*.

Porro è regione Anguli Occidentalis Inſulæ *Pirito*, jacet ad Continentem ſinus quem vocant *Oychier*, fundo anchoris figendis inidoneo.

Sequitur deinceps ad Continentem notabilis mons, quem Hiſpani appellant *El Morro de Correbicho*, è regione inſulæ *Tortugæ*, quam ſupra deſcripſi.

Et mox Promontorium *de la Cordeleira* vel *Caldera*, diſtans ab eadem *Tortuga* verſus Africum circiter quindecim milliaribus: id Promontorium ſolo eſt humili, ab eo tamen incipit ſeſe ora ſenſim attollere, nam ſimul hanc ſuperaveris verſus occaſum, proſpicis eminus editiſſima illa montium juga, quæ vocantur vulgo *Carakas*: Continens hic alit plures arbores *Guajacan*. Diſtat autem Promontorium hoc, ſecundum *Figueredum*, ab Æquatore verſus Arctum, decem gradibus, quibus alii adjiciunt aliquot ſcrupula.

Circiter quindecim milliaribus ab hoc Promontorio verſus Occidentem, jacet Arx *Carakas*, cujus ſupra meminimus; & circiter duobus milliaribus ulterius Promontorium quod Hiſpanis dicitur *Blanco*, pone quod ſtatio navibus haud incommoda eſt, & anchoræ tuto figi poſſunt in mari novemdecim orgyas alto.

Tredecim milliaribus ab hoc Promontorio, occurrit *Turiame*, ubi amniculus potari pulcherrimus è Continenti egreditur, & ora omnis arboribus vernat.

Duobus à *Turiame* milliaribus, jacent inſulæ *Burburatæ*: hic portus admodum ſecurus eſt, & Salinæ è quibus ſalem Continentis incolæ ſolent petere. Burburata.

Sequitur deinceps ſinus quem Hiſpani, neſcio ob quam cauſam, vocant *Golfo Triſte*; è regione habens Inſulam *Bonayren*, de qua jam diximus: & mox Angulus terræ qui dicitur *Punta Seca*, aliaque ignobiliora loca, neque dum ſatis in itinerariis explicata, uſque ad Promontorium *S. Romani*; diſtans ſecundum noſtrorum obſervationes ab Æquatore verſus Arctum gradibus duodecim & ſex ſcrupulis; extremum eſt cornu peninſulæ illius quam ſupra diximus à barbaris appellari *Paragoanam*, quæ tota humilis eſt, & unicum tantum montem eminus oſtentat, quem vocant *S. Annæ*. S. Romani.

Ab hoc Promontorio flectit ſeſe ora verſus Africum circiter ſeptem aut octo milliaribus, deinde ſubducit ſe recta verſus Auſtrum, promovens ſe verſus Corum, oppidum *Venezuelæ* primarium; ubi in intimo ſinu undas ſuas eructat Lacus *Maracaibo*: A cujus oſtio ora revertitur verſus Arctum.

Commodiſſimum tempus hic navigandi eſt à menſe Maio ad Octobrem: nam à Novembri ad Aprilem valide perflant hic venti Aquilonares, & cient infeſtas navigantibus tempeſtates.

Claudit hoc fretum ad Occidentem Promontorium *Coquibocoa*, diſtans ab Æquatore verſus Arctum ſecundum obſervationes Hiſpanorum gradibus duodecim; quod humile eſt & vado proreptans in altum; intra Continentem viſuntur editi & fragroſi montes, quos Hiſpani vocant *Sierras de Azieyte*. Coquibocoa.

Huic Promontorio verſus Orientem objacent Inſulæ *Monges*, ad quas ii qui *Cartaginem* ad Continentem Americæ Meridionalis petunt, curſus ſuos ſolent dirigere: ſunt autem tres quatuorve inſulæ parvæ, quarum Auſtralior edita eſt & multo volucrum fimo candicat; à qua verſus boream altera jacet, edito monte & divaricato vertice inſtar ſellæ equeſtris, conſpicua; reliquæ potius petræ ſunt quam inſulæ. Monges.

Porro à *Coquibocoa* ad nobiliſſimum Promontorium *de la Vela*, numerat *Figueredus* leucas viginti & quinque; quo intervallo Continens admittit ſinus aliquot alicujus nominis; & quidem primo illum quem vulgo vocant *Bahiam Hondam* qui patentiſſimus quidem eſt ſed vadoſior, quemadmodum & tellus quæ ambit pluribus receſſibus diviſa cernitur: accolitur à barbaris inſigni macie & ſqualore, qui prorſus nudi incedunt, pudenda tamen ſua cucurbitulis quibuſdam tegunt, cæterum non multum differunt à belluis: deinde recipit Continens alterum ſinum, quem vocant *El Portete*, quatuor leucis à dicto Promontorio *de la Vela* verſus ortum; hic quoque vadoſior cenſetur, licet quidam arbitrentur interius altiorem eſſe, & oſtium illius tantum anguſtius eſſe.

Promontorium denique *de la Vela*, valde editum eſt ad mare, ſubſidetque ſenſim verſus Continentem, ita ut ex alto allabentibus inſula eſſe videatur: ſolum quod illi adjacet infœcundum eſt, & vix quicquam herbidi ſortitur.

Atque ita cum bono Deo jam ambitum Americæ hujus Meridionalis abſolvimus & redjimus ad Præfecturam *Rio de la Hacha*, à qua ſuperioribus libris digreſſi ſumus intra Continentem & ad Provincias quæ Mari Auſtrali adjacent; itaque finem imponemus huic deſcriptioni, donec plura & certiora è noſtrorum aut aliorum obſervationibus nacti fuerimus.

INDEX
RERVM MAXIME MEMORABILIVM
quæ hiſce Libris continentur.

Benevole & Humaniſſime Lector, copioſiſſimum Indicem in tuum uſum adornavimus, de quo hoc tantum monendus es, nomina quæ Sancti aut Sanctæ aut Novæ prænomen adjunctum habent, tibi in Littera ipſius nominis eſſe quærenda; & operarum oſcitantia poſt paginam centeſimam ſtatim numeros paginarum integro centenario auctiores factos; noſque eos in hoc Indice ſequutos eſſe ne quicquam in quærendo hæſitares.

A.

ABacoa inſula Lucaya. 21
S. Abad portus Californiæ. 296
Abancay fluvius Peruviæ. 446
Abaque Inſula. 12
Abibe montes. 363
Abipi mons Smaragdorum. 383
Abiſca provincia Peruv. 451
Abreojo Jamaicæ. 21
Abrolhos vada Braſiliæ. 585
Aburena regio. 345
Aburra vallis Popajan. 388
Acaja arbor Braſil. 613
Acaious fructus. 558.611
Acala provincia. 318.327
Acales cymbæ Mexicanor. 235
Acapatli arbor. 231
Acapiſtla Nov. Hiſp. 233
Acapulco portus & oppid. 238
Acara piſcis. 616
Acarabouten piſcis. 573
Acarapep piſcis. 573
Acatlan provincia. 270
Acaxutla portus. 336
Accadia provinc. N. Franc. 50
Accare piſcis. 644
Achalaqui provinc. Florid. 101
Achecambey inſula Lucaya. 21
Achiotl arbor N. Hiſpan. 224
Achuſi portus Floridæ. 101.103
Acla portus. 348.351.358
Acoma. 312.314.316.
Acos in Peruvia. 444
Acoſte provinc. Floridæ. 103
Acuera prov. Floridæ. 100
Acuitzehuarica. 265
Acuti animal. 551
Adholthues piſces. 42
Adives canes feri. 267
Africanus flos. 230
Agama cornu Peruviæ. 466
Agazes populi. 527
Agoutitreua arbor. 611
Agouty animal vide Acuti. 618
Agreda oppidum Popajan. 395
Aguacates fructus. 226.384
Aguacolla herba. 418
Aguales populi. 392
Aguapa arbor Venenoſa. 382
Ahacun oppidum. 298
Ahuaquahuitl arbor. 226
Ajabutipita arbor. 561
Aiuratibira arbuſtum. 561
Alacranes inſulæ. 257
Albion nova. 307
Alchichican lacus. 256
Alcoholadi barbari. 679.685
S. Alexii inſula. 598
Alfarfares Peruuiæ. 430
Algoumequini populi. 45
Alkermes acini. 65
Almouchiquoſy populi. 56
Almaguer urbs Popajan. 395
Altovelo inſula. 12
Alvaradi fluvius. 626
Ama-curub piſcis. 672
Amaguaja inſul. Lucaya. 21
Amana inſula Lucaya. 21
fluvius Guaianæ. 646.648
Amanocupana vallis. 656
Amapaja provinc. 652.656
S. Amari oppidum Braſil. 586
Amariocapana provincia. 655
Amatigue Hondur. 339
Ama-uve arbor. 612
Amautæ Peruviæ. 399
Amayacu piſcis. 572
Amazcotic arbor 225
Amazonum flumen. 630
Ambaigtinga arbor Braſil. 560
Ambaiyba arbor. 560
Amegnaes populi la Plata. 526
Ameyes populi. 312
Aminoia provinc. 206
Amitla fluvius. 327
Amititan lacus. 331
Ammegore fluv. Guaian. 649.660
Amniſci populi N. Hiſpan. 233
Amoreati piſcis. 572
Amygdala Chachapoyas. 441
Anapuja provincia. 677
Anapura avis. 556
Anda arbor. 560
Andabayla provinc. Peru. 446

Andalien vallis Chile. 487
Andaluzia nova. 667.652.625
Andes montes Peru. 398
Andheura veſpertilio. 615
S.Andreæ inſula. 290
portus Californiæ. 295
Anebas populi Guaianæ. 652
Anegada Inſula. 23
Anetl inan N.Hiſpan. 224
Angas majo fluv. Peru. 393
Angliæ Novæ limites. 65
cœli ſolique qualitates. 68
Angojaco Peru. 444
Angoango Peru. 460
Angra dos Reyes Braſil. 583
Anguilla inſula. 23
Anil planta & tinctura. 330.331
Anilco provinc. Florid. 205.207
Anna animal. 407
S.Annæ oppidum. 530
inſula. 623
Annedda arbor. 57
Annona fructus. 226
Annoto tinctura. 641.645
Annus fructus. 400
Antequera urbs Guaxacæ. 262
Antigua Inſula. 23
Antiochia urbs Popajan. 386
Antonii de Eſpejo expeditio. 309
Anzerma urbs Popajan. 388
Aovay arbor & fructus. 562
Apaches populi N.Mexico. 315.316
Apalache provinc. Floridæ. 97.98.101
Apalacti montes. 211.212.215
Apoyomatli herba. 217
Apula piſcis. 574
Apurima fluv. Peruv. 446
Apurwaca fluvius. 638
Aquiqui ſimii Braſil. 553
Araca arbor Braſil. 559
Aramaſſa piſcis. 616
Aranata animal. 673
Araneus marinus. 56
Aranivez urbs. 344
Araova piſcis. 617
Araræ aves Braſil. 556
Ararapira fluvius. 540
Araruna avis. 556
Araticu arbor Braſil. 559.612
Aratu cancror. ſpec. 574
Aravers papiliones. 555
Arauco provincia Chil. 488
Arawa Wapebbe piſcis. 572
Araya provincia. 664.670
Arbi provincia. 389
Arbol de las Soldaduras. 342
Archidona urbs Peruv. 422
Arequipa oppid. Peru. 439
Arezibo oppidum. 4
Arica portus Peruv. 466
Arikary fluvius. 635
Arimao fluv. Cubæ. 15
Arma provinc. & urbs Popajan. 389
Armadillo animal. icon. 552
Arnedo municip. Peru. 428
Aroi fluv. Guajanæ. 655
Aromaja fluv. Guaianæ. 655
Aroræ populi Guianæ. 655
Arougian animal Virgin. 82
Arracoa amnis. 636
Arrepoco Amazon. 631
Arrowari fluv. 631
Arrowen inſula. 632
Aruba inſula. 688
Arwy fluvius. 636.677
Arwaccæ populi. 641.647.648
Ashaguæ populi. 656
Aſſapana inſula. 648
Aſſapanic animal. 82
Aſſumcion urbs la Plata. 529
inſula N.Franc. 40
Atacama deſertum. 483
Atacape amphib. animal. 576
Ataco in Yzalcos. 332
Atalpaha prov. Florid. 101
Atextli potus. 320
Athule inſula. 656
A titlan lacus. 335
Atlacubaya N.Hiſp. 234
Atliſca vallis N.Hiſp. 254
Atole quid ſit. 321
Attivogautani popul. N.Franc. 49
Auche provincia. 206
S.Auguſtini oppidum. 219.220
promontor. Braſil. 598
Inſula. 369
Avila oppid. Quixos. 422
Avinno fodinæ. 288
Avium inſula. 24.687
Aulagæ Lacus Pariæ. 459.465
Auræ aves. 232.267
Aute in Florida. 98.101
Autepeque N.Hiſpan. 233
Autmoins divinatores. 53
Auzuba arbor. 6
Awah-Kattoe piſcis. 574
Awarawaqueri populi. 655
Axaguæ populi. 682
Axi piperis ſpecies. 7
Axin pinguedo. 223.232
Axolotl piſcis. 235
Ayamare piſcis. 644
Ayavire Peruv. 456
Ayaw lignum. 637
Aymaraes populi Peruv. 438.450
Aymures populi Braſil. 586
Ayotuxtitlan provinc. N.Hiſp. 249
Aypi radix Braſil. 564
Ayri arbor Braſil. 561
Azva oppid. Hiſpaniolæ. 10
Azumbre menſura Hiſpan. 281

B.

BAcalaos inſula. 35
Bachoves fructus Braſil. icon. 563
Baeza oppid. Quixos. 422
Bahama inſula Lucaya. 21
Bahia de todos los Sanctos. 587

Baja-

Bajamon fluv. Porto Rico. 2
Baixos S. Rochi. 603
S. Antonii. 597
Balſamum N. Hiſpan. 224
de Tolu. 364
Bamba provinc. Popajan. 385
oppidum Peruv. 418
Bambayæ aves. 13
Bancus magnus Terræ Novæ. 36
Bannana arbor. 631
Baoruco provinc. Hiſpaniolæ. 8
Baracoa oppidum Cubæ. 16
Baranca in Peruvia. 429 453
fluv. N. Galæciæ. 280
Baratta reſina Guaianæ. 645
Barbada inſula Caribum. 24
S. Barbaræ fodinæ. 289.290.309
Barbaſco radix. 683
Barbudos inſula. 24
Bariquicemeto fluv. & provinc. 685
S. Bartholomæi inſula. 24
vallis Zacatec. 314
Barraquan fluv. Orenoq. 652.656
Baru inſulæ. 369
Bayamon fluvius Porto Rico. 2
Bayamo provinc. Cubæ. 15
Bayla provincia. 284
Beata inſula. 12
Behiques ſacerdotes. 15
Bekia inſula. 24
Belen fluv. Veraguæ. 343
Belez oppidum N. Regni. 383
Belgium novum. 70.71
Beori animal. 328
Berbice fluvius. 648
Bermudes inſulæ. 27.ſeq.
S. Bernardi oppidum. 534
inſulæ. 369
Beta fluvius. 656
Beyupira piſcis Braſil. 570
Biarataca animal Braſil. 553
Bilcabamba vide Vilcabamba.
Bilcas fluv. & Palatium Peru. 446
Bilcacongæ montes Peru. 447
Bimini inſul. Lucaya. 21.96
Biobio fluv. Chiles. 487
Blanca Inſula. 686
Bobures barbari. 685
Boca del Drago. 661
Bogota provincia. 377
Bom anguis Braſil. 554
Bombon provinc. Peru. 443
Bonaventura portus. 391
Bonaire inſula. 687
Bonda provincia. 371.374
Boopes piſces. 570
Bordones fluv. Cumanæ. 665
Borriquen inſula. 1
Boycininga anguis Braſil. 555
Boycupecanga anguis Braſil. 554
Boyete anguis Braſil. 619
Boytiapua anguis Braſil. 554
Boyuna anguis Braſil. 554
Bracomoros provinc. Peru. 422
Braſiliæ generalis deſcriptio 541. diviſio 578. indigenæ populi 545. religio & mores 543. lingua communis. 599
Brion inſula N. Franc. 39
Britioga inſula Braſil. 579
Britonum inſula N. Franc. 37
Buenos Ayres oppidum. 527.535
Buhia fluvius. 374
Burburata portus. 682.688
Buritaca provincia. 371
Buritica provincia. 387
Buyobuyo piper. 231

C.

Caaroba arbor. 560
Caaobetinga herba. 567
Caburuto provincia. 651
Cabueriba arbor Braſil. 559
Cabuja herba. 348
Cacao fructus & arbor. 318
Cachoz fructus Peruv. 403
Cacoves populi. 527
Cadiæ prov. limites. 50
Cahaya prov. Hiſpaniolæ. 8
Cajama inſula. 655
Cajane fluvius. 640
Caimanes inſulæ. 19
Caiouz fructus icon. 558
Cairabon fluvius. 2
Cajri populi Trinidad. 662
Calcamar avis. 575
Cali oppid. Popajan. 390
California provincia. 291
Callao portus Limæ. 433
Calos provinc. Florid. 211.220
Caltete lacertus. 231
Camaguey prov. Cubæ. 15
Camamu montes Braſil. 605
Camana vallis Peru. 439
Camaracatimba herba. 567
Camaron promontorium. 340
Camata provincia Peru. 452
Camboury O vaſſou piſcis. 616
Camoçipe fluvius. 607
Camouſi fluvius. 607
Campeche in Yucatan. 274
Campſeau portus N. Franciæ. 37.50
Camurupi piſces. 571
Canada fluv. N. Franc. 42
accolarum mores. 46
eorum lingua. 48
Cananea provinc. & oppid. 579
Canæ populi Peruv. 456
Canches populi Peru. 456
Cannares populi Peruv. 414
Cannaribamba. 413
Canela provincia & arbor. 422
Cannaveral promont. Florid. 211
Cannete oppidum Peruv. 435
Caninga arbor. 13
Caninana anguis Braſil. 554
Cano inſula. 344
Canigua vide Carigue.
Canuria provincia. 655

Caoup arbor Braſil. 612
Capa animal. 673
Capaha provincia Florid. 104
Caparra municipium. 3
Capolin arbor N. Hiſpan. 256
Capuri fluv. Guajanæ. 648
Capygoara piſcis Braſil. 577
Caracas arx. 688
Caracura avis Braſil. 575
Caracol fluvius. 352
Caraguata carduor. ſpecies. 567
Caraibæ præſtigiatores Braſil. 543
Caramanta oppid. Popajan. 387
Caramaru piſcis Braſil. 572
Caranna reſina. 224
Carana-uve arbor. 612
Carangue in Peruvia. 410
Caravaya vallis. 451
Caravaro in Veragua. 345
Carçaranna fluvius. 528
Careta provincia. 348
Carex inſula. 364. 366
Cariari in Veragua. 345
Cari fluv. Guajanæ. 655
Caribes populi. 647.649
Carigue animal *leg.* Caniguɑ. 551
Caripira avis Braſil. 575
Carioes populi. 526
Cariuri arbores. 381
Carlos urbs Veraguæ. 346
Caroli fluv. Guajanæ. 652.655
Carolina arx Florid. 213
Caroræ planicies. 680
Carrapa arbor. 374
provincia Popajan. 389
Carripapoori inſulæ. 635
Cartagena provincia. 362
metropolis. 364.365
Cartago urbs Popayan. 390
urbs Coſtæ Ricæ. 344
Cartama provinc. Peru. 387.423
Carvaleda oppidum. 682
Caruma provincia. 418
Caſnero fluv. Guajanæ. 655
Caſquin provinc. Florid. 104
Caſſanar fluv. Guajanæ. 652
Caſſewine fluvius. 636
Caſſine potus Floridæ. 217
Caſſipagotes populi. 655
Caſſipa Lacus. 655
Caſſipurough fluvius. 635.636
Caſſoorwa piſcis. 644
Caſtanvela tuber. 280
Caſtro oppidum Peruv. 417
Virreyna oppid. Peruv. 448
oppidum Chiles. 494
d'Auſtria Coſtæ Ricæ. 344
Caſtilla del Oro provinc. 347
Cataparaꝛo provincia. 677
Catetij populi. 656
Cativa Inſula. 360
Cavannas portus Cubæ. 18
Cauca fluvius. 369.385
Cavi cibus. 400
Cavimo piſcis. 644
Cavinæ populi Peru. 456
Caurimata piſcis. 617
Cauten fluv. Chiles. 492
Cauto fluvius Cubæ. 15
Cawo fluvius Guajanæ. 639
Cawrora fluvius Guajanæ. 646
Caxamalca vallis Peru. 440
Cayapia herba. 567
Caycos inſulæ. 21
Cayete provincia. 619.621
Caymito inſula. 11
fructus Popajan. 390
Cazcanes populi. 281
Cazma portus Peru. 453
Cedrorum inſula. 296.309
Cempoalxochitl N. Hiſpan. 230
Ceſar fluvius. 374
Cevadilla Nov. Hiſpan. 230
Chabin fluv. Chiles. 498
Chacalla portus. 290
Chacama vallis Peru. 427
Chachapoyarum provincia. 441
Chagre fluvius. 355
Chalaque provinc. Florid. 102
Chalchaqui vallis. 532
Chalco provinc. N. Hiſpan. 233
Chamalucon fluvius. 337
Chame provincia. 349
Chamico fructus. 400
Campoton Yucatan. 274
Chanci populi. 391
Chancay vallis. 429
Changuarica. 224
Chaouſarou piſcis. 45
Chappacor radix. 92
Chaquana provincia. 484
Chaqui oppidum. 462
Chaquira quid ſit. 415
Charapeti frutex. 264
Charcharum provincia. 455
Chayanta provincia. 462
Chechincamins fructus. 81
Chemi animal. 5
Chepo fluvius. 356.360
Cherandes populi. 524
Cheriguanes populi. 467
Cherinos provinc. Peru. 419
Cheſepeac ſinus Virginiæ. 78.86
Cheſedeck fluv. N. Franc. 40
Chetemal provinc. 274
Chian ſemen. 322
Chiametla provincia. 283
Chiapa provincia. 323
incolæ barbari. 325
Chiautla provincia. 233
Chica potus Peruviæ. 400
Chicacolla Floridæ. 104
Chicæ populi Peruv. 462. 531. 537. Venezuelæ 683
Chichilticale provinc. 300
Chicoza provinc. Florid. 104
Chichimecapatli N. Hiſp. 230
Chichimecæ barbari. 243.269.282

Chico-

Chicora provinc. Floridæ. 96
Chila provincia. 249
Chilamcambel vates Yucatan. 273
Chilca vallis Peru. 434
Chiles deſcriptio generalis. 481
vallis. 485
Chimila provincia. 371
Chimo vallis Peruv. 472
Chinæ radicum ſpecies. 270
Chinca vallis Peru. 436
Chincilla animalculum. 482
Chioza provincia Florid. 104
Chiquiti populi. 467
Chiquito provinc. Peru. 459
Chira inſula. 344
Chiribichi provincia. 674
Chiru provincia. 349
Chiſca provinc. Floridæ. 104
Chocolate ſpecies. 318.320
Chocolococha urbs Peru. 437
Chomes barbari. 344
Chontales populi. 277.334.337.342
Choques barbari Venezuelæ. 680
Chovacöet fluv. N. Franc. 56
Choyne arbor Braſil. 563
S. Chriſtophori inſula. 24
municipium N. Regni. 383
Chucuito provincia. 495
Chuigoti barbari Venezuelæ. 685
Chuli vallis Peruviæ. 439
Chulula N. Hiſpaniæ. 233.237
Chuluteca provincia. 334
oppidum. 336
Chumbo provincia Peru. 415
Chunno quid ſit. 400
Chupa planicies Peru. 445
Chupiri arbor. 264
Chuquiabo provincia. 460
Chuquimajo fluv. & provinc. 419
Chuquiſaca oppidum. 461
Chuquinga Peruv. 457
Chute balſamum. 224
Ciboa provincia Hiſpaniolæ. 8
Cibola provincia. 298.301.303.312.313
Cicuic municipium. 304
Cicuique fluvius. 301
Cigateo inſula. 22
Ciguatlan fluv. N. Galæciæ. 292
Cinaloa provincia. 285
Cinto vallis Peru. 426
Cipo amnis. 93
Citala fluvius. 238
Cuidad Real Chiapæ. 325
de los Reyes S. Marthæ. 373
Clanchinoltepec oppidum. 250
Coatl arbor. 227
Cobaura herba. 567
Coca herba Peru. 400
Coccinilla tinctura. 229
Coche inſula. 664.670
Cochabamba Peruviæ. 451.462
Cochiztzapotl arbor N. Hiſp. 277
Coconuci populi. 385
Cocuy in Venezuela herba. 683
Cod promontorium. 67
Codega inſula. 364
Cofachi provincia Florid. 101
Cofachiqui provinc. Florid. 101.102
Colima provinc. & urbs. 270
provinc. Floridæ. 205
Collao provinc. Peru. 457
Collæ populi. 456
Coliman reſina. 645
Collique vallis Peru. 427
Colymæ populi N. Regni. 381
Comayagua Hondur. 337
Comagre inſulæ. 360
provincia. 348
Comma provincia. 621
Commenagott. 688
Compoſtella urbs Xaliſco. 283
Conchi populi. 310
Conchuci populi Peru. 442
Confines oppidum Chil. 492
Concepcion de la Vega Hiſpaniolæ. 10
de Salaya Mechuacan. 269
de Veragua. 346
urbs Chilenſis. 486
Conciva inſula Lucaja. 22
Conconuci populi. 393
Conibas Lacus. 314
Cooshebery fluvius & provinc. 636
Copal reſinæ variæ ſpecies. 222.223
Xocotl arbor. 225.264
Copanavaſtla N. Hiſp. 325
Copau arbor Braſil. 562
Copey Peruviæ. 424
Copia provincia. 388
Copiapo vallis Chilenſis. 484
Coporich arbor. 612
Coquibocoa promontorium. 689
Coquimbo vallis Chiles. 485.496
Corduba urbs Tucuman. 533.535
Cori animal Hiſpaniolæ. 5
Coritine fluvius 648
Coro oppidum Venezuelæ. 681
Coromochi barbari. 685
Coropuna Peruviæ. 457
Coſcushaw radix 90
Coſta Rica provincia. 344
Cotabamba Peruv. 446
Cotoche promontorium. 273
Cotuy urbs Hiſpaniolæ. 10
Covaka avis. 644
Coyminne Amazon. 631.634
Coza provinc. Floridæ. 103
Cozcaquautli avis N. Hiſpan. 232
Cozumel inſula. 276
Crabbeboore. 635
Crocodili. 231
S. Crux inſula. 26
de la Sierra provincia. 467
de mopox oppidum. 368
Sinus Floridæ. 98
portus Californ. 292.295.306
Cutati animal Braſil. 553.618
Cuba inſula. 13
Cubagua inſula. 663.669

Cubiæ radices. 379
Cucuio ſcarabei ſpecies. 5
Cudruagni numen Canadens. 47
Cuenca urbs Peru. 418
Cuernavaca N. Hiſp. 238
Cuertlavaca N. Hiſp. 261
Cuexco provincia. 234
Cuhuraqua herba. 265
Cuibæ populi Venez. 680.684
Culvacan provincia. 284
Cumana provincia. 672. municipium 775
Cumbi Peruvianorum. 405
Cumbibilcæ populi Peruv. 450
Cunames populi. 312
Cuntur avis. 407
Cupaiba arbor Braſil. 559
Curacao inſula. 688
Curamatou fluvius. 603
Curateo inſula. 22
Curiapan promontorium. 661
Curucaca anguis Braſil. 555
Curupicaiba arbor. 560
Cururyuba anguis. 576
Curutzeli herba. 265
Cuſco oppidum Peru. 448
Cuyo provincia. 495
Cuyocan provincia. 237
Cuzcatan provinc. 334

D.

DAbayba fluvius. 357
Dagua fluv. Popajan. 392
Darien fluv. & provinc. 356
Daule fluvius Peru. 417
fluvius Chiles. 486
Dawney fluv. Guayanæ. 656
Delphin. fluvius Floridæ. 208
Demarari fluvius. 648
Deſſeada Inſula. 24
Deſſequebe fluvius. 648
Diagutæ populi. 531.533
S.Domingo oppidum Hiſpaniolæ. 9
à Fr. Draco captum. 10
Dominica inſula. 25
Doradæ piſcis icon. 571
Duorin inſula N.Franc. 39
Durango municipium. 288

E.

ECatepec mons Chiapæ. 326
Edelano inſula Floridæ. 211
Eliſabethides inſulæ. 71
Embeguacu herba. 567
Emeria provincia. 653.655
Ende argentifodinæ. 289
Enguaniba arbor. 271
Eparagotes populi. 655
Epazotl herba. 322
Epuremei populi. 655
Erena oppidum. 288
Eſcapuſalco N.Hiſp. 234
Eſcoria provincia. 349
Eſcudo inſula. 346
Eſquine arbor Floridæ. 215
Eſquitlan fluvius. 290
Eſſequebe fluvius. 648
Eſteca urbs Tucuman. 533
Eſtero urbs Tucuman. 532
fluvius Tucuman. ibid.
Eſurgny N.Franciæ. 44
Etechemins populi N. Franc. 54
Eupari vallis. 373
Europa fluvius. 655
S.Euſtaſii inſula. 25
Euvanirap arbor Braſil. 612
Ewaipanomæ populi. 655
Ezquahuitl arbor. 224
Eztetl gemma N. Hiſpan. 232

F.

FAbæ purgatrices. 225
Falonia auri ſpecies. 378
S. Fe de Bogota oppid. 379
de Antiochia oppid. 386
oppidum de la Plata. 530
oppidum Veraguæ. 346
Sinus Cumanæ. 674.688
oppidum N.Mexico. 315
Ferdinandi Norohnæ inſula. 601
Ferrol portus Peruviæ. 453
Flamencos aves Cubæ. 14.687
Floridæ ſitus & limites. 213
cœli ſolique qualitates. 215
populorum mores. 218
promontorium. 220
Floripondio arbor. 229
Flumen del Norte. 311.312.316
Fonſecæ ſinus. 336
Fontes mirabiles. 324
Francia nova. 31
Franciſca fluvius. 352
S.Franciſcus del Quito oppid. 411
de la Vittoria. 451
de Campeche. 274
flumen. 539
Franciſci de Ulloa expeditio. 293.295
Frenillo metalla. 288
Frici cuniculi N.Regni. 379

G.

GAbueriba arbor Braſil. 559
Gachepé portus N.Franc. 41.50
Gaguey arbor. 225
Galæciæ novæ limites. 279
indigenarum mores. 280
Gallinaza avis. 407
Garaſu oppidum Braſil. 594
Gaſpar Cortereal is. 31
Gaura portus Peru. 429
Gayra fluvius. 374
S.Germanus Porto Rico. 4
Giboya anguis. 554
Golfo Dolce. 329
Gomeribo mons. 638
Gorgona inſula. 396
Gorrones populi. 390
Gotoguamey provincia. 677
Govane fluvius. 596

Gowa-

Gowateri inſulæ. 639
Goyave arbor Braſil. 612
Gracias à Dios oppid. 339
Granada inſula. 25
oppidum Nicaraguæ. 343
Granadilla fructus. 401
Gryalvæ fluvius. 278
Guayba fructus. 409
Guaca avis. 575
Guacane provinc. Florid. 205
Guacape regio. 332
amnis. 333
Guacariga avis. 556
Guachachiles populi. 281
Guachacoya provinc. Florid. 205.207
Guadacheri Peruv. 444
Guadalayara provinc. & oppidum. 282
Guadalajara de Buga, Popayan. 394
Guadalupe inſula. 25
Guadiana vallis. 288
Guadaquinaya animal. 390
Guajaquil oppidum. 416
Guajabo arbor vide Guajavo. 1
Guajana provincia. 625
Guaiminique avis. 556
Guainumi cancri. 574
Guayava arbor. 357
Guallabamba Peruviæ. 411
Guallaripa Peruv. 456
Guali fluv. Popajan. 391
Guambacho vallis Peru. 429
Guambia provincia. 392
Guamachuco provinc. Peru. 441
Guaman fluv. Peru. 429
Guamanga urbs Peru. 445
Guamaræ populi. 281
Guamaræ Salinæ. 605
Guamoche fructus. 280
Guanobo inſula. 11
arbor. 356
Guanaci oves Peru. 405
Guanajæ inſulæ. 341
Guanape vallis. 428
portus. 453
Guanaxuali fodinæ. 269
Guancavelicæ fodinæ. 447
Guancæ populi. 441
Guanihani inſula Lucaya. 22.32
Guanima inſula. 22
Guanuco oppidum Peru. 442
Guao arbor. 2
Guara avis Braſil. 575
Guaranies populi. 526
Guaraquimya herba. 567
Guaraz provincia Peru. 442
Guarco vallis Peru. 435
Guarmey vallis Peru. 429.453
Guaſacapan provincia. 327
Guaſco vallis. 485.496
Guaſtepeque N.Hiſpan. 233
Guatao inſula. 22
Guatapori fluvius. 374
Guatemala provincia. 317.330
Guatitlan N. Hiſpan. 234.237
Guatulco portus. 263
Guaxaca provincia N.Hiſp. 259
Guaxatecæ populi. 234.250
Guaxinango provincia. 234
Guaxocingo N.Hiſpan. 254
Guaxutla N.Hiſpan. 250
Guayabo fructus. 227
Guayaman inſula. 341
Guayava inſula. 341
Guaylas Peruv. 440
Guaymures populi Braſil. 547.586
Guayra portus Venezuelæ. 678
oppidum la Plata. 529
Guayangareo Mechuacan. 268
Guaytiepua anguis. 554
Guazacoalco N. Hiſpan. 261.262
Güevellan oppidum Soconuſco. 327
Guiaruba avis Braſil. 556
Guirapanga avis Braſil. 557
Guiratinga avis. 575
Guiraupiagara anguis. 554
Guaranhe enyera avis. 557
Gyromon planta Braſil. 614

H.

Habaſcon radix. 90
Hacari vallis Peru. 439
Haguaro fluvius. 337
Harae provincia. 301
Haſez radices Floridæ. 215
Hatibonico fluvius. 8
Hatorasko Virginiæ. 94
Hatuncolla Peruviæ. 458
Havana portus Cubæ. 17
Hay vel Hauthi animal. 554
Hayna fluv. Hiſpaniolæ. 8
S. Helenæ promontor. Florid. 96.220
Sphærulæ. 217
Hemes populi. 315
Henequen vel Nequen herba. 348
Hernandi de Alarcon navigatio. 305
Hetigh radix Braſil. 569.614
Hibuera provincia. 337
Higillo pintado fructus. 2
Higuero arbor. 227
Hirara animal. 553
Hiſpaniola inſula. 5 &c.
Hiſpaniæ Novæ limites. 221
cœli ſolique qualitates. ibid.
Hitauchin oppidum. 579
Hivourae cortex. 562
Hobo arbor. 356.382
Hochelaga oppidum. 44
Holli reſina N. Hiſpan. 223
Hondura provincia. 337
Horaba vallis. 285
Horikani populi. 71
Horios arbor Darien. 356
Hormigæ inſulæ. 21
Horuro Peru. 456.465
Hubates populi. 313
Huex fluvius. 301
Hum fluvius. 524
Humfredus Gilberti Anglus. 34

Hup inſula. 39
Huitzpacotl arbor N. Hiſp. 260
Huitzilxochitl N. Hiſp. 224
Huitzitzil avicula. 256
Hurira provincia. 345
Hutia animal. 5
Hutzochitl N.Hiſpan. 224
Hyguey provinc. Hiſpaniolæ. 7

I.

IAbaticaba arbor Braſil. 559
Iaburandiba arbor Braſil. 560
Iacapuchaya arbor Braſil. 559
Iacuaguja provincia. 8
Ibiboboca anguis Braſil. 555
Ibiracua anguis Braſil. 555
Icarifolia Guaianæ. 645
Iache fluv. Hiſpaniolæ. 8
Iacou auis Braſil. 615
Iaen oppidum Nicaraguæ. 343
Peruviæ. 419
Iagoarucu animal Braſil. 553
S.Iago de los Cavalleros Hiſpaniol. 10
oppidum Cubæ. 16
de Nexapa N. Hiſp. 262
de los Valles Panuc. 249
oppidum Moyobambæ. 441
de Guatemala. 334
fluvius Peru. 423
de Arma. 389
de Guayaquil. 416
de las Montannas. 423
de los Valles. 249.251
oppidum Chiles. 486
del Eſtero Tucuman. 532
de Leon Venezuelæ. 682
de Nata. 355
inſula maris Auſtralis. 292
Iaguacini animalcula. 513
Iaguana oppid. Hiſpaniolæ. 10
Iaguarucu amphib. animal. 576
Iamaica inſula. 20
Iambigh herba. 566
Ianipaba arbor. 561
Ianuaire animal. 618
Iaracaha arbor. 611
Iararacucu anguis. 554
Iayoi barbari. 641
Ibiracua anguis. 555
Ibovipap mons. 623
Icari frondes. 645
Iconuri mons Guajanæ. 656
Iequitinguaca arbor. 561
Ierepomonga piſcis. 572
Ietigueucu radix. 566
Igbucamice arbor Braſil. 560
Igcigia arbor Braſil. 560
Igoarucu canes Braſil. 553
Igpecaya herba Braſil. 566
Iguana animal Icon. 14
Ilheos præfectura Braſil. 586
S.Illefonſi oppidum. 262
Iniambi fluvius Braſil. 580
Imperiale oppidum Chiles. 492
Inſula de Sable N. Franc. 36
de pinos. 19
Inverſus piſcis. 6
S. Ioannes de Ullua. 257
de los Llanos. 385
de Paſto. 394
de Truxillo. 395
de la Frontera. 441
del Oro. 451
de la Frontera. 495
de Cinaloa. 286
flumen Cadiæ. 54
Inſula Porto Rico. 1.2
Ioannis Ferdinandez inſulæ. 491
Ioannis de Onnate expeditio. 314
Ioannes Gujus Anglus. 34
Ioan. & Sebaſtianus Caboti. 31
Ioan. Roderici Cabrilli navigatio. 306
Ioannis Verazzani navigatio. 64
Ioloxochitl Flos vel Yoloxochitl. 229
Iordanes fluvius Florid. 96.220
S. Iorge de Olancho oppid. 340
S.Ioſephi oppidum. 662
Sinus Floridæ. 217
Iracana fluv. Florid. 211
Iroquoſii populi & fluv. 45
Iſabella oppidum Hiſpaniol. 9
Itabucu fluvius. 526
Itange oppidum. 579
Itaoca piſcis Braſil. 572
Iugette de Agua. 235
S.Iuliani Portus. 519
Iumani populi. 310
Iunipap arbor. 611
Iuries populi. 531.533

K.

KAiſtucpenauck fructus. 90
Karovata fructus Braſil. 614
Kecoughtan Virgin. 78
Kellete fructus. 645
Kinnebeck N. Angliæ. 55
Kurema piſcis. 573

L.

LAbapi fluvius Chil. 487
Lacca. 224
Lagoa Braſiliæ. 538
Laguna de Maracaybo. 685
oppidum Venezuelæ. 685
de Pernagua. 539
de Mexico. 235
de Nicaragua. 342
de Lindiri. 343
Lambare mons. 529
S.Laurentii inſula. 37
Lebo fluvius Chiles. 497
Lebrixa Venezuel. 679
Lecandones populi. 325
Leganick Mayzium. 71
Lemarium fretum. 513
Lempa fluvius. 334
Leon oppidum Mechoacan. 269
oppidum Nicaraguæ. 342

de G ua-

Leon de Guanuco Peru. 442
Leſquemin portus N. Franc. 40
Letter-hout. 645
Lignum nephriticum. 227
Sanctum. 2
litteratum. 645
Lile vallis Popajan. 391
Lima Conventus Juridicus. 426
metropolis Peruviæ. 430
Limatambo Peruviæ. 447
Limo fluv. Guajanæ. 655
Limpi minium. 447
Liquidambar N.Hiſpan. 222
Llanos de Carora Venezuelæ. 680
Lobus ex Wingandecouw. 89
Loiola oppidum Peru. 423
Lopi populi Braſil. 550
Loquillo montes. 1
Loxa oppidum Peru. 418
S.Lucæ inſula. 306
Lucanes populi Peru. 438
Lucayæ inſulæ. 21
Lucayoneque inſula. 22
S.Ludovicus Tampice. 249
S.Ludovici Cataractes. 45
Luiſa fluvius. 2
Lunaguana vallis Peru. 435
S.Luzia inſula. 25

M.

Maca avis Peru. 415
Maçanilla frutex venenatus. 2
Macao avis Braſil. 556
Macarey inſula. 22
Mackwaſy populi N.Belg. 73
Macocquer fructus Virgin. 88
Macouna faba Braſil. 568
Macucagua avis Braſil. 557
Macuraguaray civitas. 655
Macuria fluvius. 648
Madiopera fructus. 550
Madrigal oppidum. 395
Magdalenæ fluvius. 369.385
Magallanica provincia. 501
Fretum. 504
Maga arbor. 2
Maguana provincia. 8
Maguey arbor. 228
Mahikani populi N.Belgii. 73
Maius fluv. Floridæ. 208.210
Mala vallis Peru. 434
Malabrigo portus. 453
Malebarre portus. 57
Mallabauquen lacus. 493
Maltepeque N.Hiſpan. 234
Mama provinc. Peru. 443
Mamaza cervus N. Hiſp. 232
Mamey arbor. 276.356
Mamoera arbor Braſil. 563
Mana fluvius Guian. 656
Manati piſcis Icon. 6
Mandioca radix. 564
Mangaba arbor. 558
Mangua arbor. 575.611
Manegua inſula. 22
Manhattæ barbari. 72
Mani radix. 400
Maniar blanco fructus. 403
Manima anguis. 576
Maniot radix. 615
Manitones divinatores. 50
Manmanuri fluvius. 646
Manoa urbs Guajanæ. 653
Manobi tuberes Braſil. 568.615
Manoripano inſula. 655
Manta pagus Peruviæ. 415
Mantane fluv. N.Franciæ. 43
Mapure Guajanæ. 660
Maquowac animal. 91
Maracapana. 685.ſeq.
Maracaybo lacus. 685
Maracocks fructus Virginiæ. 81.82
Maracou fluvius. 609
Maragnanæ provinc. deſcriptio. 607
Inſula. 608
Maranshewaccæ populi. 637
Maraquites populi Braſil. 548
Marata regnum. 298.302
Marci de Niza iter. 297
Marequita oppidum. 383
Mares fluvius Cubæ. 16
S.Margaritæ fluvius. 40
Margarita inſula. 667
Margayates populi. 584
Marigalante inſula. 26
S.Maria del Puerto Hiſpaniol. 10
el antiqua de Darien. 358
de los Lagos. 282
inſula Chiles. 487
Maripenda frutex. 264
Mariquina vallis Chil. 493
Marrawin fluvius. 646
S. Martha præfectura. 370
oppidum. 371
inſula Lucaya. 22
S. Martini inſula. 26
fodinæ Zacatecas. 288
montes. 263
Martyres inſulæ. 22
Maſaya provincia. 343
Maſachuſety populi. 65
Maſſawomeky populi. 79.86
Matança portus Cubæ. 19
S.Mathæus Floridæ. 219.220
Matalzingo N. Hiſpan. 234
Mateellu herba. 402
Matinino inſula. 26
Matlaliztic radix. 266
Matouwackes populi. 72
Mattahunty barbari. 65
Mattoori inſula. 639
Mattoume fructus Virgin. 81
Mavila provinc. Floridæ. 103
Maule fluv. Chiles. 497
Maurity terra Auſtral. 514
Mayaguana Inſula. 22
Mayeri inſula. 639
Mayi barbari. 641

May-

Maypouri animal. 643
Mayzi provinc. Cubæ. 15
Mayzium far Americanum. 88
accurate deſcriptum. 320:399
Mazutlan inſula. 291
Mecaddacut N. Angliæ. 64
Mecaxuchitl herba. 231
Mecceria fluvius Guajanæ. 640.646
Mechuacan provincia. 263
radices. 266
Melilla oppid. Jamaicæ. 20
Menane inſula N. Franciæ. 54
Mendocinum promontor. Californ. 309
Menego Inſula. 38
Mendoza oppidum. 495
Menquit inſula. 39
Menutto barbarorum dæmon. 75
Mepenes populi. 530.525
Mequaretæ populi. 525
Merida oppidum Yucatan. 274
oppidum N. Regni. 383
Meſſamines fructus Virgin. 81
Meſtitlan N. Hiſpan. 234.250
Meta fluvius. 651.652.656
Metl ſive Maguey. 228
Meuruti-uve arbor. 612
Mexicanæ provinc. limites. 233
lacus. 235
Metropolis. 235
Mexicana nova. 309.311
Mexicanorum mores & regimen. 239
idioma. 241
Reges. 243.244.ſeq.
Mexicalzingo N. Hiſpan. 237
Miary fluvius. 609
Migan cibus barbarorum. 49
De Neveri oppidum. 676
Miges populi. 262
Michatoya fluvius. 331
S. Michael oppidum Mechuacan. 269
prov. & oppid. Guatemale. 336
oppid. N. Regni. 380
de Piura oppid. Peru. 420
de Ribera oppid. Peru. 439
oppidum Tucuman. 532
Culvacanæ oppid. 285
Fretum. 360
S. Milan inſula. 340
Mimbres vada. 22
Mio venenata herba Peru. 445
Miramumini populi Braſil. 579
Miraflores oppidum Peru. 457
Miraporvos inſula. 22
Miſque oppidum Peru. 462
Miſteca provinc. N. Hiſpan. 260
Mitla fluvius. 238
Mixes populi. 261
Mizquitl arbor N. Hiſp. 228.264.280
Mocha inſula. 490
Mogu fluvius. 624
Mohina juxta Cuſco. 456
Motui animal. 5
Moire animal. 637
Molle arbor Peru. 403
Molopaques populi. 550
Mona inſula. 5
Monahigan inſula. 68
Monges inſulæ. 689
Montagneti populi N. Franc. 48
Monte Chriſto Hiſpaniolæ. 11
Mons S. Pauli Braſil. 598
Guariparim Braſil. 597
Seredo la Plata. 526
Monſerrate inſula. 26
Montinente herba. 271
Mopox provinc. & oppid. 368
Moqui populi. 316
Morahicani populi. 71
Moranta promontorium. 21
Morembaya Inſula. 597
Morequitus Guajanæ. 653
Moreshego provincia. 646
Morocotes populi. 527
Morouma provincia. 636
Morro hermoſo. 369
Morreno. 466
de S. Pablo Braſil. 598
Mortunnos fructus Peru. 410
Moruga Guianæ. 639.649
Moſſe animal. 68
Motayæ populi Braſil. 550
Motilones Peruviæ. 441.656
Motin ora maris Pacifici. 293
Motupe vallis Peru. 426
Moucouru ſinus. 606
Mounin fluvius. 609
Moxæ populi N. Regni. 379
Moxina portus Cumanæ. 688
Moxi populi Peruviæ. 451
Moyobamba provincia Peru. 441
Moyton avis. 615
Muccumbro inſula. 640
Muccerou Braſil. 606
Mucoſo provinc. Florid. 100
Mucuruge arbor Braſil. 558
Munbacho vulcanus. 343
Murtilla fructus Chil. 482
Murucucu herba. 566
Muſi populi N. Regni. 381
Muſpa Floridæ. 220
Muſquapenne radix Virgin. 81
Muſſaſcus animal. Virgin. 82
Mutaqueſunnauk fructus Virgin. 91
Mutu avis Braſil. 557

N.

NAco provinc. Hondur. 339
Nacolot fructus. 343
Naguatlati Mexicani. 240
Naguatex provinc. Florid. 205
Nahicani populi. 71
Naimkek provincia. 66
Nana vel Ananas. 565
Nandſamund. fluv. Virgin. 78
Napi fructus Guianæ. 644
Napuluca N. Hiſpan. 254
Naſca vallis Peru. 438
Naſturtium Peruvianum. 401

Nata

Nata oppidum. 355
Natiſcotec inſula vide Aſſumtion. 40
Navaza inſula. 12
Nawazii populi. 71
Nebicerini populi. 45
Nequecheri provinc. 343
Nequen herba. 348
Neſticpaca regio. 331
Neveri fluvius. 675
Nexapa vallis. 262
Neyba fluv. Hiſpaniolæ. 8
provinc. N. Regni. 378
Nieves inſula. 25
Nicaragua provincia. 341
Nigua inſectum. 5
fluvius Hiſpaniolæ. 8
Nicoya provincia. 344
Ninganis portus. 38
Nipiſierinorum lacus. 46
Nixapa provincia. 334
Nizao fluv. Hiſpaniolæ. 8
Nochtli Tuna. 229
Nombre de Dios oppid. 352
municipium Zacatecas. 288
Nombre de Jeſus Magallanic. 513
Norumbega N. Franc. 55
Noſtra Sennora de la Paz Peru. 460
de Carvaleda. 682
de la Vittoria Tabaſco. 276
del Aſſumcion. 529
de Talavera. 532
de Concepcion. 540

O.

OBahava inſula. 19
Oca cibus Collao. 400
Ocali provinc. Florid. 100
Ocanna S. Marthæ. 374
Ocaywita inſula. 655
Occam fluv. Virgin. 93
Ochatiquini populi. 45
Ochile provinc. Floridæ. 100
Ocoa portus Hiſpaniolæ. 11
Oconna vallis Peru. 439
Ocotlan pagus. 233
Ocougtanamines fructus Virgin. 81
Ocpatli radix. 228
Ojana amnis Guianæ. 656
Okindgier phaſeoli. 88
Oke Virgin. Dæmon. 84
Olancho Hondur. 340
Oleum ficus infernalis. 283
Olinda oppidum Braſil. 592
captum à Belgis. 594
Olmos municipium Peru. 420
Omaguæ populi. 625
Omaguacæ populi. 536
Omopalcarum fluv. 451
Omaſujo in Collao. 458
Ombu arbor Braſil. 559.613
Ometepec fluvius. 263
Ometopal provincia. 233
Oncajare inſula. 639
Onda portus mediterraneus. 395
Ongol planicies Chil. 492
Ontiveros oppid. la Plata. 529
Opaſcon animal Virgin. 82
Openauk fructus Virgin. 90
Opon montes N. Regni. 377
Opotari montes Peru. 451
Oqui Dæmon Canadenſium. 50
Orchilla inſula. 687
Orellanæ expeditio. 626
Orenoque fluv. deſcriptio. 649
Orenoqueponi barbari. 655
Organos cautes. 18
Oriſtan oppid. Iamaicæ. 20
Orocomay provincia. 677
Oropeſa urbs Peru. 947.462
Oruro vide Horuro.
Ortigiæ fretum. 342
Oſachile provinc. Florid. 100
Oſorno oppid. Chil. 494
Otabalo Peruviæ. 411
Otomies populi N. Hiſpan. 234.243.252
Otzumba N. Hiſpan. 234.254
Ouacoury arbor Braſil. 612
Ouara piſcis. 616
Ouaycho avis. 615
Ourou avis. 615
Ouygoudy flu. N. Franc. 54
Ouyra-Ouaſſou avis. 615
Ouyty piſcis. 616
Ozama fluv. Hiſpaniolæ. 8

P.

PAca animal Braſil. 551.618
Pacamo piſcis. 617
Pachacama vallis Peru. 434
Pachami populi N. Belgii. 72
Pacheta inſula. 361
Paci oves Peru. 405
Pacoawe arbor. 563
Pacoba arbor. 565
Pacoury arbor. 613
Paezes populi. 394
Pag ſeu Pague animal. 551
Pagatouwr mayzium. 88
Paicani populi Peru. 468
Paita portus Peru. 421.425
Palma oppid. N. Regni. 383
Palmarum fluvius. 220.251
Inſula. 395
arborum ſpecies. 612
Palta fructus Peru. 402
Pamaque arbor. 224
Pamaunke fluv. Virgin. 79
Pamplona oppidum N. Regni. 383
Panama præfectura. 348
oppidum. 349.350
Panapana piſcis. 576
Panches populi. 379
Panuco provincia. 249
Panyanajou piſcis. 617
Pao fluv. Guianæ. 656
Pao Amarello Braſil. 595
Papæ radices. 400.412
Papajæ arboris icon. 663

Papamene fluv. 656
Papautla provincia. 234
Paqual vallis. 451
Para fluvius & arx. 624
Paraca ventus Peru. 437
Paragoana peninſula. 681
Paraguay fluvius. 523.524
Paraiba fluvius. 584
præfectura & oppidum. 600
Paranafluvius. 522.524 525
Paranamiri fluv. 606
Paraweque fluvius. 79
Parcos fluvius Peru. 444
Parcottæ populi. 647
Parcouſſi Reguli barbarorum. 210
Paria provinc. Peru. 461
alia provincia ad Continentem.
Pariacaccæ montes Peru. 435.444
Parilla oppidum Peru. 428
Parime Lacus Guajanæ. 648
Parinacocha Peru. 456
Paripamotu provincia. 676
Parmonga vallis. 429
Parnagua Lacus. 539
Paſcamayo vallis. 427
Paſcuarum Mechuacan. 269
Paſſagnates populi. 310
Paſto provincia Peru. 393
oppidum ibidem. 394
Patarabuyes populi. 310
Patawomeke fluv. Virgin. 79
Pati fluvius N. Regni. 380
Patia vallis. 393
Patiguataro Cumanæ. 677
Pato fluvius Guajanæ. 652.656
Patonala N. Hiſpan. 233
Pavame ſaſſafras. 215
Paucura provincia. 389
Pauhatan fluv. Virginiæ. 78
Regulus provinciæ. 85.87
S. Pauli municipium. 580
Pawtuxunt fluv. Virgin. 67.73
Payco herba Virginiæ. 401
la Paz oppidum Peruviæ. 460
Pehuame planta. 265
Pejai divinatores barbarorum. 642
Pekey arbor. 613
Pemmenauw Virginiæ. 84
Pomtougöuet fluv. N.Franc. 55
Penguins aves, Icon. 511
Pennobſcot fluv. N.Franc. 55.65
Pepini fructus Peruv. 400
Pequatoes populi. 71
Pequea arbor. 559
Pereafluvius. 623
Perico portus Panamæ. 349.352
Pernambuc Capitania. 591
Pernacapiabæ montes. 539.580
Peruviæ generalis deſcriptio. 397
diviſio in provincias. 408
Peruvianorum regum ſeries. 469
regimen politicum. 472
populorum religio. 474
feſta 476. Idioma. 477
Peruvianorum ſcientiæ 478. mores domeſtici 479
Petatlan fluvius. 285.297.299
Petiguares popul. Braſil. 546 548.601
Petockenock N.Angliæ inſula. 71
S.Petri oppidum Hondur. 339
fluv. Floridæ. 220
& Pauli fluv. N.Hiſpan. 259
Inſulæ N.Franc. 36
& Pauli fluv. Californ. 292.293
Phalangium monſtroſum Braſil. 569
Phatſiſiranda herba. 217
S.Philippi oppidum. 269
& Iacobi oppidum. 287
oppidum porto Belo. 354
Piaſtla fluvius. 284.291
Piatzala provincia. 284
Picara provincia Popajan. 389
Pichen pix foſſilis. 662
Picoy in Peruvia. 444
Picuries populi. 315
Pilcomayo fluv. Charcarum. 462
Pillotoi harioli N.Franc. 47
Pinahuizxihuitl N.Hiſpan. 231
Pincos provinc. Peru. 442
Pinna fructus. 6
Pinnones de Braſil. 226
Pinorum inſula. 360
Pipeles populi. 333 334
Piper Tabaſcenſe. 277
Piqueri fluuius la Plata. 525
Pirapem piſcis Braſil. 616
Piri populi. 315
Piſca fluvius & oppid. 437
Piſces leporino capite. 42
Piſcobamba provinc. Peru. 442
Pita herba. 394
Piura vallis Peru. 420
Pixaj populi. 394
Pizagua fluv. Peru. 466
la Plata oppidum Peru. 461
Platanus Americæ arbor. 403
Pleymoutha nova N.Angl. 69
Pocabuyes barbari. 679.685
Pocana Peruv. 462
Pochutecæ populi. 327
Pockiero animal. 643
Pocones radices. 81
Poechos vallis Peruv. 420
Pola inſula. 23
Pomatambo Peru. 450
Pompoqua arbor N.Hiſp. 225
Popajan provincia. 384
oppidum. 385
Popocatepec Vulcanus. 233.254
Popoguſſo Virginiæ. 93
Porco argentifodinæ. 462
Pories populi Braſil. 549
Porto Seguro Braſil. 585
Porto Rico urbs à Belgis capta. 3
Portus regalis N. Franc. 52
Belus. 353
de Cavallos. 339
Poteingi fluv. Braſil. 603
Potoſi oppidum. 463

Poyucar

Poyucar in Braſilia. 591
Pozo provincia. 389
Promontorium S. Antonii. 18
S. Crucis. 17
de Raz. 32.34
S. Auguſtini. 598
S. Franciſci Peru. 424
de Paſſaos Peru. 424
S. Helenæ Peru. 424
Guarco Peru. 453
S. Nicolai. 453
S. Laurentii. 454
Virginum Magallan. 505
Hornanum. 517
S. Mariæ la Plata. 523
Frigidum Braſil. 597
S. Thomæ Braſil. 597
de la Vela. 690
S. Romani. 688
Pucura Peruviæ. 457
Puchuca. 235
Puebla de los Angeles. 253
Puerto de Plata oppidum. 10
del principe oppid. Cubæ. 16
Vejo oppidum. 416
Pulches populi. 493
Puna inſula Peru. 425
Puntzumeti herba. 265
Puraque piſcis. 572
Puren provincia Chiles. 488
Putchamines fructus. 80
Pyra Braſilianis piſcis. 573
Pyra ypouchi piſcis. 573
Pyrain piſcis Braſil. 617
Pyraon piſcis Braſil. 616
Pytahaja fructus Popajan. 389

Q.

QUaoque fructus. 381
Quapatli arbor. 232
Quaque montes. 424
Quauhconex arbor. 7
Quauhayohuatl arbor. 225.226
Quauhtlatlatzin arbor. 225
Quauhzapotl arbor. 226
Quauticonex arbor. 224
Quauhtepatli N. Hiſpan. 264
Quebecq N. Franciæ. 43.44
Quelenes populi. 325
Quereiva avis. 557
Queretaro N. Hiſpan. 238
Queule fluvius. 492
Quibey herba. 2
Quibira provincia vide Quivira.
Quibiri inſulæ. 345
Quiguata provinc. Florid. 205
Quigaultangi prov. Florid. 206.207
Quilacoia Chiles. 486
Quilca vallis. 439
Quiloacæ populi. 525
Quimba far Peruv. 412
Quimbaya provinc. 389
Quinichpatli herba. 230
Quintero portus. 496
Quinibequi fluvius. 55
Quiquixana Peru. 456
Quirandies populi. 526
Quires populi. 312.313.315
Quirepejes populi.
Quitlavaca N. Hiſp. 237.246
Quito provincia. 408
oppidum principale. 411
Quivira provincia. 301.302.304.316
Quiximies fluv. 424
Quixos provincia. 421

R.

RAmada municipium. 374
Rameæ inſulæ. 39
Raonoack Virginiæ. 93
Rawocomenes fructus Virgin. 81
Redonda inſula. 26
Regni novi Granatenſis prima inventio. 377
limites & qualitates. 378
Rejaleia portus Nicaraguæ. 343
Reverſus piſcis. 6
Rhiobamba Peru. 413
Richardus Hawkinus Anglus. 508
Rio de la Hacha præfectura. 375
Rio de la Plata præfectura. 521
flumen. 522.523.&c.
Rio de las Amazonas. 626
deſcriptio ſecundum Ang. & Belg. 630
Rio de Ianera præfectura Braſil. 581
Rio Grande de præfectura Braſil. 603
Rio Bermejo fluv. Tucuman. 534
S. Franciſco la Plata. 539
Tinhare Braſil. 598
das Contas Braſil. 598
S. Franciſco Braſil. 598
de Patos la Plata. 539
Rocca inſula. 687
S. Rochi vada Braſil. 603
Roncador vadum. 340
Roucou tinctura. 610
Roxo promontorium. 4
Rucma fructus Peru. 402

S.

SAba inſula. 26
Sacatlan oppidum Chiapæ. 326
Sacquemummener radix.
Sagadahoc fluv. 55.65.66
Sagamos reguli barbarorum. 53
Sagovin animal. 553
Saguenay fluv. N.Franc. 41 43
Salma provincia. 653.655
Salado fluvius. 532
Salamanca oppidum Yucatan. 275
Salta Tucumanæ oppidum. 533
Salvaleon oppid. Hiſpaniolæ. 10
S. Salvatoris oppidum. 16
provincia Guatemalæ. 335
oppidum ibidem. 335
oppidum la Plata. 530
oppidum Braſiliæ. 589
Samana inſula. 23
fretum Hiſpaniolæ. 12
Sandia Peruviæ. 451

Sangalla Peruviæ. 453
Sanhikanes populi N. Belg. 72
Sankikanorum idioma. 75
Santa alias Parilla vallis. 428
Santos oppidum Braſil. 579
 inſulæ Canibal. 27
Saometo inſula. 23
Saona inſula. 12
Sapanapooc Amazon. 631
Sapeno Amazon. 631
Saquenukot animal. 91
Sarabo piſcis. 617
Sarname fluvius. 647
Sarrope inſula Florid. 211
Saſqueſahanoky populi. 79
Saſſafras arbor. 216
Skicoack oppid. Virgin. 93
Scorzonera herba. 373
Scotia Nova. 61
S. Sebaſtiani oppidum Chiametlæ. 284
 del Oro N.Regni. 383
 de la Plata Popajan. 395
 Inſula Braſiliæ. 581
Sebaldi de Weert navigatio. 509
 inſulæ. 511
Seeckanauck piſcis. 56
Segovia oppidum Nicaraguæ. 343
 oppidum Venezuelæ. 683
Segura oppidum N.Hiſp. 255
Seloy fluvius Floridæ. 212
Sequana fluv. Florid. 208
Sequines populi N. Belgii. 71
Serena oppidum Chiles. 485
Sergippe del Rey Braſil. 590
Serrana inſula. 21.341
Seſambre Inſula N.Franc. 51
Sevilla oppidum Iamaicæ. 20
 del Oro los Quixos. 422
Sewrano fluvius. 647
Shebaj populi. 641
Siara præfectura Braſiliæ. 606
Siccanamos fluv. N. Belgii. 71
Siete Corrientes oppid. la Plata. 525
Simarones qui ſint. 350.361
Sinnamari fluv. Guianæ. 646
Siſal Yucatan. 276
Siquiſica Peruv. 460
Siwanois populi. 72
Skallapa oppid. N.Hiſpan. 250
Socabones metallicorum. 447
Soconuſco provincia. 326
Solana vallis Peru. 420
Sombrero inſula. 27
Sombrereto metalla. 288
Somona fluv. Floridæ. 208
Sonſonate oppidum. 335
Sorame fluvius. 647
Sora potus. 349
Soræ populi Peru. 446
Soriquoſii populi N.Franc. 52
Soroborum fluvius Braſil. 581
Spiritus Sancti oppid. 583
 ſinus Floridæ. 99.102.220
Suchiles N. Hiſpaniæ. 229
Suchimilco N. Hiſpan. 237.243
Suchitepec provincia. 327
Synnamari fluv. Guianæ. 646

T.

Tabago inſula. 663
Tabagos feſta barbarorum. 50
Tabaſco provincia. 276
Tabocuru arbor. 2
Taboga inſula. 360
Taboucouru fluv. 609
Tacambaro provincia. 271
Tacana provincia Peru. 451
Tacatacouru fluv. 213
Tacunga Peruv. 413
Tadouſſac portus N.Franc. 41
Taguamacj populi. 527
Tajahugh fluv. Braſil. 539
Tajaoba herba. 566
Tairona montes & vallis. 370.371
Taiza fluvius. 271
Talavera oppidum Tucuman. 532
Talamameque oppidum. 373
Talina amnis in Charcis. 536
Taliſſa provincia. 103
Talpuiagua fodina N. Hiſpan. 269
Tamacoæ populi. 527
Tamales placentæ. 322
Tamandua animal. 551.618
Tamaraca præfectura Braſil. 596
Tambos Peruviæ. 410
Tamoata piſcis Braſil. 617
Tamochala fluvius. 285
Tamorum provincia. 314
Tamovata piſcis. 576
Tampa Floridæ. 220
Tampice oppidum. 249
Tangara avis Braſil. 557
Tangares populi Cumanæ. 674
Tani populi. 315
Tanne fluvius Cubæ. 15
Tanſitaro provincia. 271
Taperica inſula. 587
Tapity animal. 618
Tapuyotepere provincia. 621
Tappaans populi. 72
Tapuca fluvius. 539
Tapujæ populi Braſil. 547
Tapyrete animal. 551.618
Taquari fluvius. 526
Tarapaca vallis Peru. 439.466
Tararequi inſula. 360
Tarama provincia. 443
Taraſci populi. 267
Tarehure piſcis. 617
Taria vallis. 534
Tarixa municipium. 462.534
Tarracoa provinc. Guajanæ. 656
Taruga animal Peru. 406
Taſcaluza Floridæ regulus. 103
Taſco provinc. N.Hiſpan. 235
Tata avis Braſil. 615
Tatabe provincia. 363
Tatou animal Armadillo. 552.618

Taximaroa N. Hiſp. 234. 268
Tayacutigica ſues. 551
Tebæ populi. 315
Teca far Chilenſe. 482
Tecomahaca reſina. 223
Tecoantepec provincia. 263
Temachalco N. Hiſp. 255
Tembuyes populi. 425
Teneriffe oppidum. 373
Tenyauca N. Hiſpan. 234
Teoæ populi. 315
Tepeaca provincia. 255
Tepeaquilla mons. 234. 236
Tepeamatl arbor. 225
Tepexco provincia. 233
Tepique provincia. 282
Tequipatli animal. 324
Terra Nova inſula. 32
incolæ illius. 34
Teſcuco N. Hiſpan. 234. 237
Teſtigos inſulæ. 668
Teuchtla cozauquin anguis. 252
Texcalamatl arbor. 225
Tezhuatl arbor. 229
Thecomates fructus. 227. 281
Thomebamba provincia Peru. 414
S. Thomas de Caſtilla oppidum. 339
Orenoques oppidum. 660. 661
Inſula in mari Auſtr. 292
Tiaguanaco Peru. 459
Tiguares populi Braſil. 601
Tiguez provinc. N. Galæc. 304. 309. 312
Timana oppid. 394
Timbæ populi. 391
Timbo herba Braſil. 567
Timbues populi. 526
Tinmocou piſcis. 617
Tintoques cornu terræ. 290
Titicaca Lacus Collao. 458
Tivitivæ populi. 648. 661
Tizatlalli N. Hiſpan. 235
Tlalamatl N. Hiſpan. 265
Tlamiz potus. 322
Tlapa provincia N. Hiſp. 233
Tlapalezpatli arbor N. Hiſp. 227
Tlaquatzin animal. 232
Tlaſcala provincia. 251. 252
oppidum. 253
Tlatlanquaye N. Hiſpan. 231
Tlaxco provinc. N. Hiſpan. 234
Tlilayotic gemma N. Hiſpan. 232
Tlilxochitl N. Hiſpan. 230
Toa fluvius. 2
Tobo fluvius Amazonum. 630
Toboſi populi. 310. 315
Tocayma urbs. 380
Tockawouge radix Virginiæ. 81
Tockwogh fluvius. 86
Tocobaga Floridæ. 220
Toiuqua fluvius Braſil. 597
Tolten fluv. Chiles. 493
Tolu oppidum. 367
Toluca N. Hiſpan. 234
Tonala ora. 333
Tomahavi ventus 463
Tomina municipium. 462
Tominei aviculæ. 556
Tomomyni populi Braſil. 549
Tompires populi. 315
Ton inſectum. 555
Tono montes Peruv. 451
Tonteac regnum. 298. 302
Toppahanock fluv. 79
Topia provincia. 289
Topinambazez populi. 548
Topinakes populi Braſil. 549
Tora N. Regni. 377
Tortuga inſula Hiſpaniol. 12
juxta Margaritam. 686
juxta Floridam.
Totocke fructus icon. 632
Totoqueſtal avis. 324
Totora in Lacu Titicaca. 458
Toucan avis. 615
Toucon-uve arbor. 612
Tououpinambaulty populi. 583
Toyma vallis Peruv. 450
Tragabigzanda promontor. 66
Trapalanda regio. 531
Triangulo inſula. 23
Trinidad inſula. 661
oppidum Cubæ. 16
municipium Guatemalæ. 336
oppidum Veraguæ. 346
oppidum N. Regni. 382
promontorium Californ. 296
Truxillo oppidum Hondur. 339
oppidum Popajan. 395
oppidum Peru. 427
oppidum Venezuelæ. 684
Tucan avis Braſil. 557
Tucapel provinc. Chil. 488
Tucamana provincia. 531
Tucuara Cannarum ſpecies. 568
Tucuyan provincia. 300
Tucuyo provincia & oppidum. 684
Tuculula N. Hiſpan. 233
Tula N. Hiſpaniæ. 239
Tumbez vallis Peru. 420
Tunarum ſpecies. 229
Tunia provincia. 378
oppidum. 383
Tupax provinc. N. Hiſp. 234
Tupiguæ populi. 546
Tupinambæ populi. 546. 619
Tupinaquini populi Braſil. 546
Tupinikinſi populi. 579
Tuqueme vallis. 426
Tuſpæ montes. 259
Tutepeque provincia N. Hiſpan. 233. 261
Tyroqui herba. 567
Tzinacan Cuitlaquahuitl. 224
Tzopilotl avis N. Hiſpan. 232

V.

VAcapa provincia. 297
Valdivia oppid. Chiles. 493. 499
Valencia nova oppid. Venezuelæ. 682

Vallodolid oppid. Mechuacan. 268
oppid. Yucatan. 274
oppid. Honduræ. 338
oppid. Peruviæ. 423
Valparayſo portus. 486
Valuerdo municipium Peru. 436
Vbirre piſcis Braſil. 573
Vega Real Hiſpaniolæ. 8
Veja Inſula Lucaya. 23
Venezuela provincia. 678
Vera Cruz oppidum N. Hiſp. 256
Veragua provincia. 345
Verapaz provincia. 327
Vetchunquoys animal Virgin. 83
Viacha in Charchis. 459
Viatan populi Braſil. 546
Vicunnæ animalia Peruv. 406
Vilcabamba Peru. 447.450
Villa de las Palmas. 373
del Eſpiritu Santo N. Hiſp. 282
de los Llagos N. Hiſp. 269
de Maria. 368
Villacuri vallis. 437
Villarica oppidum Chiles. 493
Vinaque fluv. Peru. 445
S. Vincentii Inſula. 27
præfectura Braſiliæ. 578
oppidum Braſil. 579
Viraſon Hiſpanis quid notet. 5
Virgines inſulæ. 27
Virgo Gorda inſula. 27
Virginia in qua Angli habitant. 77
populorum illius mores. 83
varii fructus. 80
Virribaracuxi provinc. Floridæ. 100
Vitacuchi provincia. 100
Vitangue provincia Florid.
Vites ſilveſtres Americæ. 323
Vitici populi Peruv. 442
Vittoria de Guamanga. 445
de los Remedios N. Regni. 383
Vivoræ inſulæ ſeu Cautes. 41
Vizcacha animal. 407
Vizcaya nova. 289
Vle reſina N. Hiſp. 223
Vlua fluvius. 337.340
Vnare fluv. Cumanæ. 676.678
Vnau animal monſtroſum. 618
Vnionum inſulæ. 360
Vnni fructus Chil. 482
Vpaba Braſil. 538
Vpec avis Braſil. 616
Vppee frondes. 645
Vrabæ fretum. 357
provincia. 368
Vrapo lignum. 639
Vramarca provincia. 446
Vri populi Peruviæ. 458
Vriræ metalla. 346
Vrayg fluvius la Plata. 524
Vruvapa provincia. 271
Vſſun fructus Peru. 403
Vtila inſula. 341
Vtoehwah piſcis. 574
Vua-ere fructus Braſil. 614
Vxitipa provincia. 287
Vyapari fluv. Orenoque. 651
Vza piſcis. 574

W.

WAcarina montes Guianæ. 655
Waccewayi populi. 649
Wainari fluvius. 637.638
Walrus animal. 38
Waltheri Ralegi prima expeditio. 653
poſtrema expeditio. 658
Wamenbec arbor. 613
Waoraneky populi. 72
Waperg terra ſigillata. 91
Wapenoky populi. 71
Waracayari fluvius. 656
Waraka pemme Dorada piſcis. 571
VVarana wancougy populi. 72
VVaſebur tinctura. 92
VVaytaquaſes populi. 549
VVayanaſſes populi. 549
VVayana waſones populi. 550
VVerawocomoco Virgin. 79
VVeroans reguli barbarorum. 92
VVia fluvius. 639
VViapoco fluvius. 636
VVichſacan radix. 81
VVickonzour piſa. 88
VVigcomoco fluvius. 86.79
VVikiri populi. 655
VVinauk ſaſſafras Virgin. 92
VVingandocoa provinc. 93
VVinicapora fluvius. 656
VVinipoco fluvius. 638
VVokokon inſula. 95
VViquiri populi. 653

X.

XAguæ populi. 651
arbores Cubæ. 13
arbores N. Regni. 381
Xahuali arbor. 226
Xaianca vallis Peru. 426
Xalapa N. Hiſpan. 257
radix Mechuacan. 266
Xalatacum N. Hiſpan. 234
Xaliſco provincia. 283
Xalxocotl arbor. 227
Xamundi fluvius. 392
Xaquixaguana vallis. 447
Xaragua provinc. Hiſpaniol. 8
Xarayes populi. 525.527
Xarapiſca N. Hiſpan. 223
Xauxa vallis Peruv. 443
Xeres de la Frontera Guatemal. 336
nova Venezuelæ. 682
de la Frontera Zacatecas. 289
Xicalan provinc. N. Hiſpan. 271
Xicalango. 277.278
Xicalapa fluvius. 327.336
Xilotepece N. Hiſpan. 234.238
Xilotl quid ſit. 322
Xochicopalli. 223.264

Xochi-

Xochi-ocozotl liquidambar. 222
Xocoxochitl arbor. 277
Xocoatl potio. 322
Xuala provinc. Florid. 102
Xuchinacaztli N. Hiſp. 229
Xuruara provincia Venezuel. 685
Xuta avis Peru. 415
Xuticalpa vallis. 340
Xuxuy vallis. 536

Y.

Yabaque inſula. 23
Yacunda piſcis. 617
Yacaranda arbor. 613
Yachica arbor. 613
Yaguana oppidum Hiſp. 10
Yaguna inſula Lucaya. 23
Yalcones populi Popajan. 394
Yandou avis. 616
Yapu avis Braſil. 556
Yaqui fluv. Hiſpaniolæ. 8
Yaquimo provincia Hiſpaniolæ. 8
fluvius Cinaloæ. 286
Yarammacaron planta. 614
Yarepa fluvius. 343
Yare fluvius 341.343
Yayoi populi. 642
eorum idioma. ibid.
Yanebouyre piſcis. 616.644
Ybouyapap mons. 623
Ybague oppidum N.Regni. 383
Yca vallis Peru. 436
Ycatlan provincia. 280
Ychiaha provinc. Floridæ. 103
Ycuinpatli herba. 230
Yetin culex. 555
Yecotl arbor. 228
Yguarſongo provincia. 422
Yguazu fluvius. 526
Ynagua inſula. 23
Ynaya arbor. 612
Ynchic fructus. 400
Yolatole potus. 322
Yolloxochitl N. Hiſpan. 229
Ypiti fluvius. 524
Ypupiapra Tritones. 572
Yſcance Popajan. 396
Ytapua Lacus. 529
Ytaten fluv. Chil. 487.497
Ytoco N. Regni. 383
Yucay vallis Peru. 450
Yucatan provincia. 271
Yuiapari fluvius. 651
Yuivy vallis vide & Xuxuy. 531
Yuma inſula. 23
radix N.Regni. 379
Yumeto inſula. 23
Yxtlavaca N. Hiſpan. 234
Yztacpalapa N.Hiſpan. 237

Z.

Zacanochtli arbor. 342
Zacatecas provincia. 288
Zaccheo inſula. 5
Zacatula provincia. 293.270
Zacualco provincia. 280
Zalango portus Peru. 424
Zama provincia Peru. 451
Zamba vallis. 363.369
Zamora oppid. Mechuacan. 269
oppidum Peru. 418
Zana vallis Peru. 417
Zapote arbor. 332
Zapotecas provinc. N.Hiſp. 261
Zapuatan provinc. 284
Zarbi fluvius. 382
Zarza vide Loxa.
Zarcaranna fl. vide Carcaranna.
Zebaco inſulæ. 344
Zeltales populi. 325
Zenu fluv. & provinc. 363.369
Zeybo oppidum. 10
arbor. 280
Zoques populi. 325
Zumi populi. 316
Zuny provincia. 312

F I N I S.

Ad Lectores.

LIcet ſtudioſè operam dederim ut hi libri quam accuratiſſimè ederentur, tamen operarum incuria pauca quædam errata irrepſerunt, quæ corrigenda erunt.

PAG. 13. Lin. 2. lege Cap. IX. P. 71. l. 36. leg. *Nabicanos*. P. 72. l. 7. leg. *Sivvanoes*. P. 257. lin. 1. leg. aut inſtitores. P. 267. l. 26. leg. Cap. XVI. Pag. 274. l. 10. leg. Cap. XXI. P. 309. l. 53. leg. *Eſpejo*. P. 437. l. 33. leg. Cap. XXVI. & ita porro XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. P. 471. l. 15. leg. Cap. XIV. P. 472. l. 46. leg. Cap. XV. P. 478. l. 20. leg. Cap. XIX. P. 479. l. 37. leg. Cap. XX. P. 525. l. 40. Hiſpanorum coloniam, *adde*, quam vocant *Los Siete Corrientes*. P. 528. l. 40. leg. *Carçaranna*. P. 542. l. 29. leg. *Cabralis*. P. 549. l. 47. leg. *Caburiba*. P. 551. l. 48. leg. *Canigua*. P. 558. l. 1. leg. Cap. VIII. P. 591. l. 2. leg. Septima Capitania. P. 596. l. 21. leg. Cap. XXVII. P. 600. l. 52. leg. *Mongiangapen*. P. 612. l. 10. leg. ſive P. 649. l. 50. leg. Cap. XVIII. & ita deinceps XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. P. 655. l. 17. leg. *Manoripanam*. P. 675. l. 3. in margine dele Emeria. P. 688. l. 42. leg. Cap. XVII. Monendum denique paginarum numeros poſt 104. integro centenario ad finem uſque auctiores factos.

05097

F633
.L158v